

Biblioteca Universitaria  
GRANADA  
Sala A  
Estado 3  
Tabla  
Número 116

*Sento 1-3*

1  
4-30

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35

Biblioteca Universitaria  
GRANADA  
Sala A  
Estantería 3  
Tabla \_\_\_\_\_  
Número 116


1  
11-30

Sieto 1-3



EMINENTISSIMI DOMINI  
IOANNIS CARDINALIS  
**DE LVGO**  
HISPALENSIS,  
E SOCIETATE IESV,  
RESPONSA MORALIA.





IOANNIS DE LVGO HISPALENSIS, SOCIETATIS IESV, S. R. E. TIT. S. BALBINÆ PRESBYTERI CARDINALIS, *Spirinx sculp.*

EMINENTISSIMI DOMINI  
*Del Colegio de la Compañia de Jesus de Granada Be.*  
**DE LVGO**  
 HISPALENSIS,  
 E SOCIETATE IESV,  
 S. R. E. TIT. S. BALBINÆ  
 PRESBYTERI CARDINALIS,  
 RESPONSORVM MORALIVM  
 LIBRI SEX,

*Cum gemino INDICE, vno Librorum, & Capitulorum, altero Rerum, & Verborum.*

NUNC PRIMVM LUCEM VIDENT.

*Del Colegio de la Compañia de Jesus de Granada Be.*



*Compositi anno de 1679.*

LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAURENTII ARNAVD,  
 & CLAVDII RIGAVD.

*M. DC. LI.*

CVM PRIVILEGIO REG.





*A D M O D V M*

R. P. SFORTIÆ  
PALLAVICINO,  
E SOCIETATE IESV.



N tandem seu iure, seu vi ac perpetuo tanquam concussu suasionum, precum, minarum, denuntiationum expugnasti repugnantiam illam meam, (quam ipse pertinaciam vocabas,) vulgatione Responsionum, siue Consiliorum moralium meorum refragantis. Ingenuè fateor; non modicè animus ab ea auocatus erat, postquam eiusmodi dissertatiunculas colligere aggressus, longè minus re inueni, quàm opinione præceperam, quando & magna earum pars à me ipsis Consultoribus tradita, ne autographis quidem, præ temporis ad excribendum inopiâ, reseruatis; pars in talibus versabantur argumentis, quæ, vel tacitis Consultorum nominibus, eosdem præattributorum proprietate prodidissent, non sine eorumdem incommodo, molestiâve: pars de-

num quæstiones tractabant, quibus respondere priuatâ quidem scriptione licet, responsionem in vulgus dare non licet: vt enim corporibus pharmaca, sic & conscientijs consilia non eadem omnibus attemperata. Quamobrem pauca ex multis reperi ab his exceptionibus libera; ea verò pauca sine illo doctrinæ atque eruditionis decore, quem publicæ lucis theatrum desiderat. Nosti siquidem quanto leuiùs satisfiat necessitati cuiuspiam interrogantis, qui pro arcano conscientie foro subitarium Theologi responsum quærit. Neque verò iam aut indeclinabilia publici muneris officia, aut senium, senique comes inualetudo, spongiæ ac limæ adhibendæ, vt opus esset, tempus virisque concedunt. Ita planè se res non habet; haud tamen mihi animus fuit, quo diuturniorem à te obsidionem, enimuero præduram, tolerarem. Quin satius habui, me ipsum redimere exiguâ huiusmodi pagellarum iacturâ. Non quòd illarum editioni consentiam, sed eis te donatum volo, qui in lumine diuini vultus rem conspicatus, perinde super illis te geras, ac super tuis. Si enim ita videris expedire, ineditas serua; sin, euulgatas nonnihil è salute animarum fore intellexeris, nullo existimationis meæ respectu exequere vt libet. quod posterius si decreueris, par esset

vt

vt aliquid conferres de tuo; adeoque allaborares, quò lumen, atque ornamentum allineres publico aspectu non indignum. Cæterum tui planè arbitrij res esto. Vale mi Pater amantissime. Romæ 6. Idus Iulij anno 1650.

*Frater & seruus in Christo*

IOANNES CARDINALIS  
DE LVGO.

á

4

SFORTIA





SFORTIA  
PALLAVICINVS,  
E SOCIETATE IESV,

Lectori beneuolo S.



**V**ISUNTUR hodie in Regiis, ut gazæ, in Museis tamquam archetypi, fictilia quadam perlusum depicta à Raphaele Vrbinatè, nihil tum opinante, olim euenturum, ut ipse, eiusque in pingendo excellentia ex eiusmodi tamquam eiectionis estimaretur. Id namque si vel suspicatus esset, ludicra illa, neglectaque opera, ut acor, accuratius quàm concinnauerat, diffregisset. Haud rara sunt huiuscemodi exempla. Quot nunc extant, et cum admiratione leguntur præstantium Scriptorum reiectanea? Quorum sanè Scriptorum seueriori in egregios fœtus proscripti nisi æquior euentus intercessisset, simul Latium, simul Poësis vniuersa maximo suorum decorum, hoc est, Virgilianâ Aeneide, caruissent. Hac ipse reputans, existimavi amantiùs mihi, quàm obsequentiùs agendum cum Eminentissimo Cardinale de Lugo, (quem eò Præceptorem meum appello, quo obliquè meipsum appellatione splendidissima cohonestem,) ut ab eo exculperem hoc moralium Responsonum volumen. Hac siquidem ipse construxerat, perinde ac principes Viri tentoria, hoc est, ad subitariùm usum, non ad stabilitatem. Memini, cum sodales ordine, iuncti cubiculis, sed consuetudine, et charitate coniunctiores degebamus, ad ipsum ceu ad sacram cortinam Consultores vndique adire in arduis quibusque, magnisque conscientia quæstionibus. Quibus ille dum non sapientiùs, quàm humaniùs satisfaciebat, ingens nil tale sentienti peculium exercuit; sed adeò neglectum, ut sine furti noxâ subripi potuisset: quippe non tam animo possessum, quàm derelictum. Quid ille super horum editione sentiret, quantum ego industria et laboris impenderim, ut eam exorarem, testatur illius ad me epistola, quam ex Italica fideiùs, quàm elegantius Latinam reddidi, atque huic Operi præfixi tamquam tabulas mei in litteratorum nationem promeriti.


Enim

Enimuerò Io. de Lugo, (ita simpliciter nuncupauerim; ut enim in maximo astro, ita in maximis nominibus, nihil illustrius, quàm nuditas,) hac geminâ laude semper inclaruit, ut nemini ætatis suæ, vel ingenij acumine, vel iudicij soliditate concefferit. Neque fuit in contemplatrice Theologia subtilior, quàm in morali prudentior; quamuis ego huius postrema coniunctionis decus, non tamquam singulare aliquid in illo suspexerim. Rarum hoc esse, atque insociabile dictitant homunciones nonnulli, quibus expediret, ipsam vnius doctrina vacuitatem, alterius esse probabilem coniecturam: perinde ac si vera omnia, atque adeò scientia omnes cognato fœdere non coirent: perinde ac si quacumque rata conclusio in rerum agendarum quæstionibus ex meditantis Philosophiæ initiis non emergeret: perinde ac si Metaphysica, (quod Aristoteles demonstrauit,) non esset disciplinarum omnium præceptrix, ac parens. Quid enim? an non, quem modò laudavi, Aristoteles inter Ethicos, Aristotelique proximus Aquinas inter Christianos, denique inter sodales nostros Toletus, Vasquius, Suarius, Molina in utroque sciendi genere præcipui sunt? ita ut id potiùs admirabile sit, quempiam in solis moralibus præstare, quàm utique horum præstantiam, ut in humanis illustrem, veneror, sed in eadem per se spectata subobscurum nescio quid, ac luscum, adeoque lapsibus obnoxium, introspectio. Illi verò diuinorum contemplatores, qui actuosam Theologia partem omninò prætereunt, suspicabile est, ne pro vero factitium aurum venditantes, moralia argumenta, ceu lydium lapidem, reformident; utpote in quibus procliuè est, opinionum labem vel popularibus oculis esse conspicuam. Non sum inscius, in eiusmodi quæstionibus pariter, atque in forensibus, multos esse unâ auctoritate contentos: nec morem damno; quemadmodum non improbarem si cacutientes noctem diemve ex horologio potiùs, quàm ex fenestra diiudicarent. Enimvero, cum utrumque forum innumerabilem exigat Præfectorum multitudinem, cumque in multitudine moralium, adeoque in usu earum artium, quæ multitudinis sunt, ingenij præstantia sit insperabilis, præsertim ubi opus tædij plenum, stipendij plerumque inops; tutius fuit ut quorundam magnorum auctoritate, quàm ut propria ratiocinatione cateri passim ducerentur. Ita se res habes. Verumtamen Scriptores illi, quorum disputationes sola auctoritate nituntur, testium fidem, (quam etiam haud rarò in illis desidero,) vindicare sibi possunt, iudicum auctoritatem arrogare sibi non possunt. Neque pro sententiis, quas tuentur, numerum augent suffragatorum: quo modo nec multa parelia pro multis Solibus numeranda sunt, nec Echo, quantumuis multiplicata, plusquam una vox est. Iuris ergo, ac recti qua exterioris, qua interioris præceptores ij tantum sunt, qui rem exigunt non ad alienas priuatorum opiniones, sed vel ad scriptas Principum leges, vel ad rationem, quæ legitima est interpres legis aeternæ.

Hos

Hos inter præcipuus eminet Cardinalis de Lugo ; cuius libri tum cæteris dotibus affluunt , tum verò aſſimulant mare illud vitreum ſimile cryſtallo ; ſcilicet perſpicui pariter , ac profundi. Quis in eo non admiretur inſignem ſtyli ſolertiam , nil omittentis eorum , quæ omiſſa ſermonem inobſcurarent , nil dicentis eorum , quæ dicta , caliginem , non lucem affunderent ? Quod cum in quocumque ſcribendi genere præſtabiliſſimum ſit , tum verò præſtabilius eſt in eo , quod agendi regulam præfert : nil enim ad regulæ ſubſtantiam tam proprium atque intimum , quàm ut pateat.

Sed ego , dum te Lector diutiùs moror , tanti Scriptoris gloriam laudibus ipſis imprudens detero ; hanc enim longè uberiorem illi pariet legentis experientia , quàm laudantis exornatio.



*Imprimatur,*

*Imprimatur , ſi videbitur R. P. ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro*  
ASCANIUS RIVALDVS *Viceſgerens.*

*Imprimatur , Fr. VINCENTIUS CANDIDVS , ſacri Palatii*  
*Apoſt. Magiſter.*

APPROBATIO SFORTIÆ PALLAVICINI,  
*in Collegio Romano Societatis IESV*  
*ſanctæ Theologiæ Lectoris.*

**I**VBENTE Reuerendiſſimo Patre Vincentio Candido,  
ſacri Apoſtolici Palatii Magiſtro , perlegi *Reſponſa mo-*  
*ralia Eminentiffimi Domini Ioannis Cardinalis de Lugo , &*  
omnia inueni orthodoxæ fidei , piſque moribus appri-  
mè conſona : quin etiam illis ingenij ac doctrinæ luminibus præ-  
fulgida , quæ Theologorum ætatis noſtræ Principem , vniſque ſa-  
pientiæ decus purpuræ debentem , decent.

SFORTIA PALLAVICINVS , *in Collegio Romano*  
*Societatis IESV ſanctæ Theologiæ Lector.*

**E**minentiffimi Domini Ioannis Cardinalis de Lugo *Reſponſa mo-*  
*ralia* , nos in Alma facultate Pariſienſi Doctores perlegimus ,  
nihilque quod fidei orthodoxæ , & bonis moribus aduerſetur re-  
perimus , ſed plurima ſelectiſſima , & quæſtionum mirâ varietate  
contexta , proinde in lucem prodeant. Datum Lugduni die 30.  
Nouembris , anno Domini 1650.

FR. FRANCISCUS LORNET, *Ordinis Predicatorum.*

FR. PAVLVS LOMBARD, *Prior Carmelitarum Lugdun.*

SVMMA

# SVMMA PRIVILEGII Regis Christianissimi.



VDOVICVS XIV. Dei gratiâ Galliarum, & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari Priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum fines, intra decem annos à die finitæ impressionis computandos, imprimat, seu typis excudendos curet, & vñales habeat Libros, tam editos, quàm edendos, Ioannis Cardinalis de Lugo, è Societate IESV, præter PHILIPPVM BORDE, Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipsemet concesserit: prohibuit insuper eadem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis eosdem libros extra Regni sui limites imprimendos curare, vel quempiam vbicunque fuerit, ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dicti PHILIPPI BORDE. Idque omne sub confiscatione Librorum, aliisque poenis contra delinquentes expressis, vti latius patet in litteris datis Parisiis, die 30. Augusti 1650.

*Ex mandato Regis*

Signatum

BERAVD.

INDEX



# INDEX Librorum, & Dubiorum.

## LIBER I.

### *De quaesitis variis circa Sacramenta.*

- DVB.I. **D**E Baptismo in Capillis, an sit validus, & an repetendus pag.1.
2. An baptizandus sit iterum sub conditione, qui à Ministro Caluinista baptizatus fuit. 4
  3. Vtrùm hæc sit valida forma Baptismi: *Ego te Christizo, vel te Christianum facio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* 6
  4. An inuito patre Iudæo, possit eius filius volens baptizari, quando dubitatur de vsu rationis. 8
  5. Vtrùm pater possit esse patrinus in Baptismo sui filij illegitimi. 10
  6. An liceat committere Sacerdoti simplici facultatem conferendi Sacramenta Confirmationis in aliquibus locis. 12
  7. Vtrùm ille Abbas, cui conceduntur functiones Episcopales, possit conferre Sacramentum Confirmationis, si expressè non prohibetur. 14
  8. Vtrùm Chrisma confectum ex aliis ingredientibus vltra oleum, & balsamum, possit adhiberi in Sacramento Confirmationis, ibid.
  9. Vtrùm aliquid tabachi in fronte sumptum ore, vt dentibus solum conteratur, soluat ieiunium naturale ad Communionem necessarium. 15
  10. An Sacerdos secundo celebraturus possit prima Missa dare ablutioem in calice laico Communionem accipienti. 17
- D. Io. Card. de Lugo Resp. mor.*
11. An liceat deferre Eucharistiam infirmo adorandam, qui eam sumere non potest. 20
  12. An Parochus bis celebrans diebus festis in duabus Parochiis, quas habet, possit permitti in eisdem bis etiam celebrare diebus profestis. 21
  13. An qui potest approbare Oratorium ad celebrandum, possit dare facultatem celebrandi nocte Natalis in aula, vbi constructur præsepe Dominicum. 22
  14. An facultas, de qua dubio præcedenti, delegari possit à Prouinciali, cuius nomine alius deputet, & approbet Oratorium. 23
  15. Vtrùm qui in Paschate recipit Sacramenta in Ecclesia Cathedrali, satisfaceret Ecclesiæ præcepto. 24
- ### *De Sacramento Pœnitentiæ.*
16. Vtrùm, si aliquis nunc à S. Petro absolueretur, deberet adhuc iterum peccata illa confiteri Sacerdoti mortali. 25
  17. Cur Episcopus extra suam diocesim non possit approbare Confessarios pro suis subditis extra Diocesim existentibus. 28
  18. An Episcopus possit suspendere totum Conuentum Regularium à confessionibus audiendis ibid.
  19. An facultas absoluendi concessa Prælato Regulari transeat ad eius successorem. 29
  20. Quid dicendum de facultate ad absoluendum nondum mandata executioni, quando potestas cessat in concedente. 30
  21. Vtrùm

# Index Librorum,

21. Vtrum reseruatō casuum facta ab Episcopo, & promulgata à Capitulo Sede vacante obliget. 31
22. An habens facultatem ab Episcopo ab omnibus casibus ei reseruatis possit absoluerē à casu reseruato post concessam licentiam. 33
23. Vtrum cessante approbatione, cesset etiam facultas ad casus reseruatos, ita ut per subsequētem approbationem non reuiuiscat. 34
24. De eo, qui post concessionem illimitatam ad casus reseruatos obtinuit aliam magis limitatam. 35
25. An possit Confessarius absoluerē, adueniente reseruatiōe post inceptam confessionem. 36
26. An teneatur Confessarius semper absoluerē pœnitentem, cuius confessionem audiuit, & ad hoc amplecti opinionem probabilem benigniorem. 37
27. An Confessarius ordinarius Regularium possit eos absoluerē à reseruatis Papæ. 39
28. Vtrum negare possit Confessarius absolutionem Nouitio nolenti egredi, & ad sæculum redire. 42
29. An possit pœnitens accipere Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore de vno veniali, etiamsi non doleat de aliis venialibus specie diuersis, etiam grauioribus. 44
- De Sacramento Ordinis.*
30. An sit validè ordinatus, cui in Subdiaconatu nō fuit datus calix vacuus, sed plenus vino, & aqua. 46
31. De Hermaphrodito, an si post ordinationem validam incipiat in eo præualere sexus fœmineus, possit validè celebrare. 48
32. An Episcopus suffraganeus possit cum licentia Episcopi nondum reuocata, post eius mortem exercere Pontificalia, & Ordines conferre Sede vacante. 51
33. Vtrum Sacerdos, qui non tetigit

- calicem, & patenam, dum forma proferebatur, sed immediatè post, debeat, vel possit iterum sub conditione ordinari. 52
34. Vtrum Ordines minores conferri possint in quocumque festo duplici, etiamsi non sit festiuus ex præcepto. 54
- De Sacramento Matrimonij.*
35. An validum sit matrimonium contractum coram Sacerdote ex licentia Parochi, mortuo tamen Parocho ante contractum matrimonium. 55
36. Vtrum possit Sacerdos regularis assistere matrimonio, vbi nec est, nec vnquā fuit vllus Parochus. 56
37. De matrimonio celebrato coram Parocho minùs principali. 57
38. An possint Religiosi assistere validè matrimonio suorū familiarium. 60
39. An facultas dispensandi, excepto primo gradu, extendatur ad primum gradum affinitatis ex copula illicita. 62
40. An possit Pontifex dispensare cum aliquo ad contrahendum matrimonium cum sua nuru. 63
41. An Ordinarius possit credere viro neganti copulam cum consanguinea vxoris, quam vult ducere, cum eadem copulam antea iuramento confirmasset. 72
42. An ad valorem matrimonij requiratur acceptatio consequens ex parte coniugis, qui prior consensum expresserat. 73
43. Vtrum cōcedi possit dispensatio ad contrahendum matrimonium in primo gradu affinitatis simul cum secundo cōsanguinitatis. 74
44. An non obstante promissione, possit non contrahi matrimonium promissum, cedente fœmina cum damno prolis. 76
45. An Episcopus possit sua lege irritare matrimonia contrahenda sine præmissis

# & Dubiorum.

- præmissis denuntiationibus. 77
46. Circa fauorem matrimonij facti coram simplici Sacerdote ex delegatione Vicarij deputati ab Episcopo nondū confirmato. 78
11. An irregularis occultus retinere possit beneficium habens solūm annexam recitationem Officij. 96
12. De irregularitate ex infamia, occulta tamen, in loco distantia. 98

## LIBER II.

### *De quesitis variis circa censuras.*

- DVB.I. **A**N incurrerit excommunicationem ob duellum, non qui procurauit explicitè, sed confusè. 81
2. An Regulares post decreta Clementis VIII. & Pauli V. absoluerē adhuc possint iuxta sua priuilegia à peccatis circa duellum, excepta prouocatione, & pugna. 82
3. An incurrerit censuras Parochus, retenta sibi pensione sine consensu Episcopi alium deputauit Vicarium suum irreuocabilè. 83
4. An fœmina procurans abortum in se, incurrat excommunicationem latam à Sixto V. 84
5. Vtrum excommunicatus nominatim per edicta publica, nisi intra certum terminum satisfecerit, transacto termino sit vitadus. 86
6. Vtrum appellatio à denuntiatione excommunicationis suspendat effectum. 89
7. Quid agendum cum Episcopo irregulari ob illegitimitatem mala fide occultatam in adeptione Episcopatus. 90
8. An in dispensatione irregularitatis ex homicidio necesse sit ad eius valorem narrare dispensationem præcedentem ob alterum homicidium. 91
9. De irregularitate cuiusdā Parochi Regularis incitantis subditos ad occidendos aggressores. 92
10. Vtrum suspensus occultus celebrare possit sine periculo irregularitatis ad alendum se, & matrem indigentem. 94

*D. lo. Card. de Lugo Resp. mor.*

## LIBER III.

### *De variis casibus ad Regulares spectantibus.*

- DVB.I. **V**TRUM tacens homicidium ad iudicium deductum, licitè, vel validè Professionem emisserit. 100
2. De Professione illius qui annum probationis interrupserat. 102
3. An, & quomodo Regulares cuiusdam Congregationis reclamare potuerint contra Prælatos à quibus regebatur. 104
4. An Generalis Regularis possit præcepto obligare subditum ad acceptandum Episcopatum. 106
5. An Summus Pontifex possit cogere Religiosum suo præcepto ad acceptandum Episcopatum. 112
6. An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ possint saltem extra Confessionem absolui à censuris Papæ reseruatis. 118
7. An extrahentes puellam è Monasterio, vbi ad educationem commorabatur, incurrerint excommunicationem. 122
8. An Regulares licitè promittant communitati sæculari, se nunquam empturos bona immobilia in eo territorio. 123
9. Vtrum bona, quæ Regulares possident supra summam statutam, possint alienari sine licentia sacre Congregationis. 124
10. An fructus à donatore destinati ad emptionem bonorum immobilium possint ex eius consensu applicari ad soluenda debita eiusdem Conuentus. 128
11. Incidens de obligatione Prælati è 2 imposta



- imposita extinguendi censum, vel inuestiendi pecunias intra certum terminum. 132
12. De promissione à Regularibus facta locandi fundum per plura triennia successiue. ibid.
13. De alienatione facta contra formam facultatis concessæ à sacra Congregatione. 133
14. De Religioso non manifestante hæreditatem sibi delatam. 135
15. Vtrum grangia Regularium gaudeat immunitate. 136
16. De prætenfa inualiditate Professionis cuiusdam Monialis ex causa metus, & postea ab eadem ratificatæ. 137
17. Quousque extendatur concessio Leonis X. facta Minoribus circa recitationem Officij mentalem. 148
18. Vtrum ex causa correctionis, & punitionis posset Monialis extrahi ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis sine licentia specialis Sedis Apostolicæ. 149
19. An subditus possit, & debeat obedire Prælato, quando dubitat, an sit licitum id, quod præcipitur. 152
20. An liceat negotiatio Religiosis ad recuperandum debitum, vel ad sustinendam illam pro censu extincto. 158
21. An qui Professionem fecit, non præmissis informantibus, quam exigit Sixtus V. possit post quinquennium reclamare. 159
2. De Nouitio, qui per errorem dimissus fuit, & post sex dies receptus est, an possit continuare biennium suæ probationis. 164
3. De eo, qui petiit dimitti è Societate, vt hæreditatem patruï ab intestato obtineret, an potuerit validè dimitti, & hæreditatem acquirere. 165
4. An Societas prætere possit hæreditatem ab intestato nomine Professi, qui ante Professionem omnia sua iura cesserat Collegio cuidam Societatis. 168
5. Cui acquiratur legatum relictum Professo Societatis, qui ante Professionem renuntiauerat omnia sua bona. 172
6. Quando aliquis è Societate ante Professionem relinquit legatum cuidam Collegio, an Generalis possit post mortem testatoris illud acceptare. 175
7. Quid faciendum de eleemosyna annua relictæ domui Professæ Societatis Iesu. 176
8. An potuerit testator obligare Collegium Societatis ad dandos domui Professæ redditus annuos per 20. annos. 178
9. An Collegium Societatis grauari possit à testatore ad dandos redditus annuos perpetuos domui professæ ad fabricam Ecclesiæ à se fundatæ. 180
10. In quo respondetur ad quæsitam nonnulla circa fructus horti suburbani, quem habeat Domus professa Societatis. 183
11. Vtrum Domus professa Societatis domum sibi legatam possit vendere in solam vitam emptoris: vbi, quid de venditione cum pacto retrouendendi. 189
12. De supellectile Congregationis Parthenicæ, an dissoluta Congregatione pertineat ad Collegium Societatis. 193

LIBER IV.

*Continens dubia aliqua pertinentia ad institutum Societatis Iesu.*

DVB.I. **A**N qui post vota biennij è Societate dimittitur, & postea iterum recipitur, indigeat nouitiatu nouo. 162

13. An fuerit valida Professio emissa ante tempus, quod Generalis præscriperat. 195
14. An fuerit valida Professio facta in manibus Episcopi sæcularis ex commissione Prouincialis. 198
15. An habitus religiosus assumptus sit semper impedimentum essentialiale ad ingressum in Societatem. 201
16. De homicidio non probato, an sufficiat ad dimittendum nondum Professum in Societate. 202
17. De homicidio quodam casuali facto in defensionem, an fuerit impedimentum ad ingressum Societatis. 206
18. An Professio non lecta ex scripto, sed memoriter recitata, valida sit. 208
19. An concedi debeat secundum examen ei, qui in primo non fuit approbatus ad Professionem. 210
20. Quid dicendum de suffragio examinantis dicentis illum vix, aut ægrè posse docere. 211
21. An sit valida Professio in Societate facta ante solitam ætatem, & an iura antiquitatis debeant à die Professionis computari, an verò à die ætatis completæ. 212
22. Quæ verba sufficiant ad peccatum reseruatam contra votum obedientiæ: & quid, quando non dicuntur ipsi Superiori immediatè, sed per alium. 214
23. An possit Generalis Societatis dimittere aliquem sub conditione reincidendi in obligationem votorum, si ad talem locum redierit. 216
24. De formula Congregationis Prouincialis non obseruata, an reddiderit inualidam electionem subsequutam. 217
25. An incurrat pœnas ambitus, qui ambit pro persona incerta. 218
26. Vtrum Professus legitimè carceratus sit ad Congregationem Prouincialem vocandus, vel possit in ea eligi. 220
27. Vtrum Prouincialis Societatis in India debeant, aut possint venire ad Congregationem Generalem. 222
28. An Præpositus, vel Rector possit sibi eligere Confessarium, à quo absoluat à reseruatæ. 224
29. Circa sensum regulæ prohibentis omnibus Societatis personis officia exequutoris testamenti, & procuratoris. 226
30. An possit Generalis Societatis applicare Missas suorum subditorum loco illarum, quas Collegium aliquod ex testamento debebat. 228
31. Vtrum possit Generalis Societatis acceptare legatum rei immobilis alicui Collegio relictum cum animo alienandi. 231
32. Quid faciendum sit de pecunia donata, & legata ad fundationem Collegij, quando Episcopus non consentit fundationi. 232
33. An conuictores Seminarij reputentur vt familiares Societatis in ordine ad recipienda Sacramenta. 234
34. Quousque possint Magistri Societatis tradere in scholis materias iuris Canonici. 237
35. De suffragio dubio in Congregatione Prouinciali. 238
36. An possit Professus Societatis Iesu sine præcepto Summi Pontificis assistere loco Ordinarij in Tribunali sancti Officij. 241
37. Quid iudicandum sit de Professo Societatis fugitiuo. 244
38. Continens quæsitam aliqua circa iudices conseruatores Societatis. 345

39. An Prouinciales Societatis, & Rectores Seminariorum possint benedicere sacra ornamenta. 249
40. An possit erigi Congregatio sodalium B. Virginis in loco, qui non sit sub dominio Societatis. 254
41. De Professo Societatis transeunte ad alium Ordinem, & inde postea ad Clericos regulares S. Joannis Hierosolymitani. 256
42. Vtrum Generalis Societatis possit subdelegare Prouinciali facultatem concedendi licentiam ad legendos libros prohibitos. 259
43. De Professione data ex errore commisso à Secretario, qui litteras Generalis scripsit. 261
44. Vtrum testator excludens Professum ab aliquo legato, censeatur excludere eum, qui emisit vota simplicia in Societate. 263
45. An sine facultate Sedis Apostolicæ possit Societas ei, quem dimittit, cedere bona immobilia, quæ antea ab ipso per renuntiationem acceperat. 265
46. An ille, qui iam est plenè emendatus, possit in Societate denuntiari Prælato vt Patri. 270
47. An consulens homicidium, ipso sequuto sit inhabilis ad ingrediendam Societatem. 273
48. Vtrum priuilegia Societati concessa pro iis, qui mittuntur ad Indiam, competant iis, qui vel in India nascuntur, vel ibi Societatem ingrediuntur. 274
49. An possint Professionem in Societate emissuri examinari ante finem studiorum. 276
50. Vtrum Legatus à latere possit vti priuilegiis Societatis circa personas eiusdem Societatis, sicut possunt Prælati Societatis.

L I B E R V.

*Continens dubia circa beneficiarios, & personas Ecclesiasticas.*


- DVB. I. **D**E donatione facta ab Episcopo regulari ægrotante in fauorem sui nepotis. 279
2. De vnione duarum Ecclesiarum Parochialium, an fieri potuerit ab Episcopo post decretum Concilij Tridentini *sess. 24. c. 13.* 281
3. An sine læsione Ecclesiasticæ immunitatis, potuerint Clerici cogi ad soluendum, quod in utilitatem etiam ipsorum expensum fuerat. 283
4. An possit quis habere animum resignandi beneficium, dum adhuc procurat expeditionem Bullæ. 285
5. An debeat recitare diuinum Officium, qui cum titulo colorato accepit possessionem beneficij, non tamen pacificam, sed litigiosam. 287
6. Vtrum beneficiarius non habens Ordinem sacrum peccet grauius non recitando Officium, cum animo tamen restituendi fructus. 291
7. Vtrum Officia aliquorum Sanctorum, quæ in quadam ciuitate recitari solebant, & diu omissa, ac interrupta fuerunt, possint sine noua Sedis Apostolicæ licentia resummi, atque iterum recitari. 293
8. Vtrum qui per errorem recitauit hodie Officium crastinum, debeat cras recitare Officium hodiernum, vel iterum recitare crastinum. 296
9. De numero Missarum in beneficij erectione assignandi. 301
10. De obligatione illius, qui apertis litteris alienis, nouit vacationem

- nem præbendæ, quam impetrari curauit pro quodam suo amico. 303
11. De obligatione Prælati, aut beneficiarij Ecclesiastici ad dandam eleemosynam. 305
12. An Religiosus factus Episcopus maneat adhuc Religiosus, & cum voto paupertatis, & an acquirat dominium fructuum sui Episcopatus. 307
13. De Episcopo petente dispensationem à Summo Pontifice vt à sua Ecclesia per aliquot menses abesset. 318
14. An Episcopus non consecratus possit sine dispensatione ducere exercitum. 320
15. An possit Summus Pontifex creare Episcopum Titularem eum, qui non habeat doctrinam, quæ pro Episcopis peritur à Concilio Tridentino. 321
16. An, & quomodo possit Episcopus consentire, vt Abbatia quædam separaretur ab eius dignitate Episcopali. 325
17. In quo respondetur ad duo quæ sita circa Officia propria Sanctorum Ecclesiæ Palentina. 326
18. An expediat, Episcopum taxare Missæ stipendium, ita vt maius accipi non possit, nec dari. 328
19. Vtrum Archidiaconus dispensatus à Summo Pontifice in defectu ætatis possit habere votum in Capitulo. 330
20. An possit Episcopus prohibere, ne Regulares concionentur in suis Ecclesiis diebus Quadragesimæ, quibus eadem hora habetur concio in Ecclesia Collegiata eiusdem loci. 332
21. An Episcopus possit procedere ad taxam contributionis pro Seminario faciendam cum tribus solis deputatis, renuente Clero quartum eligere. 334
22. An Clericus transiens ad armatam militiam perdat pensionem, quam ex dispensatione retinere poterat in statu matrimonij, & sine habitu clericali. 335
23. An tertius addendus Adiunctis capitularibus, quando ipsi non concordant cum Episcopo, debeat esse ex eodem Capitulo. 337
24. An Episcopus possit deputare Confessarium extraordinarium in Parochiis vnitis Abbatia regulari. 340
25. An potuerit Episcopus prohibere Regularibus, ne in Ecclesiis secularibus Missas celebrent. 342
26. An sufficiant coniecturæ de mente testatoris, vt Capellanus teneatur celebrare per seipsum, quando testator id satis non expressit. 343

L I B E R VI.

*Continens dubia ad varias materias spectantia.*

- DVB. I. **A**N maneat reseruatam Summo Pontifici votum castitatis, postquam dispensatio obtenta fuit ad effectum contrahendi matrimonium. 347
2. De legato relicto sub conditione prolis legitimæ, an sit soluendum, quando dubitatur de valore matrimonij. 350
3. Vtrum Bulla Gregorij XIII. contra dantes, & accipientes pro rebus gratiæ, vel iustitiæ, locum habeat contra dantes, & accipientes in tribunalibus laicis status Ecclesiastici. 351
4. In quo aliqua obseruantur circa Bullam proximè citatam Gregorij XIII. de datis, & promissis: vbi quando ignorantia ab eius pœnis excuset. 353
5. Vtrum



4 Probatum primò à priori ex fundamen-  
to omninò contrario; quia nimirum ca-  
pilli sunt pars vera hominis, & non solùm  
superfluitas, vel excrementum, vt prima  
sententia supponebat: nam licèt fiant ex  
iis materiæ partibus, quas alia corporis  
membra, vel organa reiiciunt; illa tamen  
materia, quæ aliis partibus non deseruit,  
non reiicitur vt omninò inutilis, sicut  
reiiciuntur mera excrementa, sed retine-  
tur tanquam utilis ad capillos formandos.  
Sicut unguis etiam fuit ex partibus, quas  
aliæ partes reiiciunt; & tamen deseruiunt  
non solùm ad ornamentum, sed etiam vt  
manus sint habiles ad operationes huma-  
nas, quæ sine unguibus difficillimè possent  
exerceri. Sic etiam pars illa, quæ conuer-  
titur in capillos, non censetur homini su-  
perflua, & inutilis, cum ipsi capilli deserui-  
ant non solùm ad ornamentum, & de-  
corem, ex quo Absalonis facies multò  
magis speciosa, & amabilis reddebatur;  
sed etiam ad tuendam, & fouendam ca-  
pitis cutem: vnde homo caluus non vide-  
tur omninò integer, & completus, sed  
aliqua ex parte mancus, & diminutus; nec  
immeritò caluities omni studio, & dili-  
gentia vitari solet, & impediri, imò & ab  
aliis solet fictitiis, & appositis capillis oc-  
cultari, qui sanè capilli aduentitij, & ex-  
trinseci non sunt hominis pars, nec in illis  
solis valeret Baptismus, nisi aqua ad cu-  
tem capitis penetraret: secus verò de pro-  
priis, & naturalibus capillis dicendum  
est, qui sunt aliquid ipsius hominis, vt  
dicemus.

5 Et quidem scio, esse controuersiam in-  
ter Philosophos, an rationalis anima in-  
formet etiam capillos, aliis negantibus,  
aliis verò affirmantibus, quam sententiam  
ego in lib. de Anima, vt probabiliorē am-  
plexus sum. Quia verius videtur, capillos  
non nutriri solùm per iuxtapositionem,  
sed etiam per intus sumptionem, & ha-  
bere subtilissimas venulas, per quas ali-  
mentum, & nutrimentum distribuatur,  
quod variis experimentis, & exemplis in  
prædicto loco probabam. Cæterum ad ca-  
sum nostrum abstinendum est ab ea con-  
trouersia: siue enim animâ rationali in-  
formemur, siue non informemur, sunt  
vera pars hominis, & compositi humani.  
Sicut sanguis, qui in sententia probabiliori  
non informatur anima rationali, adhuc est  
vera pars naturæ humanæ, & idèd sub-  
sistere debuit in Christo eadem Verbi di-  
uini subsistentia increata; quia alioquin  
non assumpsisset Verbum totam, & inte-

gram naturam humanam, & omnes eius  
partes, vt ex Concilio Tridentino, & aliis  
Scripturæ, & Patrum verbis latè probauit  
disp. 14. de Incarnatione sect. 2. & 8. Hinc  
etiam est, quòd in statu beatifico corpora  
gloriosa non resurgent certè sine capillis;  
alioquin frustra Christus Dominus Apo-  
stolis promississet, *capillus de capite vestro  
non peribit*: non erant ergo mera corporis  
excrementa, sed partes humanæ naturæ,  
quas resurgente homine, resurgere oportet,  
vt totus, & integer homo resurgat.  
Dum ergo capilli abluuntur, pars homi-  
nis abluitur, & quidem pars capitis hu-  
mani, cum capilli ad caput ipsum perti-  
neant, & per consequens caput in aliqua  
sui parte baptizatur, quod sufficit ad ve-  
rum hominis Baptismum.

6 Probatum secundò, quia sicut cutis ca-  
pitis capillis tegitur; ita & cute tegitur ca-  
put: suppono autem ex Medicorum, &  
Philosophorum doctrina, in humano cor-  
pore esse duplicem cutem, alteram omni-  
nò externam, quam communiter ex Ga-  
leno, & aliis Medici dicunt non informari  
animâ rationali; alteram verò internam,  
& animatam. Et tamen ad valorem Ba-  
ptismi nemo exigit, quòd aqua non sistat  
in cute, & superficie externa, sed quòd  
penetret ad cutem internam. Cur ergo  
non sufficit, si aqua sistat in capillis ipsi-  
s, qui sunt quasi pellis ad cutis ornatum, &  
tutelam posita? Habent enim se capilli  
respectu capitis, sicut pellis in oue, vel  
sicut pennæ in aue: nemo autem dicit  
non esse propriè, & in omni rigore made-  
factam ouem, vel auem, quarum pellis, &  
lana, vel pennæ madefactæ sunt.

7 Confirmari potest primò, quia quando  
requiritur contactus physicus capitis, suf-  
ficit tangere capillos. V.g. quando Episco-  
pus debet imponere manus supra caput  
Presbyteri ordinandi, non tangit imme-  
diatè capitis cutem, sed capillos, & id fa-  
tis est, vt dicatur caput ipsum physicè tan-  
gere. Similiter ergo dicitur aqua effusa  
super caput, & illud fluxu suo tangere,  
quando tangit capillos, & super illos ef-  
funditur, ac fluit, quod videtur sufficere  
omninò vt caput dicatur baptizatum.

8 Confirmari potest secundò, quia vn-  
gues etiam, siue sint, siue non sint animati,  
ita sunt manuum, & digitorum pars, vt  
quando manu, vel digitis aliquid apprehendi  
debet, satis sit, si unguibus digito-  
rum tangatur. Sic Sacerdos in sua ordina-  
tione, qui tangere debet cuppam calicis  
digitis mediis, sufficit si unguibus eorum  
digitorum

digitorum tangat, quia ij pars digiti cen-  
sentur. Cur ergo minùs capilli censentur  
pars capitis, aut cur minùs aqua dice-  
tur attigisse caput pueri, quando super  
capitis capillos effunditur, cum eodem  
modo se habeant capilli ad caput, quo vn-  
gues ad digitos, vel manus se habent.

9 Dicit aliquis, ex hoc sequi, quòd  
sufficeret ad Baptismum, si aqua solùm  
effunderetur super extremam partem ca-  
pillorum pendentium ab utroque capitis  
latere, & extra ipsum caput, quæ pars ab  
aliquibus ligari solet in crinem sericâ vit-  
tâ, vel aliter: quod tamen durum videtur,  
quia crines illi, licèt primam radicem in  
capite habeant, longè tamen à capite di-  
stant, & videntur ita esse extra hominem,  
vt eorum ablutio non denominet simpli-  
citer hominem ablutum.

Respondetur negando sequelam: nam  
si ablutio vnus digiti pedis non sufficit ad  
Baptismum, iuxta communem senten-  
tiam, multò minùs sufficere ablutio extre-  
mæ partis comæ pendentis, quæ minùs vi-  
detur pertinere ad hominis complemen-  
tum, quàm digitus. Est autem magna dif-  
ferentia inter capillos illos, qui caput ip-  
sum tegunt, & illos, qui ex capite pen-  
dent per humeros, qui certè non sunt capi-  
tis pars, nec qui illos tangit, dicitur caput  
tetigisse; quare nec qui illos abluit, dicitur  
caput abluere. Secus dicendum est de  
illis, qui in capite sunt, & illud tegunt:  
sunt enim quasi pellis, & cutis externa  
ipsius capitis: quare sicut tangens cutem  
capitis, vel illam abluens, dicitur tangere,  
vel abluere caput, ita & qui capillos tan-  
git, vel abluit. Quod à posteriori constare  
potest, quia si aliquis videret extre-  
mitatem solam comæ Petri ex humeris  
pendentis, & nihil aliud, non diceretur  
vidisse Petri caput: si tamen vidisset ca-  
put ipsum ita capillis coopertum, vt cu-  
tem, aut carnem non videret, adhuc di-  
ceretur caput vidisse: vnde apparet cæsa-  
riem pendentem ad humeros non esse  
partem capitis, sicut sunt capilli in ipso ca-  
pite positi, & illud tegentes.

10 Hoc ergo supposito circa priorem re-  
sponsonis partem, restat iam explicanda,  
& probanda pars posterior, qua dixit,  
posse, & debere reiterari sub conditione  
Baptismus ita collatum: quod licèt qui-  
dam doctus Theologus negauerit. Docto-  
res tamen concedentes illum esse Baptis-  
mum validum, id affirmarunt multi; ex-  
teri verò non negarunt. Ita Sotus, &  
Henriquez locis citatis, Nuñus in 3. p. q. 66.  
D. lo. Card. de Lugo Respons. mor.

art. 8. conclus. 2. Ioann. Baptista Conradus  
Dominicanus in responsis moralibus p. 2.  
p. 8. Domitius Chamerota de Sacramentis  
tract. 2. de Baptismo, cap. 2. dub. 6. Molfesius  
in summa tract. 4. cap. 1. num. 36. Layman  
dub. 5. Theolog. moralis, tract. 2. cap. 3.  
Ochagaui de Sacramentis, tract. unico de  
Baptismo q. 4. num. 3. significans certiorē  
esse Baptismum in digito, quàm in capil-  
li, Petrus Cabrera in 3. p. q. 66. art. 7. n. 6.  
dicens, magis debere reiterari Baptismum  
in capillis, quàm in digito, Valentia tom. 4.  
disp. 4. q. 1. puncto 2. sextò sequitur, di-  
cens solùm, esse probabilius, quòd Ba-  
ptismus ille sit validus. Eodem modo lo-  
quitur Ioannes Præpositus in 3. p. q. 66.  
art. 8. dub. 1. num. 90. dicens, esse omninò  
reiterandum, & alij, quos affert, & sequi-  
tur Diana dicta resol. 4. & 11.

Vnde probatur hæc pars responsonis, 11  
quia, quidquid sit de aliis Sacramentis, an  
in eorum collatione, & susceptione liceat  
amplecti opinionem probabilem; in Ba-  
ptismo tamen, Sacerdotio, & Episcopatu,  
propter eorum necessitatem, & damnum  
irreparabile, quod ex eorum inualiditate  
consequeretur, debemus, quoties fieri  
potest, certam, & securam viam amplecti:  
non est autem omninò certus valor Ba-  
ptismi in casu præsentis. Nam vltra Bona-  
cinam supra adductam, negant eius va-  
lorem Emanuel Rodericus in summa p. 1.  
cap. 25. concl. 2. in fine. Ioannes de la Cruz  
in Directorio conscientie p. 2. q. 1. de Baptismo,  
dub. 2. conclus. 1. Syluius in 3. p. quest. 66.  
art. 7. Melchior Zambranus c. de Baptis-  
mo, dub. 3. n. 7. & Villalobos, quem affert  
Diana dicta resol. 4. Quomodo ergo po-  
test medium omninò certum existimari,  
quod tot Doctores, visis, & consideratis  
fundamentis nostræ sententiæ, inualidum  
esse decernunt? Aut quis dicit, impru-  
denter, & temerè reiterari Baptismum,  
stante sententiâ tot Doctorum, quæ dicit,  
illum nondum esse baptizatum? præser-  
tim cum illi ipsi, qui dicunt esse validum,  
fateantur esse incertum.

12 Probari potest hoc ipsum secundò, &  
explicari (quod deseruire potest ad sol-  
uendum fundamentum eorum, qui hanc  
reiterandi obligationem negabant,) quia  
etiam si sententia negans valorem illius  
Baptismi nunc non estimaretur probabi-  
lis, adhuc sufficiens est ad Baptismi rei-  
terationem. Ad hoc enim non est necesse,  
quòd iudicemus probabiliter, Baptismum  
priorem fuisse irritum: sufficit, si pru-  
denter formidare possimus, ne fortè id sit  
proba



probabile. Quando verò Doctores aliqui dicunt, non esse reiterandum Sacramentum etiam sub conditione, nisi adsit morale, & probabile dubium de eius valore, non sunt intelligendi quòd requirant iudicium probabile de Sacramenti inualiditate. Nam qui solùm habet dubium negatiuum, & non positium de Baptismo suscepto, potest utique, & debet illum sub conditione reiterare. Dubium autem negatiuum dicitur, quando neutri parti possumus probabiliter assentiri, quia pro neutra parte sunt rationes probabiles: quo casu non possumus probabiliter iudicare, defuisse Baptismum; non ergo requiritur iudicium illud positium probabile de defectu, aut nullitate Baptismi ad obligationem reiterationis. Sub nomine ergo dubij moralis, & probabilis requisiti, intelligi debet iudicium probabile saltem in actu signato, ut ita dicam, hoc est, quo ex probabili fundamento iudices, posse prudenter, & non temerè formidari de valore Baptismi prioris. quod quidem ad minus in casu nostro reperitur: nam licet hodie sententia illa non esset probabilis; est tamen in eo statu, ut prudenter timeri, & formidari possit, quòd aliquando perueniat ad gradum probabilitatis saltem per principia extrinseca; quia sicut hodie habet quinque, vel sex Auctores, poterit paulatim plures habere, ita ut iam negari non possit, quòd sit saltem ab auctoritate probabilis: quod periculum est proculdubio morale, & sufficiens ad prudentem formidinem præsentem. Nam morale dicitur illud, quod iuxta morem, & consuetudinem contingit: sæpè autem, & frequenter contingit, quòd aliæ sententiæ, quæ paucis abhinc annis minus habebant ponderis, & auctoritatis, quam hodie habeat sententia illa negans valorem Baptismi in capillis, post aliquot annos probabiles euadant: quare prudenter, & moraliter formidare possumus, ne hoc ipsum contingat illi sententiæ, & hoc ipsum sufficit nunc ad reiterationem faciendam. Habemus enim iam nunc dubium probabile, & morale, hoc est, iudicium probabile de periculo morali, ne forte sententia illa aliquando probabilis futura sit: quod periculum morale in re tanti ponderis vitare debemus, & adhibere Baptismum, cuius valor huic morali periculo expositus non remaneat. Ratio autem à priori est, quia nulla sit iniuria, vel irreuerentia Sacramento, quando prudenter aliquis operatur: prout re

vera operatur prudenter, qui adhibet medium tutum in re tanti ponderis, non contentus medio periculis exposito, quale est medium Baptismi in capillis, quod ad minus est expositum remotè periculo falsitatis, quatenus est expositum huic periculo, quòd sententia eius valorem negans, probabilis à Theologis prudenter iudicetur, atque adedò iidem iam hodie possint prudenter de eius valore formidare, prout de facto formidant ij etiam, qui nunc dicunt Baptismum illum esse validum, dum id solùm dicunt probabilius esse, atque adedò cum formidine docent, & ideo movent debere Baptismum sub conditione reiterari, ut constat ex eorum verbis *suprà* adductis.

#### D V B I V M II.

*An baptizandus sit iterum sub conditione, qui à Ministro Calvinista baptizatus fuit?*

Certum iam est apud Catholicos, Baptismum ad sui valorem non requirere fidem in Ministro, sed validè conferri posse à quolibet vsum rationis habente, etiam si sit Hæreticus, vel Paganus, dummodo adhibeat materiam, vel formam debitam, & habeat intentionem faciendi quod Christus instituit, vel quod facit vera Ecclesia. quod clarè colligitur ex verbis Concilij Florentini *sess. ultima in decreto pro Armenis*, vbi de Baptismo dicitur: *in causa autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier, imò & Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesie, & facere intendat quod facit Ecclesia.* quod idem colligitur ex Leone, & Gelasio, relatis in *cap. hi de quibus, & cap. si reuera, de consecratione distinct. 4.* & ex Augustino *lib. 6. contra Donatistas cap. 25.* & ex Isidoro, & Nicolao I. relatis in *cap. à quodam Iudæo, & cap. Romanus, dicta distinct. 4.*

Cum ergo in iis locis nullus Hæreticus excipiat, dummodo ritu, & intentione Ecclesie baptizet, non videtur dubitandum de Baptismo à Calvinistis collato, quos scimus debitam materiam, & formam adhibere. Vnde cum hoc dubium proponeretur sacræ Congregationi Cardinalium die 19. Aprilis 1570. prout relatum inuenio in notis manuscriptis ad Concilium

Concilium Tridentinum Parris Ioantis de Salas eiusdem manu collectis, & compilatis, vbi notat, id coram Sanctissimo decisum fuisse (eo tempore erat proculdubio Pius V. vir doctissimus, & piissimus,) verba responsionis recitat hæc: *Calvinistas non errare in forma Baptismi, sed in effectu: baptizati ergo à Calvinistis non rebaptizandi, ut aliàs censuit Congregatio.* Quod quidem responsum fuisse videtur fundamentum omnino in simili responso Nicolai Papæ in dicto *cap. à quodam Iudæo, de Consecratione, dist. 4.* vbi consultus Pontifex, quid faciendum esset de multis, qui baptizati fuerant à quodam, qui nesciebatur, an esset Christianus, vel Paganus, aut Iudæus: respondit, si materia debita, & verba formæ obseruata fuerant, non esse rebaptizandos: vbi noto ex sola materia, & forma debitis apposis præsumere Pontificem debitam intentionem in baptizante, quicumque ille fuerit, nisi contrarium ex aliis iudiciis præsumi, vel dubitari possit: quare cum Calvinistæ in materia, & forma non essent, meritò Pius V. cum Cardinalium consensu de Baptismi valore dixit non dubitandum.

3 His tamen non obstantibus, non desunt qui de huiusmodi Baptismo dubitent, & reiterandum postea sub conditione velint. Dicunt enim, experientiã constare defectus substantiales in Baptismo commissas: nam illi ministri hæretici putant verba formæ non esse operatoria, sed concionatoria, atque adedò proferri solùm ad excitandam fidem in eo, qui baptizatur, vel in aliis, qui interfunt: quare non ita curant de formæ prolatione suo tempore faciendâ: imò dicunt, aliquando maioris auctoritatis gratia, ministrum proferre formam, ablutionem verò interim fieri ab alio inferiori ministro, cui eam imperat. Denique, cum ij omnes efficaciam in verbis formæ non agnoscant, non videntur eam debita intentione proferre, nempe ut formam operatoriam, sed tantùm concionatorio modo, atque adedò iam ex defectu saltem intentionis debitæ Baptismus erit irritus. Quare in Synodo secunda Prouinciali Mechliniensis, & in Pastoralis item Mechliniensis edito anno 1608. *can. 11. de Baptismo*, iubetur baptizatos ab eiusmodi hæreticis iterum sub conditione baptizari, ut referunt, & approbant Syluius in *3. p. q. 66. art. 9. quesito 3.* & Ioannes Præpositus dicto *art. 9. dub. 2. num. 99.*

4 Ego hoc dubium, & controuersiam totam non puto esse de iure, sed de facto:

*D Io. Card. de Lugo Responf. mor.*

nam loquendo de iure, non est dubium; Baptismum ab hæreticis collatum, validum esse, nec esse reiterandum, si debito ritu circa materiam, & formam, & debita intentione baptizant, ut rectè Pontifices *suprà* adducti responderunt. Cum hoc tamen stat, posse, & debere baptizari iterum eos sub conditione, si alicubi tales sint circumstantiæ, ut prudenter dubitari, aut formidari possit de defectu materiæ, vel formæ, aut intentionis debitæ. An verò circumstantiæ tales sint, pendet ex facto, & vsu, locis, & personis, quæ omnia prudenter examinari, & considerari debent. Quare Syluius, & Præpositus *locis citatis*, hoc pacto tuentur decretum illius Synodi, quia nimirum *qui eorum hæreticorum mores probè norunt*, (inquit Præpositus) *meritò dubitant, num legitimè baptizent, cum dicantur vsi formam minus legitimam. Item aliqui dicuntur minus rectam habere intentionem: quando tamen nulla est suspicio de inualiditate Baptismi ab hæreticis collati, nullo modo est repetendus.* Addit Syluius, quòd hæretici illi, *cum incredibili odio ferantur in Ecclesiam, & Sacramentorum formas peruertunt, & materiam contemunt, & ab Ecclesie intentione mentem alienam habent. imò & inuenitur alicubi alius quidem verborum formam proferre, alius autem abluere, sæpè deprehensum est, ait Molanus, necessariam eis in baptizando defuisse intentionem.* Hæc Syluius, & Præpositus, vterque Belga, atque adedò potuerunt melius mores, & circumstantias vicinorum hæreticorum nosse, ut possent de re ad factum pertinente iudicare. Vbi obiter noto in verbis relatis Ioannis Præpositi, ipsum ad repetitionem licitam Baptismi sub conditione faciendam, contentum fuisse suspitione prudenti de defectu prioris Baptismi; subdit enim: *Quando tamen nulla est suspicio de inualiditate Baptismi ab hæreticis collati, nullo modo repetendus.* quod consonat iis, quæ diximus *dub. præcedenti*, nempe non requiri ad hanc repetitionem, probabilitatem proximam de inualiditate prioris Baptismi, qua probabiliter iudicemus, illum irritum fuisse, sed sufficere prudentem formidinem, quæ ab aliis latiori nomine solet dubium appellari, quatenus scilicet excludit certitudinem Baptismi validi: nam communiter quæ certa non sunt, dici solent incerta, & dubia: certitudo autem non solùm excluditur per dubium rigorosum, aut probabilitatem contrariam, sed etiam per quamlibet formidinem, quæ cum assensu certo stare non potest:

poest: quare si formido illa non sit omnino imprudens, sed prudenter fundata, sufficit ad repetendum sub conditione Baptismum.

## D V B I V M III.

*Vtrum hac sit valida forma Baptismi: Ego te Christizo, vel, te Christianum facio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

**D**Vbium hoc motum fuit propter formam, qua Dalmatae lingua sua vulgari vtuntur, & dicunt: *Ja tebe karstim, &c.* quae voces correspondent nostris Latinis, *Ego te baptizo, &c.* Ratio autem dubitandi erat, quia verbum illud *karstim*, respondens nostro verbo *baptizo*, videtur deriuari à nomine Dalmatico *Isu Karst*, quo significatur *Iesus Christus*, ita vt ab illo *Karst*, quod est *Christus*, deriuetur verbum *Karstim*, & sit idem, quod *Christizo*, vel, *Christianum facio*, quod non videtur sufficere ad formam Baptismi, in qua debet significari actio abluendi, quae non exprimitur per verbum *Christizo*, sed solum effectus Baptismi. Et quidem si aliquis apud Latinos omitteret verbum *baptizo*, & diceret, *Ego te Christizo*, ego non dubitarem de inualiditate illius Baptismi. Aliunde tamen non videbatur damnanda consuetudo illius Ecclesiae ab immemoriali obseruata in tot prouinciis, quae sub ea comprehenduntur, nec dicendum eos per tot saecula caruisse vero Baptismo, praesertim apud quos vera fides illibata cum pietate simul conspicua coniuncta perseverauit, & floruit. Quare consulendum duxi virum doctum Dalmatam, & illius linguae satis peritum, de vera, & gemina illius vocis significatione, qui responsum suum iuxta materiae capacitatem, & dignitatem mihi suggestit, quod idem, & iisdem Auctoris verbis subiiciendum censui, & ita se habet.

**2** De forma Baptismi in lingua vulgari Dalmatarum quaeritur, quid proprie significent illa verba: *Ja tebe karstim*, quibus redduntur illa Latina, *Ego te baptizo*. Videtur enim quod verbum *karstim* significet potius Christizare, vel Christianizare, quam baptizare, seu abluere, nam lingua eadem Dalmatica Iesus Christus dicitur *Isu Karst*, vnde Christianus dicitur *Karstia-*

*nim*, vtique per denominationem à Christo; ergo & verbum *karstim* deriuabitur à posteriore parte illius vocis *Isu Karst*, quae pars respondet Latino *Christus*: ac proinde verbum *karstim* significat Christizare, vel Christianizare.

Oritur autem hinc alia interrogatio, scilicet: Vtrum satis tuta sit forma Baptismi in ceteris linguis omnibus, quibus Dalmatica affinis est, quales sunt Polonica, Bohemica, Ruthenica, Moscouitica, Morauiica, Sclauonica, &c.

Hac in re non est requirendum in primis quae sit in linguis istis omnibus vulgaris, & ordinaria notio verbi *Abluo*, vulgaria enim verba, & quorum vsus in sermone de rebus profanis est, magna ex parte in linguis istis à significatione rerum diuinarum remota sunt, inuentaque sunt sacra vocabula, quae sacras res significant, eo prorsus modo, quo *Baptizo* apud Latinos verbum sacrum effectum est, ita nimirum eius significatione restricta, vt iam supponat pro ablutione tantum sacramentali. Quo posito,

Certum est quod verbum *karstim* apud Dalmatas impositum est ad significandam ablutionem sacram: ac proinde idem significat quod *baptizo*, nullo autem modo *Christizo*, vel *Christianum facio*.

Patet id primò ex vocibus deriuatis à verbo *karstim*. Nam S. Ioannes Baptista à Dalmatis vocatur *Sfeti Iuan Karstitel*: quis autem Dalmatarum dixerit, aliquem à S. Ioanne Baptista aut Christizatum, aut Christianum factum? & tamen dictionem *Karstitel*, quae significat *Baptista*, à verbo *karstim* deduci, manifestum est. Multò minùs Dalmatae dixerint Christum Dominum aliquando Christianum factum, aut Christizatum à S. Ioanne Baptista, & tamen Baptismus Christi Domini, perinde atque alius quiuus Baptismus, à Dalmatis dicitur *Karstenye*.

Patet secundò. Quia verbum *karstim* tam apud loquentem Dalmaticè, quam apud audientem, nullius alterius conceptus est signum, nisi eius, quo repraesentatur ablutio sacra. Nam, cum Dalmatae loquuntur de ablutione sacra, seu de Baptismo, tam genericè sumpto, quam de speciebus ipsius contradistinctis à specie Baptismi Christianorum, semper vtuntur verbo *karstim*, & nomine *karstenye*. Itaque loca illa Actuum: *In quo ergo baptizati estis? In Baptismo Ioannis. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, &c.* Hæc, inquam, loca Dalmatae

matae interpretantur sine discrimine per verbum *karstim*, quod verbum si Christianizare, vel Christianizare significaret, profectò Dalmatae Scripturam per summam indignitatem interpretarentur, condemnantes non Ephesios modò summæ ignorantiae, sed & Paulum, atque adeò ipsum Christum contradictionis, & falsæ doctrinae. Nam, v. g. posterior ille Actorum locus sic in Dalmatico explicaretur. Ioannes quidem Christianizabat, vel Christianos faciebat aqua, vos autem Christianizabimini, vel Christiani efficiemini per descensum Spiritus sancti super vos, die Pentecostes. Quod si tanto scelere, perperam scilicet explicatae Scripturae, Dalmatas eximerimus, maiores certè Dalmatarum, qui Scripturam primi interpretati sunt, viri nimirum illi sanctitate, & doctrinâ longè clarissimi, neque vim verbi *baptizo*, quod interpretabantur, intellexisse, neque res, de quibus Scriptura agit, cepisse arguerentur: arguerentur, inquam, si verbum *karstim* Christianizare, aut Christianum facere significaret. Ex alia parte si Dalmatae quis roget, vt conceptum eum, quem significet verbum *Christizo*, vel *Christianizo*, exprimat vno verbo Dalmatico, equidem hærebit, & ad nouatam aliquam dictionem, atque pro tempore confictam recurrere debet. Quod si suggeratur verbum *karstim*, refugiet, atque hoc verbo idem significari dicet, quod apud Latinos, & Græcos verbo *baptizo* significatur, non verò *Christizo*, aut *Christianizo*.

**8** Patet tertio, idque clarissimè in linguis aliarum gentium, quae dialectis solum à Dalmatia differunt, in quibus id verbum quod in Dalmatiae dialecto dicitur *karstim*, nihil aliud omninò, quam *ablutionem sacram* significat. Nam verbum *baptizo*, Polonicè dicitur *Krzeze*, Sclauonicè, Ruthenicè, Moscouiticè *Kreszeze*; vel *Kreszezain*, Bohemicè *Kerstim*, Dalmaticè *Karstim*. Baptismus autem dicitur Polonicè *Krzeze*, Bohemicè *Kerst*. Reliquae gentes non vtuntur dictione absoluta, quae æquiualeat dictioni huic *Baptismus*, sed vtuntur verbali, quod significat quasi actionem baptizandi, & æquiualeat huic dictioni *baptizatio*. Ita Sclauones, Russi, & Moschi Baptismum dicunt *Kreszezenie*. Dalmatae porrò dicunt *Karstenye*, quod ipsum Poloni efferunt voce *Krzezenie*. Atqui quicumque mediocriter est harum linguarum peritus, nunquam negabit primò, idem omninò significare verbum Dalmaticum *Karstim* quod significat Bo-

hemicum *Kerstim*, Sclauonicum, Ruthenicum, & Moscouiticum *Kreszezain*, & Polonicum *Krzeze*. Item dictionem Dalmaticam *Karstenye*, idem penitus significare, quod Sclauonicum *Kreszezenie*, & Polonicum *Krzezenie*, & *Krzeze*, atque Bohemicum *Kerst*. Secundò numquam negabit, suprapositas voces apud Polonos, Bohemos, Sclauones, Russos, Moschos, nihil omninò aliud significare, quam *Baptizare*, & *Baptismum*, (quod ipsum ostenditur infra.) ergo neque Dalmaticum *karstim* aliud quidquam significabit, quam *baptizo*, neque *Karstenye* aliud quam Baptismus.

Ad rationem dubitandi, etsi responde-  
re Grammatici sit planè negotij, neque in ea difficultatem sentire possit qui tandem cogitauerit, multa esse in linguis gentium omnium æquiuoca; nihilominus responderetur, inter *Isu Karst*, & *Karstim*, atque *Karstenye* esse tantum affinitatem quamdam vocis, & soni, non verò deriuari vnum ab alio. Quod si quis contendat omninò deriuari, facilè concedetur deriuari ab *Isu Karst*, sumpto materialiter, id est, secundum sonum vocis, non verò ab *Isu Karst* sumpto formaliter, id est, secundum quod significat. Sic in Latino quis dixerit, *vitare* deriuari à *vita*, aut à *vite*? ita vt, *Ego te vito*, significet: *Ego tibi do vitam*, aut *te facio vitem*. Huiusmodi exempla passim occurrunt in linguis omnibus, sed maximè ad propositum facit illud in lingua Sclauonica, in qua Baptismus dicitur *Kreszezenie*, Crux verò dicitur *Krest*, & tamen in tanta vocum affinitate nullus dixerit *Kreszezenie* deriuari à *Krest*, ita vt *Kreszezenie* significet signari cruce, aut crucifigi, cum alterum à Sclauonibus dicatur *Blohoflanlenie*, alterum verò *Rozpiatyje*. Ita apud Latinos dicitur *cruciare*, etiam, vbi nulla crux adhibetur, & è contrà actio illa externa, in qua efformantur manu cruces super aliquam rem, nulla facta de crucibus mentione, dicitur *benedictio*, etiamsi ex alia parte, illa actione præcisè, non solum neque benè, neque malè, sed ne dicatur quidem aliquid. Hæc tamen omnia nimis otiosum est persequi apud eum, qui scit, voces significare ad placitum.

Deinde (quamquam hoc minus ad questionem facit) negatur, ab *Isukarte* deduci *Karstianin*, id est, *Christianus*. Nam in linguis istis omnibus, quae in praesentem questionem veniunt, appellatio *Christiani* complectitur vtramque par-

rem definitionis, qua Catechismus definit, quis dicendus sit Christianus? Christianus est, inquit, qui Baptismatis Sacramento initiatus Iesu Christi, (&c.) doctrinam proficitur. Itaque in appellatione *Christiani* in dictis linguis, facta est quædam quasi onomatopœia vocis Latinæ *Christianus*, ita ut dicatur Christianus ab aliis *Krzescianin*, ab aliis *Krestianin*, ab aliis verò *Karstianin*: de reliquo vox ipsa deriuata est potius à Baptismate, quàm à Christo. Sic apud Polonos, v. g. *Christus* dicitur perinde *Christus*, *Baptismus* dicitur *Krzest*. Christianus verò dicitur *Krzescianin*. Idem de reliquis idiomatis. Facta est autem hæc denominatio tanto facilius, quanto magis affine est in his linguis nomen Christi, & Baptismi; præsertim cum in utroque vocabulo tam scribendo, quàm loquendo, primæ literæ tenues, frequenter mutantur in aspiratas, & aspiratæ in tenues.

11 Denique in Dalmatico sermone *Karst* non est simpliciter dictio per se, neque enim absolutè *Christus* dicitur *Karst*, sed est particula tantùm istius vocis *Iesu Karst*, quæ æquiualeat Latinis duabus *Iesus Christus*; syllaba verò *Karst* respondet Latinæ voci *Christus*. Ex quo labefactatur magis fundamentum rationis dubitandi, & rationes factæ contrà deriuationem verbi *Karstim*, ab *Iesu Karst*, à fortiori tenent.

12 In secunda interrogatione nullum est fundamentum dubitandi. Nam apud Polonos, v. g. propositio illa, *Ego te Christizo*, sic vulgari lingua effertur: *Ia ciebie Chrystuswie*. Illa verò propositio, *Ego te Christianizo*, sic redditur, *Ia ciebie Chrystescianinwie*. At verò, *Ego te baptizo*, dicitur, *Ia ciebie Krzeze*. Idem dicendum de cæteris linguis, quæ propositiones illas, *Ego te Christizo*, vel *Christianizo*, potius per circumlocutionem efferrent, quàm per ea verba, quibus verbum *Baptizo* efferunt.

13 Solùm restaret dubium, quòd apud Sclauones, & Ruthenos, & Moschos forma Baptismi sit hæc, *Kreszczaiet sia od mene rab Bozy*, id est: *Baptizatur à me seruus Dei*. Earumdem verò gentium linguâ *Cruca* dicitur *Krest*, à quo videtur deriuari *Kreszczaiet sia*, id est, *baptizatur*. Sed ad hoc responsum est iam in primo puncto responsionis ad rationem dubitandi, &c.

14 Hoc fuit responsum illius docti viri, quod mihi fat bene fundatum visum est, & quod supposita praxi, & consuetudine immemoriali illius regionis, me poterat

tutum reddere. Præsertim cum videamus, in forma Baptismi in lingua non solum Latina, sed in aliis vulgaribus, non adhiberi verbum commune illius idiomatis, quod ablutionem vulgarem significet, sed apud Latinos retineri verbum Græcum *Baptizo*, quod quidem apud eosdem non benè vsurparetur ad significandam profanam ablutionem, sed solum retinetur ad significandam ablutionem sacram, & mysticam. Imò (quod mirum esse posset,) idem verbum in lingua vulgari qualibet retinetur ad idem significandum, & in forma Baptismi adhibetur, etiam si forma vulgari lingua proferatur. Aded ut etiam apud Indos Occidentales, quorum idioma tam varia, & à lingua Latina omninò diuersa, remotaque sunt, idem verbum *baptizo*, in eo Sacramento vsurpatur, etiam si forma proferatur vulgari idiomate ab iis, apud quos nullo modo verbum illud ablutionem profanam significare posset. Vnde constat, licet verbum illud *Karstim* apud Dalmatas non significet ablutionem communem, potuisse tamen ad illud genus ablutionis sacræ significandum adaptari, & vsurpari in ea significatione sacræ, & religiosæ ablutionis: quòd verò ita factum fuerit, probat vsus; quoad nominandum S. Ioannem Baptistam, & eius Baptismum, eodem vocabulo Dalmatæ vtuntur.

#### D V B I V M IV.

*An inuito patre Iudæo, possit eius filius volens baptizari, quando dubitatur de vsu rationis?*

Contigit Romæ, ut paruula quædam puella casu inueniretur longè ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de suis parentibus respondit, se parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam: conducta ergo ad Catechumenorum domum, parens petiit filiam sibi restitui, quæ adhuc sui iuris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de religione. Consultus ego tunc fui, & examinaui puellam, nec perfectum rationis vsu affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius. In quo dubio Henriquez *lib. 2. de Baptismo, c. 2. 1.* Naldus *verb. Baptismus, num. 6.* Camerota *de Baptismo, c. 6. dub. 3.* & alij, quos refert Bonacina *de Sacramentis, disp. 2. q. 2. puncto 6. num. 11.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 25. questio 11.* quos

quos refert Diana *part. 7. tract. 11. res. sol. 40.* dicunt non esse baptizandum filium inuitis parentibus, quia in dubio melior est conditio possidentis, & tunc parentes possident filium; ipse verò Bonacina idem concedit, si filius non compleuit septennium, quia tunc in dubio non præsumitur vsus rationis: secus si illud compleuit, quia tunc in dubio vsus rationis præsumitur.

2 Ego, quoniam puella illa septennium non compleuerat, & de sufficienti rationis vsu dubitabatur, dixi Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis vsu certò constare posset de sufficienti eius voluntate: interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiæ causa retinendam in eadem Catechumenorum domo: quod quidem non puto negandum ab Auctoribus primæ sententiæ, quippe qui solum dicunt, non esse in eo dubio, parentibus inuitis, baptizandum, non tamen dicunt esse illis reddendam. Alij autem communiter dicunt, in dubio fauendum esse puero, & dandum illi Baptismum. ita Suarez *3. tom. in 3. part. disp. 25. sect. 3.* qui tamen monet, ut si fieri potest, differatur; si verò urgeat necessitas, baptizetur. Videri etiam possunt alij *in 3. part. quest. 6. art. 10.* Vasquez, Coninch, Cabrera, & alij scribentes de Sacramento Baptismi, ut Layman, Camerota, & Ochagaia, atque etiam Sorus *in 4. distinct. 5. quest. unica, art. 10. dub. 2.* Ioannes Antonius Nouarius, quem affert Diana *loco supra citato*; qui omnes dicunt iudicandum esse in fauorem Baptismi, quando dubium est de vsu rationis sufficienti in puero volente, inuitis parentibus, baptizari.

3 Et quidem ratio illa, quòd parentes sunt in possessione, & in dubio melior sit conditio possidentis, parum probat in casu nostro. Primò, quia regula intelligi debet in pari causa, qualis non est in præfenti causa patris, & filij, sed valdè dispar. nam pater agit de vitando leui detrimento, nempe potestatis patriæ ad modicum tempus: filius verò agit de grauissimo detrimento, nempe de damnatione æterna, cuius aperto periculo exponitur, si redeat ad infideles, & protervi parentis possessionem. Imò nec in causa ciuili circa bona fortunæ fauendum esset eo casu possessori; sive enim gemmam, quam à Rege, vel Principe tuo in signum eximie beneuolentiæ dono habuisti, tibi clam ablatam, vel casu amissam, venisse ad manus

Titij, vbi cum illam recognoscens, eam tibi vindicasti, Titius clamat, se in sua possessione tuendum: tu contrà opponis, periculum graue esse, ne interim, dum tu probas gemmam esse tuam, Titius eam alienet, vel in remotissima loca mittat, & id cum grauissimo suo periculo, si Princeps gemmam tibi datam apud alium esse cognoscat, & idcirco te à sua gratia, & beneuolentia expellat. Quis dicat, non debere iudicem ad te incolumem reddendum gemmam saltem interim in loco tuto deponere, nisi fortè talis fideiussio exhiberi possit, quæ periculis omnibus sufficienter occurrat? Exemplum etiam commune esse potest, si vxor periculum vitæ à viro suo timens fugiat, quam vir reddi sibi petit, dum periculum non probatur, quia in dubio non debet sua possessione priuari. Certè iudex non debet eam viro reddere, sed collocare in loco tuto, quandiu periculi grauitas examinatur, quia non est possessori fauendum cum tanto vxoris periculo. Multò ergo minus in casu nostro puella reddenda est patri Iudæo, nec possessio prodesse debet cum tanto puellæ periculo, quæ apud patrem facilè à fide concepta deficiet, vel blanditiis paternis affecta, vel verberibus, aut minis deterrita, vel fortasse ne baptizetur, occidetur, vel in remotissimas prouincias infidelium transmittetur. Quis credat, fauendum esse possessioni parentum cum tanto puellæ detrimento, & periculo, & non potius deponendam puellam in loco tuto, ut eius voluntas liberè examinetur, & dubium omninò tollatur?

Secundò non obstat possessionis fauor 4 in casu nostro, quia obstat regula alia communis, & fortior: nam sicut in pari causa, & in dubio melior est conditio possidentis, ita & multò magis in dubio fauendum est potius innocenti, quàm nocenti; id enim postulat æquitatis ratio, ut quando utrique satisfacere non possumus, faueamus potius innocenti, quàm nocenti, cum ex innocentis fauore duo bona appetibilia resultent, nempe defensio innocentis, & honestatis, ac etiam punitio iniquitatis, & malitiæ: è contra verò, si faueamus nocenti, duo contraria mala resultant, nempe vexatio, & confusio honestatis, & innocentis, ac exaltatio, & quasi remuneratio iniquitatis, & malitiæ. Ratio ergo totius æquitatis exigit, ut in causa dubia semper magis innocenti, quàm nocenti faueamus: nec dubitari potest, in hoc casu patrem nocentem esse, cui non satis est



est propria infidelitas, & perfidia, sed filium etiam perfidum, & infidelem esse conatur, Filius autem innocens est, quia vel usum rationis non habet, & tunc constat, esse adhuc in statu innocentiae expertis totius culpae personalis: vel si habet usum rationis, tunc constat, eum in hac causa innocentem esse, cum fidem, & salutem aeternam quaerat, & idcirco parentes proprios fugiat, & relinquat.

Videri denique potest de toto hoc argumento Ambrosius Catarinus in suis opusculis, ubi habet opusculum quoddam de pueris Iudaeorum filiis baptizandis, quando parentes ea de causa fugiunt: sed cautè legendus, quia excedit probans, non esse validum Baptismum, si ante rationis usum inuitis parentibus baptizentur. Meminit etiam in confuso cuiusdam Martini Papae (quem non dicit, an fuerit Quintus, vel aliquis alius,) cuius dicit referri solere nescio quam constitutionem, qua decernit, eiusmodi filios Hebraeos non posse ante decimum, vel duodecimum annum baptizari: cui respondet opponendo responsum, & factum Iulij III. qui ante eam aetatem puerum inuito tutore baptizari iussit. Haec tamen omnia ad casum nostrum non pertinent, in quo non erat controuersia, an puella baptizanda esset, sed an patri reddenda in dubio de usu rationis sufficiente, in quo dubio de facto reddita non fuit, sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata iam eius voluntate cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.

## DUBIUM V.

*Vtrum pater possit esse patrinus in Baptismo sui filij illegitimi.*

**T**itius habuit filium ex Berta, quam volebat postea in uxorem ducere; sed tamen Seius, qui hoc matrimonium impedire volebat, suasisit Titio, ut patrinus esset, & à sacro fonte suscipere filium illum illegitimum: hac quippe via obtinebat Seius, contracta cognatione spiritali inter Titium, & Bertam, ut matrimonium omnino impediretur. Quaesitum fuit à me primò, an Seius peccauerit consulens Titio fieri patrinum sui filij, contra iuris prohibitionem. Secundò, an mentio ab Episcopo ob id criminis puniri deberet.

Suppono, Titium reuera contraxisse cognationem spiritualement cum Berta, atque idèd impedimentum irritans matrimonium subsequens cum illa; quia leges Ecclesiasticae inducentes hanc cognationem spiritualement inter patrinum, seu susceptorem, & inter parentes baptizati, generaliter loquuntur de omnibus filiis, siue legitimis, siue illegitimis, nec Tridentinum *sess. 24. c. 2. de reformatione matrimonij*, quoad hoc restrinxit hoc impedimentum, ut cum aliis, quos affert, docet Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 54. n. 14.* solum enim attenditur, quòd sint parentes carnales, & veri, quales sunt etiam respectu filij illegitimi. Quare, sicut non contrahitur haec cognatio cum parentibus legalibus, & adoptiuis, ut notat Sanchez *ibi*, quia non sunt parentes carnales: ita fatendum est contrahi cum parentibus illegitimis, quia verè sunt parentes carnales.

Hoc supposito, videri posset, Seium peccasse grauitè consulendo Titio, ut faceret id, quod sine peccato facere non poterat, nempe extra casum necessitatis patrinum fieri proprii filij. Nam S. Thomas *3. p. quaest. 67. art. 8. ad 2.* vniuersaliter dicit, prohibitum esse, ne pater filij sui patrinus sit, quem alij Theologi, & Canonistae sequuntur, quos affert Sanchez *lib. 9. de matrimonio disp. 26. num. 5.* qui cum eadem vniuersalitate videtur regulam illam proponere, & approbare, & rationem reddit vniuersalem desumptam ex S. Thoma, quia alius debet esse pater carnalis, & alius spiritalis, quae ratio in omnibus patribus carnalibus procedit.

Hanc tamen vniuersalem regulam alij expressè limitant ad solos parentes, & filios legitimos, de quibus solis decreta canonica loquuntur, quando prohibent patrem, vel matrem suscipere proprium filium de fonte Baptismatis. ita loquuntur de solis coniugatis Suarez *3. tom. in 3. part. q. 67. art. 8. in comment. articuli, vers. Quocirca.* Syluest. *verb. Baptismus 5. n. 5.* Angelus *verb. Baptismus 8. n. 1.* & indicat Chamerota *de Sacramentis, in tract. de Baptismo,* & alij. Ratio autem est clara, quia prohibitio facta coniugatis fuit, ne per eum actum contraherent cognationem spiritualement cum propria coniuge. Vnde non solum prohibetur suscipere filium communem vtriusque coniugis, sed etiam filium suae coniugis ex alio marito, quia tunc etiam contraheret cognationem spiritualement cum sua uxore, quae est mater baptizati, vnde resultaret inter coniuges impediri

impedimentum sufficiens ad irritandum matrimonium, si nondum fuisset contractum, quod impedimentum non potest sine peccato admitti, cum per illud sequatur eadem indecentia, nempe quòd aliquis habeat pro uxore cognatam suam spiritualement. Haec autem ratio non procedit in casu nostro, & ante contractum matrimonium. nam ex eo actu solum sequitur quòd fiat cognatus foeminae, quam carnaliter cognouerat, atque adèd non possit cum illa matrimonium contrahere; ex quo impedimento nouo nullum sequitur inconueniens. Quare consulere illum actum, non fuit consulere Titio aliquid illicitum, neque ex hoc capite consilium Sei fuit peccaminosum. Aliter verò dicendum esset, si post filium illegitimum natum Titius Bertam iam duxisset uxorem: tunc enim non posset licitè Titius filium illum in Baptismo tenere; quia eo ipso fieret cognatus Bertae, quam iam in uxorem habebat: quare prohibitio vniuersalis est circa omnes filios legitimos, vel illegitimos suae coniugis, siue sint filij communes vtrique, siue non sint communes.

Peret tamen aliquis, quid dicendum, si vxor iam mortua esset tempore, quo eius filius baptizatur? an tunc pater posset licitè illius patrinus fieri? Ego nullum decretum inuenio, in quo id prohibeatur; solum enim prohibentur coniugati suum, vel coniugis filium in Baptismo tenere: ille autem iam non est coniugatus, nec tenet filium suae coniugis, cum iam non habeat coniugem, sed illius quae fuit sua coniux, & ideo Syluester *loco supra citato* cautè dixit prohiberi coniugatos filium tenere in Baptismo, *si sunt in matrimonio*, significans, solum matrimonio cessare hanc prohibitionem. Ratio autem ex dictis est, quia iam nullum inconueniens sequi potest cognationis spiritalis cum coniuge contrahendae, nec cum mortua potest nunc cognatio contrahi, nec etiam, si posset, quidquam referret, cum iam non contraheret cum coniuge. Imò consequenter dicendum videtur, si mortua vxor iterum per miraculum post mensem, v. g. resurgeret, quo casu Theologi communiter supponunt matrimonij vinculum solutum esse, & maritum posse alteram uxorem ducere, non prohiberi maritum, ne filium suae vxoris antea natum, & post matris resurrectionem baptizandum è sacro fonte leuet: quia nisi denuò matrimonium cum eadem renouasset, iam non est

amplius eius coniux, imò nec posset amplius cum ea matrimonium contrahere; postquam eius filium in Baptismo tenuisset, quia iam impedimentum contraxerat irritans subsequens matrimonium.

Dixi tamen, Seium non peccasse ex hoc capite, quòd Titio peccatum consuluerit, cum Titius in eo actu nihil prohibitum fecerit; potuit enim Seius ex alio capite peccare, si suo consilio prauidicium attulit Titio, quatenus matrimonium cum Berta utile, & fortasse Titio necessarium, impediuit. In quo Seius potuit peccare grauitè ad minus contra charitatem, imò, si dolus intercessit, etiam contra iustitiam. Si verò nullum intulit Titio prauidicium, sed potius utile ei erat, quòd eiusmodi matrimonium impediretur, non video cur deficiente dolo, & fraude, Seius in eo consilio peccauerit. Pone enim, iuuenem tibi amicum nobilem sollicitari ad nuptias cum foemina inferioris conditionis, ad quas ipse propendere cepit; nonne poteris prudenter ei praetextu recreationis, vel sanitatis consulere, ut Tusculum, vel Florentiam eat per mensem, quo tempore sciebas eum Romae ad eas nuptias sollicitandum, & efficaciter inducendum? Nonne poteris ei officium aliquod publicum honorificum procurare, quod secum afferat necessitatem, & obligationem abstinendi à nuptiarum tractatu per biennium, & hoc quamuis ipse hanc efficij conditionem ignoret? Haec certè absque vlla iniuria in amicum facies, imò ex magna erga ipsum beneuolentia, qui ipse postea, si sapit, gratias ager, agnoscens, se tua industria imminente periculo ereptum. Idem ergo in casu nostro dicendum erit si matrimonium illud noxium erat Titio, & ex parte Seij fraus, vel dolus non intercessit. Nec obstat, quòd Bertae damnum intulerit; id enim Seius non intendebat, sed bonum Titij, quod procurare Seius poterat sine vi, & dolo, quamuis inde damnum alteri resultet in re illi non debita.

Hinc iam constat, quid dicendum sit ad vltimam dubij partem, an Seius possit, & debeat ob praestitum consilium ab Episcopo puniri. Si enim Seius non peccauit, imò vtiliter Titij negotium gessit, non videtur Seius puniendus, sed laudandus, quòd ingeniosè Titio nuptias ei indecoras impossibiles reddidit. Si autem Seius peccauit, distinguendum iterum est: nam potuit dolus aliquis, & fraus interuenire, qua explicitè, vel implicitè Titio significauit,

cavit, nullum ex eo actu impedimentum suboriri, quo Bertam sibi uxorem accipere non possit: & tunc credo, posse Episcopum contra Seium procedere, illumque punire. Nam licet non soleat Episcopus punire in foro externo omnia peccata mortalia, sed aliqua grauiora, & quæ magis ad eius forum spectant, de quibus agit Azor. 2. tom. lib. 3. cap. 53. delicta tamen quæ spectant ad matrimonium, potissimum pertinent ad forum iudiciale Episcopi, sicut & causæ omnes matrimoniales. Vnde in Tridentino *sess. 24. cap. 9. de reformatione matrimony*, sub anathematis pœna ipso facto incurrenda prohibentur omnes, ne directè, vel indirectè alios cogant, ne minùs liberè matrimonia contrahant: cum autem dolus æquiparetur coactioni, videtur meritò crimen illud ad Episcopale iudicium pertinere. Si verò nulla intercessit fraus, aut dolus, non ita apparet peccatum contra libertatem matrimonij, sed contra charitatem, propter damnum proximo non iniuste illatum: atque adeò non ita clarè videtur ex iis peccatis, de quibus Episcopi solèt de facto cognoscere post factum, cum Seius non teneatur ad restitutionem, quippe qui non peccauit contra iustitiam, & solùm agatur de peccato. merè præterito. Aliud enim esset si adhuc impederet damnum in futurum: tunc enim ad impediendum peccatù futurum posset, & deberet Episcopus cogere Seium ad reuocandum illud consilium, quamuis faciliùs posset ipse Episcopus reuocare Titium ab ea intentione, edocendo eum de damno, quod incurrere poterat, & de impedimento contrahendo, si filium in Baptismo teneret.

## D V B I V M VI.

*An liceat committere Sacerdoti simplici facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis in aliquibus locis.*

**P**ETEBATUR à Summo Pontifice facultas, vt in Prouincia Paraguaix in India occidentali possent aliqui Sacerdotes Regulares, in locis, in quibus non inuenitur Episcopus, conferre Sacramentum Confirmationis Christianis Indis, vtendo chrismate ab Episcopo consecrato, dubitabatur, an posset Papa hanc facultatem concedere.

Suppono autem, licet minister ordinarius huius Sacramenti sit Episcopus, posse tamen ex commissione Summi Pontificis simplicem Sacerdotem illud aliquando conferre, vt colligitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij; vbi dicitur, *Legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum consecrato hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Vbi alludi videtur omninò ad factum Gregorij Magni ab ipso narratum in *lib. 3. epist. 26.* & habetur in *cap. peruenit. 95. dist.* Nam cum Gregorius accepisset, in Sardinia solitos fuisse baptizatos confirmari à Presbyteris, id prohibuit: ex qua prohibitione cum ortum fuisset scandalum, Gregorius facultatem concessit, his verbis: *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesia nostra facimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus.* Vnde Concilium Tridentinum *sess. 3. can. 3.* cautè dixit, ordinarium ministrum huius Sacramenti esse solùm Episcopum, significans posse ex dispensatione Sacerdotem simplicem esse ministrum extraordinarium. Atque idè in Concilio Senonensi in *decretis morum cap. 38.* supponendo id ex priuilegio fieri posse, additur. *Quod si qui sint, qui contendant sibi competere hanc facultatem ex priuilegio, volumus, quòd cum primùm fuerint requisiti à Suffraganeis nostris, de priuilegio fidem facere teneantur.* Quamuis autem non sit de fide, quòd hæc facultas possit committi Sacerdoti simplici, quia id non videtur definitum in dictis Conciliis, sed narratum, & non reprobatur, vt probat Suarez *tom. 3. in 3. part. disp. 36. sect. 2. circa finem*; fatetur tamen non posse iam hodie absque temeritate negari: & idè omnes communiter id concedunt, & videri possunt S. Thomas 3. p. q. 62. art. 11. & in 4. dist. 7. Richard Palud. Maior. Capreolus, Alexand. Marfilius, Antoninus, Ferrar. Syluester, Angelus, Nauarrus, & Couarruu quos affert Suarez *vbi supra in 1. conclus.*

Ex verbis autem relatis Concilij Florentini infert idem Suarez cum aliis primò, non posse hoc committi Clerico non Sacerdoti. Secundò nec Sacerdoti simplici posse committi, nisi à Summo Pontifice. Tertio nec posse ab ipso licitè concedi, nisi ex causa rationabili. Quarto posse ab eodem Pontifice Summo, vel eius successoribus

ribus limitari, & remoueri facultatem hanc semel concessam, quo casu collatio Sacramenti in posterum facta erit irrita. Ex quibus oriebatur ratio dubitandi, an possit Summus Pontifex concedere hanc facultatem aliquibus Sacerdotibus simplicibus in Prouincia Paraguaix, in locis, in quibus Episcopi non inueniuntur, adhibito tamen Chrismate ab Episcopo benedicto.

**4** Respondi, posse procul dubio validè, & licitè concedi; causa enim requisita ad hanc concessionem non debet afferre secum necessitatem simpliciter, & absolutè, cum huius Sacramenti vsus, & susceptio non sit de necessitate salutis; sed sufficit, quòd talis concessio necessaria existimetur, vt incolæ alicuius Prouinciæ, vel certè magna pars carere non debeat hoc Sacramento ex defectu ministri. quæ causa sufficiens iudicari solet à Sede Apostolica ad hunc effectum, imò & aliæ causæ minores, vt inductione constare potest. Et in primis referri solet Gregorius III. concessisse aliquibus Sacerdotibus in regionibus remotissimis infidelium, in quibus non erant Episcopi, vt id facere possent, ne multi eorum, qui ad fidem conuertebantur, sine hoc Sacramento decederent, vt habetur apud Suarium *vbi supra §. Hæc verò expositio.*

**5** Secundò meminit *ibidem* Suarez alterius similis concessionis Adriani Sexti pro fratribus Minoribus in Indiis, quam dicit ab aliquibus affirmari, conseruari authenticam Hispali in Conuentu S. Francisci. Ego illam adhuc inuenire non potui, & vereor, ne sit illa, quæ habetur apud Eman. Rodericum in suo Bullario Regularium, & est prima inter Bullas eiusdem Adriani: in qua concedit aliquibus fratribus Minoribus in India multas facultates, atque etiam *toram*, & omnimodam ipsius Pontificis auctoritatem in vtroque foro, quantam Prælati eorum iudicauerint opportunam, & expedientem pro conuersione dictorum Indorum, & manutatione, ac perfecta conseruatione eorum in fide Catholica, &c. statim tamen addit, *quòd præfata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Episcopales exercendos, qui non requirunt Ordinem Episcopalem.* Quare non videtur concessa facultas ad Sacramentum Confirmationis conferendum.

**6** Meliùs posse tertio afferri Bulla Leonis Decimi, quæ est tertia ipsius Leonis in eodem Bullario Roderici, in qua Pontifex

aliquibus fratribus Minoribus concedit facultatem hoc Sacramentum in India conferendi in casu necessitatis, Episcopis in Prouincia non existentibus, & refert, idem aliis concessum fuisse ab aliis Pontificibus, nempe à Nicolao IV. Ioanne XII. Urbano Quinto, Eugenio Quarto, & aliis. Hæc autem eadem ratio procedit in casu præsentis; ergo concedi posset saltem cum eadem limitatione, vt non habeat locum, nisi Episcopo nullo in Prouincia illa existente.

Similem facultatem audio concessam fuisse in Prouincia Brasiliæ, vt ob defectum Episcopi Sacerdos sæcularis, qui Administratoris munus, & nomen habet, possit hoc Sacramentum conferre.

Quarto afferri possunt in exemplum **8** Abbates plures, qui ab antiquo hoc priuilegium habent à Sede Apostolica confirmandi baptizatos, quorum meminit Concilium Senonense in verbis supra relatis, & præcipiens solùm quòd ostenderent suum priuilegium, vt constare posset de eius concessione. Ad quod etiam facit responsio quædam Gregorij XIII. quæ habetur inter responsa Congregationis Concilij, qui voluit Abbatem habentem ex priuilegio Sedis Apostolicæ, vt Sacramentum Confirmationis possit conferre, non posse id facere, nisi de licentia Ordinarij. Et quidem minor videtur esse causa in concessione huius facultatis pro Abbatibus, quàm sit in casu nostro. cum in primo casu non fiat causa necessitatis, sed ad remuneranda merita, & ad maiorem dignitatem illorum Abbatum, quos Pontifex vult eminere supra alios simplices Sacerdotes: in nostro autem casu est necessitas clara, ne maneat Prouincia integra sine Confirmationis Sacramento.

Vltimò denique afferri potest vsus Ecclesiæ Orientalis, in qua Sacerdos ex antiquo vsu vngit sacro Chrismate baptizatum, & ei Sacramentum Confirmationis tribuit: qui vsus originem habere censetur ex concessione Sedis Romanæ, quæ idè illum permittit, eumque latè, & eruditè defendit Petrus Arcudius *lib. 2. de Sacramentis Ecclesiæ Orientalis*, agens de hoc Sacramento. Sicut & in Sardinia S. Gregorius concessit expressè eundem vsum, vt *suprà* vidimus. Et quidem nec in Sardinia, nec in Græcia erat eadem causa, & necessitas, quæ reperitur in casu nostro: si ergo in iis Prouinciis id licuit, à fortiori in casu nostro hoc ipsum licitè concedetur.



## DUBIUM VII.

*Utrum ille Abbas, cui conceduntur functiones Episcopales, possit conferre Sacramentum Confirmationis, si expresse non prohibetur.*

**H**OC dubium annexum est præcedenti, & controuersum fuit aliquando in sacra Congregatione propter quosdam Abbates, quibus concessa fuerat facultas exercendi omnia Pontificalia, & spiritalia, excepta dumtaxat collatione Ordinum, consecratione Ecclesiæ, & Altarium. Quare videbatur aliquibus concessa facultas conferendi Sacramentum Confirmationis, quia exceptio in non exceptis firmat regulam: præsertim quando casus excepti sunt speciali nota digni, & excipiuntur taxatiuè, vt notat Decius leg. 1. numero 30. & 36. de regulis iuris.

**2** Cæterum audita sententia sacre Congregationis, Gregorius XIII. die 13. Martij anno 1574. respondit, non comprehendendi in ea concessione collationem huius Sacramenti, quia in generali concessione non intelliguntur ea, quæ sunt specialiter reseruata, & de quibus facienda est specialis mentio: quamuis enim exceptio firmet regulam, non tamen ampliat ultra eius naturam, iuxta consil. Butrij 19. & Tiraquel. de retractu lign. gloss. 14. num. 93. Nec solet concedi hæc facultas simplici Sacerdoti sine causa vrgenti, vt colligitur ex cap. peruenit. 95. dist. & ex decreto Eugenij in Concilio Florentino relato dubio præcedenti, quæ causa in præsentem non apparebat.

**3** Ad rationem verò in contrarium adductam responderi potest, casus exceptos nominatim in dicta concessione non fuisse æquè reseruatos, sicut est collatio huius Sacramenti; quia consecratio Ecclesiæ, & eius reseruatio Episcopo, est solum de iure merè humano: quod idem multi dicunt de collatione Ordinum Minorum. At verò collatio Sacramenti Confirmationis ab ipso Christo reseruata fuit solis Episcopis, relicta tamen facultate Summo Pontifici, vt ex causa vrgenti posset illam inferiori Sacerdoti committere, vt multis probat Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 36. sect. 2.

## DUBIUM VIII.

*Utrum Chrisma confectum ex aliis ingredientibus ultra oleum, & balsamum, possit adhiberi in Sacramento Confirmationis.*

**O**Ccasio huius dubij est vsus Græcorum, qui cum oleo, & balsamo miscebant olim alia duodecim aromata diuersa, ex quibus omnibus simul concoctis Chrisma consecrandum conficiunt, vt colligitur ex eorum Euchologiis antiquis manuscriptis: postea verò ad eam extenta fuit hæc aromatum diuersorum mixtio, vt in Euchologiis recentioribus impressis ritus cõficiendi Chrisma contineat ultra oleum, & balsamum alias trigintatres aromatum diuersorum species, quæ simul in vino, & oleo consequuntur, & quidem in magna quantitate, ex quibus ita coctis fit massa non liquida, sed tamen mollis, & morbida, qua frontes confirmatorum vnguntur. Quare dubitatum fuit, an hæc æstimanda esset materia legitima, & valida ad Confirmationis Sacramentum; ob stare enim videbatur Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi materia huius Sacramenti dicitur Chrisma ex oleo, & balsamo confectum: illa autem alia massa ex tot diuersis mixtilibus composita videtur physicè, & moraliter diuersa à composito ex oleo, & balsamo. Sicut neque etiam sufficeret ad consecrationem calicis potus confectus ex vino, melle, & pluribus aliis rebus aromaticis, præsertim si concoctio præcederet, quia potus ille multum differret à vino, quod est materia sacra consecrationis.

**2** Aliunde tamen pro defensione, & retentione illius ritus afferebatur auctoritas in primis Dionysij Arcopagitæ, qui in lib. de Eccles. Hierarch. c. 4. agens de Chrismate, ita loquitur. *Dicimus igitur unguenti confectioem esse collectionem quamdam suauiter spirantium materialium, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum contineat. cuius qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportionem fragrantis communionis, quæ in eis inest.* in quibus verbis plura certè mixtilia significantur, quàm oleum, & balsamum: nam oleum non est materia suauiter spirans, nec fragrantia qualitates continens, sed potiùs olfactui grauis, & ingrata, vt experientia

rientia constat. Dionysius autem non vnica, sed plures materias odoriferas, & suauiter spirantes dicit in Chrismate contineri, imò & in copiosa multitudine, vt significant verba illa, *magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum*; non ergo solum balsamum oleo miscebatur, sed plures aliæ species odoriferæ.

**3** Secundo ponderabatur, quòd neque in Concilio Florentino, vbi multa à Patribus Latinis opposita fuerunt Græcis circa ritus Sacramentorum, neque alibi legimus nunquam oppositum illis fuisse defectum Sacramenti Confirmationis ob illegitimam materiam adhibitam. Nec etiam Innocentius I V. in sua Bulla, vbi de ritibus à Græcis obseruandis multa decernit (& est Bulla 14. eiusdem in 1. tomo Bullarj communis,) quidquam circa materiã huius Sacramenti apud Græcos corrigendum statuit. Sicut nec etiam Clemens VIII. in sua instructione pro Græcis Catholicis edita, imò illis liberè permisit accipere Sacramentum ab Episcopis Græcis non schismaticis, quæ omnia arguunt, non fuisse deprehensum defectum substantialem in materia huius Sacramenti à Græcis communiter vsurpata.

**4** Tertio ad idem ponderabatur mysterium in Chrismatis significatione intentum, quòd idèd mixtum esse ex oleo, & balsamo, notarunt Scriptores sacri, vt per oleum significaretur splendor, & candor vitæ, & per balsamum bonus odor sanctitatis, quem Christianus confirmatus præbere debet, & ad quos spirituales effectus datur specialis gratia in hoc Sacramento. Ad hanc autem significationem non minus conducere videntur aliæ species odoriferæ, quàm balsamum, imò quòd plures species aromatum miscentur, eò suauior, & gratior odor exhalatur: non est ergo contra finem, vel substantiam huius Sacramenti mixtio aliarum specierum, quæ magis ad perfectionem boni odoris conducit. Quòd denique mixtio illa per concoctionem fiat, parùm videtur referre, cum concoctio illa non auferat substantiam Chrismatis, sed deseruiat, vt mixtio perfectior fiat, & virtute caloris dissoluatur mixtilia, & faciliùs misceantur. Nec enim oleum, vel balsamum igne calefactum, aut coctum desinit esse oleum, vel balsamum, vel causare eisdem effectus, siue ad lucem vsus humanos, imò si congelata sint, solent ad eos vsus potiùs in igne liquefieri, & postquam refri-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

guerint, manent sicut antea, vt constat experientiã.

Hæc pro vtraque parte cogitari poterant. Verùm quia de antiquitate eius vsus non satis constabat, saltem quoad tantum numerum, & copiam diuersorum aromatum, & credibile erat paulatim excreuisse tam quoad numerum, quàm quoad maiorem quantitatem singulorum; & quia in his Sacramentorum materiis non facile recedendum est à certa, & secura materia, visum mihi est, vt Græcis aliquid in hoc puncto præscriberetur, & monerentur si aliquid præter oleum, & balsamum in confectioe Chrismatis addendum esset, ea & pauca essent, & in tali quantitate, vt balsami odor præualeat, & oleum ita sub ratione olei perseueret, vt olei effectus semper retineat: his enim stantibus, non videtur damnanda aliqua aliorum aromatum mixtio. Sicut etiam in rubricis Missalis Romani ita permittitur ad thurificationem aliarum specierum fragrantium admixtio, vt tamen semper thuris odor præualeat. Sic etiam si præualeat odor balsami, & olei qualitates, non videtur materia illa differre substantialiter à nostra. Omnino tamen putabamus, curandum, vt inuestigaretur, & inueniretur, si fieri posset, initium huius mixtionis, quòd si posset deprehendi, non ita esse antiquum, vel certè post inchoatum schisma, & separationem ab Ecclesia Romana cœpisse illum vsus, omnino tollendum, & induendam mixtionem ex oleo solum, & balsamo, cum traditio Romanæ Ecclesiæ tutior semper, & certior existimari debeat.

## DUBIUM IX.

*An aliquid tabachi in fronte sumptum ore, vt dentibus solum conteratur, soluat ieiunium naturale ad Communionem necessarium.*

**N**ON est sermo de iis, qui naribus puluerem, vel fumum tabachi sumunt ad purgandum caput; hoc enim licet in aliquibus locis grauer sit ab Episcopo, vel Synodis prohibitum, præsertim in Concilio Limense, & Concilio Mexicano: id tamen nõ est propter ieiunij naturalis violationem, sed propter indecentiã, vt notauit post alios Zacharias Pasqualigus in pract. ieiunij dec. 438. sicut ob eandem rationem sanctæ memoriæ Urbanus VIII. speciali Breui

B 2 prohi

prohibuit in ciuitate, & Diœcesi Hispalensi quamlibet tabachi fumprionem, siue ore, siue naribus intra Ecclesiam, vbi non attenditur ad ieiunium, cum tam post Missam, vel Communionem, quàm ante illam, imò etiam laicis non communicaturis prohibeatur intra Ecclesiam tabachi vsus. Quare licet Antonius de Leone in *questionibus moralibus de chocolate* p. 2. § 4. num. 10. & seqq. quem affert, & sequitur Lezana tom. 3. verb. *Euchar. n. 16.* dicant violari ieiunium naturale ad Communionem requisitum, quando aliquis fumum, vel puluerem tabachi naribus sumit; hanc tamen sententiam reiiciunt Diana p. 5. tract. 13. *resolut. 1.* & p. 8. tract. 7. *resolut. 3.* & Pasqualigus *locis citatis*, quia illa non est vera comestio, aut potatio, quibus actionibus ieiunium soluitur.

2 Difficultas est de iis qui folium tabachi ore sumunt, & dentibus conterunt ad sputa, & phlegmata ex ore proicienda, de quibus Antonius de Leone *loco citato* dicit, non esse dubium quòd violent ieiunium naturale, quia semper aliquid ex succo in stomachum traiciatur. Alij verò dicunt, si nihil in stomachum traiciatur, non violari ieiunium, secùs si aliquid traiciatur, ita Alfonsus de Leone, & Ioannes Præpositus, quos affert, & sequitur Diana *loco citato*. Addit Pasqualigus *vbi supra* num. 5. si quid minimum in stomachum descendat casu, & præter intentionem, non violari ieiunium, sicut idem dixerat *decis. 435.* de aromatibus ori impostis, & dentibus contritis ad confortandum caput, quando aliquid ex iis præter intentionem, & cum salua in stomachum descendit. Denique Lezana *loco citato* dicit, frangi ieiunium, nisi moraliter certum sit nihil in stomachum peruenisse.

3 Difficultas ergo tota reducitur, an hic tabachi vsus ita sit ordinatus ad effectus dependentes à traiectione alicuius partis in stomachum, vt eo ipso, quòd aliquis ore illud sumit, non possit dici casu, & præter intentionem traicere partem in stomachum, sed ex intentione saltem implicita, quatenus accipit ore herbam illam ad eos effectus, qui haberi non possunt, nisi aliqua succi, vel substantiæ particula in stomachum transmissa; quare transmissio illa non erit casu, & præter intentionem, sed potius ex intentione saltem implicita intendentis finem per medium illud necessarium, & per consequens volentis illud medium.

Ratio autem dubitandi esse potest, quia non videtur negari posse, quòd dum tabachum dentibus conteritur, aliquis ex illo succus exprimitur, cuius pars in stomachum traiciatur: nam eius virtus sentitur statim in stomacho, qui non solum alteratur, & prouocatur aliquando ad vomitum, sed etiam plerumque commouetur corpus ad purgationem ventris, qui effectus non videntur fieri posse, nisi virtus, & qualitates huius herbæ traiciantur, quæ qualitates cum sint accidentia, non possunt sine subiecto transire, & per consequens fatendum erit, aliquam particulam ipsius substantiæ transire, & deglutiri, quæ licet videatur mixta cum salua deglutiri sicut gutta aquæ, quando os abluatur; hoc tamen in casu nostro non videtur fieri præter intentionem, sed potius ex intentione saltem implicita, si quidem herba illa ad hunc finem sumitur, & habetur in ore, vt eos effectus causet in stomacho, & in corpore; neque sumitur ad delectationem, cum herba ipsa gustui ingrata sit, vt experientia constat, sed sumitur gratia medicinæ, & per consequens solum vt efficax, & utilis ad eiusmodi effectus, & purgationem causandam.

In contrarium tamen est praxis Doctorum, & piorum virorum, qui absque vllò scrupulo tabacho vtuntur, & eius herbam primo manè ore versant, & dentibus conterunt, & postea ad Communionem, vel ad Missam celebrandam accedunt, quem vsus, quia sciebam Neapoli potissimum esse, volui plures viros doctos, & Theologiæ Professores Neapolitanos consulere, qui omnes responderunt, se absque vllò scrupulo id facere, idque pluribus rationibus defendi posse. Primò, quia non est necesse, quòd aliqua substantiæ pars traiciatur in stomachum, vt ij effectus fiant; imò summa cura adhibetur ne aliquid transeat, quia propter summam eius mordacitatem, & acrimoniam vehementer læderet stomachum, vt constat experientia, si aliqua ex succo guttula casu deglutatur, reluctante statim stomacho ad nauseam, & vomitum prouocato; quare continuo spuitur quidquid saluæ in ore cum herba illa commiscetur. Potest tamen sufficere applicatio ad linguam, & os, vt virtutem transmittat in stomachum, videmus enim sufficere aliquando quod applicetur ad nares, vt similes ferè effectus causet, licet tunc nihil per

D V B I V M X.

*An Sacerdos secundo celebraturus possit in prima Missa dare ablu-tionem in calice laico Communionem accipienti.*

Contingit, vt aliqui Sacerdotes, vel propter duo beneficia Parochialia, quæ habent in duobus oppidis, vel propter populi frequentiam, qui non potest ad vnã Missam conuenire, facultatem habeant bis eadem die celebrandi, dum tamen ablu-tionem in prima Missa non sumant, ne postea iterum non ieiuni celebrent. Volebant ergo ij aliquando in prima Missa calicem quidem abluere, eamque ablu-tionem laico ex iis, qui in ea Missa Eucharistiam accipiebant, porrigere in ipso calice loco ablu-tionis, quæ ex vino, & aqua laicis post communionem dari solet; idque iis videbatur religiosè fieri, & ad maiorem Eucharistiæ cultum, & reuerentiam conducere, ne scilicet reliquæ sanguinis in calice remanentes, quæ omnes ab ipso Sacerdote sine ablu-tione sumi non possunt, cum semper guttæ aliquæ calici adhæreant, ne, inquam, reliquæ illæ remaneant, & corrumpantur ibi, sed consumantur eo modo, quo cum maiori decentia possunt, nec apparet decentior modus, quàm abluendo calicem, & data ablu-tione vni ex fidelibus actu communicantibus.

Dixi tamen, hunc vsus non esse facile admittendum, vel introducendum; est enim in primis contra consuetudinem, & praxim totius Ecclesiæ Latinæ, atque etiam contra prohibitionem vniuersalem eiusdem Latinæ Ecclesiæ, in qua hodie communio sub vtrâque specie laicis non permittitur, vt constat ex Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 2.* quod præceptum in nullo casu, nisi à solo Summo Pontifice, dispensabile est. Vnde, etiam si casus occurreret, quo infirmus moribundus non possit deglutire hostiæ particulam, sed tamen posset aliquid ex calice consecrato deglutire, non esse ei dandam Communionem sub speciebus vini, sed permittendum potius sine viatico mori, docet Suarez 3. tom. in 3. part. *disp. 71. sect. 3. circa finem*; quia præceptum viatici sumendi non obligat, quando illud ab Ecclesia propter graues causas negatur. Sicut neque etiam obligat, quando

per fauces traiciatur: quòd magis sufficit, quod in ore, & lingua habeatur?

6 Secundò, quia licet non possint qualitates eadem, quæ sunt in ipsa herba, traici sine subiecto, & per consequens sine aliqua particula substantiæ, possunt tamen producere similes qualitates in medio, & in lingua, quæ porosa est, & participat eandem tunicam cum ore stomachi, quæ qualitates productæ in medio deferunt secum virtutem ad eos effectus produ-cendos. Sic enim videmus etiam, si vino generoso os abluatur, etsi nihil traiciatur per fauces, apparere effectus confortato capite, atque etiam stomacho per consensum partium, & per communicationem qualitarum similiarum, quod non minus poterit in tabacho contingere.

7 Tertio, quia possunt ij effectus oriri ex virtute attractiua, qua hæc herba possit, dum est in ore, trahere ad se pituitam, & alios humores ex capite, & stomacho, sicut multa alia sunt, quorum virtus potissimum apparet in vi attractiua horum, vel illorum humorum per sympathiam, vel aliam virtutem occultam, quorum vsus in medicina frequens est, & videtur magis in tabacho hæc virtus apparere, cum ex sola applicatione ad nares hi effectus aliquando sequantur, & ex sola sumptione in ore, antequam possit quidquam illius substantiæ in stomachum transire. Hæc, & alia Magistri illi pro praxi sua, & aliorum tuenda afferebant, quæ mihi ad minus eam licitam probant, quòd aliquis ea solum intentione herbam illam ori applicat, vt sine traiectione substantiæ operetur effectus, quos sine illa traiectione per attractionem, vel per productionem solum similiarum qualitarum operari potest, quicumque illi sint, & curando, prout omnes curare solent, ne succus, vel quidquam aliud in stomachum traiciatur: si enim tunc aliquid ex succo mixtum cum salua transferit, hoc erit præter intentionem, & casu, sicut de guttula aquæ, vel vini, qua os abluatur, dici solet, atque aded non violabitur ieiunium naturale. Monerem tamen, ne id in Ecclesia, vel eius ambitu fiat, cum propter reuerentiam illorum locorum Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. id in Diœcesi Hispalensi prohibuerit, vt vidimus: quæ prohibitio licet ad alias Prouincias non extendatur, supponit tamen, sine irreuerentia aliqua loci sacri id fieri non posse.

D. Io. Card. de Lugo *Responf. mor.*

quando non habentur vestes sacrae, quibus Sacerdos celebret ad consecrandam hostiam pro infirmo iam iam morituro. Nam reuerentiae huic Sacramento, & sacrificio debita est iusta causa, ut Ecclesia non permittat eo casu celebrari, aut ministrari hoc Sacramentum propter grauiam inconuenientiam, quae ex hac permissione oriri possent.

3 Imò plus aliquid addit Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. dicens, si contingat, Sacerdotem celebrantem mori post consecrationem ante sumptum sanguinem, & nullum adesse posse Sacerdotem, qui consumere illum possit, non posse laicum illas vini species consecratas sumere, etiam si ea de causa species corrumpendae essent, vel in acetum conuertendae, aut paulatim consumendae. quod idem dicunt alij, quos tacito nomine refert Suarez *ubi supra*, si contingat, sanguinem Domini in terram cadere, & nullum esse Sacerdotem, qui velit, vel possit illum lambere: quo casu laicus id facere non posset, sed solum deberet diligenter cauere, ne conculcarentur, & seruari donec species exsiccarentur, & postea radere, ac comburere. Vterque tamen casus rigidus nimis videtur eidem Suariorum *ibi*, quia cum haec prohibitio sumendi utramque speciem sit de iure Ecclesiastico, & introducta sit ob maiorem Sacramenti reuerentiam, non obligat, ubi cedit in maiorem eiusdem Sacramenti irreuerentiam, prout in illis casibus cederet. Sicut si calix consecratus venturus esset in manus infidelium, à quibus effundendus, vel etiam irreuerenter potandus esset, posset laicus in absentia Ministri consecrati eum reuerenter sumere.

4 Ex hac tamen doctrina posset aliquis colligere, quod etiam in casu dubij propositi possit laico porrigi illa ablutio: nam tunc etiam videtur id fieri propter reuerentiam Sacramenti, & ne guttae illarum specierum in calice remanentes, vel acefcant, vel paulatim consumantur, & exsiccentur, neque enim conseruari ibi poterunt usque ad diem crastinam, qua Sacerdos in eodem loco iterum celebrare poterit, & sumere illas simul cum speciebus tunc consecrandis: aliunde regula generalis, quam Suarez illo loco approbare videtur, haec est, ut propter usum solum Sacramenti, & utilitatem suscipientis, non possit laicus sumere aliquid ex calice sine dispensatione: possit tamen propter necessitatem ortam ex parte ipsius Sacramenti,

qualis videtur etiam in hoc casu interuenire, ne reliquiae specierum acefcant, vel corrumpantur.

Cæterum adhuc non credo regulam illam ad hunc casum extendendam, nec approbandum eum usum, si aliquis forte conatus est illum inducere.

6 Pro quo aduerto, hanc totam prohibitionem fundatam esse in consuetudine Ecclesiae Latinae, quam consuetudinem ipsa Ecclesia approbavit pro lege in Concilio Constantiensi *sess. 13.* & in Tridentino *sess. 21. cap. 2.* oportet ergo attendere ad ipsam consuetudinem, & videre qualis, & quanta sit, ut appareat quousque extendatur lex Ecclesiastica, quae consuetudinem ipsam praecipit obseruari. Non potest autem negari, consuetudinem huc usque non fuisse dandi laico species vini consecratas in eo casu, sed potius consuetudinem positivè contrariam; casus enim non est rarissimus, sed satis frequens in multis Parochis habentibus curam duarum Ecclesiarum: nemo autem tentavit ablutio-nem calicis dare laico post communionem. Singuli etiam Sacerdotes in die Natalis Domini ter celebrant, & multi interrumpunt inter unam Missam, & aliam per horas, quo tempore exsiccare possunt stillae calici adhaerentes; nemo tamen ausus est abluere calicem, & ablutio-nem laico porrigere.

7 Adde, esse alios casus similes, in quibus ab Ecclesia de contrario remedio pronisum est in rubricis Missalis *de defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, ubi dicitur si musca in calicem post consecrationem ceciderit, & non possit sine nausea à Sacerdote sumi, debere extrahi, & lauari cum vino, & comburi: ablutio-nem verò in Sacrarium, seu piscinam proiici. Quo casu in ipsa ablutio-nem muscae aliquid specierum vini consecrati, quae muscae adhaerebant, mixtum erit: & tamen ablutio non debet dari laico communicanti, sed proiici in Sacrarium. Similiter, si aliquid de sanguine super lapidem Altaris ceciderit, debet Sacerdos forbere stillam, & lapidem abluere, & ablutio-nem in Sacrarium proiicere. Idem fieri debet, si ceciderit super linthea Altaris, vel super corporale, aut vestes sacras: quae consuetudo antiquissima est, ut constat ex *cap. si per negligentiam, de consecratione dist. 2.* Nunquam ergo fuit usus dandi laico species sanguinis mixtas ablutio-ni in iis casibus: igitur ex Ecclesiae approbans consuetudinem non dandi species vini laicis, qualis tunc erat ea consuetudo,

tudo, comprehendit etiam hunc casum, in quo consuetudo erat non dandi, sed alia emedia adhibendi.

8 Secundo addere possumus falsò supponi, quod haec calicis prohibitio facta sit solum ob reuerentiam Sacramenti: nam hodie magis fundatur in odio haereticorum, ut extirpetur haereticorum, non contineri totum Christum sub singulis speciebus, vel usum calicis esse necessarium, & Ecclesiam errasse ministrando unam speciem sine alia, quae sunt tanti ponderis motiva, ut Ecclesia merito cum tanto rigore usum calicis laicis prohibuerit. Vnde idem Suarez *loco citato* negat, posse dari guttam calicis consecrati moribundo, qui non possit accipere species panis pro viatico, & posset accipere stillam sanguinis, quia in re tanti momenti non est aperiendum ostium ad alias licentias, etiam si homo ille moriatur sine viatico.

9 Tertio arguere possumus retorquendo argumentum supra indicatum; ex eo enim quod prohibitio laicis facta sumendi calicem sit de iure solum Ecclesiastico, non sequitur, quod Ecclesia nolit hoc casu obligare. Nam prohibitio etiam communicandi, vel celebrandi non seruato ieiunio naturali, est solum de iure Ecclesiastico, & quae patitur de iure aliquas exceptiones: & tamen in die Natalis Domini non vult Ecclesia, quod Sacerdos in prima Missa sumat ablutio-nem ante secundam, & tertiam Missam, sed reputat minus inconueniens, quod stillae specierum maneat in calice, & ibi exsiccentur, quam quod celebret soluto ieiunio. Multo ergo minus vult Ecclesia, quod ablutio calicis detur laico in casu nostro, cum multo strictius sit praecipuum prohibens laicis calicem, quod nullam in iure patitur exceptionem, etiam in casu mortis, quam praecipuum ieiunij naturalis ante communionem, quod exceptiones aliquas habet in eodem iure expressas.

10 Quarto retorquere possumus argumentum; quia si necessitas irreuerentiae vitandae id licitum reddit, sequitur quod posset etiam ablutio illa porrigi laico non communicanti sub speciebus panis, dum tamen ieiunus sit: quod tamen aduersarij non concederent, nec volebant, nisi quod id liceret laico communicanti, ut post hostiae sumptionem, illam etiam ablutio-nem acciperet. Sequela verò probatur, quia in casibus supra enumeratis, & à Suariorum admissis, non est necesse, quod laicus accipiat etiam hostiam, sed potest solum san-

guinem sumere, qui solus in terram effusus est, vel qui solus à Sacerdote in Missa sumptus non fuerat, quando sumptus hostia repente mortuus est; quia nimirum ob reuerentiam solum Sacramenti debitam, laicus tunc sanguinem sumit: nec attenda institutione Sacramenti, est magis necesse sumere hostiam simul cum calice, quam calicem simul cum hostia: quare cum haec sine calice passim sumatur, non videtur, cur in illo casu non posset è contra calix accipi sine hostia.

Vnde quinto arguere possumus à posteriori, quia si reuerentia Sacramenti id in illo casu redderet licitum, posset etiam laicus non ieiunus ablutio-nem calicis tunc sumere: nam in casibus alijs supra enumeratis, ubi irreuerentia Sacramenti vitanda est, deficiente aliquo ieiunio, potest, & debet à non ieiunio consumi, ut concedunt communiter Doctores, & videri potest idem Suarez *dict. rom. 3. dist. 68. sect. 6. in fine.* Vnde rursus videtur inferri, quod in casu nostri dubij non debuisset Ecclesia prohibere in vniuersum Sacerdoti iterum celebraturo, ne in prima Missa ablutio-nem accipiat; quia maior est obligatio vitandi irreuerentiam Sacramenti, quam on illud accipiendi sine ieiunio: deberet ergo tunc solum prohiberi ablutio in prima Missa, quando non est periculum, quod reliquiae specierum in calice relictae acefcant, vel consumantur, quia magis vitanda est irreuerentia Sacramenti, quam sit procuranda ieiunij observatio ante secundam Missam. Cum ergo Ecclesia prauidens reliquias illas in calice relinquentes, adhuc eam cautionem, vel exceptionem non adhibuerit, sed vniuersaliter prohibuerit sumere ablutio-nem; consequens est non agnouisse irreuerentiam talem in eo, quod reliquiae illae remaneant in calice, ut propter illam dispensandum sit in ieiunio ad communionem requisito, atque adeò nec sufficet, ut dispenseretur laicus in prohibitione bibendi sanguinem Domini sub speciebus vini, quae prohibitio neque etiam in mortis articulo tollitur, licet tunc ieiunij requisiti necessitas locum non habeat.

Ratio à priori ex dictis colligi potest; quia nimirum in eo casu non est irreuerentia talis, quae vitari debeat permittendo vel communionem absque ieiunio, vel sumptionem calicis à laico. Nam, licet hoc Sacramentum confici non debeat, nisi ad usum illius, id est, ut sacramentaliter à fidelibus sumatur in cibum, vel potum, &



licet diligenter curandum sit, ne species consecratae corrumpantur, sed quod sumantur antè à fidelibus, ne suo fine fraudentur: id tamen totum non est procurandum diligentia Metaphysica, vel Mathematica, sed morali, & humana, ad quam non spectat, vt nulla prorsus sanguinis guttula, aut subtilissimus hostiæ puluis pereat; id enim quantumcunque procuretur, non poterit obtineri. Sed Christus Dominus Sacramentum hoc in cibum, & potum humanum instituens, reuerentiam quidem, & diligentiam exegisse videtur à nobis, sed humanam, quæ non potest casus omnes, & iacturas etiam minimas in cibo, & potu impedire. Nec ipse Christus legitur talem diligentiam ab Apostolis in Cœna exegisse: nec Ecclesia eam adhibuisse, vt nihil prorsus specierum corrumpi ex se possit. Quot enim fragmenta minuscula periisse necesse erat, quando singuli fideles particulas consecratas in domos proprias secum ferebant: quot etiam guttulas cecidisse, vel in exteriori calicis parte adhæsisse, quando fideles omnes ex eodem calice sumebant: imò nunc etiam, quando Sacerdos post sanguinem sumptum, & antequam ablu-tionem accipiat, Communionem dat populo, quem vidi ego aliquando plusquam ad millenarium communicantium numerum ascendere, necesse est, vt interim guttulæ, seu reliquiæ sanguinis calici adhuc adhærentes, quoad aliquam saltem sui partem, consumantur, imò tantum potest esse temporis interuallum, vt omninò exsiccentur; quod tamen periculum Ecclesia non æstimat ita graue, vt ideo velit communionem populi differri vsque ad Missæ finem: quod etiam in aliis casibus reperiri potest, ex quibus constat, Ecclesiam curare quidem, vt cibus ille, & potus in vsum fidelium cedat: moraliter tamen, non mathematicè quoad singulas omninò particulas minimas, quarum aliquas necesse est ante sumptionem corrumpi. Ad quod etiam ponderari potest decretum S. Pij Papæ, quo iussit, vt si quid Domini sanguinis in lintea caderet, lamberetur si posset, alioquin lauaretur, & mitteretur in piscinam; vbi satis apparet, non adhiberi Metaphysicam diligentiam: nam potuisset præcipi, vt linteam illud vino lauaretur, & ablutio ipsa sumeretur à Sacerdote, quippe quæ contineret adhuc Christi sanguinem. Vides, nunquam tantam obligationem agnitam esse, qua obligatione non existente, non est, cur laico de-

tur ablutio cum guttis sanguinis, stante prohibitione vniuersali, & certa, ne laicus sub vtraque specie Communionem accipiat.

Satis fit ergo sumendo totum poculum<sup>13</sup> moraliter, & adhibendo moralem diligentiam, vt nihil remaneat, quamuis per accidens aliquando necesse sit aliquid minimum vtriusque speciei remanere, prout in casibus supra adductis Ecclesia non reputat magnum absurdum, quòd aliquæ ablutiones in piscinam mittantur. In casu autem nostro grauissima intercedit causa, ne adhibeatur illa extraordinaria diligentia dandi ablu-tionem laico, ad quam reuerentia Sacramenti proculdubio non obligat. Denique non video, quomodo in hoc casu sit locus Epiichæ circa mentem Ecclesiæ, cum ipsa in casibus similibus noluerit Sacerdotem sumere ablu-tionem, sed statuerit quid de ea faciendum sit, nempe quòd mittatur in piscinam. Quantò minus velle censetur, quòd detur laico? Quare nec credo, quòd P. Suarez id diceret in hoc casu, cum ipse nunquam locutus sit de ablu-tione, sed de speciebus panis nõdum à Sacerdote sumptis, sed manentibus adhuc non permixtis. Quando verò iam poculum totum sumptum est, & agitur de stillis per accidens remanentibus in calice, non credo id dicturum P. Suarez, cum sit casus ab Ecclesia præuisus, in quo ipsa expressè aliter prouidit, nec de tali remedio adhibendo mentionem vllam aliquando fecit.

#### D V B I V M X I.

*An liceat deferre Eucharistiam infirmo adorandam, qui eam sumere non potest.*

Certum est, non esse obligationem eam deferendi: nam Parochus solùm tenetur ad ministranda Sacramenta; quare cessante eo fine, quando constat infirmum non posse viaticum accipere, vel quia deglutire non potest, vel quia timetur vomitus cum irreuerentia Sacramenti, cessat Parochi obligatio. Solebant tamen aliquando Parochi ad consolandum ægrotum deferre solemniter Sacramentum ad eius domum, eique sacram Hostiam adorandam ostendere, imò & osculandam quandoque, vt hoc saltem actu ægrotus affectum suum ostenderet, & desiderium realiter, & sacramentaliter Christum accipiendi,

cupiendi, si posset, eique præsentem semetipsum in extremo illo necessitatis articulo commendare. de quo vsu dubitatum est, an laudabilis, & pius æstimandus esset, an verò imprudens, & contra reuerentiam venerabili Sacramento debitam.

2 Respondeo in primis, si dubium sit de potentia, vel impotentia infirmi ad communionem suscipiendam, probandum antea esse, & tentandum, an deglutire possit paruulam saltem partem vini particulæ non consecratæ, vel solam, vel cum haustu aquæ, vel vini, & an eam sumptam retineat sine vomitu. Si verò non vacat, nec temporis breuitas permittit, vt habeatur hæc experientia, quia periculum est, ne interim ægrotus moriatur, vel vsum sensuum, aut rationis amittat; tunc in eo dubio deferri potest Eucharistia, vt si factò dicto experimento, potens inueniatur, detur ei statim absque alia mōra: si verò inueniatur impotens, eam saltem adoret, & veneretur, iam enim tunc non defertur solius adorationis causa, sed vt sumatur si possit, de cuius potentia defectu nondum constat.

3 Si verò cerum sit, non posse ab infirmo accipi Eucharistiam, licet attentà sola institutione huius Sacramenti, non appareat culpa grauis, si ad eum adorationis finem deferretur, & ad ægroti consolationem: nam in prioribus Ecclesiæ sæculis feruor fidelium, & charitas erga Christum Dominum, quæ maiorem induxerat familiaritatem, permittebat, vt & in itinere, & in navigatione secum hoc Sacramentum deferrent: illa tamen charitate refrigerante, & apparente necessitate procurandæ reuerentiæ erga Christi maiestatem, ne familiaritas contemptum pareret; prudentissimè cautum est, ne etiam ad ægrotos, nisi solertini pompa deferatur: & ob eandem rationem Pius V. prohibuit, ne Eucharistia ad ægrotum deferretur, qui eam sumere non posset. Sic enim Pontificis prohibitio refertur in declarationibus Sacr. Congregationis Concilij Tridentini tam impressis, quam etiam manuscriptis. in vtrisque ea declaratio habetur in sess. 13. can. 7. his verbis. *Non licet sanctam Eucharistiam ad ægrotantes deferre, qui morbi grauitate impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari. Et, si forte aliquo in loco talis est consuetudo, ea prorsus est tollenda, quòd Pius V. prohibuit.* Hæc cibi, & quidem merito id prohibuit, quia si ad priuatam ægroti consolationem, & sine spe refectionis

sacramentalis, tanta Seruatoris maiestas loco mouenda, & per vias publicas circumferenda esset, paulatim eadem infirmorum pietas intruderet, vt sicut Sanctorum reliquiæ ad eos deferuntur, & applicantur curationis gratia, ita & ad eosdem non communicaturos, nec periculosè decumbentes deferretur Eucharistia, & applicaretur partibus læsis, & dolentibus, spe impetrandæ curationis, quæ & alia similia cultum, & reuerentiam debitam tantæ maiestati paulatim minuerent. Multò autem minus permittendum videtur, quòd infirmus deosculetur sacram Eucharistiam; quod est contra vsum totius Ecclesiæ Latinæ, in qua nunquam laici aliter eam contingunt, nisi lingua, & ore, dum eam sumunt, imò nec Sacerdos, aut Diaconus, nisi vestibus factis, vel saltem stola ornatus; quod totum ad cultum, & venerationem eiusdem Sacramenti tuendam, videtur omninò retinendum, hoc præsertim tempore, quo recentiores hæretici diabolica rabie cultum huius venerabilis Sacramenti de mediò tollere nituntur.

#### D V B I V M X I I.

*An Parochus bis celebrans diebus festis in duabus Parochijs, quas habet, possit permitti in eisdem bis etiam celebrare diebus profestis.*

DAta fuit ea facultas in quadam Synodo diocesana Parochis habentibus duas Ecclesias parochiales; in quibus diebus festis bis celebrabant. Aliqui tamen dubitarunt, quia licentia bis eodem die celebrandi in duplici Parochia, fundatur in verbis Innocentij III. relati in cap. *consuluiti, de celebratione Missarum*, vbi prohibita duplici Missa eadem die, addit Pontifex exceptionem, *nisi causa necessitatis suadeat*; ex quibus verbis Doctores communiter colligunt, posse Parochum bis celebrare, quando habet duas Ecclesias parochiales, & non potest commodè habere coadiutores, vt cum aliis docet Suarez 1. tom. in 3. p. disp. 8. sect. 3. §. *tertia enim*. Hæc autem causa necessitatis non videtur inueniri nisi diebus festis, vt populus vtriusque Parochiæ possit Missam audire, quam tamen in diebus ferialibus audire non est necesse; quare non est necessaria

cessitas iis diebus duplicis Missæ celebrandæ. Vnde Magister Nuñus Cabezudo in 3. part. quest. 80. art. 2. dixit absolute, id ad dies profestos extendere esse omnino improbabile, & contra omnes.

2 In hoc tamen vir doctus excessit, sicut etiam ibidem dixit esse contra omnes, quod ex quacumque necessitatis causa liceat aliquando ter celebrare; quod tamen licitum esse posse ex causa necessitatis, docuerat, & probauerat bene idem Suarez ubi supra vers. sextus autem casus, quia iura indifferenter loquuntur de pluribus Missis, non determinando ad duas, vel plures, & ante illum idem docuerat Philarchus de officio Sacerdotis tom. 1. Sic ergo immerito dixit, neminem concedere licentiam illam Parochis ad dies profestos, nec posse probabiliter concedi. Nam id concessit expressè idem Suarez ibidem vers. sed queri potest. quod etiam docuit Gaspar Hurtado de sacrificio Missæ, difficult. 3. & Ioannes de la Cruz Dominicanus in directorio p. 2. de Sacrificio Missæ, dub. 3. conclus. 2. & alij, & mihi etiam probabile videtur posse à legitimo superiore concedi eam licentiam; quia, ut notant ij Doctores, satis grauis est causa, ne populus suo sacrificio priuetur, & opportunitate audiendi Missam; ad hoc enim singulis Parochiis suis Parochus destinatur, ut in singulis populus sacrificio non careat, sed possit illud cum Sacerdote offerre, & ei reuerenter interesse.

3 Difficultas esse posset, quando diebus ferialibus populus ad Missam non conuenit; nam tunc cessare iam videtur causa necessitatis, quæ duplicem celebrationem iustificat, & videtur ad nihil aliud licentia illa deseruire, nisi ut eo prætextu Sacerdos duplex stipendium lucretur duas Missas celebrando, nec verò ad populi usum. Sed tamen hæc ratio non videtur omnino conuincere; quia in primis non videtur moraliter contingere posse, ut licet non omnes, pars tamen incolarum non veniat ad Missam audiendam, si sciant quotidie celebrandam, & campana ad hunc finem hora statuta pulsetur, & quidem necessitas causæ requisitæ non videtur solum esse, ut Missam audiant, sed etiam ut habeant opportunitatem, & facultatem eam audiendi, qua facultate priuarentur, si Parochus non posset bis celebrare. Si tamen experientia longâ constaret inutilitas huius licentiæ, quod incolæ ad Missam non veniunt diebus pro-

festis: aliter fortè dicendum esset; cessaret enim necessitas, cum opportunitas illa, & licentia audiendi Missam esset inutilis eo loco, & frustra sit potentia, quæ non reducitur ad actum; quare non æstimaretur necessitas, quæ solum esset ad dandam opportunitatem talem, quæ attempta longa experientia inutilis, & superuacanea iudicaretur. Merito ergo P. Suarez ubi supra addidit, in hoc puncto optimum consilium esse seruare consuetudinem, quæ in his rebus magnam vim habet. quia nimirum consuetudo ipsa indicium est necessariæ, vel non necessariæ celebrationis: quare stante decreto Synodi diocesanae legitimam ad id auctoritatem habentis, (ut supponitur,) & permittentis eam in casu proposito, præsumendum est, non sine fundamento id ita fuisse statutum, imò ex eo quod constabat de necessitate, & de populi desiderio, quo opportunitatem audiendæ Missæ diebus singulis desiderabant.

#### D V B I V M XIII.

*An qui potest approbare Oratorium ad celebrandum, possit dare facultatem celebrandi nocte Natalis in aula, ubi construitur Præsepe Dominicum.*

PROuinciales Societatis Iesu possunt in locis, in quibus aliqui eiusdem Societatis resident, approbare per se, & deputare Oratoria, & Capellas, quæ ad diuinum dumtaxat cultum deseruiant, in quibus Missæ, & diuina Officia celebrari possint, ut habetur ex concessione Gregorij XIII. in Bulla data apud S. Petrum die 3. Maij anno 1575. & incipit, *Decet Romanum Pontificem*, &c. quo supposito, contigit, ut in quodam Societatis loco, in quo erat alia Capella deputata, & stabilis ad quotidie celebrandum, fieret tamen deuotionis gratia in alia communi aula in festis Natalitijs Præsepe Dominicum cum Altari, in quo ad fouendam pietatem volebant nocte illa sacratissima Missam celebrare. Dubitatum itaque, & quaesitum fuit, an Prouincialis virtute prædictæ facultatis posset pro ea nocte deputare locum illum, & licentiam dare ad ibi celebrandum.

Respondi,

2 Respondi, meo iudicio, non posse: quia ex verbis concessionis supra relatis solum habetur facultas deputandi Oratoria, & Capellas, quibus nominibus intelligitur solum locus permanens, permanenter deputatus ad illum usum. Quando enim ob aliquam necessitatem concederetur facultas celebrandi semel in cubiculo alicuius infirmi, ad dandum ei viaticum, non dicitur fieri Capellam, vel Oratorium, sed potius concedi, ut fiat Missa extra Capellam, vel Oratorium. quem sensum verba consequentia magis exprimunt, dum petunt deputari in loca illa ad illos dumtaxat vsus Missæ, & diuini Officij celebrandi, ita ut iam locus ille segregatus maneat ab omni alio vsu profano. Certum autem est, aulam illam, in qua Præsepe construitur, non deputari in futurum ad vsus dumtaxat sacros, sed adhuc ex intentione habitantium destinatum esse ad alios vsus domesticos, sicut antea. Non est ergo casus ille, ad quem datur facultas à Pontifice, sed alius diuersus, ad quem ego non inueni priuilegium, nec facultatem esse concessam.

#### D V B I V M XIV.

*An facultas, de qua dubio præcedenti, delegari possit à Prouinciali, cuius nomine alius deputet, & approbet Oratorium.*

1 Hoc dubium annexum est dubio præcedenti. Diximus enim posse Prouincialem approbare per seipsum, & deputare Oratoria, & Capellas ad celebrandas Missas, & diuina Officia in iis locis, in quibus aliqui Societatis resident. Hac occasione dubitatum est, an si Prouincialis in ea ciuitate non sit, possit committere Rectori, vel alteri, ut approbet, & deputet Oratorium aliquod, vel Capellam nouam in aliquo Collegio, vel domo Societatis. Ratio dubitandi est, quia non conceditur facultas quomodocumque approbandi, sed approbandi per se. quæ verba videntur exigere industriam personæ, ut ipse Prouincialis videat locum, & iudicare possit, an sit decens, & idoneus ad eam deputationem faciendam: quare non potest iuxta regulam generalem delegari, sicut nec alij actus, qui exigunt industriam personalem. quod confirmari potest à simili, quia Episcopus non potest delega-

re facultatem sibi concessam in Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformatione, ad absolendum ab hæresi occulta in foro conscientia, quia ibi requiritur industria personæ, & idè negatur facultas delegandi; ut cum alijs diximus disp. 23. de fide sect. 3. §. 1. imò eodem cap. 6. conceditur Episcopis facultas absolendi ab alijs casibus reueruatis occultis per seipsum, aut Vicarium ad id specialiter deputatum. in quibus verbis satis indicatur facultas absolendi per seipsum, non includere facultatem absolendi per Vicarium, sed potius eam excludere: alioquin non fuisset necesse addere facultatem delegandi Vicario specialiter deputato. Cum ergo in casu nostro facultas concessa sit Prouincialibus approbandi Oratoria per seipsum, non poterunt id facere per alium delegatum.

Respondi tamen, distinguendum esse; dupliciter enim posset Prouincialis id velle committere Rectori. Primò committendo ei, ut approbet, & deputet Oratorium: & id non videtur mihi posse facere Prouincialis, propter rationem dubitandi propositam, quia hoc esset delegare actum sibi personaliter commissum, & quia superflua fuisset particula illa per se, quod non est credibile, sed constat fuisse additam ad limitandam facultatem, & ad requirendam industriam personæ. Potest tamen secundò Prouincialis non quidem dare Rectori facultatem approbandi, & deputandi Oratorium, vel Capellam, sed solum videndi locum, & iudicandi de eius decencia, & idoneitate, & stante iudicio Rectoris, & quasi ab eo informatus Prouincialis, eique fidem adhibens, approbare per se, & deputare locum illum, etiam si absens sit, & eum non viderit, & id quidem credo fieri posse; tunc enim Rector non approbat, vel deputat tanquam delegatus à Prouinciali, sed ipsemet Prouincialis, informatione accepta à Rectore, approbat per seipsum, & deputat, & exercet immediatè, & nullo alio mediante actum sibi commissum approbandi, & deputandi locum idoneum ad Oratorium, vel Capellam.

Confirmari autem potest primò ex d. loco, & cap. 6. Tridentini, dicta sess. 6. ubi licet Episcopo solum concedatur facultas absolendi per se ipsum ab hæresi occulta (potest tamen Episcopus si facultas illa non esset reuocata per Bullam Cœnæ,) informatus à Confessario de statu penitentis absentis eum in absentia absolueret per seipsum ab excommunicatione ob hæresim

sim incurfa, vt cum aliis multis dixi *dicta* *diff.* 23. *de fide* *sect.* 3. §. 1. tunc enim non per alium absoluit, sed per se ipsum, & exequitur ipse immediatè actum absoluendi sibi commissum, nec absolutio à censura requirit præsentiam illius, qui absoluitur. Sic ergo in casu nostro Prouincialis absens potest per se ipsum immediatè approbare, & deputare locum in Oratorium, informatione habita à Rectore de idoneitate loci: neque enim magis videtur approbatio, & deputatio Oratorij requirere præsentiam approbantis, quàm absolutio à censura, cum neutra ex sua natura, vel ex iure positiuo diuino, vel humano eam præsentiam requirat.

4 Confirmatur secundò, quia approbare locum Capellæ non est visitare illud, in rigore loquendo, vt colligitur ex verbis Tridentini *sess.* 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, vbi Episcopi iubentur prohibere, ne Missæ celebrentur extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda. vbi Concilium vtramque actionem designandi, & visitandi, expressè condixit, & eo ipso significauit posse alteram sine altera reperiri: quare, licet visitatio requirat præsentiam visitantis, designatio tamen, vel approbatio eam non requirit: nec minus potest Episcopus approbare, & deputare Confessarium absentem, quàm præsentem, nec minus dicitur, eum per se ipsum immediatè approbare, & deputare, quàm si eum præsentem approbaret, vel deputaret. Non ergo excedit Prouincialis limites facultatis sibi concessæ, si absens locum idoneum approbet, & deputet in Oratorium, vel Capellam, quia tunc etiam per se ipsum immediatè approbare, & deputare dicitur.

#### D V B I V M XV.

*Virum qui in Paschate recipit Sacramenta in Ecclesia Cathedrali, satisfaciat Ecclesia præcepto.*

1 **N** Fœmina cum diffidia aliqua cum suo Parocho habuisset, adueniente Paschate, abiit ad Ecclesiam Cathedrali, in qua confessæ fuit Pœnitentiario eiusdem Ecclesiæ, ibique statim Eucharistiam accepit, vt satisfaceret præcepto Commu-

nionis Paschalis. Vicarius tamen generalis contra eam postea procedere volebat eo titulo, quòd Ecclesiæ præcepto non satisfecisset; ipsa verò apud Summum Pontificem conquesta est, quòd iniuste à Vicario generali vexaretur, cum re vera vtriusque Sacramenti præcepto satisfecisset.

Respondi, distinguendum esse: nam quoad præceptum Confessionis, proculdubio oratrix satisfecit. In primis, quia de eo, qui confitetur Pœnitentiario deputato, ita decisum fuit in sacra Congregatione Concilij Tridentini interpretum, die 16. Februarij anno 1595. vt habetur in decisionibus editis Colonia anno 1621. super *cap. 1. de reformatione sessionis* 24. vbi dicitur: *Qui tempore Paschæ fuerit confessus Pœnitentiario deputato, satisfaciat præcepto Ecclesiæ contento in cap. omnis vtriusque sexus. extra de Pœnit. & remiss.* Secundò, quia sicut Papa dat iurisdictionem Regularibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones, ita Episcopus, vel quicumque deputat Pœnitentiarium in Cathedrali, dat ei licentiam generalem audiendi confessiones; ad hoc enim deputatur, & obligatur ex officio. Certum est autem eum, qui confitetur Regulari approbato, satisfacere præcepto Confessionis, vt cum aliis ex Pontificum decretis probaui *diff.* 19. *de pœnitentia, sect. 2. num. 25. & seqq.* & videri potest Pellizzarius *tom. 2. manual. regular. tract. 8. cap. 3. num. 289.* qui addit, nec debere Parochum ab iis pœnitentibus petere schedulam Confessarij de confessione apud eum facta; ergo idem dicendum erit, si confiteatur Pœnitentiario ad hoc munus à Summo Pontifice, vel Episcopo deputato. Tertio, & à priori, quia per eiusmodi confessionem satisficit præcepto contento in *dicto cap. omnis vtriusque sexus*; in quo solùm exigitur confessio apud proprium Pastorem, vel alterum de eius licentia. Qui autem confitetur Pœnitentiario, iam ei confitetur de licentia proprij Pastoris, nempe vel Episcopi, vel Summi Pontificis, qui eum deputarunt, vt audiret confessiones omnium ad eum confluentium: ergo satisfaciat præcepto in toto verborum rigore. Denique addi potest, esse sententiam communem, & veriore, eum, qui habet solùm peccata venialia, non obligari præcepto annuæ confessionis, vt cum aliis probaui *diff.* 15. *de pœnitentia sect. 6. §. 4. num. 132.* Qui autem confessus est Pœnitentiario, & ab eo obtinuit absolutionem mortalium, non habet

habet postea nisi venialia, quæ Parocho confiteatur; ergo ex hoc etiam capite, nempe ex defectu materiæ necessariæ, excusatur à noua confessione Parocho facienda.

3 Maior est difficultas circa Communionem. Sunt enim multi ex antiquis, qui agnoscunt in Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis potestatem administrandi Sacramenta omnibus subditis illius Diocesis, atque idè videntur supponere, Ecclesiam Cathedrali esse communem totius Diocesis, quos refert, & congerit Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 27. n. 1.* Quare qui recipit Communionem in Ecclesia Cathedrali, videtur eam accipere in Parochia communi totius Diocesis. Vnde sicut si eam acciperet de manu Episcopi, satisfaceret proculdubio præcepto Ecclesiæ, cum Episcopus sit Parochus totius Diocesis; sic si eam accipit in Ecclesia Episcopali, videtur eidem præcepto satisfacere.

4 Ego tamen magis credebam, in rigore non satisfieri, nisi in propria singulorum Parochia, vel nisi Episcopus expressè, vel tacitè consentiat: quia in primis, quamuis Pœnitentiarius possit omnium confessiones audire, non idè est omnium Parochus; sicut nec Regulares, qui etiam in Paschate audiunt omnium confessiones, dicuntur eorum Parochi, nec possunt illis alia Sacramenta parochialia ministrare. Non ergo sufficeret licentia Pœnitentiarij (etiam si aduisset,) vt Oratrix posset ibi Communionem accipere. Deinde nec Parocho Ecclesiæ Cathedralis est Parochus omnium incolarum ciuitatis, vt, saltem loquendo de iure, & consuetudine hodierna, docet Thomas Sanchez *d. disp. 27. n. 2.* & inde infert, non esse validum matrimonium celebratum coram Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis ab incolis habitantibus in alia Parochia eiusdem ciuitatis, quod idem docet Basilius Pontius *lib. 5. de matrim. cap. 12. num. 7.*

5 Vnde arguere rursus possumus, quòd sicut Concilium Tridentinum exigit præsentiam proprij Parochi ad valorem matrimonij, ita præceptum Communionis Paschalis exigit, quòd accipiatur à proprio Parocho, vel de eius licentia. quod idem argumentum fieri potest ex eodem Concilio iubente denunciations fieri à proprio contrahentium Parocho in Ecclesia ante matrimonium; & tamen nemo dicit, sufficere si denunciations fiant à Parocho Ecclesiæ Cathedralis, si contrahentes sint alterius Parochiæ. Si ergo in Tridentino

*D. Iq. Card. de Lugo Respons. mor.*

nomine Parochi proprij non intelligitur Parochus Ecclesiæ Cathedralis, nisi in ordine ad incolas illius peculiaris Parochiæ, quæ ipsius curæ assignata est; eodem modo in præcepto Communionis Paschalis nomine proprij Parochi non debet intelligi Parochus Ecclesiæ Cathedralis, nisi in ordine ad incolas suæ peculiaris Parochiæ.

6 Ratio denique est, quia præminentia Ecclesiæ Cathedralis supra alias Ecclesias non tollit, quòd singulæ habeant terminos proprios curæ sibi commissæ; sicut præminentia Archiepiscopi supra Episcopos suffraganeos non tollit terminos proprios, & territoria singulorum Episcoporum, intra quos nec ipse Metropolitanus potest sese ingerere, nisi in certis casibus à iure statutis. Sic etiam Parocho Ecclesiæ Cathedralis assignatum est territorium, & termini, intra quos deferre potest viaticum ægrotantibus, eosque Oleo sancto vngere, & mortuos sepelire, & partem candelarum funeralium accipere, quando alibi sepeliuntur: extra illos verò terminos suæ propriæ Parochiæ nihil horum exercet, quia non pertinet ad eum cura animarum, quæ sunt in alijs Parochiis. Sicut ergo iis non ministrat viaticum, vel Extremam vñtionem, non debet eis dare Communionem Paschalem, quæ non minus spectat ad proprium Parochum, quàm illa alia. Poterit quidem Episcopus, si velit, permittere, quòd omnes sui subditi Communionem Paschalem accipiant in Ecclesia Cathedrali, cum ipse sit eorum omnium Parochus: quamdiu tamen Episcopus hanc licentiam non tribuit, singuli debent in proprijs Parochiis peculiaribus Communionem accipere, vt Ecclesiastico præcepto satisfaciunt: quia tamen Oratrix bona fide in Ecclesia Cathedrali Communionem accepit, dictum fuit Vicario Episcopi, ne eam ulterius ea de causa pro hac vice molestaret.

#### De Sacramento Pœnitentiæ.

#### D V B I V M XVI.

*Vtrum, si aliquis nunc à S. Petro absolueretur, deberet adhuc peccata illa confiteri iterum Sacerdoti mortali.*

**D** Vbium hoc non videtur practicum, de illo tamen ex ciuitate Florentina interrogatus sum, cuius filij, quia ingenio



nio sunt fecundo, in eiusmodi fortasse quaestiones prorumpunt. Ratio autem dubitandi esse poterat ex iis, quae notavi *tomo de Sacramentis, disp. 8. de Sacramentis in genere, sect. 1.* & P. Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 13. de Sacramentis in genere, sect. 1.* & alij communiter, qui ex S. Thoma 3. p. 9. 64. art. 7. communiter dicunt, quamuis Angeli & homines beati non sint ordinarij Ministri Sacramentorum, si quando tamen extra ordinarium cursum aliquid eiusmodi operentur, credendum esse id ex speciali Dei voluntate fieri, cuius operatio non alligatur ad communes Sacramentorum Ministros. Si ergo S. Petrus nunc aliquem absolueret, credendum esset, id ex voluntate speciali Dei fieri, qui non minus per S. Petrum, quam per Sacerdotes viatores absolvere potest. quod magis adhuc locum haberet in sententia eiusdem Suarij, qui *loco citato* docet, etiam ex vi praesentis institutionis posse Sacerdotem comprehensorem, & gloriosum etiam in corpore glorioso valide Sacramenta conferre, cum sit tunc verus homo, & Sacerdos retinens characterem sacerdotalem, & potens exercere actiones humanas, & proferre humana verba per organa corporis gloriosi, atque adeo nihil videtur deesse ad valorem Sacramenti ex parte materiae, vel formae, vel etiam debiti ministri.

2. Caeterum in praedicto loco dixi, ex vi praesentis institutionis homines solum viatores esse deputatos ministros ad valide conficienda Sacramenta, quod ibi aliquibus rationibus probavi, quae ibi videri possunt, quia id totum ad praesentem difficultatem non sufficit. Neque enim nego, posse Deum non solum per homines gloriosos, sed etiam per Angelos, & eorum actiones conferre effectum nostrorum Sacramentorum: quare quidquid sit, an Sacramentum à S. Petro collatum esset eiusdem rationis cum Sacramentis nostris, vel an eius valor, & efficacia esset ex vi praesentis institutionis, sufficeret tamen, quod haberet eundem effectum. Sicut enim baptizatus, vel ordinatus ab Angelis non deberet iterum à ministro mortali baptizari, vel ordinari; ita qui absolutus esset à S. Petro, non indigeret noua absolutione, quae à Sacerdote mortali, & viatore ei conferretur.

3. Respondi tamen, adhuc in eo casu manere obligationem confitendi eadem peccata Ministris, & Sacerdotibus Ecclesiae visibilis, & militantis. Fateor quidem,

quod poenitens ille per absolutionem à S. Petro collatam maneret iustificatus; neque enim sine impietate credi potest, quod à S. Petro in re tanti momenti decipi posset: adhuc tamen obligatus maneret praecipio confitendi eadem peccata Ministro Ecclesiae militantis, & visibilis. Sicut qui per actum contritionis iustificatur, adhuc manet cum obligatione confitendi peccata sibi iam remissa, antequam ad Communionem accedat, ut declarauit Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 7. & can. 11.* ita etiam qui modo illo extraordinario iustificaretur, deberet adhuc eadem peccata clauibus Ecclesiae subiicere: quas quidem clauis habuit S. Petrus quamdiu vixit in hac vita mortali; post mortem tamen, sicut iam non est Summus Pontifex, sed alius eius successor, ita non habet iam Ecclesiae clauis, nec est eius Minister, sed Aduocatus in Caelo; quare peccata ei soli subiecta, nondum subiecta intelliguntur Ecclesiae clauibus, & foro. Neque enim in S. Petro possumus maiorem quoad hoc potestatem tribuere, quam ipsimet Christo: & tamen si aliquis sua peccata Christo confiteatur, & ab eo per contritionem impetret eorum remissionem, non ideo liberatur ab obligatione confitendi eadem peccata Ministris Ecclesiae, ut praecipio diuino, & ecclesiastico sacramentalis confessionis satisfaciatur.

4. Porro praecipio confessionis non satisfieri, nisi peccata tua confitearis Ministris Ecclesiae visibilis, colligi videtur ex verbis Concilij Tridentini. Nam *sess. 14. cap. 2.* probat differentiam inter Baptismi, & Poenitentiae Sacramenta, quia in Baptismo minister non debet esse iudex, cum Ecclesia in neminem iudicium exercent, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de ijs qui foris sunt, iudicare? Pro baptizatis autem hoc Sacramentum Poenitentiae Christus instituit, quos ante hoc tribunal, tanquam reos sibi voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admisis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari. In quibus verbis sermo manifestè habetur à tribunali solum Ecclesiae militantis, quae sola non potest iudicare eos, qui baptizati non sunt: nam Ecclesia caelestis, & triumphans non minus potest iudicium exercere in non baptizatos, quam in baptizatos: tribunal ergo illud, & iudicium sacramentale, cuius necessitas in fine eiusdem capituli definitur, erectum supponitur in Ecclesia visibili;

sibili, & militante, atque aded coram eius ministris confessio facienda est, ut confessionis praecipio satisfiat.

5. Hoc ipsum significauit idem Tridentinum eadem *sess. cap. 5.* probans, peccatorum omnium confessionem necessariam esse ex Christi praecipio omnibus post Baptismum lapsis. Quia Dominus noster Iesus Christus, è terris adsumptus ad Caelos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam praesides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles reciderint, quo pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. vbi pondero verbum illud reliquit, quod solum de ministris in terra remanentibus verificatur, nam qui in Caelo sunt, non relinquuntur, sed assumuntur, ut sint simul cum ipso Christo. Quod idem colligitur ex illo clauium nomine, quo ibi potestas haec appellatur, sicut & *cap. 6.* & alibi; clauis enim eiusmodi datae sunt Ecclesiae visibili, & S. Petro dum vixit, non tamen detulit eas secum in Caelum, sed reliquit suis successoribus, qui omnes, & singuli non habent clauis Ecclesiae, nisi pro tempore huius mortalis vitae, & ideo mortuo Pontifice, eius stemmata gentilitia depinguntur sine clauibus. Si ergo omnes fideles obligantur ad deferenda sua peccata mortalia ad clauis Ecclesiae, non satisfiat huic praecipio per confessionem factam S. Petro, & per absolutionem ab eo obtentam; imò nec quamuis ab ipso Christo absolutio haberetur, nisi idem Christus dispensaret simul in praecipio confitendi ministris Ecclesiae, quae dispensatio in dubio praesumi non debet, cum sit contra id, quod ipsemet Dominus lege sua vniuersaliter statuit, & voluit semper in Ecclesia obseruari.

6. Accedit deinde obligatio confessionis annuae ex praecipio Ecclesiastico, contento in *cap. omnis utriusque sexus, de poenitentijs, & remissionibus*, vbi expressè praecipitur, ut omnes adulti singulis annis confiteantur sua peccata proprio Sacerdoti: nomine autem proprii Sacerdotis certum est intelligi eum, ad quem ex officio spectat cura illius animae, hoc est, Pastori spirituali illius. Cui Ecclesiae praecipio nondum est satisfactum magis per confessionem factam B. Petro, quam si fieret B. Ioanni Baptistae, aut etiam B. Mariae Magdalenae, cum modò S. Petrus non magis sit Pastor ex officio, quam illi. Si enim nunc haberet adhuc officium Pastoris, esset utique

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

Papa, quia nullum aliud officium cogitari potest, quod nunc retineat, & quod habeat curam animarum; semper ergo remanebit obligatio ex praecipio Ecclesiae confitendi peccata proprio Pastori, nisi expressè constaret de diuina dispensatione, quae in dubio praesumi non debet.

Hac tamen occasione disputatum fuit ab eisdem, & interrogatus sum, an qui ex peculiari Dei gratia sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum de manu S. Petri, vel alicuius Angeli acciperet, posset adhuc eadem die iterum de manu proprii Pastoris Eucharistiam sumere.

8. Respondi, non posse, quia prohibitio non est, ne quis de manu proprii Pastoris eadem die bis communicet, sed ne quis bis eadem die communicet. Vnde, si aliquis ab alieno Sacerdote sine proprii Pastoris licentia hodie Communionem accipit, peccauit quidem Communionem sine licentia proprii Pastoris ab alieno accipiendo, nisi per ignorantiam, vel praesumptam sui Pastoris voluntatem excusetur; non tamen potest iterum eadem die de manu Pastoris sui communicare: imò quamuis ipsemet temerè sibi Eucharistiam furtiuè acceptam ministrasset, non posset iterum eadem die communicare. Ratio autem est, quia Minister dans Eucharistiam, nimis extrinsecè se habet ad effectum, & valorem Sacramenti, cuius vsus non est ministratio porrigentis, sed sumptio, & manducatio sumentis. Quare, sicut prohibitio celebrandi bis eadem die, non est solum non celebrandi bis cum licentia proprii Pastoris, sed quomodocunque, atque ideo, si hodie, contra prohibitionem tibi à tuo Episcopo factam, sacrilegè celebrasti, etiam si statim confitearis, & absoluaris, & Episcopus reuocet suam prohibitionem, non poteris hodie iterum Missam celebrare: ita prohibitio bis communicandi est aequè vniuersalis, nec est, vnde debeat intelligi de sola Communionem à proprio Pastore accipienda; sed quomodocunque prima Communio sit posita, impedit secundam eadem die, nisi Ecclesiae dispensatio interueniat, prout in die Natalis Domini dispensat, ut Sacerdotes ter possint in Missarum celebratione communicare.

\*.\*

C 2 DVB

## D V B I V M XVII.

*Cur Episcopus extra Diocesim non possit approbare Confessarios pro suis subditis extra Diocesim existentibus.*

**E**piscopus Ostiensis, v.gr. Romæ adest, ubi etiam sunt aliqui ciues Ostienses, qui proculdubio possunt Romæ confiteri Confessariis à Vicario Romano approbatis. Sed tamen illi vellent confiteri alteri Sacerdoti Romano, qui non est approbatus ab Ordinario Romano, & idè petunt ab Episcopo Ostiensi, vt eum approbet pro suis subditis audiendis. Quod tamen fieri non posse, dixi *disp. 21. de penitentia num. 37.* vbi concessi, posse ad hunc effectum approbari Romæ ab Episcopo Ostiensi Sacerdotem Ostiensem ibidem existentem, qui adhuc sit subditus eiusdem Episcopi: non tamen posse approbari Romanum Sacerdotem Romæ degentem, qui non sit subditus Episcopi Ostiensis. Hac verò occasione quæsitum est à me, cur id negarem, cum aliunde approbatio Confessarij sit actus iurisdictionis voluntariæ, atque adèd possit ab Episcopo extra suam Diocesim exerceri? Quare sicut potest Episcopus Ostiensis approbare Sacerdotem Romanum Ostiæ existentem, vt Ostiæ confessiones audiat; sic videtur posse eundem approbare Romæ existentem, vt confessiones ciuium Ostiensium Romæ audiat.

**R**espondi tamen, id fieri non posse, vt *loco citato* probaueram: quod rursus probari potest ex declaratione Congregationis Concilij Tridentini illo loco adducta, qua Eminentissimi Patres dixerunt, Episcopum ipsum in aliena Diocesi commorantem non posse confiteri Sacerdoti alieno non approbato ab Ordinario illius loci, in quo fit confessio. Si ergo Episcopus ipse non potest sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario loci, in quo est; minùs poterit eum suis subditis assignare. Si enim posset Sacerdotem Romanum Romæ approbare ad confessiones Ostiensium Romæ audiendas, posset vtique ipse Episcopus Ostiensis eidem confiteri, cum non minùs ipse sit Ostiensis, quàm sui subditi: quare si ipse non potest, nec ci-

ues Ostienses poterunt illi Sacerdoti confiteri.

Ratio autem à priori ex dictis *loco citato* hæc est, quia Confessarius ex decreto Tridentini debet esse approbatus à suo Ordinario: in casu autem posito Sacerdos Romanus Romæ existens non esset approbatus à suo Ordinario: nam Episcopus Ostiensis non est Ordinarius Sacerdotis Romani, nec eum potest punire, etiam si Romæ circa confessiones Ostiensium audiendas delinqueret, sed solum is poterit puniri ab Ordinario Romano. Posset quidem Episcopus Ostiensis Sacerdotem Ostiensem Romæ commorantem punire, vt volunt Gonzalez *in regulam 8. Cancellaria gloss. 62. num. 11.* & Barboza *de officio, & potestate Episcopi, allegat. 6. num. 17.* posset etiam punire Sacerdotem Romanum Ostiæ commorantem, & ibi approbatum, si ibi circa confessiones delinqueret, & idè siue Sacerdos Ostiensis Romæ commoretur, siue Sacerdos Romanus sit Ostiæ, vtriusque potest dici Ordinarius Episcopus Ostiensis, cum vtrumque possit punire, & ideo vterque dicitur approbatus à suo Ordinario, si approbatur ab Episcopo Ostiensi: non est tamen Ordinarius Sacerdotis Romani Romæ commorantis, quia superior & subditus sunt correlatiui, & non potest Sacerdos ille Romanus Romæ existens censerì subditus Episcopi Ostiensis, à quo nullo modo coerceri, & puniri potest.

## D V B I V M XVIII.

*An Episcopus possit suspendere totum Conuentum Regularium à confessionibus audiendis.*

**E**piscopus quidam zelo commotus, quia putauit violatam fuisse immunitatem Ecclesiasticam, dum Regulares conuenerunt ministris Curie secularis quemdam intra eorum septa commorantem, qui ibidem delinquebat, sollicitans iuuenes ad turpia, & obscena, ea de causa Conuentum totum suspendit à confessionibus audiendis. Quæsitum fuit, an hæc suspensio valida fuisset?

Respondi, considerandum esse, quomodo illa suspensio facta fuerit, an scilicet per modum censuræ, & suspensionis canonicæ;

nonicæ; vel potius per modum reuocationis facultatis, & approbationis antea concessæ illis Religiosis ad confessiones audiendas. Primo modo, quamuis communicari, vel Collegium non possit excommunicari, potest tamen suspendi, vt cum aliis docet Suar. *tom. 5. de censuris disp. 28. sect. 3.* Vnde, si aliunde non deerat culpa sufficiens, nec potestas, & iurisdictio in Prælato, potuit totus Conuentus saltem quoad Clericos suspendi. Videndum tamen est, an casus esset talis, & ex iis, in quibus potest Episcopus proferre censuras contra exemptos saltem vt Legatus Sedis Apostolicæ.

**S**i verò suspensio facta fuit secundo modo per modum reuocationis facultatis concessæ, regula generalis, & communis Doctorum est, vt Episcopus non possit sine rationabili causa noua reuocare approbationem, qua ipsemet Religiosos absolutè, & non solum ad beneplacitum approbavit ad audiendas confessiones, quamuis eius successor possit eos denuò examinare, vt constat ex responso sacre Congregationis, & motu proprio Pij V. de quibus latè dixi *disp. 21. de Penitentia sect. 3. à num. 61.* vbi cum aliis docui, si sine causa sufficienti id fiat, reuocationem illicitam, & inuolidam esse; oportere tamen, & consulendum esse Religiosis, vt Episcopis obedientiam præstent, præsertim cum præsumendum regulariter sit pro sufficientia causæ, quæ tamen difficile subesse potuit in casu præsentis respectu omnium Sacerdotum, cum non omnes cooperari potuerint in consignatione facta illius delinquentis.

## D V B I V M XIX.

*An facultas absoluendi concessa Prælato Regulari transeat ad eius successorem.*

**C**oncessa fuit ad septennium cuidam Titio Regulari, & Prælato quasi Prouinciali, facultas ad dispensandum, & absoluendum à reueruatis Summo Pontifici, cum potestate etiam eandem facultatem communicandi suis subditis. Postea ante finem septennij cessauit Titius à sua Prælatura: quæsitum fuit, an facultates illæ transfrent ad eius successorem in officio.

**R**espondi rem hanc totam pendere, & col. D. Io. Card. de Lugo *Respons. mor.*

ligendam esse ex coniecturis: nam regula illa, quòd concessio intelligatur personalis quando exprimitur nomen personæ, cui conceditur, & è contra intelligatur realis, seu facta officio, quòd exprimitur nomen officij, non est vniuersalis, sed est vltimum remedium, quando aliunde non potest concedentis intentio ex aliis coniecturis indagari, vt in simili fatetur Thomas Sanchez *lib. 8. de matrimonio disput. 27. num. 3.*

Cæterum, si attentis omnibus circumstantiis, res adhuc maneat dubia, nec sit magis præsumptio pro concessione reali, quàm pro personali, nec è contra; probabilior sententia tenet, præsumi personalem, saltem quando nomen personæ exprimitur primo loco, & ante nomen officij, quam tenent multi, quos refert, & sequitur idem Sanchez *vbi supra num. 18. 19. & 20.* quamuis fateatur probabilem alteram sententiam ab ipso relatum *n. 17.* dicentem, quòd in eo dubio præsumitur realis, & transire ad successorem. Addidi tamen, in casu proposito inueniri non leuem coniecturam ad cogitandum, quòd non fuerit concessio personalis, saltem si additum fuit nomen officij, quia cum Titius cessare deberet ab officio multò ante septennium expletum, frustra concederetur ei facultas illa ad septennium, cum constaret non fore vtilem pro persona Titij ad septennium: in dubio autem verba concessionis ita sunt interpretanda, vt concessio sit utilis illi, cui fit, vt obseruauit idem Sanchez *vbi supra num. 21.* Hoc denique certum mihi videtur, quòd scilicet focij, seu subditi illi, quibus Titius, dum erat superior, facultates illas communicauit, eas retinent durante toto illo septennio, etiam si Titius ab officio fuerit amotus, saltem nisi à successore in eodem officio reuocentur; quia communicatio facta fuit tempore habili, nec alia conditio requisita fuit, vt subditis acquirerentur facultates, nisi quòd à Titio eis communicarentur. Quod autem dictum est de cessatione muneris ante finem septennij, hoc idem dicendum est si Titius ante septennium moriatur; parum enim refert, quòd mors, vel alia quæuis causa Titium ab officio remoueat.

\* \* \*

C 3

DVB.



## D V B I V M XX.

*Quid dicendum de facultate ad absolendum, nondum mandata executioni, quando potestas cessat in concedente.*

**N**on est animus examinandi quæstionem illam celebrem, quando facultates concessæ expirent mortuo concedente, vel cessante eius officio, de qua latè Thomas Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 28.* & Suarez *de legibus lib. 8. cap. 31.* & de facultate ad absolendum dixi *disput. 19. de pœnitentia sect. 2. §. 2.* Sed illa doctrina generali supposita, difficultas specialis fuit in casu peculiari subsequenti.

**2.** Titius operâ, & interuentu Seij sui amici, impetrauit apud sacram Pœnitentiariam Romanam facultatem pro foro conscientie componendi se super fructibus aliquibus malè perceptis, & percipiendæ absolutionis ab aliquibus casibus referuatis: quæ facultas concessa fuit Seio pro Confessario nominando ab eodem Seio, ita tamen, vt Titius daret Romæ 40. aureos in eleemosynam, & alios 20. in sua patria: quos omnes Titius conscius largitus est; sed per vndecim menses confessionem, & absolutionem distulit, nec Confessarius à Seio nominatus fuit, quia Titius non vrgebat. Interim Sanctissimus facultatem sacræ Pœnitentiariæ moderatus est, ita vt iam facultatem illam denuò concedere non posset. Quæsitum fuit, an posset adhuc Seius ex facultate antea concessa Confessarium nominare, à quo Titius absolui posset, & liberari à debito fructuum malè perceptorum.

**3.** Res hæc difficultate non carebat, propter communem doctrinam Theologorum, & Canonistarum, qui dicunt, facultates concessas alicui in materia gratiæ ad dispensandum cum persona determinata, expirare morte concedentis, (quod idem est cessante officio, vel potestate concedentis,) saltem quando facultas conceditur in fauorem illius, cum quo est dispensandum, & non illius, qui dispensaturus est. quam doctrinam latè explicat, & probat aliis multis citatis Thomas Sanchez *dicta disput. 28. num. 48. & 64.* & quamuis Suarez *dicto cap. 31. num. 14.* indicet, quòd id non habeat locum in facultatibus spiritualibus, qualis est hæc: fatetur tamen, se non audere id omninò affir-

mare, quia nullum auctorem inuenit pro illa sententia; concedit verò id esse verum, quando facultas illa conceditur directè ipsi pœnitenti, vt possit eligere Confessarium: secus quando conceditur directè alteri, vt possit absoluere, aut dispensare cum illo, vel nominare Confessarium, aut dare illi facultatem, &c. Ex narratione autem supraposita magis videtur facultas concessa posteriori modo, scilicet Seio directè, quàm Titio pœnitenti.

Adhuc tamen probabile mihi, & aliis multis doctissimis viris, qui consulti fuerunt, visum est, quòd in casu posito facultas non expirauerit.

**Primò,** quia ex specie facti colligi videtur, quòd concessio gratiæ facta fuerit directè ipsi etiam Titio pœnitenti, vt indicant verba illa: *Titius opera, & interuentu Seij impetrauit*, &c. atque idè iam ipse Titius acquisiuit ius postquam facultatem sibi concessam acceptauit.

**Secundò,** quia doctrina illa communis in contrarium adducta limitari solet, vt non habeat locum, quando exequutor non est liber, sed necessarius, & idè facultas dispensandi in litteris Pœnitentiariæ demandata non expirat, quia apponitur verbum *mandamus*, per quod fit exequutor necessarius. quam limitationem probat, & exornat Thomas Sanchez *ubi supra num. 87.* Quamuis autem in casu nostro non sit appositum verbum illud *mandamus*: videtur tamen factus minister necessarius, tum per acceptationem officij, iuxta doctrinam aliquorum Doctorum: tum per solutionem pecuniæ, & eleemosynæ, quam Titius ex eiusdem Seij præcepto fecit.

**Tertiò,** quia omnes fatentur, gratiam, & facultatem concessam non expirare, quando res non est integra: prout in casu proposito res non videtur integra, cum Seius processisset ad exactionem pecuniæ, & Titius ad eius solutionem.

**Quartò,** quia doctrina illa communis in contrarium adducta, videtur aliquibus difficilis, & idè Suarez *suprà* citatus inclinat satis in contrarium, & idem expressè docet *Sà verb. dispensatio, n. 6. & verb. gratia, num. 4.* cuius sententiam refert, & non improbat Salas *de legibus disput. 20. sect. 17.* & expressè eam amplectitur Castro Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 16. §. 4.* dicens esse in conscientia securam, licèt contrarium consulendum sit: & idem latè, & doctè probat Basilius Pontius *lib. 8. de matrim. cap. 19. §. 1. num. 5. & 8.*

Nec

**9.** Nec denique obstat videri absurdum, quòd aliquis nunc ex concessione Pœnitentiariæ possit id, quod ipsa Pœnitentiaria non potest, atque adè delegatus possit plusquam ipse delegans. Ad hoc enim respondi in loco citato de pœnitentia *dicta sect. 2. num. vlt.* vbi attuli exempla facultatum, quibus plures Religiones fruuntur ex concessione maioris Pœnitentiarij potentis tunc illas concedere, quas facultates nunc Pœnitentiarius maior concedere non potest, nec idè Religiones, quibus antea concessæ fuerant, illarum vsum amittunt; quoad Summus Pontifex eas non reuocat; solet enim aliquando Summus Pontifex non solum ipsam concedendi potestatem auferre, sed reuocare etiam facultates concessas. Propter hæc ergo probabile visum fuit in casu nostro, Seium posse adhuc Confessarium nominare, à quo Titius absolui, & dispensari posset. Non tamen posset Confessarij facultas à Pœnitentiaria extendi ad componendum super fructibus perceptis post primam concessionem, quia hæc esset iam noua concessio, ad quam non est ampliùs facultas in Pœnitentiaria, vt supponitur.

## D V B I V M XXI.

*Utrum reseruatio casuum facta ab Episcopo, et promulgata à Capitulo Sede vacante, obliget.*

**1.** Episcopus in Synodo Diocesana reseruauit sibi in futurum aliqua peccata, & aliquas censuras. Mortuo Episcopo, Capitulo Sede vacante iussit imprimi hanc casuum reseruationem, vt ad notitiam veniret omnium Confessoriorum: dubitatum fuit, an ea reseruatio vim sufficientem haberet? Aliqui negabant, quia lex non obligat subditos, nisi sufficienter promulgetur, vt cum S. Thoma *1. 2. q. 90. art. 4.* & Caietano *ibi*, tenent Theologi omnes, quos afferunt, & sequuntur Vasquez *ibi disput. 155. cap. 2.* Suarez *de legibus lib. 1. cap. 11.* Molina *tract. 5. de iurisdictione disput. 70.* Sotus *de iustitia lib. 1. q. 1. art. 4.* Nauarrus *in manuali cap. 23. n. 44.* Salas *disput. 1. de legibus sect. 10.* & alij communiter. Synodus autem illa, quæ celebrata fuerat ianuis clausis apud aliquos paucos, nondum viuentis Episcopo fuerat promulgata, atque adè nondum obligabat: ergo nec pars Synodi spectans ad ca-

sus reseruatos, poterat adhuc obligare. Editio autem, seu impressio illius partis facta à Capitulo post mortem Episcopi, non videtur sufficiens ad obligationem inducendam: quia promulgatio inducens obligationem, debet fieri iussu, & auctoritate ipsius legislatoris: nam eiusdem est legem promulgare, cuius est condere; cum ergo lex illa Synodalis facta fuerit ab Episcopo, ab eodem, vel eius iussu deberet promulgari: quod tamen non ita factum fuit, cum eo tempore iam omninò cessasset auctoritas Episcopi defuncti; non ergo fuit promulgatio sufficiens.

Nec satisfacit dicere, quòd Capitulum succedit loco Episcopi tempore Sedis vacantis in iis, quæ pertinent ad iurisdictionem, atque adè promulgationem factam auctoritate Capituli habere eandem vim, ac si ab Episcopo facta fuisset. hoc, inquam, non videtur satisfacere. Primò, quia non omnes concedunt Capitulo potestatem Sede vacante condendi leges, qualem habet Episcopus; id enim negant aliqui, quos affert, & sequitur Salas *disp. 8. de legibus sect. 16. num. 8.* quorum sententiam non esse improbabilem, fatetur Suarez *lib. 4. de legibus cap. 6. num. 17.* Quare non potuit Capitulum Sede vacante dare valorem statuto Synodali, quod ante Episcopi mortem validum nondum fuerat. Secundò, quia etfi Capitulum posset legem reseruationis condere; non tamen videtur vsum tali potestate in casu posito non enim significauit, se legem illam condere auctoritate propria, sed solum iussit, imprimi casus reseruatos sub titulo reseruationis ab Episcopo factæ. Hunc enim solum titulum apposuit folio illi denuò edito, & impresso, his verbis: *Casus, & censura in Synodo N. Diœcesis, habita anno 1637.* vbi tota auctoritas refundi videtur in Synodum, & per consequens in Episcopum, cuius cum iam tunc nulla esset auctoritas, non videtur promulgata lex legislatoris potentis lege sua obligare, quando lex ipsa promulgatur.

Alij tamen volebant, reseruationem illam deinceps obligare; quia si tota Synodus typis edita fuisset, tota Synodus quoad omnia decreta obligaret: eadem autem est ratio totius ad totum, & partis ad partem; ergo pars illa typis edita, & euulgata, obligabit deinceps in Diœcesi.

Addi potest pro hac sententia, quia licèt aliqui pauci negent, posse Capitulum Sede vacante condere leges; communis tamen omnium aliorum sensus est, quòd possit,

possit, prout, docet Suarez *dicto cap. 6.* &, aliis multis relatis, P. Nicolaus Baldellus *rom. 1. disp. moral. lib. 5. disp. 8. num. 7.* imò quamuis id negaretur in ordine ad alias leges, non tamen videtur negari posse de lege reservationis casuum; quia potestas referuandi casus, si attentè consideretur, non videtur distingui à potestate iurisdictionis in foro sacramentali. Qui enim habet in eo foro iurisdictionem ordinariam, quam potest alij delegare, & communicare, potest consequenter eam limitare referuando sibi absolutionem aliquorum casuum, ad quam absolutionem non vult aliis inferioribus communicare potestatem, & iurisdictionem; cum ergo Capitulum Sede vacante habeat plenam iurisdictionem ordinariam in ordine ad forum sacramentale, poterit consequenter eam iurisdictionem in aliis inferioribus ampliare, vel limitare, quod est in rigore referuare Vicario Capituli absolutionem aliquorum casuum, & censurarum.

5 In hac controuersia ego magis inclinaui in primam sententiam, negantem valorem illius reservationis. Ad quod tamen non moueor ex defectu potestatis in Capitulo condendi leges Sede vacante: nam reuera communis ferè omnium sententia eam potestatem in Capitulo agnoscit. Nec videtur posse negari, quòd saltem posset condere statutum aliquod temporale obligans pro tempore Sedis vacantis, siue diceretur lex, siue non diceretur, ob defectum perpetuitatis, in quo posset esse questio de nomine; cum tamen re ipsa constaret de obligatione saltem pro illo tempore. Moueor tamen potissimum ratione supra indicata, quia scilicet Capitulum non visum est vti sua auctoritate ad reservationem illam promulgandam, & eius obligationem inducendam. Neque enim significauit Capitulum, se referuare casuum illorum absolutionem, nec dixit se supplere auctoritatem, quam mortuo ante promulgationem Episcopo non habebat; sed solum fecit illos casus imprimi tanquam ab Episcopo in Synodo Diocesana referuatos, non interposita auctoritate propria Capituli Sede vacante, sed solum commemorata Synodi Diocesanae cum Episcopo. Cum ergo Episcopi auctoritas iam expirasset, non potuit obligatio legis incipere, quando legislator non potest iam præcipere, & obligare. Suppono enim ante promulgationem legem non esse legem, nisi inchoatiuè, nec esse promulgationem solam conditionem, seu ap-

plicationem legis iam præexistentis, sed potius esse partem constitutiua ipsius legis in ratione legis, vt colligitur ex *cap. in istis, dist. 4.* vbi dicitur quòd leges tunc instituuntur, cum promulgantur, & probant Suarez *lib. 1. de legibus cap. 11. num. 6.* Vasquez *1. 2. disput. 55. cap. 2. num. 16.* Baldellus *dicto lib. 5. disp. 13. num. 5.* & alij, & quidquid sit de hoc, fatendum tamen est, promulgationem ad legis obligationem requisitam non esse promulgationem per notitiam priuatam, quam singuli subditi habeant de lege iam facta, etiam si maior subditorum pars eam notitiam haberet, sed debere esse notitiam publicam, hoc est, ortam ex actu solemnem, quo iussu Legislatoris lex publicetur, vt notant communiter Doctores. Ratio autem ex dictis est, quia actus præcipiendi, qualis est lex, includit locutionem, qua Princeps, seu Legislator præcipit, & manifestat subditis suam voluntatem, quod tunc fit quando lex promulgatur. Non potest autem promulgatio esse loquutio Principis, nisi Principis iussu, & auctoritate fiat. Cum ergo Episcopus mortuus non possit iam subditis loqui, aut præcipere, consequens est, vt promulgatio à Capitulo solo facta non possit fieri nomine Episcopi, nec ab eodem Episcopo auctoritatem accipiat; non est ergo promulgatio illa sufficiens ad obligationem inducendam, cum per illam promulgationem nullus superior loquatur, & præcipiat: non etiam Episcopus mortuus, qui iam nunc nec loqui potest, nec præcipere. Non etiam Capitulum, quod licet præcipere posset, non tamen significat se præcipere, nec interponit suam auctoritatem, sed solius Episcopi iam mortui. Defuit ergo promulgatio requisita ad obligandum, nimirum promulgatio facta ab ipso superiore per eandem promulgationem præcipiente.

6 Nec obstat, quod pro secunda sententia obseruauit, Capitulum, esto quòd non posset in vniuersum leges condere Sede vacante, posse tamen referuare absolutionem casuum, quæ reservatio pertinet ad iurisdictionem in foro pœnitentia, quæ plenè residet penes Capitulum. Hoc, inquam, non obstat, quia in primis id ad summum probaret de iis, quibus à Capitulo datur iurisdictione ad confessiones, quales sunt Sacerdotes simplices sæculares, non verò regulares, qui sola approbatione Ordinarij indigent, iurisdictionem verò accipiunt à Summo Pontifice per sua priuilegia, & Bullas Apostolicas: nam licet respectu

respectu horum etiam possit Episcopus referuare casus saltem intra Italiam; controuersum tamen esse potest, an Capitulum id possit facere. Sed quidquid de hoc sit, non apparet in casu præsentem, Capitulum id fecisse, cum non fuerit vsum auctoritate propria ad eos casus referuandos, sed solum eos proposuerit, & ediderit tanquam referuatos auctoritate Episcopi in Synodo Diocesana nondum antea promulgata, vt in facti narratione supponitur.

## D V B I V M XXII.

*An habens facultatem ab Episcopo absoluendi ab omnibus casibus ei referuatis, possit absoluere post concessam licentiam.*

1 **R**atio dubitandi esse potest, quia facultas absoluendi à referuatis non extenditur ad referuanda; quod principium, seu axioma refert Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 3. in principio.* Vnde cum dubitaretur, an facultas concessa in Tridentino Episcopis ad absoluendum in foro conscientie à referuatis occultis, extenderetur ad casus referuatos in Bulla Cœnæ, quæ Bulla post illam concessionem promulgatur de nouo? Gregorius XIII. respondit concessionem illam Tridentini non extendi ad ea, quæ postea referuantur, vt refert Thomas Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 11. num. 26.* idem ergo dicendum erit de facultate qualibet ab Episcopo concessa ad casus referuatos, quòd non extendatur ad reservationes futuras.

2 In contrarium tamen praxis esse videtur Religionum habentium à Sede Apostolica facultatem absoluendi à referuatis Papæ, ex vi quorum priuilegiorum absoluunt indifferentem ab omnibus etiam post illas concessionem referuatis, quando prior facultas non reuocetur totaliter, vel saltem ex parte quoad aliquem, vel aliquos casus particulares. Nam concessio facta verbis generalibus, & quæ non vergit in præiudicium tertij, sed solius concedentis, censetur fauorabilis, & latè interpretanda, & idè Suarez *dicto cap. 21. n. 3.* indicat eiusmodi priuilegia extendi ad reservationes futuras, quia conceduntur vt priuilegia generalia, & perpetua ad omnes casus referuatos. Et postea *num. 4.* id confirmat primò exemplo illius oppidi, quod

Rex eximit in perpetuum ab omni onere: nam etiam si postea onera noua imponerentur, omnia comprehenduntur in illa exemptione generali, vt tradunt Baldus *in l. cum fundus, ff. de legatis 2.* & Couar. *in pract. cap. 2.*

3 Confirmat secundò exemplo Regis, cui Pontifex concessit præsentationem beneficiorum talis Provinciae, vel ciuitatis, quæ facultas extenditur ad beneficia postea erecta, argumento *c. quia circa, de priuilegiis,* quia in beneficiis plenissimè est interpretatio facienda: ergo multò magis in priuilegio, & facultate absoluendi à referuatis: tum quia nouæ reservationes sunt quotidianæ, & idèdè facilius Pontifex creditur de iis cogitasse, quando priuilegium concessit: tum etiam, quia hæc priuilegia data sunt propter magnam, & publicam vtilitatem, scilicet spiritualem, iuxta ea quæ tradunt Ioan. Andr. *in cap. qui sentit, de regul. iuris in 6.* & Panormit. *in cap. quia circa, num. 5.* & Alexand. *lib. 2. consil. consilio 178. num. 21.* Denique confirmat ex vso sequentium Pontificum, qui quando volunt, quòd priuilegia illa non prosint in Ordine ad aliquem casum, quem de nouo referuant, reuocant expressè illas facultates; ergo supponunt, quòd nisi reuocarentur, prodesse ad casum etiam illum de nouo referuatum.

4 Ego dixi, id totum pendere ex intentione concedentis, quæ si aliunde colligatur non esse ita vniuersalis, sed limitata ad casus antea referuatos, non est extendenda ad referuandos. Si tamen id non colligatur ex coniecturis, vel circumstantiis loci, personæ, & alijs, videtur vniuersalis ad reservationes futuras, in quibus explicitè, vel implicitè non reuocetur prior concessio, prout frequenter solet reuocari, addita in reservatione noua clausula derogatoria præcedentium facultatum, quas omnes superior non vult locum habere in illo casu, à quo vult neminem posse absoluere vigore alicuius facultatis antea concessæ.

5 Ultra argumenta verò illa à Suariorum alata, ponderabam ad hoc ipsam facultatem concessam in Bulla Cruciatæ ad eligendum Confessarium approbatum, qui possit absoluere ab omnibus Papæ, vel Ordinariis referuatis: imò & semel etiam in vita, & semel in morte ab omnibus contentis in Bulla Cœnæ, excepta hæresi. Ex vi cuius facultatis nemo dubitauit posse pœnitentem absolui à casibus referuatis Papæ, vel Episcopo, vel etiam in Bulla Cœnæ,

Cœnæ, licet referuatio facta fuerit post concessionem Cruciatæ. Quod idem potest ex Pœnitentiaria colligi, cuius facultates ad futuras etiam referuaciones extendi videntur, nisi fiat in illis reuocatio explicita, vel implicita præcedentium facultatum absoluen- di ab omnibus referuatis. Et quidem mirum est, si aliquis habuisset facul- tatem absoluen- di ab omnibus referuatis etiam in Bulla Cœnæ, & postea refer- uaretur aliquis alius casus extra Bul- lam Cœnæ, Confessarium illum posse adhuc absolueri à casibus Bullæ Cœ- næ, non tamen posse ab illo alio pec- cato denuò referuato, quæ referuatio semper est multò leuior, quàm refer- uatio Bullæ Cœnæ, & facilius conce- ditur facultas absoluen- di ab illo, quàm ab isto.

6 Ratio denique esse potest, quia in- tentio Superioris referuantis hæc sola esse videtur, vt scilicet deinceps facul- tas ordinaria non sufficiat, nec vllus ab eo casu absoluat, nisi Superior, vel ha- bens specialem facultatem à Superiore referuante, vel ab eius Superiore: non ergo excluditur ille, qui iam habet facul- tatem eiusdem Superioris ad absol- uendum ab omnibus referuatis eidem Su- periori.

7 Nec obstat responsio illa Grego- rij X I I I. supra citata, & relata à Thoma Sanchez: nam etiam si de illa responsione constaret, casus tamen est diuersus, nam ibi agebatur de referua- tis in Bulla Cœnæ promulgata post con- cessionem facultatis, in qua Bulla non ponitur mera referuatio, sed cum de- rogatione explicita omnium facultatum præcedentium, etiam si in Concilio ge- nerali concessæ fuissent: ex quibus ver- bis colligi videtur derogatio facultatis Episcopis in Tridentino concessæ, vt cum communi probauit *disputat. 23. de fide, sect. 3. §. 1.* nunc autem loquimur de referuacione noua simplici, quæ fiat sine derogatione explicita, vel implicita facultatum specialium præce- dentium.

\*.\*

D V B I V M XXIII.

*Utrum cessante approbatione, cesset etiam facultas ad casus referuatos, ita vt per subsequentem approbationem non reuiuiscat.*

**T**ritius Sacerdos Regularis approbatus fuit ab Episcopo ad annum: rursus ab eodem Episcopo habuit facultatem absoluen- di à referuatis. Transacto anno cessauit approbatio, & indiguit noua approbatione. Quæsitum fuit, an indige- ret noua etiam concessione ad casus referuatos, an verò præcedens concessio subsequuta noua approbatione reuiuisceret.

Ratio dubitandi erat, quia accessorium sequitur statum principalis, & destructo fundamento, omnia alia destruuntur, nec potest facultas perseverare in subiecto incapaci. Sacerdos autem non approbatus redditus est à Concilio Tridentino incapax iurisdictionis accipiendæ ad audien- das confessiones; & hæc approbatio est fundamentum requisitum ad accipien- dam iurisdictionem in eo foro: si ergo transacto anno deficit approbatio, non poterit amplius perseverare iurisdictione, & facultas delegata ad absoluen- dum à referuatis, cuius iurisdictionis incapax est Sacerdos non approbatus.

Respondi tamen, reuiuiscere concessionem ad casus referuatos, habita noua approbatione annua, sed seorsim diuerso tempore. Nam ex natura rei non repugnat, nec etiam ex lege positua quòd alicui Sacerdoti concedatur iurisdictione ad confessiones, antequam sit approbatus, licet non possit ante approbationem exercere illam iurisdictionem; sic enim praxis habet, quòd Generalis Societatis IESU suis Sacerdotibus communicet iuxta sua priuilegia ea ipsa die, qua Sacerdotibus fiunt plures facultates circa vota, & peccata suorum pœnitentium, quibus facultatibus vti non possunt, antequam ab Ordinario approbentur. Nec necesse est quòd Generalis denuò eis concedat illas facultates, quoties cessante prima approbatione indigent noua Ordinarij approbatione ad audiendas confessiones, sed semper perseverat illa communicatio facultatum, impedita tamen quandiu non

non sunt approbati; imò potest hoc ipsum concedi iis antequam fiant Sacerdotes: sicut si Pontifex concederet Titio nondum Sacerdoti, vt ~~Titio~~ Sacerdos posset, quoties celebraret, animam defuncti à Purgatorio liberare, concessio valet, licet maneat impedita ante Sacerdotium: nam conceditur id ex nunc pro tunc. Similiter ergo potest facultas ad casus referuatos concedi Sacerdoti nondum approbato, vt posita approbatione habeat suum effectum: quare sicut potest incipere ante approbationem, sic potest cessante approbatione perseverare, vt approbatione redeunte, maneat etiam facultas illa expedita ad suum effectum habendum. Imò hoc modo videtur concedi à Summo Pontifice Regularibus facultas, & iurisdictione ad confessiones audiendas, & ad absoluen- dum ab aliquibus casibus referuatis, nempe vt non possit executioni mandari, donec sint approbati ab Ordinario, & cessante approbatione, cesset vsus illius facultatis, & reuiuiscante approbatione reuiuiscat. Eodem ergo modo poterit Episcopus dare facultates ad casus sibi referuatos, nimirum stante approbatione eiusdem Episcopi. Itaque loquendo de possibili, non est dubium quòd possit ita concedi, vt non expiret cessante prima approbatione: solum potest esse difficultas, an de facto ea sit intentio concedentis, an potius solum concedat eam facultatem, sicut & approbationem pro tempore determinato, quandiu durat prior approbatio.

4 Hoc autem videtur omninò ex circumstantiis indagandum. Et quidem si simul cum approbatione concedatur ea facultas ad casus referuatos, non leuis est coniectura, quòd vtraque concedatur cum eadem temporis limitatione. Si verò seorsim, & tempore diuerso ante approbationem detur ex tunc facultas ad referuata, non videtur dependens à limitatione temporis, quæ postea in approbatione apponitur, sed dari pro eo tempore, pro quo fuerit postea approbatus, siue approbatio subsequuta fuerit vnica perpetua, siue multiplex renouata. Maior difficultas esse posset, si concessio facultatis ad referuata fiat tempore sequenti, postquam iam Sacerdos mense præterito fuit approbatus ad annum. Nec tamen tunc videtur præsumenda limitata hæc secunda concessio, si verisimile sit concedentem non recordari tunc limitationis annuæ antea in approbatione appositæ. Denique absolutè illa temporis interruptio affert magnam coniectu-

ram, quòd secunda concessio non sit ad tempus, sed absoluta pro omni tempore, quo Confessarius inueniatur approbatus, siue ex præcedenti approbatione, siue ex eius renouatione. Nam si biduo ante finem illius anni, quo durat præcedens approbatio, Confessarius petat, & obtineat ab Episcopo facultatem absoluen- di pœnitentem quemdam à referuatis, durabit proculdubio ea facultas, etiam si pœnitens illo biduo non potuerit confiteri, ita vt renouata post biduum approbatione pro anno sequenti possit Confessarius absolueri pœnitentem illum à referuatis absque alia noua concessione: nec credo aliquem in dubium illam facultatem reuocaturum. Idem ergo erit præsumendum, licet facultas non fuerit petita pro vno pœnitente, sed pro omnibus vniuersaliter; in vtroque enim casu facultas videtur concedi suppositis terminis habilibus, nempe quòd Confessarius sit approbatus, siue ex vi approbationis præsentis, siue ex approbatione postea concedenda, vel renouanda. Concedi enim videtur eo modo, quo Summus Pontifex similes facultates concedere solet Regularibus, vt possint absolueri ab aliquibus referuatis, dummodò approbati sint ab Ordinario, quando facultatibus illis vtentur.

D V B I V M XXIV.

*De eo, qui post concessionem illimitatam ad referuata, obtinet aliam magis limitatam.*

**T**ritius Sacerdos facultatem obtinuerat ab Episcopo absque vlla limitatione ad casus referuatos suæ Diocesis; postea eandem facultatem, immemor fortasse prioris concessionis, ab Episcopo petiit, qui eam tunc concessit cum aliqua restitutione, & limitatione. Quæsitum fuit, an hæc secunda concessio limitauerit primam, ita vt Sacerdos memor postea prioris concessionis, non possit ea vti, nisi cum illa restitutione, & limitatione. Ratio dubitandi esse potest, quia in primis posteriorem gratiam impetrans eo ipso videtur renuntiare priori, vt in simili de dispensatione secunda magis limitata impetrata dixerunt aliqui, quos affert Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim disp. 22. num. 16.* Deinde, quia priuilegio posteriori magis limitato videtur reuocari illimitatio prioris.

Denique quia videtur esse regula gene-  
ralis,



ralis, vt secunda dispensatio non facta ab impetrante mentione prioris censeatur subreptitia, de qua regula latè idem Sanchez *ibi num. 2. & sequentibus.*

3 Dixi tamen, regulariter non cenferi reuocatam primam concessionem illimitatam, sed adhuc, quandiu non sunt indicia alia voluntatis reuocandi, posse impetrantem illà vt. quod in simili docuit idem Sanchez *ibi dicto num. 16.* vbi loquitur de eo, qui impetrauit dispensationem, & ob aliquos scrupulos sibi obiectos iterum impetrauit aliam, quæ concessa est cum aliquibus moderationibus; postea verò cum certior factus esset de valore prioris, respondit Sanchez, posse adhuc illà vt; quia petendo secundam, non videtur regulariter priori renunciare. quod idem in nostro casu dicendum videtur, cum Confessarius nullo modo voluerit priorem concessionem amittere, imò ad illam facultatem magis certificandam voluit secundam concessionem habere.

4 Sed neque ex parte concedentis arguitur reuocatio prioris concessionis ex limitatione addita in posteriori. Aliud enim est nunc non concedere quantum antea concesserat; aliud reuocare posituè concessionem factam: nec semper superior est æquè dispositus ad concedendum, nec ex hac inæquali dispositione sequitur, vt eo ipso quòd si nunc rogaretur, non concederet, censeatur reuocare: nam *turpius eicitur, quam non admittitur hospes, & durius est auferre quod concessisti, quam non concedere quod petitur.* Alioquin etiam si diuersa esset persona æqualis meriti, cui nunc facultas denegatur, vel limitatur, argueretur reuocata, vel limitata concessio facta prius alteri personæ æqualis meriti, quod nemo dicet. Imò sæpe Pontifices cautiore, vel rigidiores facti negant, vel limitant gratias denuò petentibus, quas antea largiùs, & liberaliùs concedebant aliis; quibus tamen non idèd censentur reuocata, vel limitata, nisi hoc etiam explicetur. Idèd tamen dixi, *regulariter* non intelligi reuocatam priorem concessionem, quia cum id totum pendeat ex circumstantiis, ex quibus indaganda est intentio Superioris; fatendum est posse aliquando circumstantias esse tales, vt limitatio addita posteriori concessioni præiudicet priori. Nam in primis potest taliter Superior illam limitationem apponere, vt explicitè, vel implicitè significet, se semper limitationem illam in tali concessione subintelligisse, nec vnquam intentionem

habuisse concedendi facultatem absque illa limitatione. Quare iam subditus deinde erit in mala fide, ne possit absque illa limitatione concessionem priorem intelligere, cum auctor ipse protestetur se talem limitationem subintelligisse. Hoc ipsum dicendum erit, si in secunda concessione limitata Superior addat verba excludentia vsum illimitatum: vt si, v.g. dicat, *Nolo aliter absolvas, prohibeo vsum amplioem*, aut alia verba similia, quæ videntur afferre secum reuocationem saltem implicitam, & hanc intimatam sufficienter ipsi priuilegiato.

#### D V B I V M X X V.

*An possit Confessarius absolvere adueniente peccati reservatione post inceptam confessionem.*

T Itius cœpit confiteri, & confessus est aliquod peccatum, quod tunc non erat reseruatum, sed quia oportuit confessionem post aliquot dies interrumpi, & continuari, interim peccatum illud reseruatum fuit: quæsitum fuit, an Confessarius, cui licentia delegata fuerat simpliciter ad audiendas Confessiones, absque noua facultate possit ab eo peccato absolvere. Ratio dubitandi erat, quia reseruatio non attenditur in ordine ad peccatum pro tempore, quo committitur, sed pro tempore, quo absoluitur: quare postquam commissum est, potest reseruari etiam absolutio; sicut è contra, licèt esset reseruatum, quando commissum est, potest non esse ampliùs reseruatum quando absoluitur, ablata iam à Superiori reservatione præterita. Ratio autem à priori est, quia reseruatio non est aliud, quam negatio, vel ablatio iurisdictionis, quam Superior potest inferiori Sacerdoti negare, vel collatam auferre, & ablata iurisdictione, eo ipso peccati absolutio remanet reseruata Superiori. Cum ergo in casu nostro tempore absolutionis ablata fuisset iam Confessario ordinario à Prælato superiori iurisdictione, & potestas, non videtur prodesse, quòd peccatum antea non esset reseruatum, si tamen tempore absolutionis conferendæ iam erat reseruatam ablata inferiori Confessario iurisdictione, & potestate ad absoluendum ab illo peccato. Vnde aliqui dicunt, eum qui cum iurisdictione delegata cœpit audire confessionem,

nem, non posse absolvere, si ante absolutionem expiret delegatio; vel saltem id esse probabile, ita Petrus Ledesma *in summa cap. 2. de Sacramento Pœnitentia, post 5. conclusionem, & Zambrano de casibus in articulo mortis, cap. 4. dub. 5. num. 4.*

2 In casu tamen proposito dixi, probabile esse potuisse Confessarium absolvere absque alia facultate obtenta; est enim doctrina communis Theologorum, & Iuristarum, quòd iurisdictione semel habita prorogatur in iudice delegato incepta semel causâ in eius foro. quam doctrinam in foro Sacramenti Pœnitentiæ locum regulariter habere, dixi cum aliis *disputat. 18. de pœnitentia, sect. 2. numero 33. & disputat. 19. sect. 2. numero 24. & disputat. 20. numer. 131. & videri possunt Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio, disputat. 15. numer. 17. & lib. 2. in Detalog. cap. 13. numer. 15. & lib. 4. cap. 54. numer. 34.* qui in iis locis alios affert, & Eman. Roder. *in Bullam Cruciatam. §. 5. numer. 2. Acolta ibidem quest. 36. Villalobos in summa tractat. 27. clausula 4. numer. 12. Diana 1. p. tract. de Bulla Cruciatâ resolut. 94. & colligitur ex cap. gratum, & cap. relatum, de officio delegati.* qui auctores licèt non loquantur de nostro casu in eisdem terminis, videntur tamen loqui in æquivalentibus, nempe de Sacerdote simplici habente iurisdictionem in articulo mortis ob defectum Confessarij approbati, vel proprij Pastoris, quo casu si incepta confessione adueniat Sacerdos approbatus, potest adhuc Sacerdos simplex persequi, quia causa incepta est: vel quando ex Cruciatâ durante anno, poterat aliquis absolvere, & cœpit audire Confessionem, quæ ob legitimum impedimentum non potest perfici, nisi transacto anno Cruciatæ.

Qui casus videtur esse similis nostro, quia, per se loquendo, finitur etiam iurisdictione Confessarij, & solum prorogatur, eo quòd causa sit iam incepta.

Parum enim videtur referre, quòd iurisdictione cesset per negationem, quatenus non fuit concessa ab initio, nisi pro tali articulo, & tempore, vel quòd cesset per reservationem peccati, & ablationem positiuam: cum in vtroque casu Confessarius initio Confessionis habue-

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

rit iurisdictionem ad ea peccata, & illa in tempore habili fuerint iam subiecta clauibus, & deducta, ac prolata coram legitimo iudice habente tunc iurisdictionem sufficientem ad illa soluenda: essetque onus graue pœnitenti, quòd Sacerdos haberet tunc iurisdictionem dependentem à conditione futura, atque adèd cogereretur iterum eadem peccata confiteri, quæ ratio ponderatur ab aliquibus ex prædictis Doctoribus.

#### D V B I V M X X V I.

*An teneatur Confessarius semper absolvere pœnitentem, cuius confessionem audiuit, & ad hoc amplecti opinionem probabilem benigniorem.*

D E hoc egi *disputat. 22. de pœnitentia, sect. 2. §. 2.* vbi dixi, debere Confessarium absolvere, siue is sit Confessarius ex officio, vt Parochus, siue sit spontaneus, quales sunt Religiosi, & alij similes, qui possunt, sed non debent audire confessiones.

Circa illam tamen doctrinam vir aliquis doctus dubitauit, quasi videretur nimis graue onus Confessarij, qui, si debet consentire pœnitenti, eumque absolvere, quoties ipse opinione probabili se potest tueri, tenebitur vtrique semper in praxim deducere omnes probabiles opiniones laxiores in fauorem pœnitentis.

Nam, licèt pœnitens id explicitè non petat, semper tamen implicitè, & interpretatiuè petit, & præsumitur velle meliori modo, quo possit absolutionem obtinere. Vnde videretur idem Confessarius consequenter obligatus ad habendam notitiam omnium opinionum probabilium laxiorum, quæ in fauorem pœnitentis facere possunt: quarum vsum, vt diximus, pœnitens tacitè, & implicitè à Confessario exposcit, quæ omnia graue admodum onus Confessario videntur afferre.

Cæterum, vt ab vltimo incipiam, non est hac de causa obligandus Confessarius ad notitiam omnium opinionum probabilium, sed ad eam scientiam, quam me-

D diocriter

diocriter docti communiter habent; sicut nec Aduocatus, Iudex, Medicus, aut artifices etiam, obligantur ad summam, & exquisitam scientiam, & peritiam in sua professione, sed ad mediocrem iuxta gradum sui muneris, & conditionis. Nam, sicut ægror in morbo suo non exigit à Medico communi, nisi notitiam communem medicamentorum, & morborum, si autem difficiliore medicina indigeat propter morbi alicuius singularitatem, & difficultatem, peritiorem Medicum accersit, à quo maiorem exigit peritiam, quia se doctiorem proficitur, & maiora stipendia petit: sic pœnitens à Confessario obuius non debet exigere, nisi notitiam communem de peccatis communibus, & communibus etiam opinionibus; si verò subtiliora remedia desideret, adeat Confessarium doctiorem. Itaque ex hoc capite non debemus Confessarium obligare ad notitiam omnium opinionum probabilium, quæ conducere possint ad absolutionem pœnitenti conferendam.

3 Quoad opiniones verò, quarum iam Confessarius notitiam habet, distinguendum videtur. Aliæ enim sunt opiniones, quæ tenent se solum ex parte pœnitentis, v. gr. an pœnitens teneatur in tali casu ad restituendum, an possit celebrare talem contractum, an debeat acceptare talem pœnitentiam. Et in his, ac similibus casibus puto, Confessarium debere amplecti opinionem pœnitentis, si probabilis sit, & eam absoluerit, vt dixi *disputat. 21. de pœnitentia sect. 2. num. 39.* Ratio autem est, quia, licet Confessarius voluntarius possit non audire confessionem, postquam tamen eam audiuit, iam pœnitens ius certum acquisiuit ad sententiam obrinendam, nec potest Confessarius hoc ius lædere, & absolutionem negare, si inuenit pœnitentem benè, & legitimè dispositum ad absolutionem obtinendam. Est autem pœnitens sufficienter dispositus ad absolutionem, licet amplectendo opinionem probabiliorum; nolit aliquam occasionem relinquere, vel aliquid restituere, &c. quia cum hac voluntate potest stare dolor de peccatis præteritis, & propositum efficaciter non peccandi, sed seruandi omnia Dei præcepta. Obseruat enim sufficienter Dei præceptum, qui sequendo probabilem sententiam, omittit aliquid, ad quod iuxta probabilem Doctorum sententiam iudicat se diuino, vel humano præcepto non obligari. quod multò magis locum habet in Confessario

proprio, qui ex officio tenetur confessionem subditi audire. Vnde nec ipse Summus Pontifex posset absolutionem negare ad ipsum recurrenti, eo quòd pœnitens nolit aliquid exequi; si tamen pœnitens iuxta probabilem Doctorum sententiam ad id exequendum, & obediendum non sit obligatus. Nam tunc pœnitens est sufficienter dispositus ad absolutionem, quam Pontifex tenetur ei conferre, vel si nolit totam confessionem audire, tenetur delegare facultatem alteri Confessario, ad quem pœnitens recurrat.

Ratio autem à priori fundatur in huius 4 Sacramenti institutione, quod Christus Dominus ita instituit, vt sicut subditi tenentur ad confitenda sua peccata graui proprio Pastori, ita Pastor teneatur iudicium legitimum in eo foro exercere, & retinere peccata, si pœnitens non sit sufficienter dispositus, vel soluere, si bene dispositus sit: nec enim pro mero arbitrio iudicium exercere possunt, sed iuxta merita causæ, quæ obligatio annexa est iudicis officio, quod in hoc Sacramento Confessarius habet ex Christi institutione. Cum ergo in casu nostro pœnitens sit benè dispositus, & dolorem habeat, atque propositum firmum obseruandi omnia præcepta, non poterit Confessarius negare illi absolutionem, eo quòd non velit sequi opinionem rigidiorum ipsius Confessarij, quam sequi non tenetur pœnitens, sed sufficit, si operetur iuxta sententiam probabilem aliorum Doctorum.

Si verò sermo sit de opinionibus, quæ 5 non tenent se ex parte pœnitentis, sed potius ex parte Confessarij, aliter dicendum est; quia sicut pœnitens potest amplecti sententiam probabilem circa suam obligationem, sic etiam Confessarius circa obligationem suam amplecti poterit probabilem sententiam.

Quare, si sint duæ Doctorum sententiarum, quarum altera negat, altera affirmat Confessarium posse in talibus circumstantiis negare absolutionem pœnitenti, & vtraque sit probabilis; poterit Confessarius amplecti sententiam probabilem affirmantem, & absolutionem negare: quia iam in illo actu operatur iuxta probabilem sententiam, nec lædit ius aliquod certum, quod pœnitens habeat ad absolutionem obrinendam, cum solum sit probabilis obligatio illum absolueri, in quo apparet differentia à puncto præcedenti; quando enim

enim opinio tenet se ex parte pœnitentis, qui in sua operatione amplecti vult opinionem probabilem sibi fauorabilem, pœnitens habet ius certum ad absolutionem: quamuis enim non sit certa, sed solum probabilis sententia, quam vult amplecti; certum tamen est practicè, ipsum satisfacere suo debito operando iuxta sententiam probabilem, atque aded ex hoc capite ipsum inueniri sufficienter dispositum ad absolutionem: in secundo autem casu pœnitens non habet ius certum ad absolutionem, quia Confessarius probabiliter iudicat, in talibus circumstantiis non esse obligationem conferendæ absolutionis, & ided, per se loquendo, poterit practicè illam negare.

7 Dixi tamen *per se loquendo*: quia per accidens tenebitur aliquando etiam in iis casibus Confessarius absoluerit, v. gr. si pœnitens sit in mortis articulo, & non sit alius Confessarius, tenebitur ipse ex charitate non negare absolutionem, quam iuxta probabilem saltem sententiam debet, vel potest conferre. Cum enim prodesse possit pœnitenti, non potest, salua charitate, illum in tali necessitate derelinquere sine remedio, quod licitè potest illi impendere. Rursus idem à fortiori dicendum erit, quando Confessarius audita confessione dubitat de iurisdictione, vel approbatione sua requisita ad valorem absolutionis. Si enim certum sit, quod multi Theologi dicunt, stante probabili sententia de iurisdictione, vel approbatione sua requisita ad valorem absolutionis, absolutionem validè conferri, eo quòd Ecclesia suppleat tunc defectum iurisdictionis, etiam si sententia illa probabilis falsa esset; iam tunc pœnitens censeretur habere certum ius ad absolutionem obtinendam, quia Sacerdos haberet iam tunc non dubiam, sed certam potestatem ad validè absolueri, atque aded per accidens deberet non negare absolutionem, quia iam non esset probabilis earentia iurisdictionis. quod in aliis similibus casibus dicendum erit.

#### D V B I V M XXVII.

*An Confessarius ordinarius Regularium possit eos absoluerit à reseruatibus Papæ.*

1 Non est questio, quando Summus Pontifex ita reseruat sibi aliquod

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

peccatum, vt nolit etiam Regulares absolui posse à suis Prælatibus sine noua ipsius Pontificis facultate: tunc enim certum est, sicut nec ipse Prælati Regularis absoluerit potest, sic nec Confessarium ordinarium posse Regulares absoluerit, cum hic totam suam facultatem accipiat delegatam ab ipso Prælati Regulari, qui non potest Confessario communicare potestatem, quam ipse non habet.

Quare idem dicendum est, quando licet Prælati alicuius ordinis habuissent antea ex priuilegio Pontificio facultatem absolueri subditos ab omnibus Papæ reseruatibus, quale (nonnullis casibus exceptis,) habuerunt olim plures Ordines Mendicantes; postea tamen Recentiores Pontifices facultatem illam reuocarunt, reuocando, vel addendo reseruationem cum clausula reuocatoria efficaci omnium facultatum ad absolueri antea concessarum: iam enim ex tunc nec Prælati ipse absoluerit posset, atque ided multò minùs Confessarius ordinarius ab ipso delegatus.

Dubium solum procedit, quando 2 in Ordine aliquo Regulari remaneret ex priuilegio Pontificio facultas in Prælati ad absolueri subditos ab aliquibus peccatis, vel censuris Summo Pontifici reseruatibus, an eo ipso quòd instituat aliquis Confessarius ordinarius in aliquo Conuentu, censeatur Prælati communicare illi facultatem absolueri etiam à peccatis Papæ reseruatibus, à quibus Prælati ipse posset suos subditos absolueri; an verò peccata illa censeantur adhuc manere Prælati reseruata.

Nec hoc dubium procedit, quando facultas Pontificia concessa esset limitata, vt Prælati *per se ipsos* absoluerit possent; tunc enim non possent, etiam si vellent, eam facultatem Confessario ordinario delegare: sed dubium procedit, quando facultas Prælati concessa fuisset absque ea limitatione, & ita vt possent iure suo eam alteri delegare.

Totum hoc pendet ex intentione Prælatorum, quæ ex variis circumstantiis in singulis Ordinibus religiosi indaganda est. Dubium autem hoc propositum fuit aliquoties in Societate I E S V, ad quod non semel in ea responderi debui, quod meum

meum responsum redditum fuit à R. P. Mutio Vitellesco Generali, & transmissum ad Prouincias, vnde dubium illud proponebatur. Quare miror P. Antonium de Quintanadueñas tom. 1. *singularem Theologia moralis tract. 3. singulari 19. numer. 4.* affirmatiuè ad hoc dubium respondisse. Dixi autem semper, peccata illa in dicta Societate remanere referuata soli Superiori, nec eorum absolutionem censi communicatam Confessario ordinario sine alia magis speciali delegatione: quod postea in eisdem terminis responsum inueni apud Suarez tom. 4. *de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 22. numero 17.*

Ratio autem dubitandi desumi poterat ex eo, quòd in Societate duplex est catalogus casuum referuatorum, à quibus ordinarius Confessarius absolueri non potest sine speciali facultate Superioris. Alter continet casus illos, quos Clemens VIII. suo decreto permisit in omnibus Religionibus referuari Superioribus: alter addit alios casus, quorum absolutionem Congregatio generalis eiusdem Societatis referuauit eisdem Superioribus iuxta concessionem eiusdem Clementis VIII. qui permisit alios insuper casus referuari posse, quos Capitulum generale cuiuslibet Ordinis referuandos censuerit. In neutro autem horum catalogorum referuantur casus Pontificij, à quibus Prælatus potest absolueri: non ergo censentur referuari Superioribus, sed eorum absolutio videtur Confessario commissa, cui sola aliorum peccatorum ibi contentorum absolutio prohibetur.

Merito tamen Suarez hos etiam casus dixit referuatos intelligi Superioribus. quod probat ipse ex eo quòd, in rigore loquendo, hi casus Pontificij non referuantur à Superiore Societatis, sed à Summo Pontifice, qui sibi illos referuat, & postea committit Prælatis, vt possint subditos ab iis absolueri: non est ergo necesse, quòd Prælati Regulares sibi illorum absolutionem referuent: iam enim sunt à Pontifice referuati; sed sufficit, quòd Prælatus non committat specialiter Confessario ordinario facultatem ab iis absolueri, quod in rigore non est referuare, sed non communicare facultatem sibi specialiter à Pontifice commissam. Quare Confessarius non poterit ab iis absolueri, non quidem, quia Prælati Regulares eos casus sibi referuarunt; sed quia

Pontifex illos sibi referuauit, nec voluit absolui, nisi à Prælato, vel ab eo cui Prælatus id positiuè commiserit. Quandiu ergo Prælatus id positiuè non committit, manent referuati Pontifici, & Prælato regulari ex vi folius referuationis à Pontifice factæ.

Vnde addit idem Suarez, licet concedat Superior Societatis facultatem Confessario absolueri à referuatis, non intelligi concessam ad hos casus Pontificios, à quibus ipse Superior potuisset absolueri; quia referuatio horum casuum est altioris ordinis, & non comprehenditur sub generali concessione, sicut nec Episcopus concedens facultatem ad casus referuatos, intelligitur concedere ad casus Pontificios, à quibus aliquando Episcopus potest absolueri, nec ipse Pontifex concedens facultatem absolueri à sibi referuatis, censetur concedere ad casus Bullæ Cœnæ, quorum referuatio altioris ordinis est. Similiter ergo Prælatus Societatis non intelligitur, hos casus Pontificios comprehendere in facultate generali ad casus referuatos, nisi specialiter eos exprimat, vel vtatur verbis ita generalibus, vt mentem suam explicet sufficienter, & intentionem hos etiam casus comprehendendi.

Addideram ego argumenta alia ad idem probandum.

Primum potest esse ab absurdo; quia si Confessarius ordinarius posset in Societate absolueri à casibus Pontificiis, sequeretur quòd si vnus ex Societate trucidaret, & occideret suum Prouincialem, posset absque alia facultate absolui à suo Confessario ordinario. Si autem percuteret sæcularem vulnere non admodum graui, non posset à Confessario absolui sine speciali facultate Superioris, quod certè maximum esset absurdum. Sequela verò probatur, quia quælibet percussio grauis, est casus referuatus in Societate; quare qui quolibet modo percuteret grauius sæcularem, non posset absolui à Confessario ordinario: percussio autem, & occisio Prouincialis est referuata Summo Pontifici, nec potest Prælatus inferior referuare sibi casus, quos Summus Pontifex sibi referuat, quod intelligi debet saltem quoad absolutionem peccati, quidquid sit, an possit Prælatus inferior addere excommunicationem sibi referuatam vltra excommunicationem latam à Summo Pontifice, de quo cum Suarior, & aliis dixi *disputat. 20. de penitentia*

*penitentia sect. 8. numer. 149. & sequentibus.* Si ergo Confessarius ordinarius potest absolueri à peccatis Summo Pontifici referuatis, posset etiam absolueri ab illa occisione Prouincialis, non tamen posset absolueri à vulnere inflictò alicui sæculari, quod peccatum non est referuatum Summo Pontifici, sed Prælato Societatis, quod tamen ex se apparet maximum absurdum.

Ratio verò à priori colligi potest ex intentione Prælatorum Societatis, qui nullo modo intendunt eiusmodi facultatem Confessario ordinario communicare. quod constare potest primò ex compendio priuilegiorum Societatis *verb. absolutio. §. 6.* vbi relata facultate, quam ex Pontificiis priuilegiis habet Præpositus Generalis ad absolueri subditos per se, vel per alios ab aliquibus peccatis referuatis Sedi Apostolicæ, subdit statim Generalis: *Communicatur hæc facultas Superioribus, & iis, quibus ipsi commiserint.* Non ergo communicatur omnibus Confessariis eo ipso quòd deputentur Confessarij ordinarij alicuius Collegij, vel domus: alioquin in prædicto loco adderetur, & explicaretur communicari omnibus Confessariis, sicut additur, & explicatur in aliis locis eiusdem compendij, vt in *verb. dispensatio. §. 2. & in verb. Confessarius. §. 6.* Deinde secundò id constat, quia in referuatione casuum Societatis, à quibus Confessarius ordinarius absolueri non potest sine licentia Superioris speciali, non apponuntur alia verba, sed eadem omnino, vt habetur in *decreto § 1. Congregationis quintæ Generalis*, vbi dicitur, *Ab his casibus non licet absque licentia expressa Superioris Domus, vel Collegij absolueri;* ex quibus verbis omnes pro comperto habent, Confessarium ordinarium non posse absque noua facultate Superioris ab iis casibus absolueri. Eadem autem verba sunt, quibus absolutio à casibus Pontificiis referuatur Superioribus, nam dicto loco compendij *verb. absolutio. §. 6.* vt supra vidimus, dicitur, *communicatur hæc facultas Superioribus, & iis quibus ipsi commiserint.* Sicut ergo alij casus non censentur concessi Confessario ordinario, quia soli Superiores, & alij de eorum licentia absolueri possunt, idem dicendum erit de casibus Pontificiis, quorum absolutio similiter exprimitur competere solis Superioribus, & aliis ex eorum commissione, & licentia.

Vnde constat iam responsio ad rationem dubitandi propositam ex eo quòd

*D Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

casus illi Pontificij non inueniantur expressi in catalogo casuum referuatorum in Societate, atque idè censetur concessa eorum absolutio Confessario ordinario, cui aliorum solùm casuum enumeratorum facultas denegatur. Respondetur enim ex dictis, hos casus Pontificios non esse referuatos in Societate ex vi referuationis ab eadem Societate factæ, sed esse referuatos à Summo Pontifice, qui tamen pro aliquibus ex iis facultatem concessit Prælato regulari, qui eam etiam potest delegare. Prælatus itaque regularis non referuat sibi illos casus, sed solùm se habet negatiuè non communicandò facultatem absolueri, quam habet à Summo Pontifice, qui eos sibi referuauit; quare non oportuit eos casus enumerare in catalogo referuatorum, in quo illi soli enumerantur, qui ab ipsa Societate referuantur, non quos Summus Pontifex sibi referuat.

Dicit aliquis, Confessarium ordinarium substitui loco Superioris in foro sacramentali, ne subditi cogantur confiteri Prælato: quare Prælatus censetur ei suas vices in foro sacramentali committere, nisi aliquid expressè sibi referuet. Sed contrà, quia Episcopus etiam facultatem tribuit Sacerdotibus inferioribus audiendi confessiones suarum ouium, ne subditi omnes cogantur suo Episcopo confiteri: & tamen non ideo censetur Episcopus concedere facultatem absolueri à casibus Pontificiis, à quibus in aliquibus circumstantiis potest Episcopus per se, vel per alios absolueri. Sic deputatur Confessarius ordinarius in Societate, sicut Parochus, vel alij Sacerdotes, quibus Episcopus concedit facultatem audiendi confessiones, nimirum ad ea peccata, & censuras, quæ nec de iure, nec de facto Superioribus referuantur.

Vrgebit tandem aliquis, quia Confessarius ille ordinarius alicuius Collegij, si sit ab Ordinario approbatus, potest iuxta Societatis priuilegia absolueri à multis casibus Pontificiis, verbi gratia, à percussione clerici, & similibus. Sicut ergo potest sæculares ab iis peccatis absolueri, cur non poterit absolueri Religiosum Societatis, cum deputatus sit ad eorum Religiosorum confessiones audiendas, non minùs, quàm ad confessiones sæcularium? Respondet, hoc argumentum probare nimirum: nam potest etiam sæculares absolueri



uere à peccatis furti, fornicationis, &c. & tamen Religiosos Societatis non potest absolvere, quorum hæc peccata referuata sunt Superiori. Non ergo mirum, quòd non possit absolvere eosdem à casibus Pontificiis, quorum absolutionem Pontifex sibi referuat, & solis Superioribus committit. Quamuis enim Confessarius Societatis approbatus ab Ordinario possit sæculares ab aliquibus casibus Pontificiis absolvere: id tamen est, quia Præpositus Generalis hanc eis facultatem communicat in ordine ad pœnitentes sæculares: quam facultatem in ordine ad pœnitentes regulares eis non communicat, sed expressè negat, vt constat ex dicto compendio priuilegiorum, *verb. absolutio* §. 1. *in fine*, ubi expressè declaratur, quòd Confessarij Societatis non possunt absolvere Religiosos, qui licentiam non habent à suis Prælati extra Ordinem confitendi. Cùm ergo Religiosi Societatis non habeant talem licentiam, non potest Confessarius ordinarius eos virtute illius priuilegij à casibus Pontificiis absolvere, sicut nec possunt cæteri Confessarij Societatis ab Ordinario approbati, & qui non sunt deputati ad confessiones eorundem Religiosorum audiendas, eos absolvere, quamuis sæculares absolvere possint.

Adde, subditos Societatis non posse à Confessario absolui sine licentia suorum Superiorum, virtute cuiuslibet Indulti, & concessionis Pontificiæ, ita decernentibus ipsis Summis Pontificibus, nisi hoc ipsum Pontificum decretum expressè reuocetur, vt constat ex prædicto compendio *verb. Absolutio* §. 1. & *verb. Gratiarum usus* §. 2. Quamuis ergo Confessarius haberet facultatem, & concessionem Pontificis generalem, & illimitatam ad absolueudos omnes pœnitentes à casibus Pontificiis, non tamen posset personas Societatis absolvere sine consensu Superiorum Societatis, qui non solum non consentiunt, sed expressè negant facultatem ad talem absolutionem, quandiu ab iis specialiter non exigitur.

#### D V B I V M XXVIII.

*Utrum negare possit Confessarius absolutionem Nouitio nolenti egredi, & ad sæculum redire.*

**N**ouitius quidam in Religione Obseruante, & perfecta, patiebatur fre-

quenter lapsus carnis voluntarios, quos Confessario in confessione manifestabat, & postea sæpiùs reincidebat. Confessarius itaque iudicans, eum non esse aptum Religioni, cuius alumni castitatis puritatem obseruabant, suadebat illi frequenter, vt ad sæculum rediret, vel Superiori fragilitatem suam extra confessionem aperiret, imò ad id tandem pœnitentem obligare tentauit, significans, se deinceps, nisi obediret, absolutionem ei negaturum. Quæsitum fuit, an Confessarius iure id facere potuerit, an verò suæ potestatis limites fuerit transgressus.

Suppono, Confessarium, quamuis ipse sit etiam Prælati Nouitij, & ad quem ex officio spectat Nouitios inuitos, ineptos, vel noxios dimittere, non posse id facere vllò modo ex notitia; quam in confessione habuit, nisi ex licentia expressa pœnitentis, vt ex decreto Clementis VIII. & ex natura, & institutione huius Sacramenti probaui latè *disp. 23. de pœnitentia sect. 5. §. 1.* obligatio enim dimittendi Nouitios inuitos, non debet vllò modo dirigi à notitia Sacramentali, nec vnum forum cum alio misceri: sed debet se habere Prælati, ac si nihil prorsus sciret, & confidere in Domino, quòd vel Nouitius sese corriget, vel certè parum nocumenti Religio patietur ex eo, quòd ad vota religiosa post Nouitiatum admittatur, quia postea passiones illæ sese prodent, & materiam suggerent dimittendi eum, (si sit in Societate,) vel debito modo corrigendi notitia aliunde habita. Omnino autem oportet Sacramentale forum ab omni alio respectu, & regimine longissimè separare, atque ideo debet se Prælati considerare eo casu, perinde ac si esset Confessarius aliquis sæcularis, qui casu in itinere audit Nouitij confessionem, & ita, & non aliter illi consulere.

Hoc supposito, dubium esse potest, an, licèt confessarius non possit vti notitia confessionis ad dimittendum Nouitium, vel ad aliquid extra Sacramentum operandum; possit tamen Nouitium cogere ad manifestandam extra Sacramentum suam inhabilitatem, vel certè, vt ipse sponte sua redeat ad sæculum. Et quidem in genere loquendo, regula generalis est, tunc solum posse Confessarium Nouitio negare absolutionem, quando videt, illum non esse sufficienter dispositum. v.gr. quia non vult relinquere occasionem proximam

proximam peccati grauis, quam ipse sine graui incommodo relinquere potest, vel quia Religionem iniustè deceperit in re graui, & nolit fraudem tollere, vel propter similes rationes. An verò eiusmodi causæ de facto interueniant, ob quas negari possit, & debeat absolutio, pendet ex circumstantiis, ex quarum notitia Confessarius debet id prudenter indicare: nec frequenter fortasse casus ita continget, vt ob meram peccandi frequentiam debeat sub peccato graui Nouitius se extra confessionem prodere, vt à Religione dimittatur, nec rationes, quas Confessarius ille afferbat, id verisimiliter probabant.

4 Primò enim arguebat ex obligatione relinquendi occasionem proximam peccati, qualis esse videbatur Nouitio illi status religiosus. Hoc tamen parum credibile est: nec facilè sibi pœnitens persuadebit, minorem se habiturum in sæculo occasionem peccandi contra castitatem, quàm in Religione, præsertim, si non posset sine magno incommodo vxorem ducere.

5 Minùs obstat, quod secundo loco pro se afferbat Confessarius, nempe pœnitentem debere suo peccato graui obedire Confessario, atque aded, dum non obediebat, manifestare, se non esse dispositum ad recipiendam absolutionem. Hoc, inquam, minùs probat, quia pœnitens solum debet implere pœnitentiam sibi à Confessario impositam: quoad reliqua verò potest quidem Confessarius declarare pœnitenti ea, ad quæ aliunde pœnitens sub peccato tenetur, v.gr. restitutionem, relinquere occasionem peccandi proximam, abstinere à tali contractu vsurario, & alia similia, quæ si pœnitens non habet animum obseruandi, non est dispositus ad absolutionem: non tamen potest Confessarius quidquam aliud sub peccato ei præcipere, nisi id, quod in pœnitentiam imponit, in qua imponenda habet se vt iudex; quoad alia verò se habet vt Medicus, cuius non est præcipere, sed consulere, & declarare ægroto, quæ sint media necessaria, vel vtilia ad sanitatem tuendam, vel recuperandam. Egressus autem à Religione non est materia apra, quæ imponatur pœnitenti pro pœnitentia suorum peccatorum, vt ex se constat, possètque meritò pœnitens eiusmodi pœnitentiam nolle acceptare, quam prudenter putaret saluti propriæ spirituali obfuturam magis, quàm profuturam.

6 Dices, Confessarius prudenter iudicat, statum religiosum non expedire illi No-

uitio in peccata frequenter relabenti: potest ergo saltem in pœnitentiam imponere, vt statum illum relinquat. Respondetur, posse prudenter credere Nouitium, sibi expedire magis ad salutem statum religiosum, in quo transacta vehementià temptationis illius, faciliùs poterit resipiscere, & corrigi, cùm habeat optima sociorum exempla, disciplinæ obseruantiam, exhortationes, & alia eiusmodi media, quibus in sæculo carebit; quare ex hoc capite non est, cur obedire teneatur Confessario.

Arguebat tertio, quia Nouitius debet impedire damnum, quod suo Ordini inferre potest, cùm vna ovis malè infecta inficere possit omne pecus; quare exire debet, ne suo exemplo alios ad perditionem trahat. Respondetur facilè, in primis, pœnitentem non teneri cum tanto detrimento suo impedire, & præcauere damnum alienum, quod per accidens sequi posset, & præter eius intentionem. Deinde, etiamsi ad sæculum redeat, non minus, sed maius poterit aliis nocumentum afferre: quòd enim sæculares faciliùs prauis exemplis afficiuntur, quàm Religiosi Obseruantes, eò magis poterit illis vitiosa sua conuersatione nocere. Denique non videtur esse magnum periculum grauis huius nocumenti; quia dum vitia ita sunt occulta, vt non nisi intra confessionem manifestentur, non transeunt ad sodales: si autem transire incipiant, iam tunc sese prodent, ita vt ex notitia illa possit debitum remedium extra Confessionis Sacramentum adhiberi.

Vltimò allegabat pro se Confessarius, quòd Nouitius ille grauitè, & iniustè deciperet Religionem, tacendo, & occultando defectum, qui eum ineptum reddit ad statum religiosum, quem defectum si Prælati scirent, proculdubio eum non admitterent ad vota religiosa, nec ad professionem. Respondetur, hunc Nouitium, de quo agitur, non decepisse Religionem, quia quando ingressus fuit, vel fortè non habuerat in sæculo hæc vitia, vel conuersione sua mores correxerat, & spem habebat melioris vitæ: morbum autem spiritua-lem postea contractum, non tenetur ex iustitia manifestare Prælati, vt eiiciatur: sufficit appetire in confessione ad quærendum remedium.

\* \* \*

## D V B I V M XXIX.

*An possit pœnitens recipere Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore de vno veniali, quin doleat de alijs venialibus specie diuersis, etiam grauioribus.*

1 Suppono primò, si motiuum detestationis sit ratio generica, & vniuersalis offensæ Dei, non posse nos detestari vnum veniale, quia præcisè est offensa Dei, quin eo ipso detestemur omnia alia, cum omnia participant malitiam offensæ Dei, nec possumus odio habere mendacium propter offensam Dei vt sic, quin odio habeamus ipsam malitiam offensæ diuinæ: sicut non possumus diligere proximum propter Deum, quin magis diligamus Deum, quia propter vnumquodque tale, & illud magis, vt latè explicauimus *disp. 5. de pœnitentiæ sect. 6.*

2 Suppono tamen secundò, posse nos dolere de vno peccato veniali propter eius grauitatem specialem, qua Deo displicet, vel Deum offendit, quin eo ipso etiam virtualiter doleamus de alijs venialibus, quæ quia minùs graua sunt, minùs Deo displicent, & leuiùs Deum offendunt; quia tunc motiuum detestationis non est offensa Dei vt sic, sed talis grauitas offensæ, qualis non reperitur in alijs peccatis venialibus leuioribus, vt dixi *dicta sect. 6. num. 81.* Vnde postea *disp. 9. sect. 2. num. 25.* inferebam, posse in Sacramento Pœnitentiæ remitti aliquod peccatum veniale, de quo sufficienter dolet pœnitens propter eius peculiarem grauitatem, licèt non doleat etiam virtualiter de alijs, quæ leuiora sunt, nec attingunt illum grauitatis gradum, propter quem dolet pœnitens de tali peccato veniali.

3 Vnde rursus sequitur, si dolor sit de vno peccato veniali propter talem gradum grauitatis, qua displicet Deo, vel Deum ita grauius offendit, non posse dolorem illum non extendi virtualiter ad alia venialia, quæ sint æquè graua, cum in illis etiam reperiatur malitia, & grauitas talis, quam formaliter odio habet pœnitens in dolore de tali peccato particulari. Imò intra eandem speciem contingere potest, quòd pœnitens doleat de aliquo veniali propter peculiarem eius malitiam, & grauitatem, quin doleat virtualiter de omnibus alijs venialibus eiusdem speciei, quæ non ha-

bent talem gradum malitiæ, & grauitatis, sed leuiora sunt intra eandem speciem, & dolor ille sufficienter disponere posset ad remissionem illius peccati venialis in Sacramento Pœnitentiæ, vt olim cum alijs dixi *disp. 14. de pœnitentiæ sect. 9. num. 141.*

His suppositis, difficultas videtur solùm 4 restare, quando aliquis pœnitens debet, v. gr. de peccato veniali mendacij officiosi, an debeat virtualiter saltem dolere de peccatis alijs venialibus aliarum specierum, quæ sint grauiora, vel saltem æquè graua ac mendacium illud, de quo dolet: an verò possit habere dolorem de illo peccato mendacij sufficientem ad absolutionem sacramentalem, quin doleat virtualiter de peccatis venialibus aliarum specierum æquè grauibus, vel grauioribus. Et quidem, si vera esset sententia, quam retuli *disp. 5. de pœnitentiæ sect. 9. num. 142.* affirmantem, esse sufficientem attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, quia sine vilo respectu explicito ad Deum dolemus de peccato propter oppositionem, quam habet cum regula rationis, seu cum natura rationali: tunc consequenter dici deberet, posse aliquem dolere de mendacio officioso propter oppositionem quam habet cum veracitate, & cum dictamine rationis prohibente mendacium, quin doleat de peccato veniali gulæ, vel furti; quamuis hæc supponerentur grauiora; quia nimirum hæc peccata non habent oppositionem cum virtute veracitatis, sed cum temperantia, vel iustitia, atque aded amor veracitatis non inclinatur ad odium, & detestationem gulæ, vel furti, sed mendacij. Quare posset haberi attritio de mendacio, & propositum non mentiendi sufficiens ad Sacramentum absque dolore, & proposito circa alia peccata grauiora.

Quia tamen in eodem loco diximus, 5 attritionem sufficientem cum Sacramento debere habere semper aliquem respectum explicitum ad Deum, vel tanquam ad puniorem peccatorum, si sit ex timore pœnæ, vel tanquam ad offensum, si sit ex motiuo pœnitentiæ, vel tanquam ad superiorem, si sit ex motiuo obedientiæ, vel tanquam ad excellentem, si sit ex motiuo Religionis, & sic de alijs virtutibus: ideo oportet nunc explicare, an supposita illa nostra sententia, possit adhuc concipi dolor de vno peccato veniali, quin sit dolor virtualis de alijs grauioribus, vel æquè grauibus aliarum specierum.

Respondi itaque ad hoc quæsitum, posse id contingere, quoties motiuum formale detestationis

detestationis est diuersum, prout aliquando esse potest. Fateor quidem, non posse facile id contingere, quando dolor est ex motiuo pœnitentiæ, v. gr. quod est offensa Dei: nam si dolemus de mendacio officioso præcisè, quia est offensa Dei, non potest intelligi, quòd non doleamus virtualiter de peccato veniali furti, quod contineret grauiorem Dei offensam, cum non possumus odio habere offensam Dei, quia offensa est Dei, & simul velle aliam offensam Dei grauiorem, vel æquè grauem. Idem est, si ex odio, vel metu pœnæ Purgatorij doleamus efficaciter, & super omnia de verbo otioso: cum quo dolore non potest esse simul voluntas mendacij, quod grauiorem, vel æquè grauem pœnam afferat; quia iam tunc non detestamur super omnia illum gradum pœnæ.

6 Potest tamen aliquando motiuum detestationis esse diuersum, vt si doleas de irreuerentia Dei, quia opponitur cultui debito diuinæ excellentiæ, quod est motiuum religionis; non est necesse, quòd doleas etiam virtualiter de quolibet peccato veniali alterius speciei grauiori, vel æquè graui, nisi in illo inueniatur etiam æqualis irreuerentia opposita religioni. Imò idem dici potest de attritione, quæ concipitur ob motiuum pœnæ temporalis à Deo infligendæ, quod motiuum sufficere ad veram attritionem supernaturalem, diximus cum alijs *disp. 5. de pœnitentiæ sect. 9. num. 137.* Solet autem Deus speciali pœna temporali huius vitæ punire aliqua peccata, qua non punit alia grauiora, licèt ea grauiùs puniat post mortem, v. gr. ob irreuerentiam erga proprios parentes, comminatur Deus temporalis vitæ breuitatem, ob immisericordiam in pauperes, iacturam fortunarum, & sic de alijs. Potest ergo aliquis ex timore talis pœnæ specialis dolere de peccato veniali irreuerentiæ erga parentes. v. gr. vel immisericordiæ in pauperes: quod motiuum non extenditur etiam virtualiter ad alia peccata venialia grauiora, pro quibus Deus hanc pœnam specialem non sit comminatus. Et quamuis iis grauior pœna in Purgatorio debeat correspondere: sed tamen dolor ille non habet pro motiuo pœnam vt sic, sed talem pœnam tolerandam in hac vita, à cuius pœnæ timore magis mouetur tunc pœnitens, quàm à pœna Purgatorij, atque aded attritio illa non extenditur virtualiter ad alia venialia etiam grauiora aliarum specierum.

7 Posset esse difficultas de motiuo obedientiæ, an quid doleret ex motiuo obe-

dientiæ de aliquo peccato veniali, v. gr. de mendacio officioso, eo quòd sit contra legem, & præceptum Dei prohibentis mendacium, intelligatur virtualiter dolere de alijs peccatis venialibus aliarum specierum, saltem si æquè graua, vel grauiora sint; videtur enim ita dicendum, cum in iis omnibus reperiatur etiam malitia inobedienciæ contra legem, & præceptum diuinum, & grauior inobediencia, si grauiora sint peccata. Distinguendum tamen est: nam si doleas de peccato veniali particulari præcisè propter rationem inobedienciæ, vt sit contra diuinam legem, dolor extenditur ad omne peccatum veniale, cum in omnibus reperiatur malitia inobedienciæ, cuius rationem genericam efficaciter detestaris. Si verò doleas de mendacio aliquo, v. gr. propter grauitatem inobedienciæ, quæ in eo includitur, quam grauitatem inobedienciæ odio habes, dolor extenditur ad omnia peccata venialia, quæ inobedienciam æquè grauem, vel grauiorem includant. Si denique doleas de peccato leui, v. gr. de furto leui, propter talem peculiarem inobedienciam propriam illius peccati, probabile videtur, quòd non extendatur dolor ille etiam virtualiter ad alia venialia diuersæ speciei, etiam si sint grauiora, aut æquè graua.

Ratio huius vltimi dicti petenda est ex 8 iis, quæ dixi *disp. 16. de pœnitentiæ sect. 5. num. 255.* & alibi, nempe præceptum Superioris constituerè rem præceptam in specie illius virtutis, ad quam spectat ipsa materia, quæ præcipitur; quare peccatum violantis ieiunium, & violantis festum, pertinent ad diuersas species, quia primum est contra temperantiam, secundum est contra religionem. Vnde præcepta etiam ipsa differunt specie inter se, quia singula respiciunt formaliter honestatem illius virtutis, cuius materiam præcipiunt. Ex hac autem doctrina sequi videtur, posse aliquem dolere de peccato veniali contra præceptum ieiunij propter malitiam inobedienciæ specialis, quatenus est contra tale præceptum, & talem obedientiam, quod motiuum non extenditur ad violationem venialem festi, cum præceptum illud, vt tale est, afferat obedientiam specie diuersam, atque ided dolor, qui procedit ex odio contra talem inobedienciam, prout talis est, & prout præcisè opponitur contra talem obedientiam, & conformitatem ad talem legem, prout talis est, non extenditur virtualiter ad peccata venialia, quæ habent inobedienciam specie diuersam,



fam, & aduersantem aliis legibus specie diuersis. Aliter verò sentiendum est de peccatis venialibus contra votum: cum enim omnes votorum transgressiones sint eiusdem speciei, si considerentur intra genus suum, nisi aliunde participant malitiam contra alia præcepta, vt dixi *dicta sect. 5. loco citato*, non videtur esse posse dolor de veniali propter malitiam transgressionis voti, quin extendatur virtualiter ad omnes transgressiones voti veniales, quæ sint grauiiores, vel æquè graues, ac est illa, de qua dolor explicitè concipitur à penitente. Atque ex his exemplis poterit iudicium fieri de aliis peccatis venialibus aliorum generum ad discernendum, an dolor de vno extendatur virtualiter ad alia venialia grauiora, vel æquè graua.

### De Sacramento Ordinis.

#### D V B I V M XXX.

*An sit validè ordinatus, cui in Subdiaconatu non datus fuit calix vacuus, sed plenus vino, & aqua.*

**P**ER errorem datus fuit Episcopo, pro iis, quos ad Subdiaconatum promouebat, calix plenus vino, & aqua patenâ coopertus, cum dari debuisset calix vacuus cum patena: dubitatum fuit de valore huius ordinationis. Ratio dubitandi erat, quia, vt constat ex Concilio Florentino in decreto pro Armenis, materia in ordinatione Subdiaconi est calix vacuus cum patena vacua, per quam materiam significatur Ordo Subdiaconi, qui ex officio debet ministrare Diacono in Missæ sacrificio: non videtur autem significari sufficienter officium Subdiaconi, prout differt ab officio aliorum per calicem, & patenam plenam: nam Presbytero in sua ordinatione datur calix cum vino, & aqua, & patena cum hostia, ad significandum eius officium: non potest ergo per eandem materiam significari quod proprium est Subdiaconi: idem enim signum commune non potest significare id, in quo Subdiaconus differt à Presbytero: debet ergo id, quod proprium est Subdiaconi, significari per aliquid proprium, nempe vacuitatem instrumentorum, quæ significat inferioritatem Subdiaconi respectu Presbyteri.

Cæterum in casu proposito respondi, id minus probabile esse, quòd ordinatio Subdiaconi valida fuerit: quare licet in Presbyteratu, vel Episcopatu non esset sustinenda ordinatio probabilis, sed reiteranda sub conditione propter inconuenientia grauiissima, quæ afferret inualida collatio Sacerdotij, vel Episcopatus: in Subdiaconatu tamen non videtur necessaria repetitio conditionata, etiam si solùm probabilis sit eius valor. Porrò validam fuisse illam ordinationem, probari potest primò à fortiori ex iis, quæ paucos ante annos dicta, & scripta à multis fuerunt de illis, qui dum in Presbyteros consecrabantur, acceperunt patenam cum hostia, sed calicem sine vino, & aqua, de cuius ordinationis valore multi meritò dubitarunt. Ipse tamen Episcopus, qui illam ordinationem celebrauerat in Hispania, pertinaciter tuebatur non solùm validam, sed certam fuisse, atque idè non repetendam, pro qua assertione opusculum edidit, cum esset doctissimus Theologus, & ex aliis scriptis, quæ ediderat, vbique notissimus. Cui sententiæ fauet Henriquez *lib. 10. cap. 6. num. 2.* & valorem saltem fateri videntur Filliucius, Homobonus, & Bonacina, quos affert, & sequitur Diana *3. part. tractat. 4. resolution. 186.* addens, non esse obligationem reiterandi ordinationem sub conditione. Postea tamen *part. 4. tractat. 4. Miscell. resolution. 119.* hanc sententiam retractauit, & dixit, non fuisse validè ordinatos. Valorem tamen illum speculatiuè probabilem esse, dixit Tannerus adductus ab eodem Diana *in illo 2. loco quarta pars*; ego tamen, sicut & alij multi, censui, esse omninò repetendam ordinationem illorum Presbyterorum, sub conditione, prout de facto repetita fuit iussu Eminentissimi Cardinalis Sandoualij, tunc Toletani Archiepiscopi.

Ex illo tamen casu, & ex illa doctrinâ arguitur bene ad casum nostrum. Si enim Sacerdos validè ordinatur accipièdo vnam partem materiæ requisitæ, nempe hostiam, licet non accepisset alteram, nempe vinum; & hoc quia non potest dari potestas ad consecrandam vnam speciem sine potestate ad consecrandam alteram, cum potestas sit vna indiuisibilis ad offerendum sacrificium, quod vtriusque speciei oblationem includit; idem dicendum videtur de Subdiacono in casu nostro, in quo accipit ad minus patenam vacuam, per quam significatur potestas Subdiaconi ad ministrandum in oblatione corporis Christi,

quæ

quæ potestas eadem est indiuisibilis ad ministrandum in oblatione sanguinis Christi, & qui dat potestatem ad vnum, dat potestatem ad alterum. Si ergo probabilis est valor Sacerdotis collati per porrectionem hostiæ, & calicis vacui, probabilis etiam erit valor Subdiaconatus collati per porrectionem patenæ vacuæ, & calicis pleni; nec enim magis requiruntur instrumenta vacua in Subdiaconatu, quàm plena in Sacerdotio.

**4** Dixi tamen, ex doctrina illa de Sacerdotio, probari hoc posse à fortiori in Subdiaconatu; quia multò magis videntur requiri vasa plena in Sacerdotio, quàm vacua in Subdiaconatu; quando enim deest vinum in calice, deest quidem aliquid, quod exigitur ex parte materiæ, quæ debet esse vtraque species consecranda: quando verò datur Subdiacono calix plenus vino, nihil deest ex parte materiæ requisitæ, sed abundat aliquid, quod non exigitur, nempe vinum. Minus autem videtur nocere additio aliqua vltra materiam requisitam, dum tamen adsit tota materia, quàm noceat defectus partialis materiæ, nam in secundò casu non adest tota materia; in primo autem adest tota, & aliquid aliud vltra materiam requisitam: potest enim intentio Ministri ferri ad id solum, quod est materia, & non ad alia, vt si Sacerdoti proponantur decem hostiæ triticeæ, & vna hordacea, additio huius non vitiat consecrationem aliarum decem, quia iuxta vulgarem iuris regulam, *utile per inutile non vitatur*; quod idem in materiis aliorum Sacramentorum obseruare licebit. Cum ergo in casu nostro affuerint calix, & patena, quæ est tota materia porrigenda Subdiacono, additio vini non nocebit, cum vinum non fuerit appositum vt materia, sed per errorem, nec Episcopus habuerit intentionem dandi illud pro materia, sed sola vasa sacra.

**5** Confirmatur primò, quia in ordinatione eiusdem Subdiaconi datur ei liber etiam Epistolarum, quem aliqui dicunt esse materiam partialem necessariam: nec est in vsu apud omnes, vt detur liber continens solas Epistolas sine Euangeliis, sicut nec quòd Diacono detur tangendus liber continens sola Euangelia sine Epistolis. Ecce ergo vterque tam Diaconus, quàm Subdiaconus tangant eundem librum materialem; sed tamen ex diuersa intentione Episcopi porrigentis datur ille liber Subdiacono, quatenus solùm continet Epistolas: Diacono autem quatenus solùm

continet Euangelia, licet vterque tangat librum continentem alia vltra solas Epistolas, vel sola Euangelia; ergo similiter, licet Subdiacono detur calix continens vinum, poterit ex intentione Episcopi porrigentis limitari, vt solùm intelligatur dari calix secundum se, vt contradistinctus à quolibet contento, & vt sic poterit esse materia legitima Subdiaconatus, licet idem calix prout continens vinum, & aquam, sit materia Presbyteratus.

Confirmatur secundò, quia, si quando calix ille porrigendus est Subdiacono, Magister ceremoniarum animaduertent, esset intus vinum, & idcirco vinum effunderet, nemo dubitaret de validitate ordinationis; & tamen certum videtur, quòd ex vino recenter effuso remaneret aliqua guttæ adherentes calici, quæ possent esse materia consecrationis, & sufficerent in rigore ad ordinationem Presbyteri, si calix cum illis guttis ei porrigeretur. Parum autem videtur referre, quòd calix plus, vel minus vini contineat: videtur enim esse differentia secundum magis, & minus. Idem est si in patena remansisset adhærens aliqua leuissima particula hostiæ non consecrati; quæ antea super patenam fuerat. Non ergo vitatur valor Subdiaconatus ex eo, quòd calix, vel patena habeat in se aliquid panis, vel vini, cum adhuc intentio porrigentis possit præscindere à contento, & intendere dare solùm calicem, & patenam secundum se ad significandum ministerium quod Subdiacono traditur.

**7** Vnde ad rationem dubitandi initio propositam responderi facile potest, in primis licet vacuitas instrumentorum exigeretur ad significandum ministerium, quod Subdiacono traditur, id sufficienter significari per patenam vacuam, sicut probabile est dari sufficienter Sacerdotium per porrectionem solius hostiæ sine vino: deinde negari potest, requiri vacuitatem illam ad rationem materiæ. Sufficit, quòd sola vasa intendantur dari sine materia in iis contenta; sicut liber Missalis datus eidem Subdiacono significat potentiam cantandi solas Epistolas, & non Euangelia, licet Euangelia etiam in libro eodem contineantur. Neque enim significat Episcopus, quòd ordinandus non accipiat potestatem ad alia (quia posset simul validè ordinari aliquis in Subdiaconum, & Diaconum accipièdo simul vtriusque Ordinis materiam,) sed solùm significat, se per porrectionem calicis, & patenæ, quæ sola vasa, & non materiam in iis contentam dare intendit, non

non dare illi, nisi potestatem ad ministerium Subdiaconatus. Vacuitas ergo in vasis non est pars materiæ necessariæ ad valorem, sed aliquid necessarium ex præcepto, ut melius significetur diminutio potestatis, quam Subdiaconus accipit in sua ordinatione, atque aded ex defectu solius vacuitatis non est arguendus defectus ordinationis validæ, sed licitæ, si culpabiliter defectus ille contingat.

## D V B I V M XXXI.

*De Hermaphrodito, an si post ordinationem validam, incipiat in eo præualere sexus fœmineus, possit validè celebrare.*

**1** Suppono, hermaphroditum, si in eo præualeat sexus fœmineus, reputari fœminam, atque aded non posse validè recipere Ordines, nec profiteri in Ordine religioso virorum, nec ducere vxorem, sicut non posset quælibet alia fœmina. Si verò præualeat in eo sexus virilis, reputari masculum, atque aded non posse validè profiteri in Monasterio Monialium, nec nubere viro: posse autem validè suscipere Ordines, quamuis non licitè, propter irregularitatem iure positivo impositam. Denique, si neuter sexus præualeat, sed vterque æqualis appareat post probationes, & Medicorum, aut matronarum peritarum testimonia, debet ipse decernere, quo sexu uti velit, & iuramento promittere, se altero sexu non vsurum, & tunc poterit iuxta sexum à se electum matrimonium contrahere, non tamen poterit Ordines validè recipere, quia verè est fœmina, atque aded ordinationis incapax. Quod etiam ad professionem in Religione siue virorum, siue fœminarum extendunt Doctores, ut illa etiam inualida sit: quæ omnia videri possunt apud Thomam Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 106. & lib. 7. consil. moral. cap. 1. dub. 31. qui auctores refert, & rationibus hæc omnia confirmat.

**2** Suppono secundò, si fœmina profiteatur in Cõuentu Monialium, & postea erumpente sexu virili, euadat vir, aliquos voluisse, perseverare adhuc obligationem professionis, atque aded cogendum esse, ut ingrediatur Monasteriũ virorum; alij tamen melius dixerunt in casu occurrente, Professionem non durare, quia nec ex parte Prostitutis, nec ex parte Prælati acceptantis Professionem, fuit alia intentio, nisi ad Professionem Monialium, cuius vir incapax

est, atque aded ex incapacitate subiecti cessat Professio præterita, atque ita in praxi obseruatum esse testantur Doctores, qui hanc sententiam amplexi sunt, quos refert, & sequitur Diana p. 5. tr. 14. Miscell. ref. 49.

Suppono tertio casum quæstionis fortasse non esse naturaliter possibilem: quamuis enim contingat aliquando, fœminã, erumpente sexu virili, transire in virum, prout nostra etiã ætate aliquoties vidimus contigisse duabus Monialibus; nunquam tamen vir transit in fœminam, nec id fieri posse affirmant Medici. Quòd si id ita est, poterit cum eadem rationis proportionem credi, quòd quamuis hermaphroditus, in quo præualebat sexus fœmineus, possit tẽpore præcedenti perfici in virili sexu, ita ut non iam fœmineus, sed virilis potius sexus in eo præualeat; non tamen è contra, si in eo virilis sexus præualeat, poterit naturaliter contingere, quòd postea incipiat fœmineus sexus præualere. Nam, sicut non potest vir in fœminam euadere, ita nec qui præualente virili sexu, vir censebatur, poterit præualente postea sexu fœmineo, fœmina censei; quia sicut se habet simpliciter, ita magis ad magis. Quæstio tamen procedere potest ex suppositione, quòd mutatio illa fieret, siue sit possibilis, siue impossibilis, an tunc hermaphroditus maneret adhuc Sacerdos habilis ad validè consecrandum, & absolendum, &c.

His positis, consequenter in quæstione **4** proposita dicendum videtur, hermaphroditum illum validè antea ordinatũ, quando virilis sexus in eo præualebat, præualente postea sexu fœmineo, retinere quidem illum characterem Sacerdotalem animæ impressum; non tamen posse validè consecrare, vel absoluere. Et quidem quòd character adhuc remaneat, probari facile potest, quia cum hinc non sit qualitas materialis, sed spiritualis animæ impressa, & suapte natura indelebilis, ut suppono ex tractatu de Sacramentis in genere, manente eadem prorsus anima in illo composito, non deberet deleri character Sacerdotalis, sicut nec deleretur character Baptismi, vel Confirmationis, quòd à fortiori explicari potest posito alio casu naturaliter quidem impossibili, non tamen supernaturaliter, & miraculosè. Si Deus, v.g. animã viri Christiani, & Sacerdotis transferret in corpus fœminæ non baptizatæ, & infidelis; & è contra, animam huius fœminæ transferret in corpus illius Sacerdotis: tunc enim compositum humanum resultans ex corpore fœminæ, & anima Sacerdotis esset quidem fœmina,

fœmina, cum corpus esset fœmineum, anima tamen retineret gratiam, & characterem Baptismi accepti in corpore priori, & characterem etiam Sacerdotalem; sed non posset fœmina illa consecrare, cum fœmina sit incapax eiusmodi functionis, imò nec in rigore fœmina illa esset baptizata, cum eius corpus nunquam fuisset ablutum aquã Baptismi, sed deberet denuò baptizari; sicut è contra compositum alterum resultans ex corpore Sacerdotis, & anima fœminæ infidelis, licet esset vir, non tamen esset Sacerdos, nec baptizatus, cum anima neutrum characterem haberet. Nec obstat ex characteris impressione argui tria illa Sacramenta, quæ illum imprimunt, non posse reiterari. nam fatemur, id de facto bene probari, & in ordine ad idem subiectum. Nunc autem loquimur ex hypothesi impossibili, in qua Baptismus non esset reiterandus in eodem, sed in diuerso composito humano: vnde nec illa est propriè reiteratio Baptismi, cum ille homo nunquam fuisset baptizatus. Vides ergo, in hoc casu non sufficere characterem Sacerdotalem in anima impressum, & perseverantem ad hoc, ut compositum illud esset Sacerdos, vel posset validè celebrare propter impedimentum proueniens ex incapacitate sexus fœminei. Similiter ergo in casu nostro, licet anima hermaphroditi retineret characterem Sacerdotalem; non tamen posset pro eo statu validè Sacerdotij actus exercere propter impedimentum proueniens ex fœmineo sexu præualente iam in illo composito; eadem enim videtur esse ratio quoad hoc in vtroque casu.

**5** Neque obstat, manere characterem, qui est signum potestatis Sacerdotalis: nam etiam in anima separata manet idem character, qui quidem in statu illo adhuc est signum potestatis, non tamen potestatis exercendæ in illo statu, sed potestatis acceptæ ad actus exercendos in illo corpore, in quo erat anima, quando accepit illam potestatem. Sic ergo in casu nostro maneret adhuc in anima hermaphroditi character Sacerdotalis, qui esset signum potestatis acceptæ ad actus Sacerdotales validè exercendos in corpore, & sexu illo, quem habebat homo, quando potestatem accepit non in alio corpore, vel sexu diuerso.

**6** Vnde obiter infero, si hermaphroditus, in quo præualebat sexus virilis, matrimonium contraxisset cum fœmina, & postea per possibile, vel impossibile inciperet in

eo præualere sexus fœmineus, in quo statu non potuisset denuò matrimonium cum fœmina contrahere, consequenter dicendum, quòd matrimonium dissolueretur, quia sicut non potuisset incipere, ita nec posset consistere verum matrimonium inter duas fœminas. qui casus facilius posset contingere, si hermaphroditus, in quo præualebat sexus fœmineus, contraxisset matrimonium cum viro, & postea inciperet in ipso præualere sexus virilis, sicut in aliquibus fœminis erumpit postea sexus virilis: tunc enim proculdubio dissolueretur prius matrimonium, eo quòd non posset iam verum matrimonium consistere inter duos viros. quem casum miror apud Thomam Sanchez prætermisum fuisse in magno illo suo opere de matrimonio; ego saltem id inuenire non potui, vbi de impedimentis agit, & vbi agit de matrimonij insolubilitate, ad quem locum pertinet hæc exceptio singularis continens casum, quo matrimonium ratum, & consummatum dissoluitur etiam quoad vinculum, & id obiter pro comperto supposuit Basilius Pontius lib. 7. de matrim. cap. 57. num. 2. Quare consequenter etiam dicendum esset, si post dissolutum hac occasione matrimonium, hermaphroditus, vel fœmina illa, quæ transierat in virum, rediret per possibile, vel impossibile ad sexum fœmineum, non ided debere conualescere prius matrimonium, quòd cum iam fuisset omninò dissolutum, non posset stare, nisi denuò celebraretur, & sæpè contingeret, quòd prior maritus cum alia iam legitime contraxisset, quòd secundum matrimonium, cum validum fuisset, & consummatum, non posset dissolui per reditum prioris vxoris ad sexum fœmineum, ut constat.

Non tamen ided cogimur, concedere **7** id, quòd Basilius Pontius loco citato ex casu nostro, quem pro comperto supponit, probare intendit, nempe posse consistere verum matrimonium celebratum inter coniuges habentes impedimentum impotentia perpetua etiam antecedenter ad celebrationem matrimonij, dum tamen non intendant contrahere in ordine ad copulam, sed solum in ordine ad coniunctionem coniugalem animorum, quòd auctor ille probare intendit ex casu nostro, quia si iure naturæ vir impotens esset incapax contrahendi matrimonij, sequeretur, quòd etiam si ea impotentia perpetua adueniret post contractum matrimonium, deberet eo ipso dissolui; quòd tamen constat esse

falsum: sequelam verò probat, quia, sicut mutato sexu vxoris in sexum virilem, eo ipso matrimonium antea celebratum dissoluitur, eo quòd materia illius Sacramenti sint corpora virile; & fœmineum, & ablata materia, non potest manere Sacramentum, ita, si de iure naturæ materia Sacramenti sint corpora habilia ad copulam, cessante hac habilitate per impotentiam perpetuam superuenientem, deberet perire matrimonium ob defectum materiæ necessariæ, vel fatendum est, posse consistere verum matrimonium de iure naturæ sine illa potentia coniugum, si solum celebraretur in ordine ad coniunctionem coniugalem animorum.

8 Sed quidquid sit de veritate illius doctrinæ, de qua nunc non est necesse disputare, quia non requiritur ad casum nostrum; dicimus non cogere decisionem nostri casus ad concedendum illud de valore possibili matrimonij inter impotentes: differentia autem assignari debet ab eodem etiam Auctore, nam ipse concedit, licet inter impotentes fieri possit matrimonium validum in ordine ad coniunctionem solam coniugalem animorum; non tamen posse fieri matrimonium validum in ordine ad copulam, sed hoc matrimonium irritum esse iure naturæ. Però ergo ab ipso, cum si impotentia perpetua adueniat post matrimonium in ordine ad copulam contractum, non dissoluitur matrimonium, quod cum tali impotentia contractum non potuisset. Sicut adueniente sexu mutatione, dissoluitur matrimonium, quòd à principio cum persona talis sexus contrahi non potuisset: Debet ergo ipse fateri, non valere argumentum à defectu in sexu ad alia impedimenta, nam alia, si adueniant post contractum matrimonium, neutiquam illud dissolunt. Vnitas autem in sexu, quocumque tempore adueniat, impedit, & dissoluit etiam matrimonium contractum in ordine ad copulam coniugalem; similiter ergo dici possit, licet adueniente impotentia post contractum quodlibet matrimonium, illud non dissolvatur, dissolui tamen matrimonium, quòd cumque illud sit, adueniente sexu mutatione. Ab omnibus enim concedi debet, non esse eundem matrimonij respectum ad copulam, & ad sexum: nam copula attenditur solum ut obiectum, quòd promittitur, & ad quòd coniuges habent sibi adiuicem ius; sexus autem respicitur, non ut obiectum, sed ut subiectum, quòd traditur: nam vir tradit vxori

virum, & vxor tradit viro vxorem. Quare sicut mortua vxore, dissoluitur matrimonium, sic deficiente vxore in ratione vxoris, & alterato sexu ita ut iam non sit vxor, debet etiam ipso facto dissolui, cum non possit matrimonium consistere, nisi inter maritum & vxorem; neque enim potest matrimonium permanere, nisi inter duos coniuges, nec potest esse coniux, nisi qui sit maritus, vel vxor: non potest autem amplius esse vxor, quæ iam non est fœmina, sed vir. Deficit ergo tunc matrimonium ex defectu subiecti, quia non sunt amplius maritus, & vxor, inter quos solos, & in quibus debet persistere matrimonium. Adueniente autem impotentia, solum deficit obiectum matrimonij, quòd ad sui valorem exigit solum obiectum, quando celebratur; si enim tunc copula est possibilis, iam tunc promissio valida est, cum sit de realiqua possibili. Quòd autem postea copula reddatur impossibilis, non tollit, quòd aliquid possibile promissum fuerit, quòd sufficit ut promissio valida fuerit, & generauerit vinculum, quòd maneat etiam adueniente impotentia ad rem promissam; non enim est frustrà vinculum, quòd aliquando habuit, vel habere potuit suum actum principalem, præsertim cum adhuc obliget ad seruandam fidem coniugij, ita ut quilibet actus externus, imò & consensus interni impudici participant malitiam adulterij, eo quòd perseveret adhuc vinculum coniugij inter veros coniuges.

Denique quòd dictum est de matrimonio, dicendum est cum proportionem de Professione religiosa, quæ eodem modo dissoluetur, & extinguetur, si ea quæ fœmina erat, & Professionem fecerat in Conuentu Monialium, transeat in sexum virilem; aut si per possibile, vel impossibile qui professus fuerat in Conuentu virorum, transeat in sexum fœmineum: nam eadem est ratio in utroque casu, cum tam requiratur professio Monialis sexum fœmineum in fieri, & in conseruari, quam matrimonium vxoris exigit eundem sexum, ut fiat, vel perseveret vxor, quòd idem est de sexu virili; ad

hoc ut aliquis perseveret Monachus, vel frater Ordinis, v. gr. Mendicantium.

\* \* \*  
D. V. B. I. V. M. XXXII.

D. V. B. I. V. M. XXXII.

An Episcopus suffraganeus possit cum licentia Episcopi nondum reuocata post eius mortem exercere Pontificalia Sede vacante.

Episcopo Vilnensi datus fuit Episcopus Suffraganeus à Summo Pontifice, qui in suo diplomate ad eundem Suffraganeum directo, sic loquitur. *Concedimus tibi facultatem Pontificalia officia in ciuitate, ac Diœcesi Vilnensi de expresso venerabilis moderni, & pro tempore existentis Episcopi Vilnensis consensu, & speciali licentia exercendi. & rursus postea: eque in Suffraganeum dicti moderni, & pro tempore existentis Episcopi Vilnensis constitutum. & inferius addit: & ut omnia & singula ad eiusmodi suffraganeatus officium quomodolibet modo pertinentia in Ecclesia, ciuitate, ac Diœcesi Vilnensi, facere, exercere, & conferre possis, dicti moderni, & pro tempore existentis Episcopi Vilnensis ad id expresso accedente consensu, facultatem damus.* Postea Episcopus Vilnensis Suffraganeum illum admisit, eique facultatem dedit exercendi quidquid ipsemet. posset, qua facultate Suffraganeus vsus est viuente Episcopo: ipso autem mortuo, dubitauit, an ex vi illius facultatis à Capitulo non reuocata posset adhuc exercere Pontificalia, & Ordines conferre habentibus litteras dimissorias legitimas suorum Prælatorum, præsertim, si Capitulum id videat, & non contradicat. An verò necesse sit petere denuo expressum Capituli consensum? quòd idem quæritur respectu Episcopi successoris, an oporteat ab eo nouum expressum consensum obtinere; an verò sufficiat facultas Prædecessoris, quando à successore non reuocatur.

Huic dubio posset facile responderi ex doctrina, quam ex Emanuele Themudo, & Portelio affert P. Diana p. 8. tract. 4. de potestate Capituli Sede vacante, ref. 72. quæ docet, Capitulo non reuocante licentiam datam ab Episcopo defuncto, posse adhuc Episcopum hospitem, qui illam habet ad exercenda Pontificalia, & Ordines conferre Religiosis sine noua licentia Capituli. quòd clarius (inquit) procedit in Episcopo titulari, quam in Episcopo hospite, quia cum Episcopus titularis non habeat propriam Diœcesim in actu, ista certo modo est sua Diœcesis, quia in ea moratur, in qua creatus fuit, & constitutus ad Pontificalia exercenda, & ita conferendo Ordines Regularibus, Sede vacante, & sine Capituli licen-

D. 10. Card. de Lugo Respons. mor.

tia; cum licentia tamen Episcopi mortui, quæ etià durat, non poterit dici quòd Pontificalia exercet in aliena Diœcesi sine licentia. Ex qua doctrina videbatur ad nostrum quæsitum omnino respondendum, non esse necessariam nouam Capituli licentiam.

Ego tamen, cum dictus Suffraganeus suis litteris me de hoc consuluisset, rem totam detuli sacre Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Tridentini Concilij interpretum, cum totum penderet ex intelligentia dicti decreti Trid. sess. 6. c. 5. de reform. vbi cauetur, quòd nulli Episcopo liceat cuiusvis priuilegij præcepta Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia. præsertim cum nomine Ordinarij loci, intelligatur etiam ibi Capitulum, Sede vacante, ut sæpius responsum fuit in eadem sacra Congregatione, & habetur in responsis impressis, & manuscriptis, quæ apud me sunt. In hoc casu Eminentissimi Cardinales postquam semel, & iterum de re tota cogitarunt, responderunt die 22. Febr. anno 1631. his verbis: *Sacra Congregatio Concil. Trident. censuit, secundum ea, quæ proponuntur prædictum suffraganeum non posse.*

R. Card. Vbalduinus.

Francisc. Paulucius Sacr. Cong. Secr.

Huic responsioni obstare videtur doctrina communis, quòd licentiæ, & facultates à præcessore sine limitatione cõcessæ durant post mortem cõcedentis, donec à successore reuocentur. quam communem doctrinam latè explicat, & probat Th. Sanch lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 72. & alij, quos retuli, & quibus cõsenti disp. 19. de penit. sect. 2. n. 37. & seqq. Vnde inferri videtur, quòd licentia etiam Episcopi Vilnensis, saltem quandiu à Capitulo, vel successore non reuocatur, sufficiat ad exercenda Pontificalia post eius mortem, sicut in alijs casibus sufficit.

Potuit tamen sacra Congregatio in hoc casu specialem rationem inuenire, ut iuxta communem regulam in eo non responderet; quia nimirum ratio, ob quam Tridentinum Concilium prohibuit alienis Episcopis Pontificalium vsum sine consensu, & licentia expressa Ordinarij loci, fuit reuerentia debita Episcopo in sua Diœcesi, cui opponi videtur, si alius, eo non annuente, se ut Episcopum gerat, & Episcopalia munera exercent. Sicut si hospes in aliena domo ut dominum se gerat sine domini consensu. Ideo enim ipse etiam Episcopus in propria Ecclesia prohibetur benedicere, præsertim Legato à latere, quia id contra reuerentiam Legato debitam esse videretur. Imò & Cardinales ipsi, quando Cardina-

E 2 lem



lem alium domi suæ excipiunt, non audent coram ipso dominos se ostendere, & imperiosis uti verbis, sed id totum hospiti deferunt, quia reuerentia, & honor id exigit, ut coram maiori, vel saltem coram eo, quem ut maiorem colere volumus, non asuma mus nobis ea munera, quæ ad maiorem ex usu, & ex natura rei spectare videntur. Hæc ergo est ratio prohibendi Pontificalium exercitium Episcopo hospiti in aliena Diœcesi, ne videatur sibi in aliena domo assumere ea, quæ propria sunt domini, seu Pastoris proprii: unde nec Archiepiscopi extra sua loca pallio uti possunt, nec Cardinales ipsi Romæ celebrantes coram Summo Pontifice baculo Pastoralivtuntur, quia hæc omnia signa sunt potestatis, & dominij. Ut ergo hæc irreuerentiæ nota omnino vitetur, necessaria est licentia, & consensus Episcopi præsentis; reuerentia enim non debetur iam Episcopo mortuo, sed præsentij, nec fieret contra reuerentiam Episcopo mortuo debitam exercendo Pontificalia, sed contra reuerentiam debitam Episcopo præsentij, cuius consensus exigitur, ut debitus honor obseruetur. Sicut in exemplo supra adducto, quantumuis Titius tibi permisisset, ut domi suæ te ut dominum geres, & faceres, quæ sine domini reuerentia fieri non possunt: si tamen domus illa independenter à Titio ad alium dominum transiret, non posses sine consensu noui domini licentiam illam tibi assumere: hoc enim esset proculdubio contra noui domini reuerentiam, quia honor & cultus est aliquid personale, & respicit hanc personam in particulari: nec Episcopus prædecessor potest tibi dare facultatem, ut cum eius successoribus familiariter, & sine titulis honorificis agas, quamuis posset hoc facile tibi permittere in ordine ad suam personam. Sicut ergo rogatus ab Episcopo ut ei capite aperto non assistas, nec dominationis illustrissimæ, v. gr. titulo cum eo utaris, poteris id facere cum eo viuente, non tamen cum eius successore, quantumcunque amplam tibi facultatem prædecessor dedisset; quia vnum hæc pertinent ad reuerentiam personalem successorij debitam, quam prædecessor ei auferre non potuit: ita nec potuit prædecessor concedere Episcopo hospiti facultatem exercendi Pontificalia sine consensu successoris, quia abstinere ab usu Pontificalium in domo, & Ecclesia alieni Pastoris, pertinet similiter ad reuerentiam personalem debitam successorij. Denique cum Capitulum Sede vacante succedat in iurisdictione, & potestate Episcopali, merito Congregatio censuit, Capituli etiam

eo tempore consensum requiri ad exercenda Pontificalia, quia fieret contra reuerentiam Capitulo eo tempore debitam, si in eius Diœcesi sine eius consensu Episcopus hospes, ut proprius Pastor se gereret, & munera pastoralia sibi vsurparet.

D V B I V M XXXIII.

*Utrum Sacerdos qui non tetigit calicem, & patenam, dum forma proferebatur, sed immediate post, debeat, vel possit iterum sub conditione ordinari.*

**T**itius, dum accederet ad Sacerdotium accipiendum, prohibitus fuit à Magistro ceremoniarum parum sui muneris perito, ne tangeret calicem, & patenam, dum Episcopus verba illa formæ proferebat: *Accipite potestatem, &c.* sed immediate post formam totam prolata iussus fuit tangere; dubitavit postea de valore & securitate suæ ordinationis, & an posset, vel deberet iterum sub conditione ordinari.

Videtur autem difficile, quòd in prædicto casu repeti possit ordinatio, cum communis Theologorum sententia non exigat simultatem mathematicam, sed moralem inter materiam, & formam Sacramenti, ut docent *Henr. lib. 1. de Sacram. in genere. c. 9. n. 10.* Laym. Villalob. Victoria, Suar. & alij, quos affert, & sequitur *Diana p. 3. tr. 4. de Sacr. ref. 6.* Nec contraria sententia videtur probabilitatem habere, cum non sit sufficiens fundamentum ad simultatem illam mathematicam exigendam; imò in collatione Diaconatus, & Subdiaconatus de facto id non obseruatur, sed prolata ab Episcopo forma in numero plurali pro omnibus ordinandis, singuli successiue tangunt librum, vel instrumenta: cur ergo idem in collatione Sacerdotij fieri non posset, ut Episcopus omnibus diceret: *Accipite potestatem, &c.* & postea singuli successiue materiam tangerent, vel si numerus ordinandorum magnus fortasse esset, eandem formam Episcopus ter, vel quater per interruptas morulas repeteret, ne nimis distaret prolatio formæ à contractu materiæ? Scio, aliquando Episcopum aliquem id ita fecisse, &, (si bene memini), P. Luisius ab Alcazar, doctissimus in Apocalypsim interpret, narrauit mihi, se ita de facto Sacerdotem fuisse ordinatum, nec potuisse Episcopum adduci, ut iterum sub conditione formam repeteret, & materiam porrigeret, constanter asseuerans, id sine ylo prorsus fundamen-

to exigi. Quare in casu à nobis adducto à fortiori idem dicendum esset, in quo multo maior simultas intercessit, & ideo multi Episcopi rogati ab eodem Titio, ut sub conditione iterum cum ordinarent, constanter id recusarunt, non audentes ob leuissimum illum scrupulum sacram ordinationem etiam sub conditione reiterare. Ego in prædicto casu dixi, Titium potuisse in primâ ordinatione quiescere absque vlla reiteratione, etiam conditionata; non tamen peccaturum, si ad maiorem sui animi quietem iterum sub conditione ordinaretur, quòd etiam Episcopus poterat licite in eius gratiam facere. Ut verò fundamentum huius responsi intelligatur, recolenda sunt quæ dixi *disp. 7. de penitentia sect. 13. num. 273. & seqq.* ubi ostendi obligationem quidem esse repetendi sub conditione Sacramentum Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, vel Episcopalis, propter maxima inconuenientia, & damna, quæ ex inualiditate horum Sacramentorum sequerentur, quoties dubius est valor, vel quoties probabilis sententia dicit, non fuisse valida. Id tamen non procedere, quando sententia negans valorem non æstimatur probabilis, quamuis sit probabilis sententia affirmans obligationem reiterandi Sacramentum; sunt enim diuersæ quæstiones, an sit validus, v. gr. Baptismus taliter collatus: & an sit postea sub conditione repetendus, & contingere potest, non esse probabilem sententiam negantem valorem; & tamen probabilem esse sententiam affirmantem obligationem reiterandi Baptismum sub conditione. Quando ergo probabilitas versatur circa defectum valoris, fatemur, esse obligationem repetendi Baptismum: quando verò probabilitas solum versatur circa obligationem repetendi, tunc non semper tenetur homo Sacramentum repetere, sed potest amplecti opinionem contrariam probabilem, negantem illam obligationem, quia sicut in aliis omnibus materiis practicis, sic etiam in obligatione repetendi Sacramentum possumus amplecti iudicium probabile Doctorum dicentium, in eo casu non esse talem obligationem, quamuis alij probabiliter dicant esse, quia probabilitas hæc non versatur circa valorem, sed circa licitum, & iudicium practicum, dictans, hic & nunc posse licite non repeti Sacramentum, quòd iudicium probabile practicum, & vltimum in omni materia possumus licite amplecti, ut explicauit loco citato.

4 Hinc autem ad casum nostrum applicat. *D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

Quando prædictam doctrinam, dixi, posse Titium non repetere ordinationem; quia sententia docens, primam ordinationem non esse validam, quamuis habeat pro se nonnullos auctores antiquos, est tamen iam adeò derelicta, ut videatur antiquata, & omni probabilitate carere. Quare graues Theologi non solum dicunt, eam esse falsam, sed addunt, non esse obligationem practicam reiterandi Sacramentum ita susceptum, ita enim docent *Sorus in 4. dist. 3. quest. vnica, art. 8.* & *Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap. 9. §. 10.* qui, quamuis loquantur de Sacramento Baptismi, eadem tamen est ratio de Sacramento Ordinis, cum non minus, sed maius sit periculum ex inualiditate Baptismi, quam Ordinis, qui certè sine Baptismo valido precedente validus esse non potest. Cum itaque hi Auctores non solum dicant, ordinationem illam validam esse, sed etiam doceant, non esse obligationem practicam reiterandi etiam sub conditione Sacramentum, potuit licite Sacerdos ita ordinatus amplecti opinionem probabilem horum Doctorum, & formare sibi iudicium practicum, quò iudicet, se posse licite persistere in primâ ordinatione sine vlla illius iteratione, etiã conditionata; hoc enim iudicium non versatur circa validum, sed circa licitum, & quamuis in Baptismo, Sacerdotio, & Episcopatu non possumus amplecti opiniones probabiles circa valorem, propter maximam necessitatem valoris certi in his Sacramentis, sed debemus amplecti opiniones magis tutas, etiam si sint minus probabiles; quando tamen probabilitas versatur circa licitum, regula generalis est absque vlla exceptione, quòd possumus amplecti in praxi opiniones probabiles, & sufficere iudicium vltimum probabile, quo iudico probabiliter, me hic, & nunc nullam habere obligationem, quale iudicium Sacerdos ille potest habere saltem per principia extrinseca, & sentire cum prædictis Doctoribus, sententiam contrariam negantem valorem dictæ ordinationis, non esse talem, ut reddat ordinationem dubiam, moraliter loquendo. Neque enim ad dubium morale ordinationis sufficit, quòd aliqui Auctores dixerint, illam non esse validam; si tamen constet eos absque fundamento sufficienti id dixisse. Alioquin si aliquis non exceptis Ordinibus minoribus accepisset Ordines sacros, & Sacerdotiũ, deberet iterum saltem sub conditione ordinari Sacerdos, nec sufficeret accipere Ordines minores omissos; quia non defuerunt Auctores,



ctores, qui negarunt, tunc validè Sacerdotium conferri, quorum meminit Cardin. Tolerus in *summa* lib. 1. cap. 50. paulò ante *finem*. Consequens autem est omninò absurdum: quis enim dicat, Sacerdotium collatum ante Diaconatum validum esse, ut constat ex titulo *de clerico per saltum promotò*; non tamen esse validum, si conferatur ante Ordines minores? sic ergo in casu nostro, quamvis aliqui negauerint, validè conferri Sacerdotium sine mathematica simplicitate probationis formæ, & contractus materiæ; potest tamen probabiliter iudicari, assertionem illam ita esse destitutam fundamento sufficienti, ut in praxi non reddat dubiam ordinationem, nec inducat obligationem reiterandi, prout Auctores citati iudicarunt, & docuerunt.

5 Addidi tamen, potuisse Titium ad maiorem suæ mentis quietem iterum sub conditione ordinari, nec peccatum Episcopum, qui postis aliis requisitis id in eius gratiam præstaret. Hæc autem assertio eodem ferè modo probari potest, quo præcedentem probauimus; quia nimirum, quamvis probabile sit, non esse obligationem, tunc reiterandi obligationem, ut vidimus: probabile tamen videtur saltem per principia extrinseca, posse eam sub conditione reiterari. Nam valorem primæ ordinationis negarunt Caiet. *opusculorum tom. 1. tract. 26. de collatione Ordinis*, Scotus in 4. *dist. 6. q. 2. art. 3.* Richard. *dist. 3. art. 4. q. 2.* Nauar. in *summa* c. 2. n. 17. Zambran. etiam *de casibus occurrentibus tempore mortis*, cap. 1. *dub. 2. dicto 2.* quem affert Diana p. 3. *tract. 4. de Sacramentis*, *resol. 6.* vbi, licet contrariam sententiam sequatur, illam tamen solum vocat probabilior. Vnde P. Iacobus Granado in 3. *p. controu. 9. de Sacramentis*, *tract. 1. disp. 6.* dicit, posse in prædicto casu reiterari sub conditione Sacramentum, imò addit, probabile esse, quòd sit obligatio illud reiterandi. quæ omnia proculdubio licitam reddunt ad minus reiterationem saltem per principia extrinseca ex auctoritate horum Doctorum, quorum aliqui licet loquantur de Baptismo, iam tamen diximus, eandem esse rationem de Ordine: & quamvis hi Doctores non reddant probabilem sententiam negantem valorem illius ordinationis; reddunt tamen probabilem licitam illius reiterationem conditionatam. quia, sicut diximus, iudicium illud dictans probabiliter saltem per principia extrinseca, non esse hîc & nunc obligationem reiterandi ordinationem, sufficere, ut possit quis licitè eam non

reiterare, cum in illa omissione amplectatur sententiam probabilem de omissione licita: ita è contra dicendum videtur, ut possit quis licitè ordinationem sub conditione reiterare, sufficere aliud iudicium practicum, dictans probabiliter saltem per principia extrinseca, posse licitè reiterari, quod sufficere, ut aliquis possit licitè amplecti practicè illud iudicium, & reiterare sub conditione ordinationem: nam in utroque casu operatur prudenter amplectens sententiam, & iudicium vltimum probabile dictans, esse licitum hîc & nunc reiterare, vel omittere ordinationem, quæ probabilitas non versatur circa valorem primæ ordinationis. (nam si illa iudicaretur solum probabiliter valida, deberet sub conditione repeti,) sed versatur circa licitam reiterationem, vel omissionem reiterationis, cum vna sententia probabilis dicat, hîc & nunc posse, alteram non debere repeti ordinationem.

## D V B I V M XXXIV.

*Utrum Ordines minores conferri possint in quocunque festo duplici, etiamsi non sit festiuus ex præcepto.*

Ratio dubitandi oritur ex verbis Pontificalis Romani, vbi in *tit. de Ordinibus conferendis*, dicitur in rubrica: *Minores verò Ordines possunt dari singulis Dominicis, & festiuis diebus duplicibus, ubicunque, in mane tamen.* quæ verba aliqui intelligunt de diebus quibuscumque, in quibus fiat Officium duplex, etiamsi non sit festum, quo ex præcepto populus debeat à feruilibus operibus vacare; quia illa etiam dies in rubricis Missalis, & Breuiarij vocatur *festum duplex*. Ita nouissimè tenet Diana p. 5. *tract. 13. resol. 97.* qui affert pro eadem sententia Homobonum de Bonis in *respons. casuum conscientie volum. 2. p. 5. respons. 207.* Tannerum *tom. 4. disp. 7. q. 3. dub. 2. num. 44.* & Franciscum Hallier *de sacris Ordinibus p. 2. sect. 7. cap. 1. art. 1. num. 2.* Fauet etiam Eman. Rodriguez *tom. 3. quest. regul. q. 23. art. 5. in fine*, licet non satis clarè loquatur. Clariùs loquitur Fagundez *de præceptis Ecclesie, præcepto 1. lib. 1. num. 15.* qui similia verba ita etiam applicat; & in nostris terminis Ioannes Præpositus in 3. *p. q. unica. de Sacramento Ordinis dub. 15. num. 150.*

Ego in ea fui semper sententia, ut festiui 2 dies ibi intelligi deberent ij soli, qui ex præcepto

præcepto feruari deberent. quod etiam tenent Naldus in *summa. verb. Ordo num. 15.* Barbosa *de potestate Episcopi p. 1. alleg. 11. num. 22.* & in *Collectan ad ius Canon. tom. 1. lib. 1. tit. 11. cap. 3. num. 5.* Azor. 2. *p. lib. 1. cap. 27. quest. vltimo*, & alij multi, quos refert Diana *dicta resolut. 97.* Ratio autem esse potest, quia in vulgari significatione, & loquutione, *festi* nomine intelligitur dies, in quo ab operibus feruilibus vacandum est, ut constat ex toto titulo *de feriis*. Vnde quando in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij*, præcipitur, ut denunciations fiant publice in Ecclesia tribus diebus festiuis, antequam matrimonium celebretur, semper intelligitur de tribus diebus festiuis ex præcepto, ut declaratum fuit in Concilio Prouinciali Mediolan. teste Diana *vbi supra*, & notat Basilus Pontius *lib. 5. de matrimonio, cap. 30. num. 7.* Et quidem in eiusmodi loquutionibus debere ita intelligi nomen *festi*, vel *dies festiui*, probari potest, quia, licet in ordine ad ritum recitandi Officium, & in rubricis Breuiarij *festum* soleat latius accipi, & comprehendere etiam dies, in quibus non sit præceptum abstinendi ab opere feruili; in dicto tamen decreto Concilij Tridentini, & aliis similibus non posset sine magno absurdo intelligi in ea lata significatione. Nam in Breuiario, & in Missali nomine *festi* appellantur, nõ solum quando fit Officium duplex, sed etiam quãdo fit Officium semiduplex, imò etiam simplex alicuius Sancti. Vnde passim in Missali apponitur Missa cum eo titulo, *in festo sancti N.* etiam quando Officium fit de Sancto simplici. Nemo tamen dicet, in Tridentino, & aliis decretis similibus nomine *dies festiui*, intelligi quamlibet diem, qua fiat Officium de Sancto etiam simplici. Non ergo accipitur *festi* nomen ibi iuxta rubricas Missalis, aut Breuiarij; sed iuxta vulgarem, imò iuxta iuridicam significationem. Nam in Breuiario pleno ore appellatur *festum*, quando fit Officium de Sancto simplici, ut constat ex rubrica 3. quæ est *de Officio simplici*, vbi *num. 1.* dicitur fieri Officium simplex in festis, quibus in Calendario non apponitur hæc vox *duplex*, vel *semiduplex*, & *num. 2.* dicitur *de festo simplici sit eo die quo cadit.* Vnde aduertendum est discrimen magnum, quo hæc vox *festum*, vsurpatur in rubricis Missalis, vel Breuiarij, & in iure: nam in dictis rubricis nomen *festi*, accipitur, ut contradistinguitur à diebus ferialibus, seu à feriis: in iure autem ferix intelliguntur esse dies

festiui, in quibus scilicet feriandum est, & vacandum ab operibus laboriosis, ut constat ex toto titulo *de feriis*. Quando ergo in iure reperitur nomen *festi*, non est intelligendum prout in rubricis, sed prout in ipso iure vsurpari consuevit.

Quia tamen obstinati erant in priori 3 opinione defendenda, quam saltem in praxi probabilem, & tutam putabant; idè iussu fel. record. Urbani VIII. in noua recognitione, & correctione Pontificalis Romani, in titulo *de Ordinibus conferendis*, expressè additum fuit, Ordines minores conferri posse omnibus Dominicis, & diebus festiuis *ex præcepto*, ut nemo amplius posset prætere, ibi etiam comprehendendi dies, qui in Breuiario appellantur *festi*. Nec obstat, quòd postea in titulo de Ordinibus minoribus non repetatur eadem correctio, sed solum dicatur, posse dari Ordines minores diebus Dominicis, & diebus festiuis duplicibus; iudicant enim, satis fuisse in titulo præcedenti explicuisse, quid intelligi debeat nomine *dies festiui*, ad tollendam omnem præsentam æquiuocationem. Et quidem, si ad rigorem Latine vocis attendamus, festus dies est solus, quò vacare oportet, sicut profestus, in quo licitus est labor: ut apparet ex illo Virgilij Georg.

*Quippe etiam festis quãdam exercere diebus,*

*Fas, & iura sinunt.*

Sicut etiam nunc apud Christianos quædam opera licita sunt diebus feriis ob necessitatem, vel consuetudinem. Cum ergo dies omnes, quibus laborare licet, dicantur *profesti*, consequens est, ut in rigore illi soli dicantur dies festi, in quibus ab iis laboribus abstinendum est. Vnde meritò illa alia interpretatio iussu Urbani VIII. facta prædicta explicatione, reiecta fuit, ut dictum est.

## De Sacramento Matrimonij.

## D V B I V M XXXV.

*An validum sit matrimonium contractum coram Sacerdote ex licentia Parochi, mortuo tamen Parocho ante contractum matrimonium.*

Ratio dubitandi sumi potest ex doctrina generali, quam cum aliis tradunt

Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio, disputat. 28. num. 71. & Basilius Pontius de matrimonio, lib. 8. cap. 19. dicentes, licentiam datam absolute ab Episcopo alicui Sacerdoti ad audiendas confessiones, non cessare mortuo Episcopo, aut amoto ab Episcopatu: quod idem dicendum videtur de licentia, seu delegatione ad assistendum matrimonio, cum eadem sit ratio in utroque casu.

In hoc tamen casu distinguendum duxi. Nam vel mors Parochi ignorabatur, quando matrimonium contractum fuit, vel non ignorabatur; in primo casu matrimonium validum fuit, non verò in 2. Ratio prioris partis est, quia, licet regula generalis sit, quòd mortuo delegante, re integra, perit potestas delegari, nec amplius valida sunt quæ ab ipso deinceps aguntur, vt tradunt Doctores, quos congerit Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 22. num. 55. Excipitur tamen casus, quo mors delegantis communiter ignoratur, quo casu communis error sustinet valorem eorum, quæ geruntur per delegatum, iuxta regulam communem traditam in l. Barbarius. ff. de officio Prætoris, & multis adductis confirmat idem Sanchez ibi num. 59. qui postea num. 61. in casu ferè simili breuiter notat, validum esse matrimonium, si Parochus licentiam assistendi matrimonio legitime concessam occultè reuocasset, stante communi reuocationis ignorantia, quia retinetur adhuc licentia ob titulum initio habitum, & communem errorem. Quare idem omnino dicere debuit hic Auctor casu, quo post datam legitime licentiam moriatur Parochus, & eius mors communiter ignoretur, vbi matrimonium celebratur communi errore interueniente, cum eadem sit ratio de reuocatione licentiæ, & de morte delegantis, vt constat.

3 Secunda verò pars, quòd scilicet matrimonium non valeat, si iam de morte Parochi constabat, probatur, quia iam tunc communis error, & ignorantia non proderat ad valorem actus, & aliunde potestas delegata ad vniuersum actum specialem, & determinatum, re integra, cessat morte delegantis, vt colligitur ex cap. sicut nulla, de præbendis lib. 6. & multis adductis probat idem Sanchez lib. 8. de matr. disp. 28. n. 64. 65. 73. & 89. vbi differentiam affert, & probat inter delegationem ad casum determinatum, & eam, quæ fit ad casum, & personas indeterminatas. Videatur etiam Basilius Pontius de matrimonio, cap. 24. vbi expressè nostram sententiam sustinet.

## D V B I V M XXXVII

*Utrum possit Sacerdos regularis assistere matrimonio, vbi nec est, nec unquam fuit Parochus.*

**D**ubium hoc propositum nuper fuit ab iis Societatis Religiosis, qui apud Indos prædicationem fidei Christianæ procurant, & qui ea occasione sæpè ad eas Prouincias perueniunt, in quibus nec Evangelij notitia habita fuerat, & multò minus Parochiales Ecclesiæ erectæ, vel Parochi destinati.

Respondi, de ipsis Indis, qui accolæ sunt illius regionis, de quibus solis quærebatur, non esse dubium, quòd possint, etiam postquam baptizati sunt, contrahere absque proprio Parocho, qui ibi nullus est: alioquin ob susceptum Baptismum cogentur omnes cælibes manere, vel in longinquas regiones peregrinari, vt vxores ducerent; quod longè abest à sensu Ecclesiæ. Ratio autem est, quia decretum Tridentini sess. 24. cap. 1. de matrimonio, in quo præsentia proprii Parochi, vt necessaria inducitur ad valorem matrimonij, expressè id limitat, vt non obliget, nisi post 30. dies elapsos à diè primæ publicationis eiusdem decreti in illa Parochia factæ numerandos: quare, non extante Parochia, in qua publicatio fiat, nunquam incepta obligatio; debet tamen vitari, ne clandestinè fiat matrimonium: quia licet validum esset, illicitè id fieret propter iura antiqua, & leges Ecclesiasticas, quæ matrimonia clandestina prohibuerunt, & quæ suam vim vbique retinent.

Maior esset difficultas de Hispanis, vel aliis, qui ad illas regiones denuò perueniunt, de quibus etiam, dum animum ibi permanendi, & domicilium constituendi haberent, idem esset dicendum. De iis verò, qui sine animo permanendi, aut domicilium acquirendi ibi sunt, variæ sunt opinioniones, quas refert Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 18. num. 31. & sequentibus, qui num. 35. affirmat, captiuos, & mercatores Christianos, qui per modum hospitij sunt apud Infideles, posse validè contrahere ibi matrimonium absque Parocho, quamuis incolæ sint eorum locorum, in quibus Tridentinum obligat, cum ibi, vbi tunc sunt, nunquam fuerit publicatum Tridentini decretum: quod etiam sequitur Basilius Pontius cum aliis, quos refert

lib. 5. de matrimonio, cap. 9. num. 2. & 7. imò Sanchez ibi num. 29. & Pontius num. 4. addunt, idem dicendum, quamuis aliquis ex industria transiret ex loco suo, quo obligat Tridentini decretum, ad locum vbi non obligat, vt ibi sine Parocho contraheret matrimonium, & postea ad suum locum rediret.

4 Hoc tamen vltimum de transeuntibus cum fraude ad alium locum, vt possint absque Parocho contrahere, absque animo ibi permanendi, ego non audeo probare, cum non placeat Eminentissimis Cardinalibus sacri Concilij Tridentini interpretibus, à quorum sacra Congregatione responsum fuit, eiusmodi matrimonia valida non esse, & eorum responsum ad instantiam Archiepiscopi Colonienfis, Urbanus VIII. speciali Breui muniuit, cuius exemplar decem ab hinc annis accepi ex autographo, quod (vt mihi scriptum fuit) in Archiuo D. Officialis prædicti Archiepiscopi asseruabatur. quare placuit ad verbum prædictum Pontificium Breue subiicere.

## V R B A N V S Papa VIII.

**A**d futuram rei memoriam. Exponi nobis fecit Venerabilis frater Archiepiscopus Colonienfis, quòd habito nuper per eum ad Venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales sacri Concilij Tridentini interpretes recursu super infra scriptis dubiis, videlicet. Primo, an incola tam masculi, quam femina loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonij est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho, & testibus contrahere. Secundo, quid si eò præfati incola, tam masculi, quam femina, solo animo sine Parocho, & testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutant? Tertio, quid si iidem incola tam masculi, quam femina eò transferant habitationem illo solo animo, vt absque Parocho, & testibus contrahant? Idem Cardinales ad primum, & secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude: ad tertium verò dubium huiusmodi, si domicilium verè transferatur, matrimonium esse validum responderunt, & resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem huiusmodi, pro illius substantia, & validitate firmiori Apostolica nostra confirmationis robore communi summo opere desideret. Nos eundem Archiepiscopum specialibus fa-

uoribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem huiusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolica firmitatis robur adiicimus. Decernentes illud, seu illam, nec non præsentem litteras, validas, firmas, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque, & iuxta illa per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Auditores, iudicari, & definiri debere, ac irritum, vel inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Roma apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 14. Augusti anno 1627. Pontificatus nostri anno quinto.

In quo Cardinalium responso aduerto, illos doctrinam restrinxisse ad eos, qui ex industria per breue tempus transibant ad locum alium, vt sine Parocho, & testibus contraherent, & idèd addiderunt fortasse in responso verba illa, cum fraude, quæ in interrogatione non fuerant formaliter expressa: quo casu negari non potest, communem Doctorum sententiam negare matrimonium illud posse validè fieri, quidquid sit, an in aliis casibus valeat, quando ob negotia, vel mercimonia, aut ob alios euentus ibi contrahentes inueniuntur, de quibus Cardinales nihil voluerunt definire. Vnde meritò P. Diana lib. 6. tract. 7. resolut. 29. licet propenderet ad sententiam affirmantem, matrimonium valere etiam quando ex industria acceditur ad illum locum; quia tamen cuiusdam alterius similis declarationis notitiam habuit, ab ea sententia discessit.

## D V B I V M XXXVII.

*De matrimonio celebrato coram Parocho minus principali.*

**C**asus hic non eodem, sed diuerso modo olim proponebatur à duobus litigantibus. Titius impugnans matrimonium cum Berta contractum dicebat, Bertam domicilium suum in vno oppido habuisse, in quo communiter degebat; solitam tamen æstate ad alium frigidiorum locum, diuertit,

diuerſi, in quo ad vitandum æſtum quatuor æſtiuis menſibus morabatur. quo tempore Titius illac tranſiens, & illius hoſpes, egit de illa in coniugem ducenda, & denique coram Parocho illius oppidi, & teſtibus cum ea matrimonium contraxit, quod prætendebat validum non fuiſſe, cum ille non eſſet proprius ſponſæ Parochus, ſed ille alius loci, in quo per octo menſes degebat.

Et quidem ſtante veritate huius narrationis, videbatur mihi ſatis benè fundata intentio Titij contra valorem matrimonij, quia in cap. is qui, de ſepulturis, in 6. expreſſè deciditur, transferentem ſe ad villam cauſâ recreationis, vel ad ruralia exercenda, non fieri villæ Parochianum, ſed illius loci, in quo habet domicilium. Et ita in caſu matrimonij videtur expreſſè deſiſſum à ſacra Rota in nouiſſimis, deciſione 656. in initio, volum. 1. quam aſſert Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio, diſp. 23. num. 12. poſt medium, vbi decretum fuit, non valere matrimonium contractum coram Parocho morali, quia probatum fuit, non ſolere contrahentes eſſe ruri maiore parte anni, neque etiam pro dimidia, ſed tantum per tres, aut quatuor menſes, quod à fortiori magis conſtabit ex dicendis pun-cto ſequenti.

3 Maior itaque difficultas oriebatur ex narratione Bertæ, quæ pro matrimonij valore allegabat, dicens, ſe habuiſſe duplex domicilium in illis duobus locis, in quorum altero degebat hyeme per ſeptem menſes, in altero æſtate per menſes quinque. Eſt autem conſtans apud Theologos, & Iuriſtas doctrina, eum, qui duo habet domicilia, poſſe in ſingulis Sacramenta recipere, & matrimonium contrahere ſaltem eo tempore, quo ibi commoratur, vt cum aliis multis, quos refert, probat Sanchez dicto lib. 3. diſp. 24. num. 2. Quamuis autem communiter exigatur, quod habitatio in ſingulis Parochiis debeat eſſe pro æquali parte anni, vt quis cenſeatur habere domicilium in vtraque, & contrahere matrimonium in præſentia Parochi vtriuſque, argumento textus in cap. 2. de ſepulturis in 6. illa tamen æqualitas non exigitur mathematica, ſed moralis, ita vt vel æquali, vel ferè æquali parte in alterutra Parochia quis habitet, vt cum aliis docet idem Sanchez vbi ſuprà, numero 3. Quare videbatur Bertæ habere domicilium in Parochia æſtiua, ſi in ea per quinque menſes æſtatis degeret, cum quinque menſes parum diſtaret à dimidia

anni parte, atque adeò videretur ferè dimidia anni parte ibi habitare.

Adhuc tamen dixi, ſtante etiam Bertæ narratione, non carere difficultate valorem matrimonij; quia in primis Doctores ad duplex domicilium, & Parochiam videntur communiter exigere æqualem habitationem in vtroque loco, argumento textus in dicto cap. 2. de ſepulturis in 6. in illis verbis, cum ab eo qui duo habet domicilia, ſe collocans, æqualiter in vtroque; & in l. aſſumptio. §. viris prudentibus. ff. ad municipalem, vbi dicitur: Viris prudentibus placuit, duobus locis poſſe aliquem habere domicilium, ſi vtroque ita ſe inſtruxit, vt non idè minus apud alteros ſe locaſſe videatur. Quo etiam rigore loqui videntur Nauarrus apud Sanchez ibi num. 2. & Cephalus apud Menochium tom. 4. conſil. 398. num. 21. & Tiraquell. adductus ab eodem num. 24. Deinde, quamuis demus ſufficere illam æqualitatem moralem, qua ferè æqualiter vtroque habitat; non videtur tamen in caſu noſtro æqualitas moralis reperiri.

Pro quo aduertendum eſt primò, hanc 5 comparationem non debere fieri cum dimidia parte anni, ſed cum tempore, quo habitat in altero loco: debet enim verificari, quod æqualis, vel ferè æqualis ſit habitatio in vtroque loco; quare non eſt conſiderandum, an habitatio per quinque menſes ſit æqualis, vel ferè æqualis eum habitatione per dimidium anni, ſed an ſit ferè æqualis cum habitatione per ſeptem menſes, quibus Bertæ in altero loco habitabat.

Aduertendum ſecundò, quando aliqua 6 duo dicuntur ferè æqualia, vel quaſi æqualia, arbitrio prudentis viri, conſiderandum eſſe exceſſum vnus ſupra aliud, vt verificentur illa verba. Et in primis certum eſt, quatuor menſes comparatos cum octo, non poſſe dici partes æquales, vel ferè æquales, vt ſuppoſuit Rota apud eundem Menochium vbi ſuprà, num. 5. imò idem Menochius 2. de arbitr. iudic. caſu 45. dicit, ſtatuto Mediolanenſi declaratum eſſe, quod particula, vel circa, comprehendit quinque pro quolibet centenariò, & non plus; ſed in lege hac adiectio 192. ff. de verborum ſignificatione, gloſſ. 4. indicat, ſignificari poſſe ad ſummum quartam partem ſummæ, de qua agitur.

7 Quibus ſuppoſitis, non videntur poſſe dici ferè æquales illæ duæ habitationes, & per conſequens non poterit verificari quod Bertæ habitaret ferè æqualiter in vtraque Parochia:

Parochia: nam quinque menſes æſtiui habent ad ſummum 154. dies, ſeptem autem menſes hyberni habent ad minus 210. dies. quas ſummas nemo dicit eſſe ferè æquales: nec exceſſus eſt in ſola quarta parte, nam exceſſus continet ad minus 56. dies, qui ſunt pluſquam quarta pars ſummæ etiam maioris: non ergo ſunt moraliter æquales illæ duæ habitationes, cum tempus vnus non ſit æquale, aut ferè æquale tempori alterius, atque adeò non ſufficit ad conſtituenda duo domicilia. Nam, ſicut homo 50. annorum non dicitur ferè coætaneus homini annorum 70. ſic quinque menſum habitatio non poteſt dici ferè æqualis habitationi ſeptem menſum, cum eadem ſit proportio.

8 Accedebat primò inæqualitas non ſolum in quantitate, ſed etiam in qualitate: nam Bertæ Principiſſa erat, cuius curia, & Magiſtratus reſidebant ſemper in loco, vbi maiori parte ipſa Bertæ degebat. quod ſolent attendere, & conſiderare Doctores ad decernendum, quod ſit Principis domicilium, de quo videri poſſunt Gabriel in 4. diſt. 17. q. 2. art. 3. dub. 2. Marianus Socinus in cap. licet, de foro competentis, num. 21. & ex Paludano Sylueſter verb. Confessor 1. num. 3.

9 Secundò accedebat, quod alij Doctores conſiderare ſolent ad hunc effectum contrahendi matrimonium, illud tempus attendendum eſſe, in quo includitur Paſcha, quo tempore fideles Parochum ſuum agnoſcere ſolent in Sacramentorum receptione. Conſtat autem Bertam tempore Paſchatis non apud Parochum illum ruralem, ſed apud illum alium degiſſe, cum ſolis quatuor, vel quinque menſibus æſtiuis in illum alium locum minus calidum diuertere ſolita eſſet. Quare hæc temporis qualitas augeat exceſſum vnus partis ſupra aliam, vt notarunt plures, quos aſſert Menochius dicto conſil. 398. num. 32.

10 Nec videtur obſtare id, quod pro parte Bertæ allegabatur, nempe Principem cenſeri habere domicilium in ſingulis locis ſibi ſubditis. Nam præterquam quod id non ſolidè probatur, & dato quod eiſmodi priuilegium alicubi extaret, intelligi deberet in ordine ad aliquos alios affectus, non verò in ordine ad contrahendum matrimonium in præſentia cuiuſlibet Parochi ſui principatus, vt in ſimili obſeruauit Thomas Sanchez dicto lib. 3. diſput. 19. num. 3. Nam Concilium Tridentinum exigens præſentiam proprii Parochi, aperte intelligit de Parocho proprio, apud quem

verè, & non per iuris fictionem contrahentes habitant in proprio domicilio. Sicut etiam ſi aliquis Romæ habitans fiat ex priuilegio ciuis, & nobilis Venetus, non idè poterit coram Parocho Veneto Romæ matrimonium contrahere.

Quod ruruſus ab abſurdo probari poteſt, 11 quia ſi domicilium illud, quod Princeps prætendebat habere in ſingulis locis ſui dominij, ad hunc effectum deſeruire poſſet, peto ſi in aliquo loco plures Parochiæ, & Parochi ſint, cuiuſnam ex illis Parochiis præſentia deſideratur ad valorem matrimonij? an alicuius determinati, an cuiuſlibet ex iis omnibus? Si dicas primum, non apparet, cur huius magis, quam illius ponamus enim, Principem nec ibi habitare, nec habere palatium, aut domum propriam vllam in loco illo; non eſt ergò ratio, cur magis ad Parochum huius, quam illius Eccleſiæ recurrere debeat pro contrahendo matrimonio. Si verò dicas ſecundum, nempe poſſe eligere Parochum, quem voluerit illius loci, videtur id omnino falſum: nam domicilium fictum, & ex priuilegio, non debet eſſe melioris conditionis, nec plus operari, quam domicilium verum. Qui autem habet verum domicilium in eo loco, non poteſt contrahere matrimonium coram quolibet Parocho illius loci, ſed ſolum coram illo, in cuius Parochia domicilium habet: nec ipſemet Princeps, ſi ibi degeret, poſſet contrahere, niſi coram Parocho illo, qui eſt Parochus palatij Principis, & eorum, qui in eo habitant. Ratio autem eſt, quia quamuis darem, Principem habere priuilegium domicilij in ſingulis oppidis ſui principatus, nemo tamen dicit, quod habeat domicilium in ſingulis Parochiis ſuæ curiæ, & multò minus aliarum ciuitatum, vel oppidorum ſui territorij. Fatendum ergo eſt, ne ad hæc abſurda deueniamus, Principem in ordine ad contrahendum matrimonium non habere domicilium in omnibus ſuis locis, ſed debere contrahere coram Parocho illo, apud quem habet verum, & reale domicilium, & non per ſolam iuris fictionem.

Scio, Baſilium Pontium lib. 5. de matrim. cap. 13. velle parui etiam temporis habitationem ſine vero domicilio ſufficere, vt coram Parocho illius habitationis validè contrahatur matrimonium; eius tamen ſententia communiter non admittitur.

Hæc itaque tunc reſpondi, proteſtatus, 12 me id ſolum dicere in ordine ad conſcientiam Titij interrogantis, non ad inſtruen-



dos iudices in foro externo, qui maiori attentione merita, & allegationes vtriusque partis in causa illa grauissima considerare debebant, vt pro valore matrimonij, vel contra illum iudicialiter definirent.

D V B I V M XXXVIII.

An possint Religiosi assistere valide matrimonio suorum familiarium.

1 Videbatur aliquibus posse id fieri, qui mouebantur verbis priuilegij à Paulo III. concessi Societatis Religiosis in Bulla incipiente, *Licet debitum*, data anno 1549. decimoquinto Kalend. Nouembris; vbi inter alias concessionem ponitur hæc: *is vero, qui in ipsorum Præpositorum, & Sociorum morantur obsequiis, cuncta libere ministrare possint Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos, cum decedunt, in eorum cæmeteriis sepelire.* vbi illa Sacramentorum vniuersalitas videbatur matrimonium etiam comprehendere. quam facultatem agnoscere videtur Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10. de Instituto Societatis, lib. 9. cap. 4. num. 20.

2 Respondi tamen, id proculdubio fieri non posse, nisi in illis locis, vbi Regulares munus Parochi exercent: prout etiam fatetur Ioan. Baptista Lezana tom. 2. quæst. Regul. cap. 15. num. 18. Ratio autem est, quia post decretum Concilij Tridentini sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, præsentia proprii Parochi est de substantia ad valorem contractus; fieri ergo non potest, vt qui Parochus non est, id suppleat, nisi de eiusdem licentia assistat. Sicut nec potest sine aliis duobus testibus ab eodem Tridentino requisitis validè contrahi; Parochus enim exigitur etiam vt testis qualificatus: quare deficiente Parocho, deficeret valor matrimonij, non ex defectu ministri, propriè loquendo, sed ex defectu testis, requisiti ad valorem talis contractus.

3 Nec Suarez loco citato dixit, priuilegium ad id etiam extendi, imò id expressè negat num. 19. dicens, hanc assistentiam ad valorem matrimonij loco Parochi nunquam esse Religiosis concessam aliquo priuilegio extra loca, in quibus Parochi munus exercent. Postea verò num. 20. non loquitur de hac assistentia, sed de benedictione solemnium nuptiarum, quæ quidem non spectat ad valorem matrimonij, sed ad ritum, & ceremoniam quamdam Ecclesiasticam, quam

benedictionem faretur etiam non posse licitè adhiberi à Religiosis, in iis saltem regionibus, in quibus alij sunt Parochi, vel Episcopi proprii, & hoc quamuis casu ob aliquod impedimentum contingat Parochum tunc deesse, quia nimirum defectus ille non est de re admodum necessaria. Non ergo putat Suarez, posse Religiosum assistere matrimonio, vbi Parochi sunt, sed solum dixit, posse Religiosos Societatis ex priuilegio benedicere nuptias in illis regionibus, in quibus nec Parochi, nec Episcopi proprii sunt.

Nec etiam obstant verba illa Pauli III. 4 supra adducta concedentis Religiosis Societatis facultatem ministrandi Sacramenta suis familiaribus actu inferuentibus; quia in primis, etiam si ibi data etiam esset facultas assistendi eorum matrimonio, id totum reuocatum postea fuit per Tridentinum, in quo sicut exigitur ad valorem matrimonij præsentia duorum testium, sic etiam exigitur ad eundem valorem præsentia tertij testis qualificati, qui sit contrahentium Parochus: quare, sicut non deseruiret illud priuilegium, vt possent Religiosi assistere matrimonio familiarium sine testibus; sic nec deseruiret, vt possent assistere eidem matrimonio, sine præsentia trium testium, quos Tridentinum exigit, quorum vnus debet esse Parochus contrahentium, qui non minus à Tridentino exigitur, quam alij duo testes: præsentem autem Parocho, & aliis duobus testibus, certum est posse etiam validè contrahi matrimonium familiarium coram Religiosis; imò ipsi Religiosi poterunt esse ex numero trium testium requisitorum, dummodò vnus ex illis testibus sit ipse Parochus.

Adde, priuilegium illud solum dare facultatem ministrandi Sacramenta familiaribus; Parochus autem non ministrat in rigore Sacramentum matrimonij contrahentibus, sed est testis qualificatus assistens: quare facultas mera ministrandi non potest extendi ad assistendum loco testis qualificati ad valorem contractus requisiti; qui enim proximè ministrat, & confert hoc Sacramentum, sunt ipsimet contrahentes, qui sibi adinuicem illud conferunt, & ministrant, vt cum aliis tradunt Thomas Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 6. & Basilius Pontius lib. etiam 1. de matrim. cap. 3.

Obiici possent verba quædam, quæ Suarez loco supra citato attulit ex compendio priuilegionum Societatis. verb. *Sacramenta, in fine*, vbi relata prius facultate à Paulo III.

lo III. Religiosis Societatis concessa, *ministrandi fidelibus Eucharistiam, & alia Sacramenta sine alicuius præiudicio.* Subditur à collectore nomine Præpositi Generalis hæc declaratio. *De Extrema Vnctione quoad familiares, vide verb. Extrema Vnctio, & verb. familiares: quæ quoad reliquos poterit etiam, in necessitate tamen, & sine præiudicio administrari. Baptismus autem in necessitate omnibus, quod ius commune habet. Matrimonium vero nulli, nisi in Prouinciis illis, in quibus necessitatis causa id à Generali Præposito permissum fuerit.* quæ verba P. Suarez intelligit, non de assistentia loco Parochi requisita ad valorem matrimonij, sed de benedictionibus nuptiarum, quas dicit posse ex licentia Præpositi Generalis adhibere prædictos Religiosos in iis locis, vbi non sunt Parochi, nec Episcopi, vt supra retulimus.

7 Ego tamen prædicta verba magis intelligo de assistentia ipsa ad contractum matrimonij: neque enim nisi impropriissimè dicitur ministrare matrimonij Sacramentum, qui coniuges biennio post contractum matrimonium solemniter benedicit. Quamuis autem nec Parochus ipse, dum assistit, ministret propriè Sacramentum matrimonij, vt supra diximus; aliquando tamen iuxta subiectam materiã solet sub verbo ministrandi comprehendere; atque idè quado Parochus generaliter alicui committit, vt loco sui ministret omnia Sacramenta, intelligitur data licentia assistendi matrimonio, vt de facto respondit sacra Congregatio Interpretum Tridentini, his verbis: *Requiritur vel commissio generalis administrandi omnia Sacramenta, vel si hæc non adsit expressa, & specialis.* &c. prout habetur in meis manuscriptis, & refertur etiam ex Farinac. apud Basilium Põtium lib. 5. de matr. c. 29. n. 1. & 2. vbi impugnat Aegidium de Coninch dicentem, illis verbis non comprehendere matrimonium, quia ibi Sacerdos nõ est minister. Sed sacra Congregatio censuit sufficere, quia in regulari sermone frequenter dicitur Parochus illud etiam Sacramentum administrare: in eo ergo sensu vsurpatur verbũ illud in prædicto loco Compendij, priuilegiorũ Societatis.

8 Hinc tamen non sequitur, quòd putauerint, Generalem Societatis posse vi sui priuilegij dare suis subditis facultatè assistendi matrimonio loco Parochi, vbi Episcopi, vel Parochi alij sunt. Nam, si hoc esset, sequeretur, quòd non solum matrimonio familiarium, sed etiam non familiarium, & extraneorum possent ex licentia sui Generalis assistere, sicut possunt illis alia Sacramenta ministrare, quod est manifestè falsũ.

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

Verba ergo illa non debent intelligi quasi communicatio priuilegij, quòd Generalis communicet pro aliquo casu, sed quasi declaratio præcedentis priuilegij, nimirum, vt sciant subditi, virtute illius priuilegij non posse omnia Sacramenta ministrari, sed aliqua, nimirum confessionem, & Eucharistiã; reliqua verò non nisi in certis casibus, quod ex ipsius cõcessionis forma colligi poterat, in qua administratio Sacramentorum conceditur sine alicuius præiudicio. Quare, cum Baptismus, & Extrema Vnctio non possint ministrari sine præiudicio proprii Pastoris, nisi in casu necessitatis, idè ibi hoc ipsum declaratum, & in memoriam redactum fuit, exceptis solis familiaribus domesticis, quibus aliàs ex speciali priuilegio Extrema Vnctio conferri poterat. Imò etiam Eucharistia in articulo mortis, & in Paschate, in quibus casibus est Sacramentum necessarium, & ideo eius administratio ad propriũ Parochum spectat, non potest à Religiosis ministrari, quia id non fieret tunc sine Parochi præiudicio. Consequenter ergo idem de matrimonio ibidem explicatur, non comprehendendi sub ea generali concessione eius administrationem, quod quidem verissimum est, tum quia id sine Parochi præiudicio non fieret, tum etiam, quia deesset aliquid substantiale ad valorem Sacramenti requisitum, nempe præsentia proprii Parochi. Illa ergo verba in prædicto compendio addita, non sunt ad coarctandam facultatem, quam ex concessione Pauli III. Religiosi possunt habere, sed ad declarandum defectum facultatis, ne aliquis generalitate verborum deceptus putaret, ad hos etiam casus concessionem posse extendi.

Peret aliquis, quam vim habeant in concessione verba illa: *Eucharistiam, & alia Sacramenta ministrare?* videtur enim ibi dari specialis facultas ad plura Sacramenta præter Eucharistiam; ergo non ad solam confessionem, & Eucharistiam. Responderi potest cum Patre Suarez vbi supra dicto cap. 4. num. 9. priuilegium illud deseruire, vt deficiente, vel absente Parocho, & in casu necessitatis, non solum possint illi Religiosi sine scrupulo ob varias opiniones, quæ in eo puncto non desunt, ministrare, v. gr. Extremam Vnctionem, nec quoad possint ab aliquo impediri: sed etiã, vt eo casu non possit alius simplex Sacerdos id facere, præsentem Religioso Societatis, qui cum sit à Summo Pontifice delegatus ad ministrandũ, eo casu cessat iam necessitas, & absentia ministri ordinarij, & delegati, in qua sola necessitate, & absentia talis ministri, posset quilibet Sacerdos

Sacerdos id munus exercere: quod idem cum proportione de Baptismo in casu necessitatis dicendum est. Ex quibus omnibus constat id quod ab initio intendimus, certum esse, nempe non habere Religiosos privilegium assistendi matrimonio suorum familiarium loco Parochi in iis locis, in quibus Parochi, vel Episcopi destinari solent. quod usus, & consuetudo satis ostendit, cum nunquam Religiosi id munus ausi fuerint sibi virtute suorum privilegiorum usurpare.

## D V B I V M XXXIX.

*An facultas dispensandi, excepto primo gradu, extendatur ad primum gradum affinitatis ex copula illicita.*

**A**liquibus in regione longinqua concessa fuerat pro faciliore reddenda Infidelium conversione, facultas dispensandi in impedimento matrimonij, excepto primo gradu; dubitatum fuit, an possent adhuc dispensare in impedimento affinitatis saltem in linea transversa in primo gradu, quando ortum fuit ex copula illicita. v. gr. ut aliquis duceret uxorem, cuius sororem antea cognoverat; videbatur enim aliquibus non fuisse excepta dispensatio in eo impedimento, quia facilius concedi solet dispensatio in illo, quam in secundo gradu consanguinitatis: cum ergo ad hunc casum extendatur illa facultas, extendi etiam credendum est ad illum alium faciliorem, iuxta regulam vulgarem, quod cui conceditur quod est plus, concedi etiam videtur quod est minus. quam regulam pluribus exemplis exornant, & declarant Doctores, quos congerit Thom. Sanch. lib. 8. de matr. disp. 1. n. 31. & videtur a fortiori locum habere in casu nostro, in quo non est sermo de dispensatione, quae regulariter est strictè interpretanda; sed de facultate ad dispensandum, quae est latè interpretanda, ut ex communi Doctorum sententia probat latè idem Sanch. ibi disp. 2. n. 1. qui postea n. 6. probat, hanc latam interpretationem locum habere, quando non conceditur facultas ad petitionem illorum, cum quibus dispensandum est, sed ad petitionem eorum, qui dispensaturi sunt.

**R**espondi tamen, ex vi illius facultatis non posse dispensari in primo gradu affinitatis etiam ex copula illicita. Et quidem, si impedimentum sit in linea recta: ut si aliquis copulam habuit cum matre, vel filia illius, quam ducere vult in uxorem, res videtur

certa, quia in primo gradu lineae rectae semper aestimatur difficilior dispensatio, quam in secundo consanguinitatis lineae transversae. Vnde saepe expediuntur dispensationes in secundo gradu consanguinitatis in foro externo, nunquam autem concessa est in primo affinitatis ex copula licita in linea recta, ut infra videbimus *dubio sequenti*. Quamvis autem in foro conscientiae aliquando concedatur in eo gradu affinitatis ex copula illicita in linea recta, id non arguit, faciliorem esse eam dispensationem, quam in secundo gradu consanguinitatis.

Loquendo verò de impedimento affinitatis in gradu transverso ex copula illicita, adhuc non credo, concessum in praedicta facultate excipiente generaliter primum gradum; quia illa reuera esset dispensatio in primo gradu, & Pontifex solum concessit facultatem pro aliis gradibus, & expressè negavit pro primo. Regula autem illa, quod cui conceditur quod est plus, conceditur quod est minus, plures habet falentias, ut constat ex c. cui de non sacerdotali, de praebedis in 6. vbi, cui integra praebenda conferri mandatur, vacante interim aliqua praebenda dimidia, non potest haec ei conferri, quia non haec, sed aliqua ex praebendis integris conferenda ei erat ex vi concessionis factae. Quare regulam illam intelligi debere de iis, quae sub re concessa, ut partes, vel ut particularia sub genere uniuersali concessio comprehendendi possunt, notauit Basil. Pontius lib. 8. de matr. c. 21. n. 6. & seqq. c. 13. n. 10. vbi ferè in terminis nostri dubij aduertit, quamvis Commissarius Cruciatè in Hispania habeat facultatem dispensandi in impedimento ad petendum debitum orto ex superueniente affinitate; non tamen posse dispensare in simili impedimento orto ex cognatione spiritali superueniente. eo quod verba concessionis (ait ille) sint expressa de impedimento affinitatis, neque liceat colligere extendendam esse concessionem. Nam, licet dispensandi potestas latè interpretanda sit: ad eos tamen casus extendi debet, qui sub concessionis verbis comprehenduntur, ut dixi supra. Haec ille, quam doctrinam antea tradiderat expressè Thom. Sanch. dicto lib. 8. de matr. disp. 2. n. 15. & clarissimo exemplo comprobauerat his verbis: Regula, (inquit) Cui licet quod est plus, licere quod est minus, locum habet, quando minus continetur in maiori tanquam pars in toto, vel species in genere, ut communiter ibi tradunt Doctores, & constat, nam potens ex privilegio in irregularitate homicidij voluntarij dispensare, non potest in irregularitate excommunicati celebratis, quae multo minus est. Ad quod

posset

posset etiam afferri exemplum ex Tridentino sess. 24. cap. 6. de reform. vbi conceditur Episcopis facultas dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto in foro conscientiae, excepta irregularitate ex homicidio voluntario: quare poterit Episcopus dispensare in irregularitate orta ex prauo usu Ordinum, vel ex homicidio grauius culpabili casuali, non tamè poterit ex illa concessionem dispensare in irregularitate orta ex defectu lenitatis, quae multo minor est; quia nimirum haec non continetur sub irregularitatibus ex delicto, de quibus solis concessionis verba loquuntur. Nec obstant aliqua iura, quae in contrarium solent afferri ad probandum, concessionem extendi debere ad casus minores: quia in iis vel sermo est de minori contento in maiori concessio, vel sunt concessionem contentae in corpore iuris, quae idcirco latius sunt interpretandae; vel ad est in illis specialis ratio, ut videri potest apud Sanchez dicto lib. 8. disp. 1. n. 32. & Basilium Pontium vbi supra, c. 21. n. 9. & sequentibus. Cum ergo in casu nostro verba concessionis loquantur solum de aliis gradibus praeter primum, non videtur posse tutè ad primum affinitatis extendi, etiamsi oriatur ex copula illicita in linea transversa; quia haec nullo modo comprehenditur in gradibus aliis praeter primum, de quibus solis facultatis verba loquuntur.

## D V B I V M XL.

*An possit Pontifex dispensare cum aliquo ad contrahendum matrimonium cum sua nuru.*

**C**asus hic acriter fuit in Vrbe controuersus publicè inter viros doctos aliquot ante annos, postulante supremo aliquo Principe eiusmodi dispensationem. Potest autem duplex esse sensus. Primus est, an possit validè Pontifex in eo impedimento dispensare. Secundus est, an possit etiam licitè, & an prudenter ageret dispensando. Circa primum punctum affirmat prima sententia, posse Summum Pontificem validè dispensare. Pro hac afferuntur Alexander Alensis, Caiet. Abulens. Albertus Pighius, Supplem. Gabrielis, Ancona. Loazes, Armilla, Martinus, & Petrus Ledesma, Veracuz, Ouandus, Henriquez, Sa, Vega, & alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. de matr. c. 34. n. 5. Rebellus de obligat. iust. 2. p. lib. 3. q. 15. n. 10. quibus adde Ioannem Praepositum, Gasparem Hurtadum, Maratium, Bonacinam, & alios, quos affert, D. Io. Card. de Lugo Respon. mor.

& sequitur Diana p. 4. tract. 4. Miscellaneis, resol. 93. quare negari non potest, eam sententiam probabilem esse, atque aded, si Pontifex de facto dispensaret, id faceret iuxta probabilem tot doctissimorum hominum sententiam. Fatentur tamen ingenuè aliqui ex his Auctoribus, quamvis hoc matrimonium non sit iure naturae irritum, atque aded possit validè à Pontifice in eo impedimento dispensare: continere tamen tantam turpitudinem, & indecentiam, ut sine maxima causa non possit licitè fieri, ob cuius causae defectum nunquam haecenus Pontifices dispensarunt. Ita Sanchez vbi supra, num. 9. in fine.

Secunda sententia dicit, esse iure naturae irritum, nec posse à Summo Pontifice validè dispensari. hanc tenent à fortiori, qui dicunt affinitatem in linea recta impedire iure naturae non solum in primo gradu, sed in infinitum, sicut in consanguinitate, hi sunt Ioannes Andreas, Praepositus, Henricus, Paludanus, Astensis, Lambertinus, Montaluus, Gregorius Lopez, Syluester, Petrus de Soto, Philiareus, & alij, quos affert idem Sanchez vbi supra, n. 5. Loquentes autem de hoc primo gradu, eam tenent S. Thomas in illud 1. ad Cor. 5. Omnino auditur inter vos fornicatio, &c. sect. 1. Antoninus, Franciscus Somnius, Victoria, Catherinus, Dominicus Soto, Nauarrus, Couarru. Valentia, Vasquez, Ludouic. Lopez, Vivaldus, Humada, Cannedo, & alij, quos affert Sanchez ibi, num. 6. item Canariensis apud Pontium vbi supra, Syluius, Tannerus, Layman, Coninch, Zanardus, Zecchius, Estius, Chamerota, & alij, quos affert Diana loco citato, & grauius eam sententiam probat Card. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 38.

His itaque duabus sententiis suppositis, quarum utraque, speculatiuè loquendo, probabilis est; ego in praedicta controuersia breuiter dixi, dubium quidem esse, an possit Summus Pontifex validè dispensare: certum tamen esse requiri maximam, & extraordinariam causam ad dispensandum, & certum mihi etiam tunc esse non expedire, ut dispensaret. Prima, & secunda pars constat manifestè, cum tot tantique Doctores negent Pontifici eam potestatem, & cum omnes fateantur ob maximam illius coniunctionis turpitudinem, seu indecentiam, maximam exigi necessitatis causam ad eam purgandam; ideoque nunquam in eo impedimento Pontifices dispensasse.

Hinc autem probabam, non expedire, quod Pontifex annueret, & dispensationem concederet. Primò, quia sententia docens,

hoc esse impedimentum de iure naturæ, atque adeo nõ esse à Pontifice validè dispensabile, grauiissimis nititur fundamētis. Nam Scriptura, & Patres non videntur aliter de eo coniugio, aut incestu loqui, ac loquatur de aliis criminibus iure naturæ prohibitis.

*Leuit. 20.* sic legitur. *Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est: uiuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* quæ uerba licet aliquis explicet de coniugio cum utraque simul uiuente, parum refert; scelus enim, & nefas grande non oriebatur ex polygamia, quæ alioquin sæpe Iudæis licita erat, sed ratione strictissimæ illius affinitatis. Appellatur autem cum emphasi *scelus*, & *tantum nefas*, quæ nomina non tribuuntur ibi aliis peccatis contra solum ius positium, sicut nec eo loco imponitur tã grauis pœna aliis copulis illicitis contra affinitatem in aliis gradibus iure solo positio prohibitis. Vnde notat Augustinus, pœnam illam ducenti nulum, nõ imponi propter adulteriũ in filium commissum, sed quia relictam filij duxit.

5 Similiter *Deuter. 27.* ubi ex præcepto Dei proponuntur duodecim maledictiones, quæ à Leuitis solemniter pronounciari debebãt, respondente ad singulas uniuerso populo *Amen*, quæ erant contra grauiora peccata contra legem naturæ. v. gr. idololatriam, bestialitatem, homicidium proditorium, & similia; dux ex illis sunt contra eum, qui dormit cum nouerca, vel focru sua. quas quidem maledictiones Augustinus q. 61. & 65. super *Leuit.* obseruauit, ut diximus, non tendere ad puniendam copulam adulterij, sed incestuosam copulam, vel coniugium. Constat ergo, illud etiam coniugium habuisse grauiissimam indecentiam contra legem naturæ, cum nulla alia peccata ibi recenseantur, nisi quædam ex grauiissimis contra legem naturalem, quæ solemniter anathematizabantur ab uniuerso populo.

6 Nec aliter de turpitudine huius coniugij loquitur S. Gregorius Magnus, qui interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo, quid fieri deberet circa matrimonia cum eo impedimento inito tempore infidelitatis, & an essent coniuges separandi: respondet his uerbis: *Cum nouerca misceri graue est facinus, quia in lege scriptum est: Turpitudinem patris tui non reuelabis. Neque enim turpitudinem patris filius reuelare potest: sed quia in lege scriptum est: Erunt duo in carne una,*

*qui turpitudinem nouerca, qua una caro cum patre fuit, reuelare præsumpsit, profecto patris turpitudinem reuelauit.* Sic legitur in interrogacionibus Augustini Cantuariensis, quæ habentur post epistolas S. Gregorij interrogat. 6. & respons. 7. subditur: *Quia uerò multi sunt in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem uenientes admonendi sunt, ut se abstineant, & graue hoc peccatũ esse cognoscant. Tremendũ Dei iudicium timeant, ne pro carnali delectatione tormenta aeterni cruciatu incurraũt.* quo loco, licet Gregorius de coniugio cum nouerca loquatur, de quo solo interrogatus fuerat; eadẽ tamen est ratio de coniugio cũ nuru, cum idẽ sit gradus affinitatis in linea recta, ut omnes fatentur.

Denique de nuru eodẽ modo loquitur Augustinus lib. 2. contra Faustum. c. 61. relatus in c. 15. 3. 5. q. 2. & 3. his uerbis: *Si uir, & uxor, sicut Dominus dicit, non iam duo, sed una caro est, non aliter nurus est deputanda, quàm filia.*

8 Secundo principaliter probabam, abstinendum esse ab illius dispensationis concessione, quia, ut testatur Card. Bellarm. tom. 3. lib. unico de matr. c. 28. nulla unquam existunt exempla Sanctorum, qui in eo gradu matrimonia contraxerint, nec unquam Ecclesia in eo impedimento dispensauit. Quare si nunc Sedes Apostolica in hoc impedimento dispensaret, hic esset primus inter fideles, qui ab Orbe condito cum nuru sua matrimonium contraxisset, sicut in lege naturæ, siue in lege scripta, siue in lege Euangelica. quod maxima consideratione dignum apparet, tum quia nouitas ipsa in re adeo graui sine offensione non esset; tum quia, si femel Pontificis auctoritas hanc portam ab Orbe condito clausam aperiat, non facile iterum recludi poterit: nam alij postea Principes etiam non supremi, quin & Barones, & alij forsitan inferioris notæ nobiles uiri prætensis causis eandem dispensationem sibi efflagitabunt, & hoc exemplo suffulti fortasse impetrabunt.

9 Nec satisfacit dicere, quod ad dispensandum sufficit Summo Pontifici amplecti opinionem probabilem, dicentem posse ipsum validè dispensare. Hoc, inquam, non satisfacit; nam præterquam quod, si reuera opinio illa non est uera, prout tot Doctores negant esse ueram, dispensatio reuera non erit ualida, cum sit in materia iuris naturalis, in quo Pontifex dispensare non potest, & matrimonium non erit validum, sed turpis incestus; adhuc in casu simili, non obstante opinionum uarietate, Sedes Apostolica nunquam audire uoluit preces postulantium

stulantium dispensationem, nimirum in matrimonium fratris cum sorore. Est enim etiam opinio multorum, & grauiissimorum Doctorum, qui tenent illud impedimentum esse solum de iure positio humano, & posse à Papa validè dispensari, quam sententiam relatis eius Auctoribus, probabilem esse fatetur Thomas Sanchez dicto lib. 7. de matrim. disp. 52. num. 16. & ut ueriores amplectitur Basilius Pontius dicto lib. 7. c. 22. n. 3. & aliis relatis Diana loco supra citato, imò multi, qui negant validum esse de iure naturæ foceri cum nuru, dicunt non esse iure naturæ irritum, si foror nubat fratri suo, ut uideri potest collatis auctoribus, quos Sanchez pro utraque sententia affert dicta disp. 52. & 66. & tamen nunquam Pontifex ausus est amplecti sententiam illam probabilem, ut dispensaret in matrimonio fratris cum sorore, quamuis sæpè precibus importunis à magnis Principibus fuerit interpellatus. Durissimum ergo esset si ob illam etiam aliam sententiam probabilem nunc Pontifex ob similes preces cogereretur ad dispensandum in matrimonio foceri cum nuru, præsertim cum semper maneat certum, turpitudinem huius coniugij talem, ac tantam esse, ut ob eam saltem nunquam inuenerint Pontifices causam ad licitè dispensandum.

10 Tertio principaliter pro eadem responsione adducebam id, quod perdoctus uir P. Iosephus de Aosta Societatis I. E. S. V. refert in libro de natura noui Orbis, & procuranda Indorum salute, lib. 6. cap. 21. ubi dicit, Concilium Prouinciale Limense ex sententia Pauli I V. declarasse irrita matrimonia ab Indis ante Baptismum contracta cum suis affinibus in primo gradu lineæ rectæ. Vnde inferebam, non decere, quod ab eadem Sede Apostolica emanaret dispensatio in eodem gradu, & in casu magis stricto. nam in illo primo casu non agebatur de petenda dispensatione à Pontifice, sed solum consulebatur Pontifex an toleranda essent matrimonia ita contracta tempore infidelitatis, quo tempore legibus Ecclesiæ non tenebantur, & an essent relinquendi in sua bona fide, an uerò cogendi omninò ad separationem faciendam, tanquam à matrimonio iure naturæ irritato. Et tamen Pontifex respondit, separandos omninò esse, nec toleranda illa matrimonia, quamuis fuissent ante Baptismum contracta. In nostro autem casu agebatur de licentia, & dispensatione positioa obtinenda ad contrahendum, & ineundum eiusmodi matrimonium nouum post Baptismum

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

utriusque coniugis: quæ concessio speciem aliquam inconstantia Sedis Apostolicæ apud hæreticos, & malercolos posset prætere: quamuis reuera uterque Pontifex potuisset licitè operari amplectendo duas opiniones diuersas supra relatas.

11 Nec satisfacere uidebatur, quod aliqui Doctores respondebant, non constare de decreto illo Concilij Limensis, nec eius Concilij acta Romæ inueniri potuisse. Contra hoc enim urgeri poterat, quamuis decreta Concilij Romæ non inuenirentur; magnam tamen fidem facere testimonium Historici grauiissimi, & Theologi simul doctissimi, qui eo tempore in illis Prouinciis versabatur, & tanquam rem apud ipsos notissimam factum illud referebat. Posse item intra biennium Acta illius Concilij à ciuitate Limensi Romam afferri, quæ si tunc consona apparerent narrationi illius Historici, constaret nimis festinanter dispensationem fuisse concessam, nõ præmissis examine circa ueritatem illius narrationis.

12 Postea uerò maiori adhibita diligentia, mihi ex Hispania transmissus fuit liber typis editus Hispali anno 1614. apud Matthiã Clauium Typographum, continens nõ quidem acta, sed decreta solum duorum Conciliorum Prouincialium Limensium, quæ ibi alio recentiori nomine appellatur *ciuitas Regum*, quorum alterum habitum fuit anno 1567. alterum uerò anno 1583. & in hoc secundo cõfirmata fuerunt decreta illius anterioris Concilij, cuius etiam decretorum summa, & compendium iussu eiusdem posterioris Synodi editum fuit ad usum Parochorum, quibus præceptum fuit, ut illud saltem compendium singuli penes se haberent. Hæc autem posterior Synodus postulantibus Patribus Concilij, & instante Rege Catholico Philippo I I. oblata fuit Sixto V. Summo Pontifici pro approbatione, & confirmatione habenda, cuius iussu in Congregatione Cardinalium examinata fuerunt singula decreta, & quoad aliquas pœnas, & nonnulla alia temperata, & correctæ, & cum approbatione, & laude ad Metropolitanum remissa, & postea typis edita, quæ omnia constant ex præfatione ibi addita, & ex epistola Cardinalis Caraffæ, & testimonio authentico Congregationis Concilij Tridentini ibidem apposto.

13 In hoc ergo libro, quem apud me habeo, inuenio in sumuario, seu compendio prioris Synodi (quæ ibi appellatur secunda Synodus Prouincialis Limensis, quia iam antea præcesserat aliud primum anno 1552.) in eo nimirum compendio p. 2. decreto, seu



cap. 38. inuenio hæc verba Hispano sermone, quoad vsum Parochorum compendium editum fuit. *Que el que siendo infiel estaba casado con su madrastra, ò con hermana, ò con alguna en linea recta de parentesco, primero sea apartado, que reciba el Batismo; pues por ley natural estan reprobados tales casamientos. Mas si estuuiere casado en grados solamente por la Iglesia prohibidos, recebido el Batismo se ratifiquen los tales matrimonios.* quæ Latino sermone ita se habent. *Vt qui in infidelitate contraxerat matrimonium cum sua nouerca, vel cum sorore, vel cum aliqua in linea recta sibi coniuncta, ante Baptismum separatur, cum naturali lege eiusmodi coniugia reprobentur: si verò matrimonium contraxerat in gradibus lege solum Ecclesia prohibitis, suscepto postea Baptismo, ratificentur eiusmodi matrimonia.* Hæc ibi, vbi licet non nominet nulum, statuit tamen regulam generalem de personis coniunctis in linea recta, & exemplum de nouerca id fati probat, cum eadem sit prorsus ratio quoad hoc de nuru, & de nouerca.

14 Fateor ibi nihil exprimi de responso Pauli IV. ex cuius sententia id decretum fuisse referebat Acoſta. Id tamen ex multis capitibus contingere potuit. Primò, quia illa non sunt Acta Concilij, sed decreta, in quibus non solent referri fundamenta, sed mera præcepta, quæ debent ab omnibus sciri, & obseruari. Secundò, quia ne quidem decreta illa sunt, sed compendium breue decretorum. Nam, cum iussum esset Parochis in posteriori illa, seu tertia Synodo Limensi, habere penes se decreta secundæ Synodi præcedentis, postea actione 5. cap. 2. iidem Patres moderati sunt, vt sufficeret habere compendium decretorum, his verbis. *Prætereane in transcribendis, ac perlegendis tam multis superioris prædictæ Synodi paginis, Parochi, cæterique grauentur, quibus ex præcepto huius Synodi necessitas penes se illam tenendi incumbit: placuit summarium omnium constitutionum inibi contentarum fieri, quod à deputatis à nobis factum, atque à Reuerendissimo Metropolitanò approbatum omnibus nostræ Prouinciæ Ecclesiis communicetur.* Hoc ergo solum decretorum summarium est, quod in meo libro continetur; quare non mirum quòd ibi mentio non fiat de Sede Apostolica priùs super illo dubio consulta. Videtur tamen ferè certum eam consultationem præcessisse, non quidem tempore illius secundæ Synodi, sed plusquam viginti antea annis, nempe tempore Pauli IV. cuius Pontificatus durauit ab anno 1555. vsque ad 1559. quare

non potuit consuli Paulus à prima Synodo Limensi, quæ habita fuit anno 1552. quo tempore Paulus IV. nondum erat Pontifex, sed facta fuit consultatio aliquot annis post illam Synodum, nec videtur posse prudenter dubitari supposita testificatione Iosephi de Acoſta, qui totius huius materiæ plenam omninò notitiam habebat; erat enim vir doctissimus, & interfuit tertiæ Synodo Limensi, & in quinta, seu vltima eius actione concionem habuit, v. ex ipsa actione constat; imò, & curam etiam habuit vulgandi, & typis dandi vtramque Synodum, vt apparet ex eiusmodi Acoſtæ præfatione, quæ legitur initio illius libri; quare non potuit moraliter ignorare, aut decipi circa responsum illud Pauli IV. quod ipse alio loco retulit, & de quo necesse fuit in illo Concilio sermonem sæpe occurrere, quibus omnibus attentè ponderatis, manet ferè certum prædictum responsum Pauli IV. de hoc dubio interrogati, verè ab ipso Paulo dimanasse: quo stante, durum, & difficile esset ab eadem Sede Apostolica post aliquos annos dispensationem super eodem impedimento impetrare.

15 Restat tamen respondere ad plura argumenta, quæ Theologi plures pro dispensatione concedenda congesserunt. Primum, & præcipuum, quo vsus est Basilius Pontius loco citato, Diana, & alij, desumitur ex eo, quòd Ecclesia in eo gradu, & impedimento cum multis dispensauerit. Ad quod probandum afferunt tria Concilia Prouincialia, nempe Agathense, Epaunense, & Aurelianense; quæ quia non viderunt nostri Theologi (inquit Pontius ibi n. 6.) non est mirum si ex antiqua doctrina ignoratione in varia placita distrahantur. Oporteret itaque attentè examinare verba, & auctoritatem illorum Conciliorum, vt constet an ex ipsis ita validè probetur Ecclesiam legitimè dispensasse, vt debuerint Theologi eorum auctoritate deterreri.

16 Verba Concilij Agathensis can. 61. hæc sunt: *De incestis coniunctionibus nihil prorsus venia reseruamus, nisi cum adulterium separatione sanauerint; incestos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designari funestum est. Hos enim censemus esse: si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali coniunctione polluerit: si quis frater germanam uxorem acceperit: si quis nouercam duxerit: si quis consobrinæ suæ se sociauerit: si quis relicta, vel filia auunculi miscetur, aut patruj filia, vel priuignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluat, aut*

*aut duxerit uxorem. quos omnes & olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter Catechumenos vsque ad legitimam satisfactionem manere, & orare precipimus. quod ita præsentis tempore prohibemus, vt ea, quæ sunt hæcenus (in alijs legitur ante nos) instituta, non dissoluamus. Eadem ferè sunt verba Concilij Epaunensis can. 30. vbi enumeratis variis incestuosæ copulæ casibus, inter quos numeratur coniugium cum nouerca, subditur: quos vt à præsentis tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt antèius instituta, non soluimus. In vtroque itaque Concilio videtur dispensatio facta cum iis, qui tempore præcedenti contraxissent in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, vt matrimonia iam contracta non dissoluerentur.*

17 Cæterum in decretis horum Conciliorum non debuit ita tutè conuiescere vir ille alioquin satis doctus, vt Thologorum oscitantiam reprehenderet; in neutro enim Concilio conceditur dispensatio super matrimoniis antea factis, sed sensus est longè diuersus: nimirum, quia gradus aliquos enumerauit, ex quibus incestuosa copula resultabat, & poterant esse alij gradus, vel impedimenta antiquioribus Conciliorum canonibus & statutis inducta, protestati sunt Patres, enumeratis illis gradibus, mentem suam non esse, antiquiora statuta circa alios gradus, vel impedimenta relaxare, sed in his nouæ legis expressionem adiungere. qui est planus sensus verborum illorum. *Quod ita in præsentis tempore prohibemus, vt ea quæ sunt hæcenus, (seu, vt alij legunt, ante nos) instituta, non dissoluamus.* Et idem est sensus illorum verborum Concilij Epaunensis, *quod vt à præsentis tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt antèius instituta, non soluimus.*

18 Porro horum verborum vtriusque Concilij sensum non esse, approbare eiusmodi matrimonia antea contracta, sed potius non reprobare decreta præcedentium Conciliorum circa impedimenta matrimonij diuersa alibi enumeratis, constat tum ex ipsa litteræ constructione, matrimonia enim non dicuntur instituta, sed contracta, vt loquitur Concilium Aurelianense statim afferendum: neque etiam dictum bene fuisset ante nos, sed debuisset dici, ante hanc diem, vt comprehenderet omnia matrimonia vsque ad illam diem facta, nam quæ heri facta fuerunt, non dicuntur facta ante nos, cum iam heri nos etiam extaremus. Tum etiam his alijs specialibus argumentis.

Primò ex glossa in cap. de incestis, 35. 19 q. 2. verb. constituta, vbi relato canone illo Concilij Agathensis, sic explicat illud verbum, id est, antiquos canones. Secundò, quia in illo canone Patres profitentur, se eiusmodi incestuosis coniunctionibus nihil prorsus venia reseruare ante separationem. Quæ autem maior venia esse potuisset, quam licentia permanendi? Tertio, quia in vtroque illo canone, si sermo esset de matrimoniis contractis, sermo esset vniuersalis de omnibus, siue scienter, siue ignoranter contractis. Quis autem credat, iis omnibus, qui post Baptismum scienter ita contraxerant cum impedimento sibi noto, fuisse concessam generalem dispensationem? Quarto, quia ibi sermo etiam est de fratre ducente sororem in uxorem, in quo gradu non est auditum aliàs, quòd Ecclesia vnquam dispensauerit; minus ergo credi potest, quòd data fuerit dispensatio generalis omnibus qui cum propria sorore, vt vxore cohabitabant. Quintò denique item probatur, quia si per verba illa non significarentur decreta antiqua, quæ in suo robore relinquebant, sed matrimonia iam facta, in quibus dispensabant, sequeretur Patres illos limitasse ad solum secundum gradum impedimenta, quæ in Ecclesia vniuersali ad seprimum vsque extendebantur; quod quidem non dico facere, sed attentare, fuisset omnino intolerabile, vt constat ex facto S. Gregorij Magni, qui voluit per aliquod breue tempus apud Anglos denuo ad fidem conuersos limitare impedimenta ad secundum gradum, donec fides magis ibi radicaretur; & tamen hoc ipsum occasio fuit scandali non leuis in Ecclesia aduersus Gregorium, vt constat ex epistola eiusdem Gregorij ad Felicem, quæ est trigesima prima libri 12. & afferitur in cap. equidem lex, 35. q. 2. Quantò magis incredibile est, quòd Episcopi pauci auderent in Concilio Prouinciali vniuersalis Ecclesiæ legem adedò notabiliter limitare? & tamen in illo can. 30. Concilij Epaunensis enumerantur solum copulæ incestuosæ in primo, & secundo gradu. Prudenter ergo protestati sunt, se ita illos gradus proponere, & pœnas transgressoribus statuere, vt antiqua alia Patrù decreta non dissoluerent. & hic est verus, & legitimus sensus illorum verborum, vt appareat absque fundamento ex vtroque illo Concilio colligi, dispensatum fuisse vniuersaliter in primo gradu affinitatis in linea recta.

Restat solum Concilium Aurelianense 20  
F 4 tertium

tertium *can. 10.* vbi sic habetur : *De incestis coniunctionibus ita, quæ sunt statuta, seruentur, ut hi, qui aut modò ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta Sacerdotali predicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro unitate conversionis, aut fidei sua credimus consulendum, ut contracta huc usque huiusmodi coniugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis coniunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, obseruetur : id est, ne quis sibi sub coniugij nomine sociare presumat relictam patris, filiam uxoris, sororem uxoris, consobrinam, aut sobrinam, relictam auunculi, vel patru.* vbi numerantur aliqua impedimenta in primo gradu affinitatis in linea recta : & tamen matrimonia antea contracta tolerantur.

21 Respondetur tamen, ex hoc loco non posse colligi dispensationem ullam factam à Concilio. nam vel matrimonia illa fuerant facta antè Baptismum : & tunc si illud impedimentum erat de iure naturæ, non poterat ab Ecclesia dispensari. Si verò impedimentum erat de solo iure Ecclesiastico, cum hoc non obligaret infideles nondum baptizatos, matrimonia fuerunt valida, nec vlla indigebant dispensatione. Vel matrimonia fuerunt contracta post Baptismum, sed ante promulgationem sufficientem legis Ecclesiasticæ, ut in ipso canone supponitur; & tunc etiam redit idem argumentum, quia si hæc matrimonia sunt iure naturæ irrita, non poterit Concilium in iis dispensare : si verò solo iure Ecclesiastico irrita sunt, & lex hæc non fuerat illis gentibus sufficienter promulgata, non obligabat, & per consequens non erat necessaria dispensatio ad valorem matrimonij. Nulla ergo ex toto illo canone colligi potest dispensatio facta in illo impedimento ad validè contrahendum.

22 Porro Patres illius Concilij non habuisse animum positiuè dispensandi, ut tale matrimonium fieret, confirmari potest primò ex Concilio Aruernensi, quod in eadem Gallia biennio ante Concilium illud Aurelianense fuerat celebratum; & in *can. 11.* definitum fuerat, eiusmodi copulam esse contra legem diuinam, & iura naturæ. Non est ergo credibile, quòd Patres Concilij Aurelianensis assumerent sibi licentiam dispensandi, ut fieret id, quod ante biennium declaratum fuerat esse contra legem diuinam, & naturalem.

23 Confirmatur secundò ex Concilio Turonensi I. quod paulò post in Gallia celebratum fuit, vbi *can. 22.* late probatum est, matrimonia illa fieri non posse, ideò

que noluerunt promittere Regi Chariberto, ut cum sorore vxoris contraheret; non est enim credibile, quòd nollent dispensare cum Rege in leuiori illo impedimento, si paulò antè in Concilio Aurelianensi cum tot aliis dispensatum fuisset in impedimento adeò grauiori, præsertim cum ex separatione, & dissolutione illius coniugij Regis iam celebrati, tot, & tanta damna sequerentur, de quibus videri potest Baronius *tom. 7. anno Christi 570.* & Gregorius Turonensis *hist. Franc. cap. 26.* Potuisset quippe Rex meritò conqueri, dicens, negari sibi vni rem leuiorem multo, quàm quæ paulò antè plebeis omnibus fuerat concessa.

Ad summum ergo Patres Aurelianenses noluerunt positiuè declarare matrimonia illa esse irrita, nec auctoritate Ecclesiastica illa dissoluere; quia cum pro illorum valore allegari posset, illa quidem esse prohibita, & turpia iure naturæ, non tamen inualida, prout Auctores primæ sententiæ dicunt: noluerunt Patres contra illorum valorem definire, aut procedere, sed declarare solùm id, quod certum erat, nempe esse incesta, & turpia, ac, si deinceps à fidelibus fierent, esse irrita, & abstinere à re minùs certa. Existimarunt tamen talem, ac tantam turpitudinem continere, ut esto non essent irrita iure naturæ, adhuc indispensabilia essent illa impedimenta, hoc est, non posse dispensari, ut licitè contraheretur indifferenter in illis gradibus: quod potissimè dictum propter impedimentum casus nostri in linea recta affinitatis, constat ex verbis subsequentibus, vbi adducta maledictione ex *Deuter. 27.* qua maledictus enunciatur qui dormit cum vxore patris sui, vel cum priuigna, subdunt Patres: *quo fit, ut quos Deus maledixit, nisi emendatos benedicere non possimus.*

Aduerte denique, canonem illum Aurelianensem postea in decreto Gratiani insertum esse: illam tamen clausulam de matrimoniis antea factis non dissoluendis nunquam acceptatam, vel approbatam, sed ab omnibus prætermittam fuisse, ut constat ex dicto *cap. de incestis 35. quest. 2.* ante cuius capituli titulum notatur, textum illum quoad aliqua desumptum esse ex Concilio illo Aurelianensi, demptis tamen aliquibus, quæ non sine causa omnes emisserunt. Vnde quamuis Concilia Prouincialia auctoritatem aliquam habeant; non tamen in iis, in quibus non sunt ab Ecclesia recepta, sed in iis, quæ veteri doctrinæ non repugnant, imò potiùs ex ipsa colligi possunt,

possunt, ut aduertit Suarez *disp. 4. de fide sect. 7. num. 3.* Et quidem in hac eadem materia turpiter errarunt Patres Concilij VVormatiensis *can. 63.* vbi his verbis fanxerunt: *Si quis cum matre, & filia in adulterio mansit, nesciente matre, quòd cum filia mansisset, similiter & filia nescia, quòd cum matre mansisset, & postea ille vir, si acceperit mulierem, dimittat eam, & usque in diem mortis sua non habeat uxorem, & illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum.* vbi vides, matrimonium validè contractum cū aliqua tertia fœmina post crimen incestus, (cum hoc crimen non afferat, nec vnquam attulerit impedimentum dirimens subsequens matrimonium, sed solùm impediens;) dissolui tamen, & permitti vxori dimissæ, ut cum alio contrahat de nouo. Cui non est dissimile, quod ex Concilio apud Vermerios refertur à Gratiano in Decreto, & habetur 3 *1. quest. 1. cap. si qua mulier*, in hæc verba. *Si qua mulier in mortem mariti sui cum alijs consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit; si probare potest ille vir eam ream esse consilij, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere, et si noluerit aliam ducere. & rursus, quod ex eodem Concilio refertur in *cap. si quis cum nouerca, 32. quest. 7.* his verbis: *Si quis cum nouerca sua dormierit, neuter ad coniugium potest peruenire: sed vir eius potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest.* In quibus locis putarunt post incestum, ita dissolui matrimonium, ut coniux innocens possit cum alio contrahere.*

26 Quod turpissimè etiam decretum fuit in Concilio Aquisgranensi, & Concilio Merensi, habitis tempore Nicolai I. in quibus ob prætensum Reginæ adulterium, matrimonium Regis cum illa dissolutum fuit, Regique alia vxor concessa, & quod peius est, probantibus id postea Sedis Apostolicæ Legatis, quorum decreta reprobaui postea Pontifex in Concilio Romano III. de quibus videri possunt Card. Baron. *tom. 10. anno 862.* & Coriolanus in *Breuiario Chronologico, eodem anno.* quæ omnia dicta sunt, ut appareat, quàm debile fundamentum desumi possit ex illo canone Concilij Aurelianensis, ad probandam concessionem dispensationis, cum nec ibi dispensatio vlla sit, nec si fuisset, sufficeret ad probandum id fieri potuisse. Quanto validius argumentum sumi potest ex decreto Concilij Limensis *suprà* adducto, quod ferè certò est factum ex responso Pauli IV. & quod expressè affirmat inua-

lilitatem illius matrimonij etiam de iure naturæ, & tempore infidelitatis.

27 Secundò principaliter alij arguunt in fauorem dispensationis, quia indubitatum est, Papam posse dispensare in impedimento, quod probabile est, esse de solo iure Ecclesiastico, quale est hoc impedimentum, quod omnes Doctores fatentur esse saltem probabile, quòd non sit de iure naturæ: ergo omnes pro indubitato habent, quòd possit Papa dispensare. Respondetur, in his committi fallaciam à propositione modali ad absolutam; id enim, quod omnes fatentur, non est, quòd sit indubitatus valor illius dispensationis, sed esse certum, quòd sit probabiliter valida. Nam, si re ipsa sententia dicens, impedimentum illud esse de iure naturæ, sit vera, dispensatio re ipsa non erit valida, esto Pontifex absque peccato illam concesserit: neque vllus Theologus dicit, valorem illius dispensationis fore certum, sed solùm fore probabilem. Fateor quidem, aliquando in materiis aliis stante varietate opinionum, Pontifices dispensasse amplectendo opinionem dicentem posse fieri; certum est tamen, non id fecisse in omnibus casibus. nam probabile etiam est, impedimentum fratris cum sorore non irritare matrimonium de iure naturæ: & tamen huc vsque Pontifices nunquam in eo impedimento dispensarunt, sicut nec in casu nostro. Ratio autem est propter turpitudinem summam illius coniugij, ob quam adeò vehementer illud detestantur sacræ litteræ.

28 Tertio arguunt, quia Papa dispensare potest in iis, in quibus de facto dispensare solet. Quòd autem in hoc impedimento soleat, probant ex praxi sacræ Pœnitentiariæ, & Datarie, quæ semel etiam dispensasse dicitur cum A.M. Item, quia Martinus V. dispensauit, ut aliquis duceret suam sororem, ut refert S. Antoninus 3. *p. tit. 1. cap. 11. de affinitate*, & Archidiaconus apud Armillam *verb. dispensatio, num. 10.* & denique Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 9. §. 5. in margine, littera P.* dicit Martinum V. dispensasse in matrimonio cum nouerca.

29 Respondetur, in Pœnitentiaria, & Dataria nunquam dispensatum esse in hoc impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ contracto ex matrimonio, sed solùm, quando oritur ex copula illicita, quod est impedimentum valdè diuersum, & de quo non est dubium, quòd non irritet matrimonium de iure naturæ: nam ea affinitas non affert ea inconuenientia, quæ

quæ affert affinitas orta ex matrimonio: imò, licet aliquis tempore infidelitatis aliquam fornicariè cognouisset, posset post Baptismum eius filiam ducere absque vlla dispensatione, quia affinitas ex copula illicita non est naturalis, sed merè Ecclesiastica. videatur Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 6. num. 9. & 10. & disp. seq. num. 3. At verò affinitas ex matrimonio, siue sit impedimentum dirimens de iure naturæ, siue non; certissimè tamen est affinitas naturalis: vnde non posset quis post Baptismum contrahere cum filia illius vxoris, quam ipse legitimè habuit tempore infidelitatis. Nihil ergo probat in ordine ad casum nostrum vsus dispensandi aliquando cum affinitibus in primo gradu lineæ rectæ ex copula illicita; de illo enim impedimento nunquam dubitatum est, an possit dispensari. Sicut passim etiam dispensatur ad contrahendum cum ea, cuius sororem idem vir antea illicitè cognouerat: & tamen non solet, nisi fortè rarissimè, dispensari, vt contrahat cum vxore sui fratris relictis filiis ex priori matrimonio; quia nimirum affinitas hæc orta ex matrimonio multò fortior est, quàm quæ oritur ex copula illicita: & idè in Concilio Tridentino hæc limitata est ad secundum gradum, illa verò extenditur ad quartum.

30. Exemplum, quod affertur ex S. Antonino dispensationis à Martino V. concessæ, vt frater duceret suam sororem, falsissimum est: nec S. Antoninus id dicit, sed quòd post matrimonium contractum, dispensauit, vt vir retineret vxorem illam, cuius sororem ante matrimonium fornicariè cognouerat, & hoc cum maxima difficultate. verba Antonini sunt hæc. *Reperitur tamen Papa Martinus V. dispensasse cum quodam, qui contraxerat, & consummauerat matrimonium cum quadam eius germana, quam fornicariè cognouerat, cum magna tamen difficultate, & quia res erat occulta, nec ille erat aptus ad Religionem, vel ad remota eundem, vnde scandalum ex diuortio, si factum fuisset, sequendum erat. Prius ordinauit plures Theologos, & Canonistas super hac re habere collationem, vtrum ipse posset in hoc dispensare, nec conuenerunt in conclusione, sed aliqui dixerunt quòd poterat, alij contrarium affirmauerunt.* Hæc Antoninus, cuius verba, licet clarissima sint, hæretici tamen, vt reprehenderent imprudentiam Martini V. pessima constructione adhibita, intellexerunt de matrimonio fratris cum propria sorore, vt notauit Card. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 25. in fine; cum tamen

ibi non sit sermo de sorore illius fœminæ, quam maritus antea fornicariè cognouerat. Alioquin enim non deberet dicere, *cum eius germana, sed cum sua germana*, nec in dispensatione attenderetur, quòd copula fuerat occulta; quid enim hoc referebat, si fraternitas erat publica? imò magis iuaret ad dispensationem, quòd publicè constaret de copula præcedente, vt remedium adhiberetur forori iam violatæ. Sicut autem hæretici ex malitia, ita Armilla, & aliqui ex inconsiderantia decepti sunt in constructione verborum illorum, & intellexerunt de dispensatione cum sorore contra manifestum verborum sensum. Hac etiam occasione deceptus est Henriquez loco supra citato, tribuens Martino V. quòd dispensasset in matrimonio cum nouerca; quia nimirum Antoninus proposuerat simul vtrumque impedimentum, scilicet primum gradum affinitatis in linea recta, & in transuersa, & statim subdit: *Reperitur tamen Papa Martinus V. dispensasse cum quodam, &c.* vt supra retulimus; quæ tamen dispensatio non fuit in linea recta, sed in transuersa. Constat ergo manifestè, Henriquez fuisse deceptum; ipse enim non potuit scire de dispensatione illa Martini V. ad matrimonium cum nouerca, nisi vel per reuelationem, vel per relationem alicuius Auctoris: certum est autem, apud nullum profus auctorem ex innumeris, qui post Martinum Quintum scripserunt, mentionem fieri eius dispensationis, sed illius solùm quam retulimus. Citant alij Archidiaconum pro illa dispensatione à Martino concessa ad matrimonium fratris cum sorore: id tamen est omninò falsum, & decepti sunt eo quòd apud Armillam citatur Ar. Flor. hoc est, Archiepiscopus Florentinus, qui est S. Antoninus; ipsi verò intellexerunt ab Armilla citari Archidiaconum. Nulla ergo afferri potest dispensatio huc vsque à Sede Apostolica concessa in casu nostro.

Quartò arguunt aliqui, quòd id, quod 31 alicui prohibetur in pœnam delicti, id ei licitum erat, vel possibile, si delictum illud, & pœna non interuenissent: sed non posse ducere affinem in primo gradu lineæ rectæ, nempe filiastram, prohibetur in pœnam ei, qui illam incestuosè cognouit in cap. 1. de eo qui cognouit, &c. ergo seclusa illa pœna, id non erat illicitum, vel impossibile.

Respondetur in primis, textum illum 32 non esse alicuius Pontificis, sed inscribi ex Concilio Merensì, quod Concilium non inuenitur,

inuenitur, & fortasse est illud, cuius meminit Baronius tom. 1. anno 869. & dicit fuisse Concilium deprædatorium, ac iniustum: vnde in margine illius Decretalis notarum inuenitur ex Soto, textum illum cautè legendum esse. Refertur tamen magis integer apud Burcardum lib. 17. cap. 10. vbi doctrinam continet absurdissimam; habet enim hæc verba. *Si quis cum filiastra sua fornicatus fuerit, nec matrem, nec filiam potest habere, nec illa, nec ille alijs poterunt se coniungere vilo vnquam tempore. Attamen vxor eius, si ita noluerit, & si se continere non potest, si postquam cognouit, quòd cum filia sua vir eius fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habeat, si vult, alij nubere potest.* vbi vides errorem manifestum, quòd scilicet matrimonium dissolui possit propter adulterium incestuosum.

33 Adde, non oportere quòd intelligatur per modum pœnæ inhabilitas illa ad contrahendum cum filiastra, sed potest intelligi, quòd declaretur solùm inhabilitas, quam aliunde habet. Et quidem certum est, quòd, etiam si non interueniat adulterium cum filiastra, non potest cum ea post mortem matris validè contrahi matrimonium, siue ea inhabilitas proueniat ex iure naturæ, siue ex iure Ecclesiastico. Tota ergo doctrina, quæ habetur in dicto cap. 1. verissima est. Verba, prout in compilatione Decretalium habentur, hæc sola sunt. *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam vnquam potest habere vxorem: nec filiastra, nec ille vilo vnquam tempore alij se peterunt matrimonio copulare.* quæ omnia verissima sunt, sed non omnia eodem modo intelligi debent; tria enim impedimenta ibi numerantur. Primum est, quòd vir non possit ampliùs debitum petere ab vxore propter affinitatem contractam: & hæc est mera pœna, & idè apposta fuit particula *scienter*, quia si ignoranter cognita fuisset filiastra, non incurreretur illa pœna. Secundum est impedimentum contrahendi cum filiastra, & hoc est impedimentum irritans, & in rigore, vt dixi, non est pœna incestus, quia etiam absque vlla culpa procedit, siue de iure humano, siue de iure naturæ. Tertium est impedimentum viri, & filiastræ ad vllum matrimonium vnquam contrahendum, & hoc est impedimentum impediens solùm, non verò irritans matrimonium subsequens: est tamen pœna, & idè sine culpa non incurritur. Sicut ergo illa duo impedimenta vltima non sunt eiusdem rationis, sed alterum est

irritans, & alterum impediens: ita alterum non est pœnale, atque adè datur absque vlla culpa.

Denique, si contendas, inhabilitatem 34 illam ad contrahendum vilo tempore cum filiastra incestuosè cognita, aliquid pœnæ includere, poterit in aliquo sensu id concedi. Cum enim aliqui Doctores probabiliter, vt vidimus, dicant, matrimonium cum filiastra non esse irritum iure naturæ, atque adè posse validè ab Ecclesia dispensari in eo impedimento; potuit hæc etiam pœna adulterio incestuoso cum filiastra imponi, vt si fortè possibilis sit talis dispensatio; ille tamen adulter careat omni spe talis dispensationis obtinendæ. Sicut etiam in Tridentino sess. 24. cap. 5. generaliter dicitur, *eos, qui intra gradus prohibitos matrimonium contrahere præsumpserint, separandos esse, & spe dispensationis consequenda carere.* quibus verbis non significatur, potuisse in illis omnibus gradibus prohibitis ab Ecclesia dispensari; atque inter fratrem, & sororem, auum, & nepotem, &c. sed solùm in pœnam aufertur spes dispensationis in iis casibus, in quibus dispensatio possibilis fuisset quicumque illi sint.

Quintò arguunt aliqui, vt probent licitè, & sanctè posse dari dispensationem ad ducendam nurum, nec debere, quòd insolita sit, Pontificem ab ea concessione deterreri; quia imò ea de causa expediret in re adhuc controuersa inire possessionem iuris, & potestatis Pontificiæ, quam posito vsu, nemo vltèriùs in hoc casu negaret, aut in controuersiam adduceret. Respondeo, hoc argumentum probare, quòd expediret etiam à Pontifice dispensari in matrimonio fratris cum sorore, vt re ipsa caperet possessionem huius facultatis, cum multi negent: alij autem multi, & doctissimi dicant, posse à Pontifice validè dispensari. Expediret etiam eum multa facere, quæ iuxta multorum sententiam facere potest de potestate absoluta: quæ tamen nec facit, nec faciet, quia non expedit tam carè emere vsum, & possessionem sui iuris cum tanto Ecclesiæ detrimento.

Ego quidem non definio absolutè, quòd 36 Summus Pontifex non possit in prædicto impedimento validè dispensare, puto tamen, si ea potestas sit, non nisi in extremo periculo, & extraordinaria necessitate licitè posse exerceri: alioquin certissimè expedit ab ea potestate abstinere, nec introducere vsum nouum dispensandi in coniugio, quod à Spiritu sancto, *scelus tantum nefas maledictione dignum*, iudicatur, quod communi



communi populi maledictione prosequendum præcipitur, & cuius turpitudine ultimo supplicio ex diuino præcepto puniebatur, & quod apud Patres, & Concilia graue facimus, & nefandum coniugium, vt in superioribus vidimus, existimabatur.

## D V B I V M XLI.

*An Ordinarius possit credere viro neganti copulam cum consanguinea uxoris, quam vult ducere, cum eandem copulam antea iuramento confirmasset.*

**C**ontigit in quadam ciuitate Marchiæ, vbi Titius volebat ducere uxorem, quæ eius consanguineis non placebat; ideoque opposita fuit illis suspicio affinitatis ortæ ex copula illicita, & adulterina, quam dicebatur habuisse cum consanguinea illius, quam nunc ducere volebat. Negauit ille copulam eiusmodi præcessisse: postea tamen à consanguineis persuasus copulam factus est cum iuramento in scriptis, & coram duobus testibus. Denique quæ erat ingenij volubilitate, vel recalescente affectu, iterum copulam negauit, addens, se scripturam illam inductum à suis consanguineis fecisse; rogatus sui, an Ordinarius in tanta iuuenis instantia posset matrimonij contractum permittere.

**R**espondi, non posse, nisi Titius sufficientibus saltem indiciis probet falsitatem confessionis. quod à fortiori probari potest ex casu, quem affert Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 15. num. 6. vbi refert, quod quidam ducere volebat in coniugem concubinam suam, quam viuentem adhuc vxore ipsemet cognouerat: rogatus autem à Parocho, an durante priori matrimonio, fidem dedisset concubinæ futuri coniugij, si vxor moreretur, ipse ingenuè confessus est fidem datam: dicente autem Parocho, id esse impedimentum dirimens, negauit fidem fuisse datam. quo casu Sanchez dicit, non esse concedendam licentiam contrahendi secundum matrimonium cum concubina. Primò, quia nimis indignum est, vt quod sua voce quisque dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare possit, & proprio testimonio resistere, cap. per tuas, de probationibus, & l. generaliter 13. C. de non numerata pecunia. quod potissimum in hoc casu habet locum, in quo occurrunt vehementes con-

iecturæ pro veritate prioris confessionis spontaneæ, nempe affectus nimis erga concubinam, præproperus tractatus matrimonij cum illa statim ac mortua est vxor, vsus inter concubinos pollicendi sibi inuicem matrimonium, vt mutuum sibi amorem ostendant. Secundò, quia facile præsumi potest mendacium in negatione subsequenti, ex desiderio nuptiarum, & metu, ne matrimonium concupitum impediretur. Denique, quia confessio extrajudicialis probat contra confitentem, donec de eius errore constet, vt docet Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 130. num. 50.

Hæ sunt rationes, quibus Sanchez vti-  
tur ad illum casum, ex quibus, vt dixi, à fortiori argui potest ad casum nostrum, in quo non præcessit sola simplex confessio copulæ, sed in scriptis cum iuramento, & coram testibus ad faciendam plenam fidem, quam confessionem licet ipse dicat factam ex inductione, & suasionem suorum consanguineorum; id tamen non probat, non fuisse veram: potuit enim inductus, & suasus à suis confiteri authenticè copulam, quam antea ex matrimonij desiderio negauerat. Nec credendum est, voluisse falsò imponere crimen adulterij sceminæ alioquin honestæ, idque cum iuramento, & in scriptis, & coram testibus, si id falsum fuisset; sed potius credi potest, quod ex desiderio nuptiarum, & amore sceminæ eam postea neget. Præsertim cum inuentus fuerit in eodem lecto cum illa priori, quæ est validissima præsumptio copulæ cum ea habitæ, quam postea cum iuramento factus fuit. quibus stantibus, non apparet, quomodo possit Ordinarius licentiam dare ad celebrandum matrimonium, quandiu vel contrarium non probatur, vel dispensatio Sedis Apostolicæ non obtinetur. pro qua sententia videtur etiam esse Basilius Pontius lib. 5. de matrim. cap. 3. num. 3. vbi ait, si contrahentes, opposito per unum testem impedimento, nec probato, primùm confessi sunt impedimentum, postea negauerunt, standum esse primæ confessioni, nisi probent secundam veram.

Quid diceret, si prima confessio fuisset iuramento, scriptura, testibus, & tot aliis præsumptionibus ad-  
miniculata?

\* \* \*

D V B.

## D V B I V M XLII.

*An ad valorem matrimonij requiratur acceptatio consequens ex parte coniugis, qui prior consensum expresserat.*

**C**ausa hic magis videtur metaphysicus, quàm moralis: quia tamen coactus sum respondere, proponam illum, prout propositus mihi fuit. Titius, & Seia matrimonium per verba de presenti coram Parocho, & testibus contrahunt. Titius prior consensum verbis expressit: mox Seia, prout moris est, rogatur, & respondet: *Ego etiam accipio Titium in meum coniugem.* Titius immediatè post prolata hæc verba à Seia, non acceptat eius consensum, imò posituè non vult acceptare. Quærebatur, an hic dissensus eo temporis momèto superueniens impedire potuerit valorem matrimonij? Ratio dubitandi desumi poterat ex doctrina communi, quæ latè explicuimus, & probauimus tom. 2. de Iustitia disp. 22. sect. 3. n. 26. & seqq. vbi diximus, in contractibus mutuis onerosis non intelligi contractum perfectum, & irreuocabilem, donec vterque contrahens suum consensum in obligationem expresserit, & quilibet eorum cognouerit alterum sese obligasse, & acceptasse simul suam obligationem. Vnde, cum matrimonium sit contractus mutuus onerosus, non videtur perfectus, & irreuocabilis, donec vterque coniux consensum expresserit, & acceptauerit consensum alterius, & nouerit eiusdem acceptationem. Non ergo sufficit, quod secundus coniux consensum expresserit, si primus hunc consensum, & acceptationem in eo inclusam non acceptauerit: quare si non acceptat, sed reiicit, contractus non videtur subsistere.

**D**ixi tamen, vix concipi posse, quod matrimonij valor ex eo præcisè capite defecerit. Pro quo aduerto, coniuges iisdem omnino verbis, quibus proprium consensum exprimunt, significare etiam, se acceptare obligationem, & consensum ab altero coniuge expressum; neque enim alia verba proferunt præter illa, *Accipio te in meum, vel in meam*, quæ verba vtrūque significant, nempe & obligationem propriam, & acceptationem obligationis alterius coniugis, nec possunt vnum sine altero exprimere; cum enim sit contractus constans essentialiter ex mutua vtriusque obligatione, nec possit ex vna parte claudicare, quin ex vtraque deficiat, non potest vir, v. gr. dicere, *Volo esse tuus vir*, quin eo ipso dicat, *Volo habere te in uxorem*, ac per consequens habere te mihi obligatam, sine qua obligatione non esset

D Io. Card. de Lugo Respons. mor.

vxor, nec vir esset eius maritus: debet ergò velle indiuisibiliter vtramque obligationem, & per consequens iisdem verbis exprimit & suam obligationem, & quod vult, seu acceptat obligationem alterius. quæ voluntas sufficit, vt absolutis verbis secundi coniugis, censeatur perfectus vndique contractus, nulla alia expectata morula temporis subsequenti; iam enim vterque expressit suum consensum, & nouit consensum alterius, & illum acceptauit. Et quidè de consensu expressione constat, siquidem vterque supponitur protulisse verba necessaria ad exprimendum consensum. Rursus singuli ea verba audierunt. Quilibet consensum alterius acceptauit, & dixit se acceptare: nam dicendo se velle habere alterum in coniugem, dixit, se velle habere alterum sibi obligatum, cum non possit esse coniux, nisi qui coniugi obligatus est, atque adeò dixit, se velle acceptare alterius obligationem, & consensum. Ille ergo, qui prior consensum expressit, iam habuit, & manifestauit voluntatem acceptandi obligationem à coniuge posterius loquuturo mox exprimendam. Vel ergo ille prior permansit in hac voluntate, quandiu posterior verba protulit, vel non permansit, sed reuocauit saltè interiùs suam voluntatem, antequam posterior proferret verba, quantum satis erat ad exprimendum consensum. Si dicatur hoc secundum, proculdubio matrimonium in foro conscientie non erit validum, quia eo tempore, seu instanti ultimo, quo Sacramentum conficiendum erat, deerat iam voluntas requisita in priori coniuge, qui non poterat inuitus recipere validum Sacramentum, nec de hoc potest esse dubitatio, quia vndecunque deficiat voluntas ante confectum Sacramentum, corrumpit valor Sacramenti, præsertim in matrimonio, in quo ad valorem non solum requiritur voluntas, sed voluntas libera à metu, & coactione, qui metus, & coactio non irritant valorem aliorum Sacramentorum.

**D**ixi, in foro conscientie matrimonium non fore validum in prædicto casu; quia in foro externo difficile probari, & credi poterit ille defectus, nisi adsint aliæ coniecturæ, & circumstantiæ, quæ id persuadeant. Cum enim immediatè antè prior coniux expresserit suum consensum, & significauerit voluntatem acceptandi obligationem mox à posteriori coniuge exprimendam, non credetur priori coniugi assenti, se interiùs retractasse hanc voluntatem, quandiu verba à posteriori coniuge proferebantur: sed magis credetur verbis eiusdem, quibus paulò antè dixerat, se eum consensum, & obligationem acceptare, qui-

G

bus

bus verbis in foro externo standū erit, quādiu contrarium sufficienter non constabit.

4 Si verò dicatur primum, nempe, quòd voluntas prior non fuit retractata, sed perseverauit saltem moraliter toto illo tempore, quo verba à posteriori coniuge prolata fuerunt, quantum sufficiebat ad significandum consensum: & quòd immediatè post, prior coniux retractauit consensum, & voluntatem acceptandi consensum alterius; non videtur posse ex hoc capite dubitari de valore matrimonij, cui obstare non potuit mutatio illa voluntatis, quæ iam inuenit matrimonium perfectum. Si enim toto illo tempore, quo verba proferbantur à secundo coniuge, primus habebat voluntatem acceptandi moraliter perseverantem, necesse est, quòd in fine verborum acceptatus fuerit consensus posterioris coniugis ex vi illius voluntatis moraliter perseverantis: quare mutatio voluntatis postea subsequuta nimis fera est, & post perfectum irtractabiliter matrimonium: sicut volens baptizari, & in voluntate perseverans, quandiu effunditur aqua, & proferuntur verba formæ, non poterit impedire valorem Baptismi, quamuis immediatè post ablutionem, & prolationem verborum, mutet voluntatem, & nolit baptizari; quia posita materia, & forma necesse est, quòd fiat Sacramentum, si non fuit obex contrariæ voluntatis in conferente, vel suscipiente Sacramentum. Idem ergo dicendum erit in casu nostro de valore matrimonij.

5 Dixi tamen suprà, *vix concipi posse*, quòd ea mutatio voluntatis impediatur valorem matrimonij; quia posset aliquis contendere, & excogitare casum metaphysicum, quo id fieri posset. Diximus enim loco suprà citato, contractus huiusmodi mutuos, & onerosos tunc perfici, quando singulorum consensus singulis notus sit, & à singulis acceptatur, & hæc acceptatio singulis etiam innotescit. Posset ergo aliquis excogitare, quòd intercederet aliquando breuissima temporis morula inter absolutam prolationem verborum à Seia, & auditionem, qua verba illa à Titio percipiuntur propter distantiam aliquam localem, quæ facit ut sonus verborum non percipiatur eodem momento, sed post morulam breuissimam, qua species perferri possint ad organum auditus. Posset ergo fingi, quòd intra illam breuissimam morulam post prolata verba à Seia, & antequam audiri potuerint omnia à Titio, Titius mutet voluntatem, & nolit acceptare Seie consensum: quo casu voluntas noua contraria Titij im-

pedire poterit valorem matrimonij, quòd nondum erat perfectum, cum nondum venisset completè ad Titij notitiam Seie consensus verbis expressus. Nec tunc dici debet, quòd posita materia, & forma Sacramenti non resultat Sacramentum: nam re vera, posita ea hypothesi, nondum posita est materia Sacramenti, quæ quidem est contractus humanus legitimus, & perfectus; qui eo casu positus non fuit, cum supponamus, contractum humanum mutuum onerosum non poni, donec vtriusque consensus, & eius mutua acceptatio singulis innotescat. Deficiente ergo voluntate, & intentione ex parte Titij, qui simul est minister, & suscipiens hoc Sacramentum, & posita in ipso voluntate contraria, non est mirum, quòd non resultet Sacramentum matrimonij; sicut non resultat contractus humanus legitimus propter defectum voluntatis ex parte vnius ex contrahentibus.

Cæterum, quidquid sit de possibilitate huius casus, quæ magis videtur metaphysica, & speculabilis, quàm practica, nobis in præsentis satis est, quòd post prolata verba à Seia, & audita à Titio, non potest Titius retractare suam voluntatem, nec ita nolle acceptare consensum Seie, vt ea noua voluntas Titij reddat irritum, & inuolidum matrimonium, quòd erat quæsitum à proponente dubium.

#### D V B I V M XLIII.

*Vtrum concedi possit dispensatio ad contrahendum matrimonium in primo gradu affinitatis, & secundo simul consanguinitatis.*

Illustrissimus quidam enixè petebat dispensationem, vt posset ducere vxorem relictam sui fratris defuncti, quæ simul coniuncta erat Oratori in secundo gradu consanguinitatis. Et quidem de valore dispensationis, si concederetur, non dubitabatur, cum neutrum esset impedimentum iuris diuini, vel naturalis, sed vtrunque esset de iure humano Ecclesiastico. Difficultas tota erat, an deceret, & expediret id concedere; coniunctio enim vtriusque impedimenti simul reddebat dispensationem multo difficiliorem: & (quòd in eiusmodi casibus maximi ponderis esse solet,) res videbatur esse sine exemplo, vt in vtroque simul impedimento dispensatum vnquam fuerit.

Dixi tamen, difficiliorem quidem esse eiusmodi dispensationem propter concursus vtriusque impedimenti in eadem persona, quia sicut singula quæ non profunt, simul

simul collecta iuuant, ita singula, quæ non obfunt, simul collecta nocent; atque adeò maiores desiderari causas ad eam dispensationem iustificandam, quàm si vnum solum esset impedimentum; posse tamen tales esse causas, & rationes, vt etiam stante vtroque impedimento, Summus Pontifex dispensare meritò possit. Nec id dicitur sine exemplo concedere; possumus enim alia exempla inuenire, vel eiusdem rationis, vel saltem æquivalentis. Nam in primis opinio est multorum, quos affert Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 23. n. 1.* quam ipse ibi fatetur esse probabilem, qui dicunt quando aliquis habet impedimentum simul affinitatis, & consanguinitatis, satisfacere si in diuersis supplicationibus diuersa impedimenta proponat, & quamlibet earum dispensationem validam esse quoad impedimentum in ea explicatum, quamuis nunquam fuerit explicatus concursus vtriusque impedimenti in eadem persona: quòd etiam probabile putat Diana *1. part. tract. 10. de legibus, resol. 39.* in prima editione: loquuntur autem ij Doctores, etiam quando vtrumque impedimentum est publicum, vt notauit Sanchez *loco citato*, qui adhibet aliquas limitationes, quæ tamen non tangunt casum nostrum. Si ergo Orator ipse amplectendo eam sententiam, quam tot Doctores veram, vel probabilem esse docent, potuisset duas dispensationes obtinere vtriusque impedimenti, tacendo concursus vtriusque in eadem persona: quantò magis Summus Pontifex interuenientibus causis grauissimis, quales interuenire dicebantur, potuisset rationabiliter dispensare, vt eius auctoritate fiat id, quòd absque eius notitia potuisset iuxta multorum sententiam duplici diuersa dispensatione obtineri?

3 Secundo multi dicunt, habentem facultatem generalem dispensandi in secundo gradu consanguinitatis, & in secundo affinitatis, posse dispensare, quando vtrunque impedimentum simul concurrat, quia in potestate generali casus mixtus comprehenditur concessis simplicibus, vt tradit Thomas Sanchez *d. lib. 8. disp. 22. n. 10. iuncta disp. 2. num. 28.* Credibile autem est eiusmodi facultatem dispensandi communicatam aliquando fuisse aliquibus, præsertim pro regionibus remotissimis: imò contineri videtur in iis facultatibus, quas Leo X. communicauit aliquibus Religiosis in regionibus infidelium prædicantibus, quæ habentur in Bulla II. eiusdem Leonis in Bullario Regularium Eman. Ro. *D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

derici; nam ibi conceditur eis facultas generalis dispensandi cum Schismaticis, qui ad fidem conuertuntur, vt possint retinere vxores, cum quibus contraxerant in gradibus à lege diuina non prohibitis. Certum est autem, primum gradum affinitatis in linea transuersa, & secundum consanguinitatis in eadem linea transuersa, non irritare matrimonium de lege diuina, sed de iure humano. Credibile ergo est, Religiosos illos vsos fuisse facultate sibi concessa, & dispensasse cum aliquibus etiam concurrente simul vtroque illo impedimento, cum Summus Pontifex absque limitatione facultatem illis concessisset.

Tertio ille, qui habet facultatem à Summo Pontifice dispensandi in secundo gradu consanguinitatis, potest dispensare concurrente duplici impedimento, ex duplici secundo gradu consanguinitatis, vt cum aliis docet idem Sanchez *disp. 24. num. 9.* Fortius autem etiam esse impedimentum, quòd resultat ex secundo gradu consanguinitatis, quàm quòd resultat ex primo affinitatis in linea transuersa, asseruit idem Sanchez *lib. 7. de matrimonio, disp. 66. n. 11.* Quare in eius sententia, vt consequenter loquatur, difficilius dispensari poterit cum habentibus duplex impedimentum ex duplici secundo gradu consanguinitatis, quando, v. gr. ex parte vtriusque parentis sunt consanguinei in secundo gradu, quàm cum habentibus impedimentum simul ex secundo gradu consanguinitatis, & primo affinitatis in linea transuersa; cum in primo casu vtrumque impedimentum sit fortius, quàm vnum ex impedimentis concurrentibus in secundo casu.

His ergo, & aliis quæ adducta fuerunt, attentè perpensis, & præsertim, quòd dispensatio cedebat in bonum publicum Religionis, & fidei, & quòd Oratrix constanter affirmabat, non fuisse se carnaliter cognitam à primo marito, atque adeò non fuisse contractum impedimentum affinitatis, sed solum publicæ honestatis: quamuis ad maiorem cautelam, & ne ad difficiles probationes veniendum esset, dispensatio peteretur, etiam quatenus resultasset impedimentum affinitatis in primo gradu: his, inquam, consideratis, post longam disputationem, & considerationem,

felicit. record. Urbanus VIII.

anno, ni fallor, 1643.

dispensationem concessit.

\* \* \*

## D V B I V M XLIV.

*An non obstante promissione, possit non contrahi matrimonium promissum, cedente foemina cum damno prolis.*

**T**itius, dum uxorem haberet Seiam, violauit Iuliam, foeminam quidem non sibi parem, sed tamen conditionis honestæ: quam iterum, mortua iam uxore Seia, violauit, ac demum, vt sese à peccato abstereretur, obligauit se, & cum iuramento eidem Iulix promissit, quòd eam in uxorem accipere deberet, si rursus eam carnaliter cognosceret; sed propositi parùm tenax ab ea sæpiùs copulam extorsit: desiderabat ergo relaxationem iuramenti, & promissionis factæ, ne ad matrimonium cum Iulia in eundem teneretur, ex qua post mortem vxoris quattuor filios, qui adhuc exstabant, susceperat.

**2** Dixi, si promissio matrimonij etiam cum iuramento facta fuisset à Titio, viuentem adhuc propria uxore, non fuisset opus relaxatione, cum promissio ipsa ad nihil obligaret, quippe quæ fuisset de re turpi, & illicita; copula enim per adulterium habita, & promissio matrimonij, durante primo matrimonio, inducunt impedimentum criminis, quod irritat subsequens matrimonium, vt constat ex *cap. finali, de eo qui duxit, &c.* & tradunt communiter Doctores, quos vide apud Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 79. qui num. 3.* bene aduertit, nihil referre quòd promissio præcedat, vel subsequatur adulterium; in utroque enim casu nascitur idem impedimentum dirimens futuri matrimonij.

**3** Quia tamen in casu proposito nihil dicebatur de fide data à Titio, durante primo matrimonio, atque ideò non præsumimus, eiusmodi impedimentum irritans ortum fuisse: negare non possumus, promissionem illam validam fuisse, atque ideò, per se loquendo, Titium, posita conditione subsequenter copulæ, teneri ad eam adimplendam, cum promissio ex animo facta, & præsertim subsequuta copula, obliget promittentem, vt tradunt omnes, & dixi *tom. 1. de iustitia disp. 12. sect. 2. num. 1.* Nec facile sperari potest, quòd Summus Pontifex concedat relaxationem illius iuramenti, & liberet Titium ab obligatione contracta. Nam, licet ex rarissima, & grauissima causa, quando id ad

bonum publicum necessarium iudicatur, possit Pontifex relaxare iuramenta, quibus ius alicui tertio fuerat acquisitum; id tamen facere non potest, nisi ex grauissima causa ad bonum commune spectante, vt cum aliis, quos affert, docet Thomas Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 21. num. 9.* & nos diximus *tom. 2. de iustitia disp. 22. sect. 8. num. 192.* In casu autem nostro non aderant causæ sufficientes, vt Pontifex vti posset plenitudine potestatis ad tollendum ius quæsitum tertio ex promissione matrimonij cum iuramento.

Vnica restabat via, vt Titius liberari posset, obtinere scilicet à Iulia, quòd remitteret obligationem Titio; ipsa enim remittente, & respiciente nuptias promissas, cessabit obligatio iuramenti, quod est accessorium promissioni, cuius obligatio ex voluntate promissarij nolentis rem promissam, potest dissolui. Et quidem fortasse id non nimis ægrè à Iulia impetrari posset: ego tamen verebar, ne id Iulia vel metu reuerentiali, vel certè contra conscientiam faceret; supponebatur enim habere quatuor filios à Titio genitos post mortem vxoris, atque adeò eius conditionis, vt per subsequens matrimonium legitimi fierent, quorum commoda, & honores, qui ex legitimitate sequerentur, videtur eorum mater vel ex iustitia, vel certè ex charitate, & pietate, quam propriis filiis debet, non posse sine graui culpa negligere, cum facile possit filios ab infamia, & paupertate liberare, retinendo ius, quod habet aduersus Titium, vt sibi fides promissa seruetur, præsertim cum filij ipsi sub ea spe futuri matrimonij concepti videantur quasi ius aliquod ad futuram legitimitatem comparasse, nec genitrix excusanda sit, si prodiga honoris, & fortunarum filiorum sine causa sufficienti eorum omnium iacturam non impediat, cum impedire facile possit. Quare consului, vt Titius quamprimum promissa impleat, omni prorsus tergiversatione, vel dilatione sublata, ne fortè (quod frequenter contingit) dum causas differendi præterdit, morte præoccupatus satisfacere non possit, & filios suos, quos legitimare poterat, & debebat, illegitimos, & egenos relinquat.

\* \* \*

D V B.

## D V B I V M XLV.

*An Episcopus possit sua lege irritare matrimonia contrahenda sine præmissis denuntiationibus.*

**A**rchiepiscopus quidam, cum tentatis variis mediis, & impositis aliis pœnis, non posset extirpare abusum, qui in sua Dicecesi nimium irrepererat, quo aliqui variis de causis occultè matrimonium contrahere volentes, sub prætextu infirmitatis, vel alio simili, Parochum ad se vocabant, illòque præsentem, & duobus testibus matrimonia repentè contrahebant, antequam Parochus effugere posset; ex quibus matrimoniis multa scandala, & dissensiones oriebantur: idcirco lege, & edicto publico non solum id prohibuit, sed abstulit facultatem Parochis, & aliis Sacerdotibus de eorum licentia assistendi eiusmodi matrimoniis, non præmissis denuntiationibus, eosque omnes quoad hunc actum assistendi suspendit, ac declarauit, matrimonia, si quæ deinceps hoc modo fierent, fore inuvalida, ob defectum potestatis assistendi ex parte Parochi, vel alterius Sacerdotis, quæ iam hac lege ablata fuerat. Quæsitum fuit, an id Archiepiscopus validè facere potuerit.

**2** Respondi, Archiepiscopum potuisse ultra pœnas iure communi statutas, alias pœnas addere ad eiusmodi abusum impediendum. Dixi, *ultra pœnas iure communi statutas*; quia certum est, Parochi assistenti, non præmissis denuntiationibus, imponi triennem suspensionem in *cap. finali, de clandest. desponsat.* & ipsis contrahentibus dicitur *ibidem* imponendam condignam pœnitentiam; quare respectu contrahentium est pœna arbitraria, vt cum aliis docet Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 46. num. 7.* suspensionem verò triennem non esse ipso facto, sed ferendam, obseruat idem Sanchez *ibi disp. 48. num. 2. & 5.* Testes verò, quamuis iis nulla pœna ibi imponatur, cum tamen delinquant auctoritatem suam præstando matrimonio ab Ecclesia interdicto, puniendos esse condigna pœnitentia pro delicti qualitate, docet cum aliis idem Sanchez *dicta disput. 46. num. 8.* Ultra has ergo pœnas de iure communi statutas, potuit Archiepiscopus propria lege grauiore pœnas addere ad obseruantiam legis Ecclesiasticæ; quod facere posse Episcopum

ad adiuuandas pœnas iure communi statutas, docet idem Sanchez *d. disp. 46. num. 9.*

Quoad irritationem verò matrimonij deinceps eo modo contrahendi, an Archiepiscopus potuerit eam inducere, non leuem dubitandi occasionem præbere posset Thomas Sanchez *d. lib. 3. disp. 32. n. 2.* vbi proposita quæstione, an si Episcopus, aut constitutio synodalis interdicat Parochis dare licentiam assistendi matrimonio, nisi approbatus ab Episcopo, vel si Episcopus prohibeat aliquos nominatim matrimonio coniungere, validum sit matrimonium contra eiusmodi prohibitionem factam; respondet *num. 2.* matrimonium valere, nisi Episcopus, vel constitutio synodalis expressè addiderit decretum irritans aliter gesta. quibus verbis significare videtur, additâ eâ clausulâ, prout in casu nostro addita fuit, matrimonium non valere. Ratio autem esse potest, quia Episcopus in sua Dicecesi potest ferre leges in omnibus materiis, in quibus id ei prohibitum non inuenitur, vt fatentur Doctores in *tractatu de legibus*, & videri potest Suarez *lib. 4. de legibus cap. 4. num. 2.*

Nihilominus censui, Archiepiscopum non potuisse matrimonia sic contracta irrita reddere. quod videtur esse iuxta mentem sacræ Congregationis Cardinalium Interpretum Concilij Tridentini, quorum declarationem affert idem Sanchez *dicto lib. 3. disp. 21. num. 12.* his verbis: *Prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus aliquos desponsat, an ita tollatur iurisdictio Parochi, vt ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus Parochus, cum possit Ordinarius in totum, vel in partem auferre à Parochi iurisditionem: sicut fit quando reseruantur aliqui casus, & in proposita quæstione maiorem vim habet, quia prædictus Sacerdos non erat principalis Parochus, nec verus proprietarius, sed annuus Vicarius, qui ad nutum Ordinarij poterat remoueri. Congregatio Cardinalium respondet, valere matrimonium contractum coram Parochi, cui interdictum est ab Episcopo ne interueniat. Rationem verò reddit idem Sanchez *num. 11.* quia adhuc ille est verè Parochus, retinetque Parochiæ titulum, quæ ratio militat etiam in casu nostro: nam Parochus adhuc manet Parochus; quare matrimonium coram eo, & duobus testibus contractum habet omnes conditiones, quas Concilium Tridentinum exigit ad valorem matrimonij, licet non habeat conditiones alias ab eodem Concilio requisitas, vt licitè fiat.*



5 Possumus autem hoc ipsum confirmare, & explicare exemplo, quod affert idem Sanchez dicto lib. 3. disp. 46. num. 10. vbi refert factam fuisse constitutionem quandam synodalem Salmanticæ, cuius meminit Couarruu. 4. decret. 2. part. cap. 6. initio num. 9. qua excommunicabantur ipso iure clam contrahentes matrimonium, & cauebatur, hos excommunicatos vitandos esse etiam ante denuntiationem excommunicationis. quam tamen constitutionem ipse Sanchez cum aliis dicit, non potuisse validè id statuere, quia in *Extrauaganti, Ad euitanda*, requiritur denuntiatione, vt debeat vitari excommunicatus, nisi sit notorius Clerici percussor. Cùm ergo Concilium Tridentinum ad valorem matrimonij solùm requiratur præsentiam Parochi, & duorum testium, non potuit Archiepiscopus irritare matrimonia coram Parocho, & testibus facta, qualia sunt ea, de quibus agitur, eùm ille re vera adhuc maneat verus Parochus retinens titulum suæ Parochiæ, præsertim cùm assistentia illa non sit actus iurisdictionis in Parocho; quare licet ob excommunicationem, vel aliam censuram suspensus esset ab omni iurisdictione, adhuc validè assisteret matrimonio, vt cum communi docet idem Sanchez d. lib. 3. disp. 21. num. 4.

6 Ratio denique à priori, & fundamentalis est, quia, quidquid sit de aliis materiis; in hac tamen materia non potest Episcopus lege sua inducere impedimentum irritans matrimonij ultra illa, quæ iure communi inducta sunt, hoc enim vtpote grauissimum negotium, & ex quo grauissima inconuenientia sequuntur, meritò reseruauit sibi vni Summus Pontifex, vt fatentur communiter Doctores, quos sequuntur Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 1. num. 9. Basilius Pontius lib. 6. de matrim. cap. 1. num. 12. & alij omnes. Cùm ergo Ecclesia vniuersalis defectum denuntiationum præcedentium, solùm voluerit esse aliquid impediens matrimonium, ne licitè contrahatur; non potuit Archiepiscopus facere quòd impedimentum hoc transferat in numerum impedimentorum dirimentium: vnde meritò à Sac. Congregatione Concilij beneuolè monitus fuit, vt quamprimùm edictum in hac materia promulgatum reuocaret.

\* \* \*

## D V B I V M XLVI.

*Circa valorem matrimonij facti coram simplice Sacerdote ex delegatione Vicarij deputati ab Episcopo nondum confirmato.*

C Vm vacaret Ecclesia Cathedralis N. designatus fuit ad eam à Summo Pontifice vir quidam doctus, & dignus: qui cùm variis negotiis, & impedimentis detineretur, non potuit per aliquod tempus ad examen in Curia fieri solitum venire, vt procedi postea posset ad præconizationem, & propositionem in Consistorio secreto, vt à Pontifice ibi legitimè confirmaretur. Ne autem interim Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus detrimentum pateretur, Summus Pontifex eidem N. administrationem eiusdem Ecclesiæ commisit Breui suo speciali sequentis tenoris:

*Venerabilis frater, salutem, &c. Cùm nos Ecclesia N. Pastoris solatio destituta de persona tua prouidere, teque illi in Episcopum, & Pastorem praticere sub certis modo, & forma decreuerimus, prout in litteris Apostolicis sub plumbo desuper expediendis latius explicabitur. Tu verò ob diuersa impedimenta, quibus detentus fuisti, & adhuc detineris, solito examini in Romana Curia te non subieceris. Nos, ne interim Ecclesia prædicta aliqua propterea in spiritualibus, & temporalibus detrimenta patiat, prouidere volentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, & religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, te ipsius Ecclesia N. Administratorem in spiritualibus, & temporalibus cum facultate omnes, & singulos ipsius Ecclesiæ N. fructus, redditus, & prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quacunque etiam decursa à die, &c. percipiendi, exigendi, & leuandi, in tuosque usus, & utilitatem conuertendi ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, Apostolica auctoritate tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, mandantes propterea dilectis filijs Clero, & populo ciuitatis, & Diæcesis N. ceterisque ad quos spectat, vt tibi in omnibus officium tuum concernentibus, & quæ eis in Domino mandanda duxeris, promptè pareant, & obediant, &c. non obstantibus constitutionibus, &c. Dat. Roma, &c.*

Huius ergo Breuis virtute prædictus N. deputauit sibi Vicarium N. litteris ad eum missis, tenoris sequentis;

Molt

*Molt' Illust. Dall' accluso Breue concessomi dalla benigna di N. S. dell' amministrazione della mia Chiesa, finche possi esaminarmi, & hauerne le spedizioni necessarie delle Bolle, vedrà la facoltà concessami da sua Santità del guerno di essa. E perche la principale cura è appoggiata al Vicario Generale; per tanto confidato non meno nella bontà, e valore di V. S. che nella disposizione mi promette l'affetto, che io le porto, la deputo con questa lettera mio Vicario Generale, dandole la cognizione di tutte le cause civili, criminali, miste, e matrimoniali, e nelle cause d'appellazioni, &c. e come tale voglio che sij da tutti obedita, e riconosciuta, dandole in eis vices, & voces nostras, & attendo di sentire quello, che l'accaderà per l'occorrenze della medesima Curia, e per fine, &c.*

Hoc supposito ab eodem Vicario petita fuit licentia coniungendi duos in matrimonio in propria domo, non præmissis denuntiationibus, & coram Sacerdote non Parocho, quam licentiam ipse in scriptis concessit. his verbis:

*Con la presente concediamo licenza, e facoltà al R. Padre fra N. della Religione di N. di poter coniungere in matrimonio il Signor N. & Madonna N. &c. dandoli licentia per cause note à noi, che il tutto possa fare senza denuncie, & anco in casa dell' habitazione del Signor N. ò in altro luogo più opportuno, alla presenta di doi testimonij. Del seguito poi dourà fare fede il detto Padre à tergo di questa, e portarla à noi, acciò venga conseruata à perpetua memoria, &c.*

N. Vicarius Generalis.

N. Cancellarius.

2 Facto itaque, & celebrato matrimonio coram illo Sacerdote Regulari, & testibus iuxta tenorem licentiæ, dubitari cœpit de valore matrimonij. Contra valorem enim videbatur esse, quòd tota hæc facultas videbatur fundari in iurisdictione Episcopi designati, qui reuera non erat Episcopus, atque ideò non videbatur habere iurisdictionem ordinariam, sed solùm delegatam ad tempus. Quamuis autem Delegatus Principis, qualis videbatur esse ille Administrator, possit subdelegare; non tamen potest eius subdelegatus iterum subdelegare; quia, licet Delegato Principis ad Vniuersitatem causarum reperiat in iure concessa facultas subdelegandi; nullibi tamen reperitur concessa facultas dandi subdelegato facultatem subdelegandi, vt cum communi Iuristarum, quos congerit, pro-

bat Thomas Sanchez lib. 3. de matr. disp. 31. num. 9. & 17. & communem omnium sententiam esse, testatur Basilius Pontius lib. 5. de matrim. cap. 26. num. 14. Si ergo Administrator non habebat iurisdictionem ordinariam, sed delegatam à Principe, ipse quidem delegare poterat: eius tamen Delegatus, qualis erat Vicarius, non potuit rursus subdelegare etiam ad vnum casum specialem.

Dixi tamen, matrimonium iuxta narrata 3 reputandum validum, vtpotè factum coram testibus, & Sacerdote deputato ab eo, qui deputare poterat, nempe à Vicario Generali Administratoris Generalis habentis totam potestatem Episcopalem, vt constat ex Breui suprà relato. Suppono enim, quando Vicarius Generalis Episcopi dat licentiam Sacerdoti simplici assistendi matrimonio, validum esse matrimonium, vt cum communi Doctorum, quos affert, probat Thomas Sanchez lib. 3. de matrimonio, disp. 29. num. 18. quod multò verius est, quando in sua deputatione accepit expressè facultatem ad cognoscendas causas matrimoniales, vt notat idem Sanchez ibi. In nostro autem casu Vicarius acceperat suam deputationem cum ea clausula expressa, vt constat ex litteris deputationis suprà relatis. Porrò Administratorem potuisse constituere Vicarium cum facultate delegandi causas speciales, probatur fundamento contrario; quia nimirum Administrator ille à Summo Pontifice deputatus ad regendam Ecclesiam vacantem, non est censendus Delegatus, sed Ordinarius; ad quod est glossa singularis in cap. is, cui, 42. verb. confirmatus, de electione, lib. 6. vbi in textu Summus Pontifex describit nostrum Administratorem his verbis: *Is, cui procuratio, seu administratio Cathedralis Ecclesiæ, plena, & libera in spiritualibus, & temporalibus à Sede Apostolica (cui soli hoc competit) est concessa: potest (alienatione bonorum immobilium dumtaxat excepta) omnia, qua iurisdictionis Episcopalis existunt, & qua potest electus exequi confirmatus, liberè exercere. Illa quippe, qua ministerium consecrationis exposcunt (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat Episcopos expediri. Vnde glossa prædicta quærit, an istius Administratoris officium expiret mortuo Papa? & respondet non expirare, quia ordinariam potestatem habet.*

Si verò rationem indagare velimus, cur 4 Administratoris iuridictio dicatur potius ordinaria, quàm delegata, ratio petenda erit ex doctrina, quam optimè explicuit

Pater Molina tom. 6. de Iustitia, tract. 5. de iurisdictione, disp. 14. num. 2. & sequentibus; ubi regulam generalem statuit ad dignoscendum, quando sit iurisdicção ordinaria, vel delegata, ex Bart. in l. more, num. 8. ff. de iurisdic. omnium iudic. & Panorm. in cap. relatum, num. 5. de officio delegati; nempe iurisdictionem ordinariam eam esse, quam confert lex, consuetudo, aut Princeps; non quòd Princeps non possit etiam, & soleat dare iurisdictionem delegatam, sed quòd possit etiam dare ordinariam. Quare, quando alicui committit aliquod, vel aliqua negotia particularia, censetur solum dare iurisdictionem delegatam; quando verò committit negotiorum vniuersitatem, censetur dare ordinariam, nisi aliquid apponatur, quo significet, ut procedat non propria auctoritate, sed auctoritate committentis: ut si dicat, *Nostra auctoritate facias*; vel procedas *appellatione postposita*; cum de iure in tali negotio à iudice inferiori deberet concedi appellatio. In dubio autem Princeps, vel lex potens dare iurisdictionem ordinariam, & delegatam, præsumitur dare ordinariam ad vniuersitatem causarum, quia censetur creare officium, & Magistratum, cui inest ea iurisdicção. Inferiores autem; quia non possunt constituere nouos Magistratus; & munera publica, non possunt dare iurisdictionem ordinariam, sed delegatam, nisi quando constituunt officiales inferiores ex tacito, vel expresso legis, vel Principis consensu, ut quando Episcopus deputat sibi Vicarium generalem, qui vnum, & idem tribunal cum Episcopo faciat, ut ex glossa in cap. Romana, verb. generaliter, de appellat. lib. 6. & ex Couarru. 3. variar. resolut. cap. vlt. num. 4. notauerat idem Molina ubi supra disput. 10. num. 6. tunc enim ij Vicarij iurisdictionem etiam ordinariam habent, qui à lege constituuntur, ex qua regula varias illationes subdit idem Molina, quæ apud ipsum videri possunt.

5 Ex hac ergo regula, & doctrina possumus rationem colligere, & applicare ad

casum nostrum, in quo Administrator constitutus fuit à supremo Principe, nempe à Summo Pontifice, ad vniuersitatem causarum, & cum tota, & plena iurisdictione Episcopali, neque apposta fuit clausula aliqua indicans, vel imponens, ut operaretur, & ageret auctoritate ipsius Pontificis; quare omninò censetur accepisse potestatem, & iurisdictionem ordinariam annexam muneri, & officio Administratoris. Potuit ergo iure suo constituere Vicarium generalem, qui Vicarius potuit etiam licentiam assistendi matrimonio speciali committere Sacerdoti non Parocho: nam siue dicamus, Vicarium generalem habuisse iurisdictionem delegatam, siue dicamus, habuisse iurisdictionem ordinariam, id facere potuit; si enim habebat iurisdictionem solum delegatam, habebat tamen illam ad vniuersitatem causarum, ut constat ex eius deputatione supra relata. Est autem regula generalis, Delegatum ad vniuersitatem causarum ab habente iurisdictionem ordinariam, posse vnam, vel aliam causam in particulari subdelegare, ut cum communi Doctorum supponit pro certo Thomas Sanchez dicto lib. 3. de matrimonio, disp. 3. 1. num. 2. & 3. Si autem dicas, Vicarium habuisse iurisdictionem ordinariam, prout reuera habebat, quia deputatus fuit ab Administratore habente potestatem Episcopalem, ac lege permittente, ut deputeretur Vicarius generalis faciens vnum, & idem tribunal cum deputante: tunc, inquam, compertum est, potuisse Vicarium committere Sacerdoti simplici assistentiam matrimonij, atque aded matrimonium validum fuisse, cum factum fuerit coram Sacerdote de licentia Ordinarij, & duobus testibus, quod solum exigit Concilium Tridentinum ad valorem matrimonij.

Denique id totum confirmatur ex declaratione sacre Congregationis Concilij Tridentini, in qua cum hoc semel, & iterum proponeretur 12. Septembris & 14. Nouembris 1648. re benè discussa, Congregatio pro matrimonij validitate respondit.

LIBER



LIBER SECVNDVS  
De quæsitis variis circa Censuras.

## D V B I V M I.

An incurrerit excommunicationem ob duellum qui non provocauit explicitè, sed confusè.



1 I T I V S nobilis litteras misit ad Seium pariter nobilem, dicens: Desidero à te audire explicationem, & sensum talium verborum, quæ heri mihi dixisti: ad hoc autem expectabo te solus in tali loco remoto, tali hora, & spero, facturum te iuxta debitum tuum. Venit Seius, & gladiis pugnaverunt, neutrius tamen morte subsequuta. Quæsitum fuit, an incurrerint excommunicationem, & pœnas spirituales duelli prohibiti, quæ est excommunicatio Papæ reseruata, ut constat ex decretis Pontificiis, quæ affert, & explicat latè Thomas Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 39. num. 18. & sequentibus.

2 Aliqui volebant, in casu nostro non incurrisse Titium, & Seium in pœnas duelli prohibiti, quia scriptura sua Titius non vocabat Seium ad pugandum, sed ad declarandum sensum verborum, quæ die præcedenti protulerat. Pœnas autem illas non incurrunt nisi provocantes, vel acceptantes, condicção loco, & tempore, ad pugandum. Quòd autem animus scribentis, & acceptantis fuerit de pugna ineunda, non videtur sufficere ad incurrendas pœnas, quæ non incurruntur, nisi propter delictum externum: quare, quandiu illa intentio mansit in animo, & non fuit exterius sufficienter explicata, non videtur fuisse provocatio externa ex condicção, qualis requiritur ad eas pœnas incurrendas.

3 Respondi tamen, procul dubio Titium, & Seium censuram incurrisse; quia intentio pugnandi fuit sufficienter manifestata exterius per scripturam à Titio missam, & à Seio acceptatam: sensus enim verborum illorum fuit vel disunctiuus, vel conditionalis. Disunctiuè quidem intelligebatur hoc modo, nempe: Venias tali hora ad ta-

lem locum, & ibi satisfacies mihi circa verba, quæ mihi dixisti, vel mecum pugnabis. Seius autem acceptauit secundam partem ut pugnaret; ergo ex sensu vtriusque fuit electus locus, & hora certaminis; nam quod sub disunctione offertur, data optione, simpliciter offertur. Conditionaliter etiam verba illa potuerunt intelligi, & tunc in idem recidit, & sensus erit: Veni tali hora in talem locum, ut si non satisfeceris mihi circa verba à te prolata, inuicem ibi pugnemus. Hæc autem conditio posita fuit: nec enim Seius satisfecit Titio, nec explicuit verba iuxta eius voluntatem; ergo provocatio, & condicção certaminis transit in absolutam, cum perseveraret adhuc voluntas præcedens.

4 Confirmarique potest, quia locus talis non fuit à Titio electus ex industria ad explicationem verborum audiendam; ad hoc enim non erat necessarius locus ille remotus, sed solum ad pugnam: nam ad merum colloquium quilibet alius locus erat opportunus. Vnde constat ad rationem iam contrarium adductam: illa enim intentio duelli non fuit merè interna, sed sufficienter externa, quam litterarum tenor, & reliquæ circumstantiæ loci, & temporis sufficienter significabant. Et quidem Seius visis litteris sufficienter intellexit, ad quid vocaretur, & ided ad pugnam adiit præparatus; nec vllus, qui praxim duellorum haberet, potuit alio sensu litteras interpretari: non est ergo ratio, ob quam, sequutà pugna, potuerit vterque à censura contrahenda excusari.

5 Quam etiam sententiam significat Diana 3. p. tract. 6. resolut. 1. vers. dico secundo; ubi, si quis inueniens alium ei dicat: Si sustinere velis quod mihi dixisti, mentiris, & hoc dicens manum ensi apponat, ex eo tantum capite à pœnis duelli excusatur, quia non fuit ex condicção statutus locus,

& tempus; non ergo, quia sub conditione, vel disiunctione prouocauerat.

## D V B I V M II.

*An Regulares post decreta Clementis VIII. & Pauli V. absolueri adhuc possint iuxta sua privilegia à peccatis circa duellum, excepta prouocatione, & pugna.*

**S**uppono, post decretum sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. editum anno 1602. sublatam fuisse facultatem saltem intra Italiam omnibus Regularibus absolueri intuitu suorum privilegiorum à casibus in Bulla Cœnæ contentis, & ab aliis quinque Pontificiis, quorum vnus erat, *prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum sacri Concilij Tridentini & Constitutionem felic. record. Gregorij XIII. incipientem, Ad tollendam, &c.* quorum verborum occasione dubitatum fuit, an Regulares habentes privilegia ad absolueri à casibus Pontificiis, possent post illud decretum absolueri consilium ad duellum dantes, associantes, ex composito adspicientes, patrociantes, & similes; an verò horum etiam omnium absolutio sublata fuerit Regularibus, & aliis pariter priuilegiatis.

**2** Ratio dubitandi est, quia ex vno capite in prædictis verbis non exprimitur, nisi *prouocantes & pugnantes in duello*. Cùm ergo decretum sit odiosum, non debet ad alias personas extendi. Ex alio tamen capite videntur omnes alij comprehensi propter verba illa sequentia, *iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem Gregorij XIII.* Nam in Tridentino, & in constitutione illa Gregorij omnes illæ personæ comprehenduntur. Cùm ergo decretum Clementis referat se ad Tridentinum, & ad constitutionem Gregorij, videretur de iisdem personis loqui. Quare in hoc sensu verba decreti Clementis intellexit Bonac. *de censuris disp. 2. q. 6. puncto 2.* in vltima editione, ita vt per illam relationem ad constitutionem Gregorij voluerit Clemens omnes personas comprehendere, quæ à Gregorio enumeratæ fuerant: atque adeò peccata eorum omnium erunt ita reseruata, vt à Regulari priuilegiato absolui non possint.

**3** Respondi tamen, probabilem videri

aliorum explicationem, qui prædicta verba, *iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, & constitutionem Gregorij XIII. &c.* ita intelligunt, vt referantur solùm ad casum præcedentem *prouocantium, & pugnantium in duello*, atque adeò solùm auferri facultatem priuilegiatis absolueri prouocantes, & pugnantes in duello iuxta terminos Tridentini, & constitutionis Gregorianæ: quia decretum illud Congregationis versatur in materia odiosa, cùm auferat facultatem Regularium ad absolueri, atque adeò strictè est interpretandum, quantum verborum proprietates permittat, prout te vera permittit in casu nostro, cùm verba illa applicata ad solum delictum prouocantium, & pugnantium in duello iuxta terminos Tridentini, & constitutionem Gregorij habeant optimum sensum. Neque enim verba illa, *iuxta decretum sacri Concilij Tridentini, & constitutionem Gregorij XIII.* frustra addita sunt, sed ad explicandam reservationem, & reuocationem priuilegiorum.

Pro quo notandum est, Gregorium XIII. **4** in sua constitutione ibi citata, extendisse ad duella etiam priuata pœnas, & censuras, quæ in Tridentino, & aliis Bullis antiquioribus impositæ fuerant duellis solùm publicis, vt cum aliis aduertit Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 39. num. 20.* Quare, ne fortasse decretum Congregationis ita intelligeretur, vt censeretur ablata facultas absolueri solùm prouocantes, & pugnantes in duello publico, & solemni, de quibus antiquiora decreta loquebantur, additum est, debere intelligi iuxta decretum Tridentini, atque etiam constitutionem Gregorij XIII. vbi de duellis etiam priuatis, & secretis actum fuerat, hoc est, debere intelligi de duello publico iuxta decretum Tridentini, atque etiam depriuato iuxta Bullam Gregorij.

Adde, addita etiam fortasse illa verba **5** ad limitandam quoad aliquid reservationem explicatam illo decreto, quod quidem editum fuit anno 1602. & ante de cem annos, nempe anno 1592. Idem Clemens Bullam ediderat, quæ incipit, *Illius vices*, in qua præter alia, quæ addidit, voluit etiam prædictam excommunicationem reseruata incurrere prouocantes etiam pugna non sequuta, vt cum aliis explicuit Filiucius *2. tom. tract. 29. cap. 8. num. 170.* qui tamen casus non fuerat comprehensus, nec excommunicationem reseruata incurrerent prouocantes pugna non sequuta, iuxta constitutionem Gregorij XIII. vt docuit Thomas Sanchez *dicto cap. 39. num. 28.*

Dum

Dum ergo in decreto Congregationis auferatur priuilegiatis facultas absolueri prouocantes, & pugnantes in duello, iuxta decretum Tridentini, & constitutionem Gregorij, sensus est, intelligi de prouocantibus, & pugnantibus in duello publico, de quo loquitur Tridentinum, & in priuato, de quo loquitur Gregorius XIII. sequuta tamen pugna, quo solo casu Tridentinum, & Gregorius excommunicationem tulit contra prouocantes, & idè additæ sunt illæ particulæ, ne in ea ablatione facultatis, & priuilegij procederet Bulla rigidior eiusdem Clementis VIII. qui etiam pugna non sequuta, reseruauerat excommunicationem contra prouocantes latam. Vnde particulæ illæ non fuerunt superflue, sed cum magno mysterio additæ, quamuis non comprehenderint socios, & alios, contra quos in Tridentino etiam, & in constitutione Gregorij lata fuerat excōmunicatio.

## D V B I V M III.

*An incurrerit censuras Parochus, qui retenta sibi pensione sine consensu Episcopi alium deputauit Vicarium suum irrenuocabilem.*

**F**ranciscus Parochus pactum fecit cum Antonio Sacerdote, eumque suum Oeconomum, Procuratorem, & Vicarium in spiritualibus, & animarum cura à se irrenuocabilem nominauit, ita vt daret ipsi Francisco 140. ducata annua ex fructibus, & addidit, quòd peteretur, & accederet consensus Episcopi, ad quem spectabat confirmatio Oeconomij, & Vicarij, sed ante Episcopi consensum res fuit mandata executioni. Postea Franciscus accusatur ab Antonio de contractu simoniaco, & quod in pœnas simoniæ incurrerit.

**2** Respondi, mirum esse, quòd Antonius accuset Franciscum, cùm, si quod fuit simoniæ crimen, ipsemet Antonius fuerit particeps illius. Deinde dixi, non contraxisse Franciscum ipso facto pœnas contra simoniacos statutas. Primò, quia hæ omnes procedunt in materia beneficii: Vicaria autem ad vitam proprietarij non est, propriè loquendo, beneficium, vt docent Suarez *lib. 4. de simonia, cap. 57. num. 47. & sequentibus*, & aliis relatis Thomas Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub. 107. num. 3. & 6.* quia nimirum Vicariatus temporalis non dat ius perpetuum, quæ perpetuitas est de

ratione beneficii, & requiritur etiam in beneficiis manualibus saltem quantum est ex parte ipsius beneficii, quod morte, vel amotione possessoris non expirat, sed debet transire ad alium successorem, quod non reperitur in illo Vicario temporali destinato pro libito Parochi.

Secundò probatur, non contraxisse eiusmodi pœnas, quia hæ non contrahuntur nisi ob simoniam completam ex vtraque parte, nimirum ex parte conferentis spirituali, & dantis temporale, vt cum communi docet Thom. Sanchez *dicto cap. 3. dub. 106. num. 4.* qui notat, id certius esse, quando, licet pretium sit solutum, non tamen fuit beneficium datum. quod quidem accidit in casu nostro: nam quamuis Antonius promiserit, & fortasse cum effectu soluerit 140. ducata annua Francisco; ipse tamen Franciscus non dedit cum effectu Vicariatum: quia etiam si fuisset Vicariatus ille temporalis, beneficium, atque idè simonia in eo contractu inferret pœnas Ecclesiasticas impositas simoniæ commissæ in materia beneficii; sed tamen institutio illa Vicarij non fuit valida ob defectum confirmationis Episcopi, quæ, vt in casu supponitur, fuerat necessaria ad eius valorem. Hæc autem regula generalis est in materia simoniæ quòd quoties actus est inualidus aliunde, quàm ex vitio simoniæ ob eum actum, vt si quis renuntiet simoniacè beneficium sine auctoritate Superioris potentis eam renuntiationem admittere, non incurrit pœnas simoniæ: quia renuntiatione est nulla, licet simonia non obstaret. Quamuis enim eiusmodi actus, interueniente simonia, semper sint ipso iure inualidi; requiritur tamen ad pœnas incurrendas quòd actus non sit ex aliis capitibus inualidus, sed potius sit talis, vt nisi simonia intercederet, posset subsistere, vt ex Nauarro *lib. 5. consil. tit. 3. de simonia, consil. 48.* & in nouis *consil. 33. num. 2.* tradit Thomas Sanchez *dicto cap. 3. dub. 34. num. 14.* Cùm ergo dicta Vicarij constitutio fuerit aliunde inualida, deficiente Episcopi consensu, consequens est, vt etiam si Vicariatus ille æstimeretur beneficium, non incurrisset Franciscus pœnas simoniæ ob inualiditatem actus, quem gessit, ob quam non censetur simonia completa ex parte Francisci.

Quia tamen posset aliquis dicere, licet **4** Franciscus propter rationes adductas non incurrerit pœnas in iure statutas contra simoniacos, posse tamen accusari de crimine simoniæ commissæ in institutione Vicarij pro pretio, & hoc ad effectum vt puniatur



à iudice aliqua pœna extraordinaria: ideò dixi, defendi meritò posse Franciscum ab omni simoniaca suspicione. nam ex duplici capite poterat in suspensionem simoniæ adduci Franciscus, nempe vel quia emit ab Antonio functiones spirituales exercendas, dando ei pro pretio fructus beneficij præter 140. ducata, quæ sibi referuauit: vel quia dedit Antonio aliquid spirituale delegando eum, & dando ei facultatem ad actus spirituales exercendos, & hoc pro pretio 140. ducatorum annuorum, ad quæ soluenda Antonius se obligauit. Neutrum autem horum conuincit Franciscum simoniacum fuisse.

5 Non primum, quia fructus beneficij potuerunt non dari Antonio ut pretium functionum spiritualium, sed in stipendium sustentationis ipsius, ut qui ministraturus erat loco Parochi, haberet vnde sustentaretur: quod quidem stipendium potest absque simoniæ labe in pactum adduci, ut cum communi tradit Sanchez dicto cap. 3. dub. 11. num. 8. & 9. Neque etiam ex altero capite potest simonia probari, quatenus Franciscus delegauit Antonium, & Vicarium constituit pro pensione 140. ducatorum ab eo soluenda, quia illa non præsumitur venditio delegationis pro pretio, sed potiùs referuatio partis fructuum, quam sibi Franciscus referuauit, qui potuit dare Antonio reliquam fructuum partem in stipendium, referuando sibi aliquam partem, quam noller dare, & quam ipse non acciperet ab Antonio, sed sibi retineret, quo casu nullum profus pretium temporale ab Antonio acciperet pro delegatione, sed potiùs ipse daret Antonio omnes alios fructus in stipendium præter partem illam, quam sibi retinuit. Vnde idem Sanchez dicto c. 3. dub. 24. num. 6. ingenuè fatetur, quòd si eiusmodi pacta, & referuationes pensionum non fuissent iure Ecclesiastico in materia beneficiorum prohibita, nullam continerent simoniam: quia ibi (inquit) nihil datur temporale, sed tantum renuntians beneficium non integrè renuntiat fructus beneficij, sed aliquos sibi referuat. Cum ergo casus noster non procedat in materia beneficij, ut vidimus, standum erit iuri naturali, iuxta cuius terminos in eo pacto, & referuatione nulla inuenitur simonia.

6 Clarissimè tamen idem Sanchez eodem cap. 3. dub. 7. num. 4. nostrum casum ferè in iisdem terminis breuiter proposuit, & resoluit his verbis, quæ nostrum responsum clarissimè approbant. Non est tamen simonia, sed licitum, si Parochus, à quo petitur licentia

ministrandi Sacramenta, eam neget, nisi stipendium, quod sibi obtingere, si ipse ministraret, sibi concedatur; quia id non petit quasi licentiam vendens: hoc enim esset simonia, cum hac facultas procedat ex iurisdictione spirituali, sed quasi stipendium sibi debitum, & ut seruet se indemnem: ut scriba per ministrum scribens contractum, iuste petit stipendium sibi debitum, idem est de licentia audiendi confessiones, & concionandi, quando Parochus erat concionaturus: potest enim parisci cum eo, cui dat licentiam, ut stipendium, quod sibi dandum erat, conferatur ab eo, cui dat licentiam, ut seruet se indemnem. Sic Panorm. & Verberius, quos refert, & sequitur Syluester verb. simonia q. 8. dicto 2. Aragon. 2. 2. q. 100. art. 2. in fine, qui omnes addunt, quòd si exigat maiorem summam, quàm dicta portio valet, præsumetur licentiam vendere, & sic committere simoniam. Hæc Sanchez, ex qua doctrina à fortiori apparet, non posse Franciscum in casu nostro, ut pacti simoniaci reum damnari, quidquid sit, an ob negligentiam petendi confirmationem ab Episcopo debuerit puniri.

#### D V B I V M I V.

##### An fœmina procurans abortum in se, incurrat excommunicationem latam à Sixto V.

Sciendum est, Sixtum V. anno 1588. 1 constitutione sua incipiente, Effrenatum, quæ habetur in Bullario, & est 87. inter Bullas Sixti, grauissimas pœnas statuuisse in procurantes abortum, vel ad hoc cooperantes, & postea excommunicationem ipso facto incurrendam tulit in personas dantes potionem ad abortum, his verbis: omnes & singulos cuiuscumque status, gradus, Ordinis, & conditionis existentes, tam laicos, quam clericos seculares, & cuiuscumque Ordinis Regulares, nec non mulieres seculares, vel quemcumque Ordinem professas, qui, vel quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum, opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras priuatas, vel apochas, vel aliàs verbis, aut signis, iuuerint, aut consuluerint (ultra supradictas pœnas) ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus, & pro excommunicatis declaramus, decernentes, ac declarantes, quòd per quacumque Iubileæ, & Indulgentias per nos, & successores nostros etiam anno Iubileæ, aut quouis alio tempore etiam Cruciatæ sanctæ, Iubileæ,

Iubileæ, vel quouis alio titulo concessas, & concedendas, nec non per quascumque litteras Apostolicas quibusvis Principibus, seu ad eorum instantiam per nos, & successores nostros pariter concessas, & concedendas, ac etiam vigore privilegiorum, Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatorum quibusvis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilij Tridentini, vel aliàs per nos, & prædecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec per persona sic, ut præfertur, delinquentes, & excommunicata, præterquam in mortis articulo, absolui valeant, nec cum his Clericis, qui huiusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fulgentes, quam per nos & Romanos Pontifices successores nostros, & tunc non nisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absoluendi, quam dispensandi facultatem huiusmodi, & quoad forum conscientie in casibus superius expressis nobis, & successoribus nostris dumtaxat referuamus, &c.

2 Hanc tamen Sixti constitutionem moderatus fuit Gregorius XIV. eius successor anno 1591. constitutione sua, quæ incipit, Sedes Apostolica, & habetur in Bullario, & est octaua inter Bullas eiusdem Gregorij, in qua decernitur, quòd à prædicta excommunicatione vltimo loco addita possit quilibet Confessarius approbatus absoluere in foro conscientie ex speciali commissione Ordinarij loci: & quoad sumentes, vel procurantes venena sterilitatis, vel procurantes abortum in se, vel in aliis fœtus nondum animati, reducitur hoc ad terminos iuris communis, & sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini.

3 His suppositis, dubitatum fuit, an excommunicatio illa à Sixto V. apposta, quæ erat antea Summo Pontifici referuata, nunc verò potest de licentia Ordinarij tolli, comprehendat etiam ipsam fœminam, quæ in se ipsa potione sumpta, vel aliter abortum procurat. Communis sententia videtur id omninò affirmare, dum communiter dicunt in vniuersum, excommunicationem latam à Sixto V. contra omnes procurantes abortum, cum qua generalitate loquuntur P. Thefaurus in praxi Ecclesiastica, p. 2. cap. 1. de abortus procuratione, n. 1. & apud ipsum Filliucius, Quaranta, Barboza, Farinacius, & Homobonus, & magis expressè de fœmina sumente potionem, Bonacina de restitutione, disp. 2. q. vltima, sect. 1. puncto 7. n. 6. qui addit, ita esse vsu receptum, & colligi

D. Io. Card. de Lugo Respon. mor.

ex ipsa Bulla Sixti V. qui exprimit excommunicari fœminas omnes, quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum, &c. Comprehendit ergo primo loco delinquentem principalem, quæ est fœmina quæ abortum sibi procurat.

Alij tamen sentiunt, quamuis aliis pœnis 4 in ea Bulla contentis comprehendatur fœmina abortum proprium procurans; quia in iis expressè nominatur illis verbis: ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint; & inferiùs, quando de veneno sterilitatis agitur, additur: ac mulieres ipsas, quæ eadem pocula sponte, ac scienter sumpserint; in ordine tamen ad excommunicationem ab eodem Sixto additam, non videri comprehendi fœminam suam proprium abortum procurantem, quia ibi nec ipsa nominatur, sicut nominata fuerat ad alias pœnas; nec excommunicatio illa fertur generaliter in omnes procurantes abortum, sed in eos, vel eas, qui, vel quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum opem, consilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras priuatas, vel apochas, vel aliàs verbis, aut signis iuuerint, aut consuluerint. quæ omnia non habent locum in fœmina ipsa, quæ quidem non dat sibi opem, potionem, consilium, fauorem, litteras, auxilium, &c. Quare hanc sententiam tenent Naldus in summa verb. Abortus, num. 1. Auila de censuris, 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 11. §. quintò sequitur, & Lezana in summa quæst. regular. tom. 3. verb. Abortus, num. 11. & mihi etiam stando præcisè in verbis dictæ Bullæ satis probabile videtur.

Ad hoc autem ponderari potest, non potuisse nisi ex industria omitti in sola excommunicationis pœna nominationem ipsius fœminæ prægnantis, quæ adedò diligenter in singulis aliis pœnis seorsim nominata fuerat. Nam, licet satis potuisset intelligi contenta nomine procurantis abortum; voluit tamen Pontifex ad omne dubium tollendum eam fœminam specialiter nominare. Quando verò venit ad excommunicationem ferendam, non imponit eam procurantibus abortum, sed solum cooperantibus, nec vllam ipsius mulieris prægnantis mentionem facit.

Nec obstat fundamentum Bonacinae ex verbis illis, quæ uti principales, vel ut sociæ ad tale facinus committendum, &c. vbi nomine principalis dicit intelligi ipsam fœminam prægnantem. Respondetur enim, debuisse totam clausulam referri, ex qua con-

stat tam principales, quàm socias intelligi de cooperantibus: nam inter ipsas cooperantes possunt esse & principales, & sociæ. v. gr. quæ poculum ad abortum mittit, est principalis; famula quæ nomine suæ dominæ portat, est sociæ criminis: sicut & qui poculum procurat, emit, & dat; pharmacopola verò, qui eius iussu præparat, & vendit, est socius, & sic in aliis casibus.

7 Si autem petatur, cur cooperantes potius, quàm ipsa principalis delinquens feriatur excommunicatione, & cur ab hac potius pœna, quàm à reliquis ipsamet fœmina prægnans exempta fuerit? Ratio congruentiæ esse potuit, quòd Pontifex compassus fuerit infirmitati fœminarum, quæ quidem, non nisi ex grauissimi damni timore, & ex vehementissima passione tantum malum sibi met procuraturæ præsumuntur. Et quidem, si damnum corporale proprium abortus sequuturi eas non deterret ab illo facinore, nec etiam excommunicatio regulariter deterrebit: quare hæc plus noceret ad illaqueandas earum animas, quàm proderet ad impedienda peccata. quæ ratio non ita procedit in cooperantibus ad abortum: hi enim minora motiua habent ad cooperandum crimini, cum non timeant communiter ex partu sequuturo eam infamiam, & grauiora aliquando mala, quæ timere potest fœmina prægnans. Quare facilius possunt excommunicationis metu deterreri: quoad alias verò pœnas non oportuit fœminam prægnantem eximi, quia cum illæ omnes non incurrantur ipso facto, sed post iudicis sententiam, ad iudicem spectabit examinare grauitatem culpæ, & excusationes minuentes crimen ex parte fœminæ, vt possit iuxta varias circumstantias pœnas moderari.

8 Dixi tamen, hanc sententiam probabilem mihi videri, *attentis verbis dicta Bullæ*; quia si vsus, & praxis aliter illam explicuit, vt videtur significare Bonacina *loco citato*, standum erit stylo, & vsui communi. Consulendus tamen erit vsus, & considerandum, an solum fundetur in sententia communi docente ipsam etiam fœminam comprehendere quoad excommunicationem, in qua sententia fundatæ pœnitentes absolutionem petunt ab excommunicatione, saltem ad cautelam, quod non videtur satis ad inducendam excommunicationem, si verè Sixtus V. eam imponere non intendit.

9 Post hæc scripta vidi P. Dianam 7. p. tractat. 5. resolut. 7. vbi pro secunda sententia negante affert etiam Alfonso de Leone de censur. recollect. 7. num. 34. licet ipse

Diana primam sententiam communem amplectatur.

### D V B I V M V.

*Utrum excommunicatus nominatim per edicta publica, nisi intra certum terminum satisfecerit, transacto termino sit vitandus.*

**C**Vm incolæ locorum N. N. N. decimas fructuum, maximè vini, nucum, castanearum, & animalium, quæ in distributiones quotidianas conuertuntur, vel omninò subtraherent, vel notabiliter fraudarent, vel penitus negantes, vel quid minimum pro libito soluentes; quam ob causam cultus Ecclesiæ paulatim à ministris negligebatur, & deferebatur. Præpositus Ecclesiæ litem contra prædictas communitates, & quamplures particulares coram Ordinario instituit; nec minis, aut pollicitationibus deterritus ab eius executione voluit desistere: quia tamen Ordinarius pluries requisitus nunquam declarauit, Præpositus ad sacram Rotam Romanam confugit, quæ constituto legitimè de non tuto accessu, decreuit, quòd per affixionem in certis locis ita afficerentur, ac si personaliter essent citati. Citantur ergo permulti nominatim, alij etiam generatim, omnes habentes bona in illis tenitoriis. quòd scientes aduersarij ad Senatum, & Gubernatorem confugerunt, procurantes intimari sibi præceptum sub pœna capitis, & confiscationis bonorum non comparendi in hac causa: quòd quidem præceptum ipsi dicunt factum sibi fuisse, quamuis de eo in actis non constaret. Sub eo tamè prætextu comparere neglexerunt, & causa in contumaciam proposita, decretum est in fauorem Præpositi, & omnes tum nominatim, tum etiam generatim citati condemnati sunt ad integram decimarum solutionem à die mortæ litis, atque etiam ad expensas litis. Pro cuius sententiæ executione, quæ in rem iudicatam transierat, litteræ exequutoriales in forma decretæ fuerunt, quibus inter cætera mandatum fuit, omnibus citatis, vt intra 30. dies post affixionem deberent Præposito, & Canonicis satisfacere de omnibus decimis decursis à die mortæ litis, & de ducatis 90. ratione expensarum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. quas litteras Præpositus in locis decretis affigi curauit, & ad maiorem cautelam

cautelam ex Altari per Parochos euulgari, vt nemo ignorantiam prætere possit. Sed tamen aduersarij non paruerunt, imò aliqui eorum deinceps nõ soluerunt id parum, quod antea soluere soliti fuerant, idque omnibus publicum, & notorium fuit.

2 Qua facti serie posita, quæsitum fuit à Theologis, an omnes nominatim citari, & condemnati ad solutionem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & qui notoriè non parent, sed subtrahunt decimas, etiam illas, quæ sine controuersia, & lite soluebantur, sint publicè vitandi, atque ab vsu Sacramentorum, & diuinis Officiis excludendi. qua occasione quæsitum est vterius, an essent etiam excommunicatæ mulieres sub potestate viri constitutæ, habentes bona decimis subiecta, siue ex causa dotis, siue hæreditatis, siue vsusfructus, siue ex alia causa, si decimæ ex ij bonis non soluuntur.

3 Et quidem quoad personas non nominatas in citatione, & sententia, non videtur dubium, quia illæ non sunt nominatim excommunicatæ, & denunciatæ, prout requiritur ad hoc, vt ab aliis fidelibus vitari debeant. Tota controuersia esse poterat de illis, qui specialiter fuerant nominati: ij enim cum sint notorij excommunicati, & per sententiam publicati, non videntur posse ad communicationem sacram, vel ciuilem recipi. quòd suaderi potest primò, quia satis abundè publicatur excommunicatus, qui per publicam iudicis sententiam excommunicatur, vt docent Adrianus in materia de confessione *dub. 9. Medina Cod. de confessione, questione de confessione. Confessori excommunicato, scienter facta*, Petrus de Soto *sección 6. de confessione, & sect. ult. de excommunicatione*, & Felinus apud Suarez *de censuris, disp. 9. sect. 2. n. 8* præsertim, cum ipsa sententia postea affixa sit in locis publicis iudicium iussu, vt ad omnium notitiam veniret, & ex Altari à Parochis promulgata, quæ solemnem, & legitimam publicationem, & denuntiationem inducere videntur.

4 Secundò, quia decretum Concilij Basiliensis *sess. 20. ad finem*, in quo ad euitanda scandala, inducta fuit differentia excommunicati tolerati, non videtur requirere determinatè denuntiationem excommunicationis, vt aliquis debeat vitari, sed videtur sufficere publicatio sententiæ excommunicationis inferentis: imò videtur sufficere notorietas facti, & excommunicationis incurse. Verba Concilij sunt hæc: *Ad euitanda scandala, & multa pericula, D. Io. Card. de Lugo Responf. mor.*

*subueniendumque conscientis timoratis, statuit etiam quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extrà, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censura Ecclesiastica, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgata, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio huiusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse, aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam contingerit incidisse, quòd nulla possit tergiversatione celari, aut aliquomodo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstinere vult iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.* in quibus verbis sufficit notorietas excommunicationis, vt vitari debeat excommunicatus, & multò magis, si, prout in casu nostro, præcessit sententia iudicis promulgata, & in Ecclesiis publicata.

Tertiò, quia, licet hoc indultum aliter ex Concilio Constantiensi referri soleat, ita vt soli nominatim denunciati, vel notorij percussores Clerici sint vitandi: alij tamen dicunt, standum esse decreto prædicto Concilij Basiliensis, quia hoc posterius fuit, & potuit limitare indultum à Constantiensi datum: & quia de decreto Concilij Basiliensis constat ex actis eiusdem Concilij; de decreto autem illo Constantiensi non constat, cum non reperjatur in tota Concilij serie tale decretum; sed solum ab aliquibus auctoribus referatur. Quamuis autem Concilium Basiliense non fuerit semper legitimum; confirmatum tamen fuit quoad multa à Nicolao V. imò hoc ipsum speciale decretum receptum fuit postea in Concilio Bituricensi, & in statutis Ecclesiæ Gallicanæ, & concordatis inter Leonem Papam X. & Franciscum Regem Galliarum, quæ habentur, & approbantur in Concilio Lateranensi sub eodem Leone *sess. 11.* & eandem formam amplexi sunt Patres in Concilio Maguntino *cap. 104.* Quare huius decreti verbis standum esse docuerunt Abbas, Felinus, & Nauarr. quos affert Suar. *dicta sect. 2. n. 4.*

Respondi tamen, stante veritate narratorum, illos non esse reputandos excommunicatos vitandos, sed toleratos; quia iuxta communem iam Theologorum sententiam, quos congerit, & sequitur Suarez:

ibi num. 5. in hoc non est hodie standum Concilio Basiliensi, sed Constantiensi anteriori, cum Basiliense nec fuerit legitimum, nec approbatum à Romano Pontifice. Neque enim Nicolaus V. illud approbavit, nisi quoad aliquas causas beneficiales, & alias quasdam ibi tractatas, quæ ad factum spectabant, & non ad ius nouum constituendum, ut ex Bulla eiusdem Nicolai, quæ habetur in fine eiusdem Concilij, probat idem Suarez num. 2. & 5. in qua Bulla nihil continetur pertinens ad illius decreti approbationem. Nec etiam Leo X. in Concilio Lateranensi reuocauit decretum Constantiense, sed solum Gallis, qui forma illa Basiliensi contenti erant, permisit ut ea vterentur, si vellent. Quare nec ipsi Galli postea amplexi sunt rigorem decreti Basiliensis, sed tam ipsi, quam omnes alij fideles vbique amplectuntur decretum Constantiense, quod licet in corpore Concilij non reperiatur, refertur tamen ab Antonino grauissimo illius temporis Scriptore 3. p. tit. 25. cap. 3. & in tract. de censuris, c. 83. alias in tract. de excommunicatione, cap. 79. num. 16. qui habetur in tom. 14. tractatum diuersorum Doctorum, qui ex testimoniis fide dignis refert, Martinum V. de hac re interrogatum respondisse: *illa est una de concordatis, et volo quod semper duret.* Denique praxis, & consuetudo vniuersalis totius Ecclesie eam formam vbique recepit, & approbavit, quæ est optima legum interpretis, ut videri potest apud Suarez loco citato.

7. Supposita autem necessitate denuntiationis nominatim factæ, ut alios præter Clerici percussores, vitare debeamus, dicendum videtur, cessare eam obligationem, in casu nostro, in quo non fuit denuntiatio talis, qualis ad hoc requiritur, defecit enim ex duplici capite. Primum, quia communior, & verior sententia tenet, ad hanc obligationem non sufficere sententiam excommunicationis in aliquem laram, etiam si de ea sententia notorie constet, nisi etiam publice, & legitime denuntietur excommunicatus vitandus, ut probat idem Suarez *ubi supra* num. 8. & alij communiter.

8. Quæ denuntiatio in casu nostro defuit: nam solum publicata fuit sententia excommunicationis, ut venisset ad noticiam eorum, qui solvere debebant, non tantum fuit intimata populo, ut eos vitaret, nec ad eum finem fiebat publicatio, quum alij quæ etiam personæ incurrebat, & non nominatæ in ea continerentur, qui vitari non poterant, nec debebant, cum non

agnoscerentur, nec nominatim denuntiarentur.

Secundò defecit denuntiatio debita, quia dato quoddam sufficiat notorietas sententiæ, qua aliquis excommunicatur, ut excommunicatus vitari debeat: sententia tamen illa non debet esse conditionalis, & talis, ut effectus pendeat à conditione futura, sed debet esse absoluta: quare non sufficit proferre sententiam, qua Petrus nominatim excommunicetur ipso facto, nisi intra octo dies, v. gr. soluat, ut Petrus vitari debeat, quamuis intra terminum præscriptum non soluerit; sed requiritur, quoddam elapso termino, iterum absolute, & publice iudicis iussu denuntietur: quia prima sententia, & denuntiatio, etiam si publice, & in Ecclesia facta sit, non fuit absoluta, sed conditionata: quare ex vi illius non habetur absoluta notitia censuræ, sed solum sub conditione: quod autem conditio impleta sit, non scitur ex denuntiatione, ac per consequens non habetur ex vi solius denuntiationis notitia censuræ à Petro incursum. quod breuiter notauit Suarez *ubi supra*, numer. 10. cum Couarru. & aliis, quos affert. Cum ergo in casu nostro solum publicata fuerit sententia excommunicationis incursum ipso facto sub conditione futura, non potuit ex vi illius denuntiationis induci obligatio vitandi illos debitores, qui intra terminum assignatum non satisfecissent; per quod patet responsio ad primam rationem in contrarium adductam. Negamus enim, sufficere noticiam publicam censuræ, ut teneamur aliquem vitare, nisi vel sit Clerici percussor, vel notitia illa habeatur ex vi denuntiationis publicæ, & iuridicæ. Nec in hoc standum est Concilio Basiliensi, sed potius decreto Constantiensi, seu Martini V. propter rationes supra adductas.

Aduertendum tamen est, quamuis ob defectum denuntiationis non esset obligatio vitandi illos excommunicatos, quoad Officia diuina, aut commercium, & conuictum ciuilem: debere tamen vitari quoad Sacramenta, quæ quidem non possent illis licite ministrari, si de eorum excommunicatione constat, quamuis denuntiatum non sint. Regula enim generalis est, quod peccatori publico neganda sunt Sacramenta, siue in publico, siue in occulto petat: de qua regula dixi latè *disputat. 8. de Sacramentis in genere, sectio. 10. & sequentibus*. Multo ergo magis repellendus erit à Sacramento recipiendo excommunicatus publicus, & notorius, quamuis

quamuis quoad alia toleratus sit. Hæc tamen prohibitio non est Ecclesiastica, atque aded eius violatio non inducet excommunicationem minorem ob debitam communicationem cum excommunicato; hæc enim poena sublata est in Concilio Constantiensi quoad communicantes cum excommunicatis toleratis etiam in Sacramentis; sed est prohibitio iuris diuini, quo tenemur non conferre Sacramenta indignis, quæ obligatio semper perseuerat eo modo, quo loco citato latius explicui, neque huic obligationi in Concilio Constantiensi derogatum est.

11. Ad illud verò quod ultimo loco quærebatur, an excommunicationem incurrerint mulieres, quæ ex bonis suis decimas non soluunt? Breuiter respondendum est, si bonorum administratio libera ad ipsas mulieres pertineat, ita ut de fructibus possint pro arbitrio disponere, siue bona sint dotalia, siue paraphernalia, siue allodialia, vel quæcumque illa sint, incurrere proculdubio excommunicationem supradictam mulieres, quæ decimas non soluerint, cum possent: secus, si vsusfructus, vel administratio ad virum pertineat, nec vxores possint de fructibus disponere, in quo regionum, & prouinciarum consuetudo attendenda est.

## D V B I V M VI.

*Utrum appellatio à denuntiatione excommunicationis suspendat effectum.*

1. Quidam Generalis Ordinis cuiusdam religiosi præcepit subdito Regulari sub excommunicatione sibi reseruata ipso facto incursum, ut infra tot dies recederet à quodam munere, quod sine Religiosis præiudicio exercere non poterat. Subditus friuolis rationibus ab obedientia se excusauit. Vnde Generalis transacto termino cum sententia in scriptis prolata declarauit excommunicatum, quæ declaratio ei fuit coram testibus intimata: ipse tamen à declaratione appellauit ad iudices competentes; atqui Prouincialis voluit, ut alij Religiosi abstinerent ab audienda eius confessione, cum appellatio friuola, & sine causa sufficienti appareret. Sed adhuc vnus ex Religiosis noluit desistere ab audienda eius confessione, dicens, appellatione interposita suspensum fuisse excommunicationis effectum: quare Prouincia-

lis voluit eidem Confessario auctoritatem, & iurisdictionem auferre ad audiendam illius subditi confessionem.

Respondi, prædictum Religiosum, posita conditione inobedienciæ, & transacto termino, incurrere ipso facto excommunicationem, atque aded non potuisse suspendi postea per appellationem à declaratione interpositam, ut probant Suarez *de censuris, disp. 3. sect. 6. num. 5. & 6.* & Thomas Sanchez *lib. 3. consil. cap. unico, dub. 32. num. 240.* & constat ex *cap. Pastoralis, §. verum, de appellationibus, & cap. is cui, in fine, de sent. excommunicat. in 6.* vbi habetur, per appellationem ab excommunicatione post latam sententiam, non suspendi eius effectum, quia hæc sententia affert secum executionem, & eodem tempore, quo profertur, operatur; quare appellatio subsequens inuenit iam excommunicatum ipsum appellentem. Potuisset quidem suspendi effectus excommunicationis, si ante elapsum terminum præfixum subditus appellasset, ut cum aliis docet idem Sanchez *ibi num. 236. ex cap. præterea il. 2. de appellat.* quod ipse Sanchez *num. 260.* extendit ad eum, qui post decem dies elapsos, qui communiter ad appellandum conceduntur, sed tamen ante elapsum terminum præfixum ad obediendum appellauit: in nostro autem casu subditus appellauit post elapsum terminum totum præfixum, atque aded post excommunicationem iam contractam, quæ semel contracta non potest, nisi per absolutionem, auferri.

Addidi tamen, in casu posito, quamuis appellatio non suspenderit excommunicationem; suspendisse tamen effectum declarationis, atque aded subditum mansisse quidem excommunicatum, non tamen declaratum, nec vitandum, sed toleratum. Quod enim appellatio non suspendat censuras latas, non extenditur ad alia, atque aded ad sententiam declarationis, & denuntiationis, ut cum communi Doctorum, quos congerit, tradit idem Sanchez *dicto dub. 32. num. 243. & dub. 33. num. 2.* qui addit, hoc esse verum, etiam si delictum sit notorium, ita ut nulla tergiversatione celari possit; quia hodie post Extrauagantem *Ad euitanda*, multò magis grauatur quis per excommunicationem, & denuntiationem, quam per solam excommunicationem, cum ex tolerato fiat non toleratus. Cum ergo à declaratione statim appellauerit, debuit declarationis effectus impediri.

Vnde vterius dixi, non debere prohi-



beri Confessarium ordinarium ab audien-  
da eius confessione: nec enim potest iudex  
copiam Confessarij reo negare, cum sit  
forum valdè diuersum, & in quo Confes-  
sarius debet pœnitenti pro se, & contra se  
dicenti credere, & poterit pœnitens ali-  
quas causas occultas afferre, ob quas Con-  
fessarius iudicet, eum non esse excommu-  
nicatum: imò poterit eum cum solis ve-  
nialibus reperire, ad quorum absolutio-  
nem habet potestatem talem, quæ non pos-  
sit per Prælatum regularem auferri. Vnde  
ipsimet Inquisitores, quando reum conui-  
ctum, & adhuc negantem tradunt curiæ  
sæculari, eo quòd in foro externo præsu-  
matur hæreticus obstinatus: adhuc non  
possunt ei negare copiam Confessarij, nec  
hunc possunt prohibere, ne eum absoluat  
à peccatis; sed debent relinquere, vt ipse  
iuxta notitiam in confessione acceptam  
iudicet pœnitentem, quem non debet iu-  
dicare ex allegatis, & probatis in proces-  
su, sed solum ex ipsius confessione sacra-  
mentali, vt cum aliis dixi *disp. 23. de fide,*  
*sect. 3. num. 94. & sequentibus.* Sicut ergo  
non derogatur iurisdictioni Inquisitorum  
iudicantium illum vt hæreticum, quam-  
uis detur ei copia Confessarij, imò quam-  
uis vnus ex Inquisitoribus audiret sacra-  
mentaliter eius confessionem, vt dixi *ibi*  
*num. 95.* quia nimirum nihil commune  
habet forum iudiciale cum foro sacra-  
mentali, nec notitia vnus fori deseruit  
ad iudicium alterius: ita nihil derogat au-  
toritati Prælati generalis excommuni-  
cantis, quòd Confessarius audiat confes-  
sionem subditi, & talem eum iudicet, qua-  
lem eum in confessione inuenit, saltem  
quandiu subditus nondum est legitime de-  
nunciatus, & vitandus.

5 Si tamen Generalis sciret, Confessa-  
rium illum in particulari habere opinio-  
nes aliquas improbables, v. gr. quòd  
appellatio suspendat effectum excommu-  
nicationis antea latæ, vel alias similes,  
posset meritò prohibere, ne audiret con-  
fessionem illius subditi. Nam ob eandem  
causam, & propter doctrinas laxas & im-  
probables posset Confessarium aliquem  
arcere ab audiendis omnium confessioni-  
bus; ergo à fortiori propter tale pesicu-  
lum poterit prohibere, ne audiat con-  
fessionem talis subditi. Deberet tamen  
tunc aliis Confessariis permittere, vt eum  
in confessione audirent; & expediret,  
quòd simul declararet, ob quam causam  
talem Confessarium in particulari prohi-  
beat ab eo munere, ne det ansam suspi-

candi, quòd id faciat cum detrimento li-  
bertatis requisitæ in eo Sacramento, vel  
ob alias rationes æquè odiosas.

#### D V B I V M VII.

*Quid agendum cum Episcopo irre-  
gulari ob illegitimitatem mala  
fide occultatam in adeptio-  
ne Episcopatus.*

**N** Episcopus sæcularis illegitimus ex  
soluto, & soluta acceptauit Episco-  
patum sibi oblatum, tacita scienter irre-  
gularitate ex defectu natalium, imò in-  
ductis duobus testibus ad probandam le-  
gitimitatem, quorum alter dubitat, an  
eius nomine fuerit aliquid promissum;  
scit tamen postea datum. Suscepit dein-  
de omnes Ordines sacros, & consecra-  
tionem Episcopalem, ac per decennium  
exercuit munera Pontificalia. Petiit deni-  
que occulto nomine, & loco, à Sanctis-  
simo dispensationem irregularitatis, reua-  
lidationem tituli, & retentionem fru-  
ctuum, dubitatumque fuit, an expediret  
petitioni annuere post delictum adedò diu-  
turnum.

Dixi, posse concedi, & non paucas ra-  
tiones esse, vt concederetur. Primò, quia  
agitur de impedimento occulto: nam, li-  
cèt defectus natalium esset publicus, in  
ratione tamen impedimenti manebat oc-  
cultus; omnes enim, quibus illegitimi-  
tas constabat, supposuerunt pro certo,  
præcessisse dispensationem, vt Episcopus  
fieret. Quòd autem hoc sufficiat vt im-  
pedimentum reputetur occultum, & vt  
dispensetur in eo, sicut in casibus occul-  
tis, si manet occultum in ratione impe-  
dimenti, probat latè Thomas Sanchez  
*lib. 8. de matrimonio, disputat. 34. num. 56.*  
& quidquid sit, an id sufficeret, vt pos-  
set in hoc casu dispensare inferior, qui  
potest in irregularitate occulta; certum ta-  
men est, hanc esse rationem sufficientem,  
vt Summus Pontifex, exstantibus pari-  
bus causis dispensandi, possit æquè pru-  
denter dispensare in hoc casu, ac si esset  
illegitimitas ipsa occulta.

Secundò, quia plures, & graues Docto-  
res tenent, etiam stante irregularitate, col-  
lationem Episcopatus, & aliorum bene-  
ficiorum esse validam, & fecisse fructus  
suos: ita Syluester *verb. excommunicatio 4.*  
Ioannes Præpositus *in 3. part. quest. 5 de ir-  
regularitate*

*regularitate dub. 3. num. 17.* & probabilem  
putant Suarez *de censuris disp. 40. num. 35.*  
Luiscus Turrianus *de censuris lib. 7. disp. 58.*  
*dub. 2.* Gaspar Hurtado *disp. 1. de irregulari-  
tate, difficultate 20. num. 21.* Coninch *in*  
*3. p. disp. 18. de censuris dub. 1. num. 6.* Diana  
*4. part. tract. 2. de irregularitate resolut. 37.*  
& alij antiquiores, quos ipsi referunt.

4 Tertiò, quia non desunt etiam, qui di-  
cant, illegitimum iuari regula Cancellar-  
iæ triennalis possessionis ad acquirendum  
titulum, nempe Parisius, Probus, & Na-  
uarrus apud Sanchez *lib. 7. in Decalogum*  
*cap. 29. num. 87.* & quos ego retuli *tom. 1.*  
*de Iustitia, & iure, disp. 7. num. 109.* vbi licèt  
contrariam opinionem sequutus sim; hanc  
tamen amplectitur Sanch. *lib. 2. cons. cap. 1.*  
*dub. 31. num. 24.* & potuisset Episcopus  
eandem amplecti quoad valorem tituli,  
quamuis non quoad licitam acceptatio-  
nem, aut retentionem.

5 Quamuis autem ad fruendum regulâ  
illâ de triennali possessione, necessaria sit  
bona fides, vt cum communi sententia di-  
xi *dicta disp. 7. num. 115.* Sunt tamen qui  
dicant, non requiri, vt Ludouicus Gome-  
zius supra illam regulam *quest. 42.* vbi af-  
fert duas Rotæ decisiones pro ea sententia.

6 Quartò mouebat ex *cap. 2. de clerico non*  
*ordinato ministrante,* vbi Urbanus III. lo-  
quens de Diacono, qui sine Sacerdotio ce-  
lebrauit, ideòque mansit irregularis, dicit  
Episcopo Legionensi, vt iniuncta ei pœni-  
tentiâ, misericorditer ei de beneficio pro-  
uideat, ne egeat ad suam sustentationem:  
quod vel de retentione intelligitur, vt ali-  
qui volunt, vel vt alij fortasse meliùs in-  
telligunt; de noui beneficij collatione. hoc  
autem inueniri videtur in casu nostro, in  
quo, si Episcopus sine Episcopatu maneret  
propter irregularitatem, indigeret magno  
cum dedecore dignitatis Episcopalis ad  
suam sustentationem, atque adedò expedit  
cum eo dispensare ad eiusdem Episcopa-  
tus retentionem, præsertim cum sit vnus  
ex tenuioribus Episcopatibus; & vix ad  
pauperem sustentationem sufficiat.

7 Hæc autem omnia probare videntur ad  
minus posse dispensari cum illo: cum enim  
sint rationes, quibus tot Auctores dicunt,  
eum validè accepisse titulum, & fecisse  
fructus suos, & alij dicant, acquisiuisse sal-  
tem postea verum titulum per triennem  
possessionem; sufficient saltem hæc om-  
nia, vt dispensetur cum illo, præsertim,  
cum sit iam senex, & tot annis in suo mu-  
nere laborauerit, cui labori respondere  
debet stipendium proportionatum, & de-

nique scandalum magnum sequeretur ex  
dimissione Episcopatus, nec alia via ei sup-  
petat ad sui sustentationem; debere itaque  
ei grauis pœnitentiâ occulta imponi pro  
præteritis, non tamen pecuniaria, quia fru-  
ctus omnes in sustentationem consumpsit,  
& ad eandem indiget omninò futuris.

Nec denique obstat id, quod propone-  
batur de simonia commissa cum duobus  
testibus pretio inductis ad testificandum  
eius legitimitatem: nam cum primo teste  
nulla simonia commissa fuit, cum ante te-  
stificationem nihil ei promissum fuerit.  
Cum secundo etiam teste, post diligens  
examen non apparet, quòd præcesserit  
promissio: in dubio autem quòd diligentia  
adhibita superari non potest, nemo debet  
se reputare simoniacum, vel excommuni-  
catum. Adde, à grauissimis Doctoribus  
æstimari probabile quòd propter simo-  
niam iuris humani non incurrantur pœnæ,  
exceptis quibusdam specialibus casibus, vt  
videri potest apud Thom. Sanch. *lib. 2. cons.*  
*cap. 3. dub. 108.* qui etiam *dub. 26. num. 9.*  
dicit, non esse simoniam de iure diuino,  
sed solum de iure Ecclesiastico, dare ali-  
quid mediatori, vt intercedat apud alium,  
qui mihi beneficium conferat, atque adedò  
non incurri tunc pœnas simoniæ, quia non  
emittitur beneficium, sed intercessio: quod  
idem dici posset ab aliquo in casu nostro,  
pretium datum testi ob falsum testimo-  
nium non inducere simoniam de iure diu-  
ino, sed solum de iure humano, quia non  
emittitur beneficium à teste, sed sola testi-  
ficatio falsa circa legitimationem; sed quid-  
quid sit de hoc, ad minus hæc omnia iu-  
uant, vt appareat congruitas ad faciliorem  
dispensationem. Propter quæ in speciali  
Congregatione iussu Urbani VIII. facta  
coram Cardinali maiori Pœnitentiario, &  
aliquibus Prælati, ac Theologis, omnium  
sententiâ iudicatum fuit, dispensationem  
concedendam, impositâ pœnitentiâ, &  
absque vlla mulcta pecuniaria.

#### D V B I V M VIII.

*An in dispensatione irregularitatis  
ex homicidio, necesse sit ad eius  
valorem narrare dispensatio-  
nem præcedentem ob alterum ho-  
miciidum.*

**C**ommunis sententia affirmat, quia  
Pontifex vel non concederet secun-  
dam,  
H 4 dam,

dam, vel certè difficiliùs concederet, si præcedentis dispensationis notitiam haberet; quia difficilius est remittere pœnam duplicis delicti, quàm vnius, & grauiùs solet puniri relapsus, quàm ob primum lapsus: vt latè probat Suarez *lib. 6. de legibus cap. 23. num. 12.* & multis relatis Thomas Sanchez *lib. 8. de matrimonio disp. 22. numer. 2.* & 20. quibus consentit Basilius Pontius *de matrimon. lib. 8. cap. 17. num. 8.*

2 Hoc tamen non caret difficultate, quia, vt bene notat Suarez *dicto cap. 23. num. 9. & seqq.* ratio subreptionis in hoc casu debet oriri vel ex iure positiuo exigenti quòd narretur prior dispensatio ad valorem secundæ; & hoc ius non facilè reperietur: vel debet oriri ex præsumpta voluntate Pontificis non habentis animum dispensandi in secundo crimine, si præcessit dispensatio prioris. Et quidem, licet ad hoc præsumendum, sit aliquod fundamentum in *leg. 3. C. de Episcopali audient. dicente, vt remissionem venia crimina, nisi semel commissa, non habeant, &c.* vnde arguitur, non facilè indulgendum esse in secundo crimine: in contrarium tamen est, quod testatur verfatissimus in sacra Pœnitentiaria Filiucius *tractat. 10. part. 2. cap. 10. num. 325.* vbi de hac necessitate exprimendi priorem dispensationem super primo crimine, subdit, *non credo esse receptum;* quod etiam testati sunt Illustrissimi, Datarius, atque etiam Ioann. Baptista Coccinus Decanus sacre Rotæ, & Regens sacre Pœnitentiariæ pietate, & doctrinâ vbiq; notissimus; quorum vterque interrogatus die 13. Martij anno 1631. asseruit non esse necessarium id explicare ad valorem secundæ dispensationis: cum autem ij duo melius, quàm alij omnes testari possent de vsu pro foro externo in Dataria, & pro foro interno in sacra Pœnitentiaria, videtur potuisse iis credere, qui ob non narratam priorem dispensationem, de valore secundæ dispensationis dubitabat; quia tamen totum hoc pendet ex intentione concedentis, & hæc potest variationem accipere, poterit etiam fieri, quòd vel tempore præterito contrarius vsus fuerit, vel etiam futuro tempore contrarium vsus, & regulam pariat contraria intentio concedentis eiusmodi dispensationes, prout de facto hodie modernus Regens sacre Pœnitentiariæ hanc ob causam addi iubet in Breuibus hanc clausulam, *Et si Orator simile delictum iterum admisit, dispensationemque super*

*eo, à sacra Pœnitentiaria officio denuò obtinuerit, eiusmodi dispensatio nequaquam ei suffragetur, si presentis gratia mentionem in illa non fecerit, & ita illum monere, &c.* quam tamen clausulam non nisi in dispensationibus de abortu inductam esse audio. Vnde à contrario arguitur, eâ clausulâ non positâ, non esse necessariam eiusmodi expressionem; cui sententiæ fauere videntur Henriquez *lib. 24. cap. 17. num. 5. littera I.* Molina *de primogenijs lib. 2. cap. 4. num. 55.* & Padilla, Bart. & Bald. quos affert Henriquez *loco supra citato*, qui saltem in foro conscientiæ id approbat.

## D V B I V M IX.

## De irregularitate cuiusdam Parochi Regularis incitantis subditos ad occidendos aggressores.

IN quòdam oppido Indiæ Parochi minus legitimè exercebat Sacerdos quidam à Societate Iesu. Accidit autem, vt illuc aduenirent Æthiopes quidam, mancipia nimirum fugitiua, qui turmatim accedentes non leuiter Indos incolas turbant, dum illis mortem, & deuotionem minabantur. Accurrunt territi Indi ad suum Sacerdotem consilij causâ; ipse verò respondit: *Ite, & occidite illos, vel (vt alij referunt,) Ite, comprehendite eos; si verò resistent, occidite.* Sacerdos non recordatur horum verborum: probabile tamen putat, attenta sua natura, & indole, se ea verba protulisse. Indi ergo his verbis facti animosiores procedunt ad capiendos aggressores, & dum resistent, occidunt ex eis sex, aut septem. Sacerdos ergo irregularis reputatus recurrit ad suum Prouincialem, à quo dispensatur cum ipso, quia propter difficilem recursum ad Generalem ex loco remotissimo, iudicauit facultatem Prouinciali competere, iuxta id quod habetur in præmio compendij priuilegiorum eiusdem Societatis. Quæsitum ergo est, quid sentiendum sit de valore dispensationis, & de potestate ad dispensandum in eo casu.

Dixi, in primis in præmio dicti Compendij non contineri dictam facultatem: nam ibi prohibetur quidem vsus aliorum priuilegiorum, de quibus non fit mentio in eo compendio, & postea additur: *Si ta-*

*men illorum vsus alicubi necessarius fuerit, is à Præposito Generali impetrandus erit, aut si periculum in mora esset, censeatur Prouincialibus, & Visitatoribus, & dumtaxat in casu communicatus, dummodo Societatis instituto non repugnet.* Facultas ergo concessa Prouincialibus ad alicuius priuilegij vsus, non monito priùs Generali, propter periculum, & distantiam, solùm est in ordine ad priuilegia non contenta in compendio. Quare, cum facultas dispensandi in irregularitate homicidij, si quæ est, sit contenta in compendio, non potuit prætextu distantiæ, & periculi in mora Prouincialis eam sibi vsurpare, fundatus in illis Procemij prædicti verbis.

3 Dixi secundò, si in hoc casu intercessit irregularitas homicidij, nec ipsum Generalem potuisse dispensare, multò minùs Prouincialem: quia, quidquid sit, an pro foro conscientiæ, & in occultis possit dispensare; hoc tamen fuit publicum. Et quidem quoad casus publicos derogata fuerunt omnia Regularium priuilegia in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7. de reformat.* Vnde in eodem compendio priuilegiorum Societatis *verb. dispensatio, post §. 6.* mouentur Superiores omnes de hac Concilij reuocatione, & de ablata facultate dispensandi in casibus publicis.

4 Dixi tertio probabile videri, quòd aliunde potuerit Prouincialis cum illo Sacerdote dispensare ad vsus Ordinum: nimirum primò ex concessione Pauli III. facta per Bullam, & relata in dicto compendio Societatis, *verb. dispensatio, §. 2.* quæ *ibidem* Prouincialibus communicatur, vt scilicet vniuersaliter possint cum subditis post vota emissa dispensare in omni irregularitate ad vsus Ordinum, excepta irregularitate homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum: & de eadem irregularitate homicidij voluntarij loquitur Tridentinum *dicto cap. 7.* quando eam indispensablem reddit. In casu autem nostro videtur probabile, non fuisse irregularitatem propriam homicidij, nedum homicidij voluntarij, nam homicidium propriè non est, nisi sit iniusta occisio. Videtur autem verisimile, in casu nostro non fuisse occisionem contra iustitiam: tum quia præcesserunt minæ incipientes metum grauem probabilem, & ab iis, qui eas solebant exsequi, vt multi restantur: tum etiam, quia cum Æthiopes illi essent delinquentes in Indorum territorio, & aggressores iniusti, habebant Indi ius eos capiendi auctoritate Gubernatoris Indi, qui

cum aliis etiam tunc aderat, & præstabat auctoritatem publicam actui: vsi ergo sunt iure suo occidendo eos, qui iustæ capturæ resistebant. Non ergo fuit homicidium iniustum, nec Parochus suo consilio cooperatus fuit iniustæ occisioni, atque ad eò non contraxit irregularitatem homicidij propriè dicti.

Secunda ratio esse posset, quia, esto illud fuisset homicidium proprium contra iustitiam; irregularitas tamen consulenti non videtur excepta in facultate illa Pauli III. supra relata, in qua excipitur irregularitas ex homicidio voluntario: nam pœnæ impositæ homicidio simpliciter non comprehendunt mandantes, & consulentes homicidium, nisi per legem ipsam extendatur ad mandantes, & consulentes. Vnde si irregularitas non fuisset in iure expressè extensa ad mandantes, non incurreret eam mandans, quantumuis homicida esset irregularis, vt cum aliis fatetur Thomas Sanchez *dicto cap. 10. num. 44.* & alibi. Hæc tamen ratio non videtur solida, quia quamuis consulens, vel mandans homicidium non incurreret irregularitatem homicidij, nisi esset in iure expressum, & extensa irregularitas homicidij ad mandantes, & consulentes: at postquam id in iure expressum est, & extensa irregularitas ad utroque iam nomine irregularitatis homicidij voluntarij intelliguntur etiam mandantes, & consulentes, quia ij etiam quoad hoc intelliguntur homicidæ voluntarij. quod videntur supponere Doctores communiter, dum agentes de irregularitate homicidij voluntarij, & de eius dispensatione, vel indispensableitate comprehendunt mandantes & consulentes. quod clarè significat P. Suarez *disp. 44. de censuris sess. 3. num. 16. & 31.* & idem supponere videntur responsa sacre Congregationis Cardinalium Interpretum Concilij Tridentini: nam *sess. 14. cap. 7.* vbi de indispensableitate huius irregularitatis homicidij voluntarij agitur, duæ declarationes reperiuntur eiusdem Congregationis, tam in impressis, quàm in manuscriptis, quæ id supponunt. Prima est subscripta à Cardinale Caraffa nomine Congregationis ad Episcopum Hieracensem anno 1587. his verbis. *Mandans homicidium committi in personam vnius, si committatur in personam alterius, an dicatur incurrere irregularitatem, ad eò vt super. ea nec dispensari debeat iuxta hoc decretum, nec Episcopus possit ex cap. 6. sess. 24. quamuis homicidium sit occultum. Congregatio censuit non incidisse in irregularitatem;*

laritatem, qua contrahitur ex homicidio voluntario.

6 Secunda verò responsio habetur postea his verbis. *Querebatur, an is, qui mandauit aliquem baculo verberari, eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, & occiderit, intelligatur incidisse in hoc decretum Concilij, ad eò ut omni Ordine, atque beneficio, & officio Ecclesiastico absque spe dispensationis perpetuò carere debeat. Congregatio censuit negatiuè.* In vtrâque autem responsione supponitur contrahi irregularitatem homicidij voluntarij indispensabilem à mandante, quando mandans intendebat mortem illius, qui eius iussu occiditur. nam in illis duobus casibus excusant mandantem ab hac irregularitate indispensabili ex eo solùm quòd vel non intendebat mortem, sed percussorem, vel certè non intendebat mortem huius, sed alterius. Vnde Nauarrus in *manuali cap. 27. n. 240.* apertè fatetur, mandantem contrahere eiusmodi irregularitatem homicidij voluntarij, etiam quando ipse mandatarius eam non contrahit. v. gr. quando famulus propinat potum veneno infectum animo iocandi; mandato heri persuadentis esse solo sale inspersum: quo casu dicit, herum incurere irregularitatem homicidij voluntarij. Vnde, redeundo ad casum nostrum, si Prælatus non potest dispensare in irregularitate homicidij voluntarij, non poterit dispensare cum hoc Sacerdote eo solùm prætextu quòd non occiderit, sed mandauerit, vel consuluerit occasionem; nam hæc etiam venit, vt vidimus, nomine irregularitatis homicidij voluntarij.

7 Tota ergo ratio reduci debet ad hoc quòd probabile sit, vt diximus, non fuisse illud homicidium iniustum: quia tamen de hoc non constabat, dixi procurandam, & mittendam esse illi Sacerdoti dispensationem aliam magis securam, & certam ab eo, qui eam impertiri posset.

#### D V B I V M X.

*Utrum suspensus occultus celebrare possit sine periculo irregularitatis ad alendum se, & matrem egentem.*

N Ante legitimam ætatem fraudulenter Presbyteratum accepit, nec obtinere potest ab Episcopo dispensationem: celebrat tamen quotidie ad se, & matrem

egentem alendam. Quæsitum fuit, an id sine periculo irregularitatis incurrendæ facere posset?

Suppono, hunc propter prauam Ordinis suspensionem incurrisse ipso facto suspensionem ab Ordine malè suscepto, quæ, licet à Sixto V. in Bulla, *Sanctum, & salutare*, quæ est in Bullario 91. inter eiusdem Sixti Bullas, fuerit reseruata Summo Pontifici: postea tamen reducta est ad terminos iuris communis à Clemente VIII. in Bulla incipiente, *Romanum Pontificem*, quæ habetur apud Quarantam *verb. Ordo*, & est 40. in Bullario communi, de quibus videri possunt Suarez de *censuris disp. 31. sect. 1.* & alij plures, quos congerunt Carolus Thesaurus in *praxi Ecclesiastica p. 1. verb. Ordines cap. 1.* & Diana ab eodem citatus.

Quomodocunque autem sit, consequenter fatendum erit, hunc, si absque dispensatione celebret, vel absque sufficienti excusatione, fieri irregularem, iuxta regulam generalem, quòd suspensus ab Ordine, si illum exerceat, eo ipso contrahit irregularitatem; dubium ergo solùm est, an necessitas se, & matrem inopem alendi excuset ab incurrenda irregularitate ob non obseruatam suspensionem, & licitam reddat celebrationem Missæ.

Dixi in primis, non mihi probari hanc viam excusandi N ab obseruanda censura, nec aperiendam hanc portam ita latam, quæ, si semel aperiatur, censuræ Ecclesiasticæ suum rigorem maxima ex parte amittent. nam hoc prætextu, posita cessatione à Diuinis, omnes pauperes Sacerdotes celebrare præsumunt, sicut in diebus festis possunt laborare, si indigent ad sui sustentationem; imò eodem prætextu Sacerdos pauper dicit, se posse Missam celebrare feria 6. Hebdomadæ sanctæ, vel etiam sine vestibibus sacris, aut sine pane azymo, quando is non habeatur: quia nimirum hæc omnia sunt præcepta merè Ecclesiastica, quæ non obligant in ea necessitate, si non obligat præceptum seruandi censuram suspensionis. quæ omnia sunt manifestè absurda. Consideranda ergo sunt in quolibet præcepto pondus, & substantia rei præceptæ, & finis à præcipiente intentus, vt iudicetur de damno, quod sequitur, vel de commodo, quod impeditur, an sufficiant ad excusandum ab obseruantia præcepti; nec enim potest vna generalis pro omnibus regula assignari, cum non sint omnia hæc præcepta æqualia, & tota hæc excusatio fundetur in præsumpta Legislatoris voluntate nolentis obligare cum tanto, vel tanto

tanto incommodo, aut damno. Oportet etiam aduertere, an agatur de vitando damno, quod aliquis hîc, & nunc patitur in rebus suis, si obseruet præceptum; an verò solùm de lucro, quod impeditur obseruando præceptum. Facilius enim excusatur quis ob iacturam rerum suarum, quam incurret, quàm ob spem lucri, quod posset habere, & obseruatione præcepti impeditur. Hinc enim videmus, facilius excusari aliquem ab obseruatione festorum ob damnum, quod inde patietur, quàm ob lucrum, quod sperare poterat, vt colligi potest ex *cap. licet, de ferijs*, vbi Pontifex dispensat cum piscatoribus Archiepiscopatus Tiburiensis, vt diebus festis, exceptis maioribus solemnitatibus, si halecia terræ se inclinauerint, possint eorum capturæ intendere, ita tamen vt Ecclesiis vicinis, & pauperibus congruam portionem distribuant. Vide, cum quot conditionibus dispenset in festi obseruantia, quando periculum erat magni lucri admittendi, eo quòd pisces illi non nisi in transitu, & temporibus incertis appareant, & capi possint. Cum tamen ad damnum vitandum dispensatio non sit necessaria, quia tunc censetur necessitas adesse, quæ lege caret. quæ etiam differentia in censurarum obseruatione locum habet: nam ad vitandum scandalum, infamiam, & similia, licetè potest non obseruari censura, quando damnum, quod timetur, proportionem habet ad eum effectum sufficientem. Non tamen ita facilè danda est licentia, quando agitur de lucro captando, alioquin posset irregularis licetè Episcopatum oblatum acceptare, ne transacta occasione Episcopatus alteri detur, & ipse careat lucro ingenti sibi tunc temporis obuiente, & sic de aliis similibus.

5 Hæc autem omnes circumstantiæ ostendere videntur obligationem obseruandi suspensionem in casu nostro. Nam in primis non agitur de vitando damno, sed de non captando lucro, quod haberi posset ex celebratione Missarum; & quidem de lucro, ad quod Sacerdos ante suspensionem contractam nullum ius habebat, cum antea nondum esset Sacerdos, & in ipsamet illegitima Sacerdotij susceptione suspensionem incurrerit. Deinde considerandum est, hæc ipsam lucri amissionem non aduenire per accidens ad censuram, sed ex intentione imponentis censuram. Ad hoc enim etiam imponitur suspensio, vt Sacerdos suspensus careat honoribus, & emolumentis, quæ consequuntur ad Ordinum

exercitium. Quare non se habet sicut detrimentum in salute corporea, vel in re familiari, quod incurritur obseruatione festi, quod quidem est præter intentionem Legislatoris.

Quamuis autem N. non videatur mihi excusandus eo titulo ab incurfione irregularitatis, si mala fide velit celebrare; dixi tamen, posse fortasse alia via facilius liberari: expleta enim iam ætate necessaria, posse illum accipere absolutionem suspensionis contractæ non solùm à suo Episcopo, sed à quocunque Confessario priuilegiato habente facultatem absoluendi à censuris, atque ad eò à suspensionibus non reseruatis, quæ tamen non sint pœnæ, & in punitionem, sed censuræ propriæ, colligi potest ex iis, quæ multi Doctores communiter docent, dum dicunt, eiusmodi Confessarios posse absoluere à suspensionibus non reseruatis, quando sunt propriæ censuræ, prout docent Auila, Alterius, & Garzias, quos affert, & sequitur P. Carolus Thesaurus in *praxi Ecclesiastica p. 1. c. 24. versus finem.* Aliundè verò suspensionem in casu nostro incurfam, esse propriè censuram, & non pœnam, docet Suar. *disp. 31. de censuris sect. 1. num. 24.* quem sequitur Thesaurus *ubi supra part. 2. verb. Ordines cap. 1. num. 2.* Ex quibus fit, posse non solùm Episcopum, sed dictos Confessarios priuilegiatos post expletam ætatem absoluere à dicta suspensione, quæ quidem, vt supra vidimus, non est hodie reseruata, quamuis olim à Sixto V. reseruata fuerit. quod amplius colligi poterit ex regula, quam clarius fortasse, quàm alij, tradit Ioannes Præpositus in *3. p. quest. 3. de censuris dub. 4.* vbi dicit, posse eiusmodi Confessarios absoluere à suspensione non reseruata, quæ non sit imposta ad certum tempus, sed indefinitè; tunc enim regulariter intelligitur esse censura, vt fatetur Suarez *disp. 29. de censuris sect. 1. num. 19.* Porro suspensio imposta à Pio II. in Bulla supra citata contra ordinatos ante ætatem, non est perpetua positiuè, hoc est, cum clausula inferente positiuè perpetuitatem, sed indefinitè, vt constat ex verbis Bullæ, vbi solùm dicitur, *à suorum Ordinum executione ipso iure suspensi sint; & si huiusmodi suspensione durante in eiusdem Ordinibus ministrare presumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* in quibus verbis potius significatur, eam suspensionem non esse sine spe absolutionis, ad quod videntur alludere verba illa, *si huiusmodi dispensatione durante; supponitur enim non esse positiuè perpetuam.* Quamuis



Quamuis autem Sixtus V. eam positivè perpetuam imposuerit, addendo particulam *perpetuò suspendimus*; sed tamen Clemens VIII. in Bulla citata reduxit eam Sixti Bullam ad terminos iuris, & Bullæ Pij II. & Concilij Tridentini, in quibus non habetur suspensio reservata, & positivè perpetua. Vnde colligitur, hodie hanc suspensionem tolli posse per Confessarium habentem facultatem ad absolendum à suspensionibus non reservatis: qua absolute habita, & ætate completa, non video, cur prædictus Orator non possit celebrare, nisi fortè irregularitatem iam incurrit celebrando mala fide, durante suspensione; à qua tamen irregularitate, si occulta sit, poterit per suum Episcopum in foro conscientiæ dispensari iuxta facultatem Episcopis in Concilio Tridentino concessam.

## D V B I V M XI.

*An irregularis occultus possit retinere beneficium solum habens annexam recitationem Officij.*

**1** Irregularis irregularitate orta ex homicidio voluntario occulto, cum aliunde capax esset ob primam censuram, quam habebat, accepit beneficium quoddam, cuius titulus nullum actum Ordinis, vel ministerium habebat annexum, nisi meram recitationem Officij divini. Quæsitum est, an in foro conscientiæ possit illud licitè retinere, non obtenta dispensatione.

**2** Suppono, circa validitatem collationis duas esse sententias. Prima asserit irregularem non solum illicitè, sed etiam invalidè accipere beneficium Ecclesiasticum, quam tenent Lessius, Villalobos, Nauarrus, Auila, Sayrus, Couarruias, Henriquez, & alij apud Dianam *part. 4. tract. 2. de irregularitate, resol. 37.* Vnde obtenta postea dispensatione irregularitatis, debet vel dimittere beneficium, & reddere fructus perceptos, vel obtinere denuo revalidationem tituli, & retentionem fructuum. Secunda sententia docet, non potuisse, irregularem sine peccato graui beneficium acceptare; collationem tamen fuisse validam, quamuis retentio sit illicita, quandiu non obtinetur dispensatio irregularitatis. quam sententiam proba-

bilem fatentur Suarez *de censuris disp. 4. sect. 2. num. 35.* Turrianus, Gaspar Hurtado, Ioannes Præpositus, Syluester, Plouius, & Coninch, quos refert, & sequitur Diana *loco citato*, quibus adde Castrum Palao *tom. 2. tract. 13. de beneficijs disp. 1. punct. 11. §. 3. num. 8.* & Filliucium *tom. 1. tract. 19. cap. 3. num. 85.*

Hoc ergo supposito, dicendum videtur, in casu nostro, quamuis iuxta secundam sententiam collatio beneficij valida fuerit, fuisse tamen illicitam, atque illicitam etiam esse retentionem, nisi dispensatio irregularitatis obtineatur; qua obtentâ, non erit necessaria noua tituli revalidatio, cum valida fuerit prima collatio; ea tamen dispensatione non obtenta, illicitam esse beneficij retentionem: quia Doctores vtriusque sententiæ in hoc convenire videntur, quod acceptatio, & retentio illicita sit, quamuis aliqui eorum magis benignè loquantur, non obligantes ad statim dimittendum, sed permittentes quod possit aliquo tempore beneficium retinere, ut dispensationem irregularitatis obtineat, dummodo in ea procuranda nimium negligens non sit, & interim ex redditibus beneficij sufficienter provideat Ecclesiæ, ut saltem per alium ei inferuiatur, si necesse sit: hoc enim ad tempus facere propter causam ad eò gravem non est contra iustitiam. sic videtur loqui Suarez *ubi supra num. 35.* adiuncto *num. 19.* ad quem videtur *ibi* se remittere. Omnes autem videntur supponere obligationem dimittendi beneficium, si dispensationem irregularitatis non vult, vel non potest impetrare. quod in casu nostro videtur à fortiori procedere, in quo irregularitas procedit ex homicidio voluntario, cui strictissime ablata est spes obtinendi quodlibet beneficium in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* Vnde P. Thesaurus *in praxi Ecclesiastica part. 2. verb. homicidium cap. 1. num. 5.* faterur, homicidium voluntarium ex illo decreto Tridentini incurrere inhabilitatem indispenabilem ad acquirenda Ecclesiastica beneficia.

His autem non obstantibus, quæ apud Doctores communia, & certa esse videntur, non defuerunt in casu nostro, qui dicerent, Oratorem posse tuta conscientia retinere beneficium, etiam non obtenta, nec petita dispensatione, cuius obtinendæ nullam ferè spem poterat habere. fundamentum præcipuum erat ex doctrina P. Suarez, qui *dicta sect. 2. num. 35.* de irregulari accipiente beneficium dicit quidem,

dem, debere beneficium dimittere, si dispensationem irregularitatis non potuerit obtinere: addit tamen, *saltem cum limitatione posita in precedenti puncto.* vbi videtur, se omninò referre ad id, quod dixerat in puncto precedenti *numer. 19.* vbi loquens de irregulari habente beneficium ante irregularitatem, & de obligatione dimittendi, distinguit de qualitate beneficij, & seruitij illi annexi: *nam interdum (inquit) est ad eò simplex beneficium, ut solum obliget ad recitandum Officium canonicum, ut Præstimonium (quod sit gratia exempli dictum.) Aliud solum requirit ministerium, quod per alium exerceri potest: & in his, & similibus nulla est ratio obligationis dimittendi illud, cum possit irregularis obligationi beneficij satisfacere per se, vel per alium. Alia etiam sunt beneficia Ecclesiastica, quæ personalem residentiam cum exercitio alicuius operis postulant: & in his maxime procedit ista sententia, sed limitanda, ac declaranda est. Quia non tenetur statim irregularis dimittere beneficium, sed potest aliquo tempore retinere, ut dispensationem irregularitatis obtineat, dummodo in ea procuranda nimium negligens non sit, & interim ex redditibus beneficij sufficienter provideat Ecclesiæ, ut saltem per alium ei inferuiatur, si necesse sit: hoc enim ad tempus facere propter causam ad eò gravem non est contra iustitiam.* Huc usque Suarez, qui duo videtur ibi permittere, nempe, & retinere beneficium sine dispensatione, si tale sit, & ad eò simplex, quale in casu nostro supponitur, & retinere saltem ad aliquod tempus, dum dispensatio procuratur, si beneficium sit, quod personalem residentiam cum seruitio aliquo exigit. Quamuis autem limitatio, cuius postea meminit *num. 35.* videatur solum debere intelligi de secunda parte, nempe, de retentione ad aliquod tempus, quandiu dispensatio procuratur: nam ante illam partem immediatè præcedunt verba illa, *sed limitanda, ac declaranda est.* quare illam solum videtur sub nomine limitationis postea intellexisse, atque ad eò illud solum concessisse irregulari, qui stante irregularitate beneficium nouum acceptavit: aliqui tamen volebant, vtramque partem comprehensam fuisse à P. Suario, dum *numer. 35.* limitationem suprapositam dixit habere locum etiam in beneficio accepto in irregularitate.

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

Quod rursus confirmabant ex doctrina Ioannis Præpositi, qui *in 3. parti. quæst. 5. de irregularitate, dub. 3. num. 15.* regulam generalem statuit, his verbis: *Notandum convenire inter Doctores, quòd quando irregularitas præcedens non impedit functiones beneficij, aliquis non redditur inhabilis ad illud obtinendum. v. gr. si beneficium solum obligat ad lectionem horarum canonicarum, clericus contrahens irregularitatem, eo quòd priuatus manu non redditur inhabilis ad illud obtinendum, imò licitè potest beneficium recipere, & retinere.* Hæc ille, cui fauere videtur Suarez, qui *dicta sect. 2. num. 38.* loquens de beneficio post irregularitatem obtento, dicit clericum irregularem non esse incapacem, nisi recipiendi beneficium, cuius actus impedit irregularitas, & reprobatur Nauarrum, qui hoc limitauerat ad irregularitatem absque peccato contractam.

Ratione denique hoc ipsum probatur: quia supposita sententia probabili, dicente, collationem beneficij irregulari factam, esse validam, eo ipso quòd irregularis bona, vel mala fide beneficium accepit, iam illud est verè suum, nec apparet præceptum dimittendi: quare sicut potest licitè retinere beneficium quod ante irregularitatem obtinebat, si id sit ad eò simplex, ut ad solam recitationem Officij ordinetur, non apparet, cur non possit retinere aliud simile beneficium post irregularitatem validè acceptum, cum hoc sit tam suum, quàm illud aliud, & cum tota obligatio dimittendi beneficium ante irregularitatem acceptum fundetur in eo quod non potest satisfacere muneribus, & officiis, ad quæ beneficium ordinatur, & datur, quæ ratio cessat in casu nostro. Nec videtur obstare Tridentini decretum supra adductum loquens de homicida voluntario: quia præterquam quòd non fit prohibitio accipienti, sed conferenti beneficium, nullum verbum est de retentione, sed de collatione, nec ea ibi irritatur, sed prohibetur illis verbis, *nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat.* & quamuis statim addatur aliquid, quod ad retentionem ipsam pertinere videtur, nempe, *sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat.* hæc tamen videntur intelligenda de priuatione per iudicem facienda, alioquin deberet ipso facto; & ante sententiam

rentiam amittere beneficia, quæ ante irregularitatem habebat, cum verba illa vniuersaliter loquantur de omni beneficio, quam tamen penam communis sententia negat ipso facto incurri ante sententiam.

6 Hæc tamen responsio, vt verum fatear, videtur mihi satis dubia: quia communis Doctorum sensus, & Curie in vtroque foro stylus aperte repugnat. Nec loca illa, quæ ex Suario afferebantur, ostendunt eam fuisse eius mentem: nam *num. 35.* solum approbavit in casu nostro limitationem, quam *num. 19.* tradiderat, vbi sub nomine *limitationis*, solum permittit retentionem ad tempus, dum dispensatio irregularitatis procuratur. quod verò afferebatur ex *num. 38.* minus videtur fauere, quia ibi loquitur Suarez solum de irregularitate partiali, quæ non impedit *omne exercitium Ordinis*, vt ipse loquitur, sed aliqua; non verò de irregularitate vniuersali & totali, qualis proculdubio est irregularitas homicidij, si quæ alia in toto iure. Et in eodem sensu loqui videtur Præpositus *suprà* allegatus, qui doctrinam Suarij transcripsit, & in eo sensu intelligitur, & refertur doctrina illa Suarij apud Lezanam *tom. 3. verb. irregularitas, num. 5.* Quare non videtur mihi in re tanti ponderis facile recedendum à communi sententia, & sensu Doctorum. Volui tamen motiua vtriusque partis producere, vt alij melius cogitare possint.

#### D V B I V M XII.

*De irregularitate ex infamia occulta in loco distanti.*

1 N Absens à sua diœcesi per duas die-tas, in loco, vbi aderat, denuntiatus fuit de crimine falsæ monetæ, & iudiciis quasi euentibus deprehensus. Fugit igitur ex eo loco, & citatus, aliisque diligentibus factis, nunquam comparuit. Postea Romam venit, & beneficium Ecclesiasticum bona fide obtinuit, & factus Sacerdos celebravit. Quærebatur, an esset irregularis, & an posset sacra Pœnitentiaria cum eo dispensare tanquam cum irregulari occulto.

2 Supponitur autem, & Romæ, & in patria sua id totum occultum esse, ne-

que esse spem, quòd vnquam publicetur, præsertim lapsò iam quadriennio à tempore delicti.

Respondi, videri quidem esse irregularem: posse tamen quoad irregularitatem à sacra Pœnitentiaria dispensari. Prima pars probatur, quia vel in loco delicti lata fuit sententia, & condemnatus fuit reus in contumacia; & tunc proculdubio incurritur irregularitas infamiae ex sententia, cum crimen falsæ monetæ sit vnum ex incutientibus infamiam: est enim crimen læsæ Maiestatis, vt tradit P. Molina *tom. 3. de Iustitia disput. 702. num. 1. in fine*, & videri potest Thomas Sanchez *lib. 6. consil. moral. cap. 3. dub. 6. num. 14.* & Coninch *in 3. part. disp. 18. de irregularitate dub. 7. num. 56.* Si verò sententia non fuit prolata, adhuc videtur incurrisse irregularitatem; sunt enim aliqua enormia delicta, in quibus etiam ante sententiæ prolationem incurritur infamia, ex qua consequenter oritur irregularitas, inter quæ computari debere hoc crimen, colligi potest à fortiori ex Maiolo *de irregularitate lib. 3. cap. 1. num. 9. & 10.* vbi docet, omnes capitali crimine irretitos, hoc est, dignos sententia capitali, esse infames ipso facto, & ante sententiam, & *num. 14.* exprimit reos læsæ Maiestatis, qualis certè est monetam falsificans, vt *suprà* diximus. quod idem docere videtur Molina *tract. 4. de Iustitia disp. 7. in fine*, vbi ait, accusatum de crimine furti, fieri infamem, etiamsi solum verisimilia indicia delata sint ad iudicium, cognitæque sint ex delatione, esto nondum in iudicio plenè probata sint. Constat autem, in casu nostro, esto non fuisset peruentum ad sententiam, (quod tamen vix præsumi potest;) factum tamen fuisse delictum publicum, deprehenso reo quasi euentibus iudiciis, eoque postea fugâ elapso, & publicè citato. quæ publicatio sufficit ad infamiam contrahendam, vt cum aliis docet Suarez *de censuris disp. 48. de censuris sect. 1. num. 21.* vbi dicit, sufficere probabilem, & publicam opinionem de crimine patrato. Cum ergo hæc opinio publica fuerit in loco delicti in casu nostro propter supradicta, non potuit postea mutatione loci auferri irregularitas infamiae semel contracta, vt cum Vgolino notauit Bonacina *de censuris disp. 7. in antiqua editione, quest. 3. punct. 1. num. 1.* & Maiolus *dicto cap. 1. versus finem.* Ratio autem esse potest, quia irregulari

regularitas, quamuis non sit propriè censura, imitatur tamen censuras in eo, quòd ipso facto incurritur, & quòd semel contracta afficiat personam, quocunque ierit, donec legitimè auferatur: erit ergo irregularis fugitiuus, siue in patria sua, siue Romæ vbi delictum eius ignoratur.

Secunda verò pars, quòd scilicet sacra Pœnitentiaria possit in ea irregularitate dispensare in foro conscientiae, probari potest ex iis, quæ in simili docent Auila *de censuris part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 11. conclus. 3.* Sanch. *in Decalog. lib. 2. cap. 11. num. 20.* & Durandus, ac Paludanus apud ipsum, Fagundez item, & Barbosa quos affert, & sequitur Lezana *tom. 4. verb. occultum, num. 10.* qui dicunt, facultatem dispensandi, vel absoluendi in casibus occultis extendi ad eum casum,

quo delictum in loco remoto est publicum, non tamen ibi, vbi pœnitens, vel dispensandus commoratur, & in quo petit absolutionem, vel dispensationem, neque est spes quòd ibi publicetur; quamuis contrarium doceant Suarez *tom. 4. de pœnitentia disp. 30. sect. 2. num. 2. in fine*, & P. Thesaurus *in praxi part. 1. cap. 21. §. aduertendum tertio.* Cum ergo in casu nostro, quadriennio iam elapso, non sit spes, quòd Romæ publicandus sit casus ille, qui in loco remotissimo contigit, probabilissimum videbatur, posse à sacra Pœnitentiaria dispensari in irregularitate contracta: non tamen dispensabit in reualidatione tituli, & retentione fructuum, nisi prius compositione facta, & consensu obtento per Datariam Apostolicam, ad quam ea omnia iam spectant ex decreto Urbani VIII.





## LIBER TERTIVS

## De variis casibus ad Regulares spectantibus.

## DUBIVM I.

*Utrum tacens homicidium ad iudicium deductum licitè, & validè Professionem emiseric.*

**N**ON est sermo de Ordine religioso, in quo homicidium antea commissum sit impedimentum substantiale irritans ingressum, & Professionem subsequentem, iuxta eius constitutiones à Sede Apostolica approbatas, prout de facto habetur in constitutionibus Societatis Iesu: nunc verò loquimur de alio Ordine, in quo talis constitutio irritans Professionem non habetur; casus quippe propositus fuit, quòd in eiusmodi Ordinem Nouitius quidam reciperetur, qui re vera fuerat delatus: postea verò in loco, ubi id ignorabatur, habitum religiosum petiit, & informationes ante Professionem solitè factæ fuerunt iuxta Bullam Sixti V. & Clem. VIII. ex quibus apparuit, ipsum nec criminofum esse, nec debitum, aut ratiociniis obnoxium. Ipse autem circa hæc interrogatus homicidium commissum tacuit, atque adedò ad Professionem admissus fuit. Quæsitum est, an validè, & licitè eam emiseric.

Suppono, Sixtum V. anno 1587. Bullam edidisse, quam refert integram Eman. Roder. tom. 3. q. 56. post art. 6. in qua homicidas, & aliis quibusdam criminibus obnoxios reddidit inhabiles ad Professionem religiosam, vanasque pœnas imposuit recipientibus eos, non præmissa informatione iuridica de eorum qualitate. Postea verò anno sequenti alia sua Bulla, quæ habetur apud eundem Roder. ubi supra, declaravit, non obstare Professioni prædicta crimina, nisi quando actis publicis constiterit, ipsos iudices, & curiam sacularem ante susceptionem habitum de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse. Denique Clemens VIII. anno 1602. moderatus est dictas Sixti constitutiones, & valorè Professionis restituit, remanentibus aliis pœnis adversus suscipientes ad Religionem eiusmodi criminofos. quæ Bulla

habetur in Bullario communi, & est 83. inter Bullas eiusdem Clementis, ubi eandem formam in informationibus capiendis observari vult ab iis, ad quos pertinet, sicut antea, & sub eisdem pœnis.

Hinc constat, Professionem in casu nostro fuisse omninò validam: tum quia casus supponitur accidisse post Bullam dictam Clementis VIII. qua restitutus fuit valor illis Professionibus: tum, quia servata fuerat forma à Sixto V. præscripta ad earum valorem, nec enim temerè receptus fuerat ille ad Professionem, sed præmissa diligenti informatione, quamvis in ea non constiterit de crimine patrato. Sixtus autem solùm tunc reddit nullam Professionem, quando temere data fuisset, hoc est, non præcedente eiusmodi informatione, ut observavit Emanuel Roder. d. q. 54. art. 1. Difficultas ergo solùm restat, an ipse Professus potuerit licitè etiam interrogatus tacere suum crimen, & Professionem emittere.

Circa quod dubium, suppono etiam primò, si Prælati, vel ij, ad quos spectabat Professionem acceptare, protestati sint antecederent, se non habere animum acceptandi Professionem, si re vera ille affectus esset iis criminibus, vel notatus iis defectibus, de quibus interrogabatur, Professionem certè subsequutam nullum valorem habere: quia, cum ad eius valorem requiratur & voluntas profitentis, & voluntas acceptantis Professionem; deficiente hac voluntate ex parte acceptantis, deficiet valor Professionis ex defectu acceptationis validæ, ut notarunt Thom. Sanch. & Eman. Rod. quos affert, & sequitur Lezana de obligat. Regul. tom. 1. cap. 24. num. 26. & tom. 4. verb. Professio regularis, num. 18.

Suppono secundò neque etiam potuisse Professum tacere licitè, vel negare crimen suum, quoties ex hoc provenire posset Religionem aliquod grave detrimentum; hoc enim esset contra iustitiam, & decipere iniuste in re gravi, ut in simili docet Sanchez

lib. 5.

lib. 5. in Decal. c. 4. n. 57. Tota ergo difficultas est, an deceptio in hoc casu fuerit ita gravis, ut reddat illicitam habitus susceptionem, & Professionem ex parte ipsius Professi.

6 P. Laurentius Portel in responsionibus casuum moralium p. 1. cas. 8. n. 7. indicat etiam si homicidium non fuisset omninò occultum, si tamen occultum sit in eo loco, ubi habitus religiosus petitur, nec sit spes, quòd aliquando detegatur, posse Novitium tacere, & negare, quamvis sub iuramento interrogetur, an habeat impedimentum aliquod ex iis, quæ appositæ sunt à Sixto V. intelligendo apud se, quòd non habeat impedimentum dirimens Professionem, cum post Bullam Clementis VIII. iam non sit impedimentum irritans, sed impediens Professionem, & sit in hoc loco occultum, nec teneatur sese infamare. Addit tamen, se non audere hoc resolvere, aut cõsulere.

7 Posset tamen confirmari hæc opinio ex eo, quòd Clemens VIII. ablata irritatione Professionis per Sixtum V. inducta, reliquit solùm pœnas, & præcepta admittendi eiusmodi homicidam ad Professionem, vel habitum religiosum. Illa autem præcepta, & pœnæ videntur dirigi solùm ad Prælatos, & alios, ad quos pertinet admittere ad Professionem, vel habitum, nisi præmissa informatione sufficienti super his. Quare in casu nostro videtur observari totum illud præceptum, cum informatio diligenter facta fuerit, & nihil tale compertum sit, atque adedò ex parte Prælati, & recipientium nulla culpa commissa fuit, nec pœna incurfa. In ipsum autem Novitium nulla pœna statuta fuit à Sixto V. nec etiam si fuisset, maneret post Bullam Clem. VIII. qui expressè dicit, se relinquere in sua vi pœnas suscipientium ad Religionem; non verò dixit pœnas ingrediendum cum eiusmodi impedimentis. Nihil ergo fit contra Bullas Sixti V. vel Clem. VIII. qui solùm voluerunt ligare recipientes, non verò receptos ad habitum religiosum.

8 Sed, ut verum fatear, esto quòd hæc ratio probaret casu, quo Novitius non interrogaretur ab admittente illum, non tamen videtur excusare Novitium à peccato gravi, quando legitime interrogatur à Prælati super eiusmodi impedimentis. Ratio est, quia independentè à Bullis Sixti, & Clementis, receptio ipsa ad habitum, vel Professionem videtur esse contractus mutuus inter Religionem, & Professum, vel Novitium receptum, in quo sicut in aliis contractibus, dolus, & fraus, licet non semper annullent contractum, quando nõ versatur circa substantiam, sed circa accidètia: semper

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

tamen reddit illicitum, & iniustum, quoties infert grave damnum alteri contrahenti, qui fraude cognita, nollit consentire, ut constat in matrimonio, & similibus: extorquetur enim consensus per dolum occultando vitia, & defectus in re gravi, quam contrahens merito exquirat, & interrogat, ut cognoscat statum, & conditionem materiæ, circa quam contractus fieri debet. Unde in terminis Professionis religiosæ omnes fatentur, habentem morbum Gallicum, vel alium defectum similem, si interrogatus ante Professionem, neget, etiam si non semper Professio sit invalida, peccare tamen graviter contra Prælatos, & Religionem: ut docent Nau. Eman. Roder. Sorb. & Vega, quos affert, & sequitur Th. Sanch. lib. 5. in Decal. cap. 4. n. 57.

Solum ergo dubitari posset, an fraus in casu nostro æstimanda sit in re gravi, eo quòd homicidium occultum in loco habitus religiosi suscepti, parum, vel nihil detrimenti Religionem possit afferre, atque adedò parum ei nocet, quòd taceatur, vel negetur, tanquam aliquid impertinens ad rem de qua agitur, cum satis sit, quòd id nec sciat, nec timor sit, quòd aliquando manifestetur, si aliunde Novitius aptus, & utilis sit ad Ordinem illum profitendum. Hoc tamen non videtur satis ad excusandum dolum, neque enim negari potest, homicidium secundum se, etiam si nunquam fuisset in iudicium adductum, prout adductum fuit in casu nostro, rem esse tanti momenti, ut possit prudenter Religio illa Novitium illo defectu laborantem nolle ad habitum acceptare. Sic videmus, ex vi constitutionum Societatis Iesu à S. Ignatio conditarum, homicidium solùm, absque eo quòd in iudicium deducatur, esse impedimentum adedò substantiale, ut eo ipso invalida sit Professio, & votorum emissio, ac ipse etiam in Ordinem ingressus, & hoc quamvis occultissimum sit, & nullus sit timor, quòd vlllo tempore sciri possit, ut fatetur Suarez tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. 2. c. 1. n. 12. qui n. 13. rationè assignat congruentiæ hoc impedimentum statuendum, quia nimirum hoc crimen commissum ostendit naturam nimis iracundam, & ferocem, atque adedò minus aptam ad vitam religiosam. Merito ergo potest Religio ipsa æstimare se deceptam in re gravi, quando hominem tali vitio affectum dolose cogitur recipere, præsertim, cum, ut idem Suarez ibi n. 13. notat, licet delictum hæc & nunc sit occultum, semper manet periculum, quòd aliquando manifestetur cum gravi nota ipsius Religionis, quæ huic periculo nollit vlla ratione sese exponere.



## D V B I V M II.

## De Professione illius, qui annum probationis interrupserat.

**Q**uidam Nouitius post 21. dies à suo ingressu, relicto habitu, sponte discessit animo non redeundi, sed elapsis septem diebus rediit, & obtento iterum habitu nouitiatum prosequutus est, & elapsis vndecim mensibus, & decem diebus, qui cum illis 21. diebus annum integrum faciebant, bona fide Professionem emisit, ac postea per quindecim alios annos in Ordine permansit, factusque ibi Sacerdos omnes Professorum actus etiam Capitulares gessit, nunquam tamen Professionem positivè ratificauit, de cuius quippe valore dubium nunquam illi occurrit.

**Q**uæsitum est primò, an Professio valida fuerit? Secundò an saltem postea Professio tacita interuenerit. Tertio, quia dubitat, quòd Conuentus nunc non facilè nouum consensum præstabit, an non requisito nouo consensu, possit nunc primam Professionem ratificare saltem coram Prælato, & testibus. Quarto quid tandem faciet, vt validè profiteatur. Quintò denique, an ad hoc necesse sit annum integrum probationis denuò præmittere; an verò sine nouo anno nouitiatum possit prior Professio statim ratificari?

**3** Ad primum responsum fuit, Professionem illam proculdubio fuisse inualidam. nam, licet aliqui antiqui, quos referunt Thomas Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 30.* & Suarez *tom. 3. de Relig. tract. 7. lib. 5. de ingressu Religionis, cap. 15. num. 2.* dixerint, non esse de substantia nouitiatum, quòd annus sit continuus; sed tamen alij communiter dicunt, esse de substantia, præsertim post Concilium Tridentinum, vbi annullatur Professio, nisi nouitius post ingressum perseuerauerit per annum in probatione, prout docent ferè omnes, quos congerunt, & sequuntur Sanchez, & Suar. *vbi supra*; & alij, quos affert, & sequitur Lezana *tom. 4. verb. professio regularis, n. 20.* & quamuis aliqui indicent interpolationem breuè non nocere, id tamen reprobat Suarez *vbi supra n. 6.* & Sanch. *n. 32.* & in casu nostro res est extra controuersiam, cum interruptio fuerit per septem dies, quæ à nemine parua interruptio æstimatur.

**4** Ad secundum videtur etiam certum, nondum fuisse Professionem illam sana-

ram, & factam validam: quia ad valorem Professionis requiritur consensus positivus profitentis, ad quod necesse est, quòd vel profitens sciat defectum Professionis, & velit denuò se obligare, vel saltem, quòd habeat voluntatem conditionariam, qua dicat: Si fortè ego non sum verè Professus, ex nunc volo me denuò obligare. Non tamen sufficit mera perseuerantia in Religione, & exercitium actuum, quos faciunt Professi: nam qui putat, se esse Professum, perseuerando in Religione, non vult profiteri, sed implere Professionem, quam putat se emisse, vt cum Caietano, Nauarro, & aliis notant Suar. *vbi supra lib. 7. cap. 1. n. 4.* & Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 59.*

Ad tertium, quamuis Suarez *vbi supra 5 num. 20.* dicat, in hoc casu requiri nouum consensum ex parte Religionis scientis priorem acceptationem fuisse inualidam, quòd etiam securius, & probabilius esse fatetur Sanch. *d. disp. 37. n. 64.* Idem tamen Sanchez *ibi* cum Nauarro, & aliis dicit, esse tutum, & probabile, quòd non requiratur noua scientia, & consensus ex parte Prælati, vel Conuentus, quandiu prior eius consensus non fuit reuocatus, quòd idem fatetur Lezana *tom. 1. c. 2. n. 7. & tom. 4. verb. Professio regularis, num. 20.* & videtur non leuiter colligi ex Concilio Tridentino *sess. 25. c. 19. de Regularibus*, vbi post quinquennium in eiusmodi defectibus non admittitur reclamatio contra Professionem, quia supponitur eo tempore ratificata, atque aded per solum consensum profitentis, nulla etiam stante noua acceptatione ex parte Religionis possit ergo Religiosus in casu nostro hanc sententiam amplecti, quòd quidem benè procederet, quatenus solum attenditur ad Professionem reualidandam; difficilè tamen sustineri potest in ordine ad nouitiatum, vel eius partem suppleendam, vt constabit ex dicendis.

Ad quartum constat ex dictis, posse Religiosum hunc amplectendo hanc vltimam sententiam, ratificare Professionem, vel solum, vel coram Prælato, aut aliquo teste, quæ ratificatio, vt notat Suarez *vbi supra num. 6.* debet fieri signo aliquo externo explicite, vel saltem implicite significante voluntatem se obligandi, quale esset permanere in habitu, & obedientia animo se obligandi, quæ permanentia daret tempore requisito ad Professionem tacitam inducendam, iuxta ea quæ notat Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 3. num. 21.* Vel, si iuxta alteram sententiam velit nouum Prælati, & Conuentus consensum

habere, poterit vti medio illo, quòd consulit idem Sanchez *d. disp. 37. num. 57.* vt sub secreto Prælati rem totam detegat, & Prælati tacito petentis nomine, id Conuentui proponat, & explicata Professionis nullitate, consensum ad secundam Professionem obtineat: vel pro foro conficiat, si res occulta sit, dispensationem à Pontifice impetret ad Professionem occultè ratificandam, & nouitiatum suppleendum: quæ dispensatio necessaria videtur saltem ad retinenda iura antiquitatis in rebus alicuius momenti, vt notat idem Sanchez *dicta disp. 37. num. 68.*

**7** Hæc tamen procedunt, vt dixi, quatenus sermo est de reualidatione Professionis: est tamen in casu nostro peculiaris difficultas circa tempus probationis, quæ vel tota, vel eius pars videtur supplenda, & ad hoc videtur requiri scientia Prælati, & Conuentus, vt ex responsione ad quintum punctum constare poterit.

**8** Ad quintum ergo de nouitiatu repetendo, sciendum est, aliquos sentire, quòd debeat reiterari annus integer nouitiatum: quia prior nouitiatum interruptus moraliter fuit per Professionem inualidam, qua facta, iam ille Religiosus putabat, se Professum, atque aded non erat in probatione, ad quod requiritur libertas manendi, vel discedendi, quam libertatem non habebat putans se Professum; & licet postea cognito defectu Professionis, incipiat iam habere libertatem, & constituatur iterum in statu Nouitij: hoc tamen tempus non continuatur cum nouitiatu priori, qui interruptus fuit per Professionem putatam validam: cum ergo annus probationis debeat esse continuus, vt cum communi probant Suarez *vbi supra, lib. 5. cap. 15. num. 3.* & Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 31.* consequens est, vt debeat denuò fieri annus integer continuus Professionis: ita Suarez *vbi supra, lib. 7. cap. 1. num. 31.* putat tamen probabile, posse computari tempus præcedens, additis postea diebus qui ad annum deerant, quia non videtur fieri interruptio moralis, cum semper fuerit continuatus status, & habitus religiosus, quòd etiam pro comperto supponit Sanchez *dicto lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 50.* cum communi.

**9** Aduertit tamen Suarez *dicto cap. 1. n. 22. & 24.* oportere quòd notus sit defectus Professionis præteritæ ipsi Prælato, & aliis, ad quos pertinet admittere ad Professionem, & hoc antequam tempus probationis, & nouitiatum incipiat continuari: quia, sicut non computatur pro legitimo noui-

tiatum, nisi quandiu Nouitius scit, se non esse Professum, sed Nouitium; ita non computatur, nisi quandiu Prælati, & alij idem sciunt. Eadem enim scientia requiritur ex parte vtriusque, vt & Nouitius probeat Religionem, & vt Religio ipsa probare possit Nouitium. Oportet ergo eam notitiam dare, vt nouitiatum tempus legitime currat, & continuetur. quòd etiam in casu occurrenti olim responderat, & subscripserat idem Suarez cum P. Ioanne de Salas in Collegio Salmanticensi. Et mihi quidem videtur consequenter dictum, cum eadem videatur esse ratio de Nouitio, & de Religione, vt non possit computari ad probationem, quandiu vtrique non est notus defectus probationis.

Non tamen facile apparet, quàm consequenter id dictum sit à P. Suarez, qui *eodem cap. 1. num. 11.* inde probauerat, ad valorem nouitiatum non exigi habitum proprium Nouitiorum, & diuersum ab habitu Professorum, quia nimirum in Tridentino *sess. 25. cap. 19.* de Regularibus statuitur, non esse audiendos eos, qui post quinquennium allegant nullitatem suæ Professionis propter vim, aut metum, vel ob defectum ætatis, aut quid simile. *vbi in illis verbis, aut quid simile*, dicit comprehendi omnes alios defectus, etiam qui fuit in integritate anni nouitiatum, quem tamen defectum, & alios omnes temporales, dicit suppleri perseuerantia quinquennij subsequentis, in quo præsumitur ratificatio subsequuta. Vnde consequenter videtur admittere, quòd potuit nouitiatum legitime, & valide continuari non data notitia Prælati: nam Concilium etiam eo casu præsumit ratificationem sufficientem ad valorem Professionis. Et quidem ipse Suarez postea *n. 14.* pro ratione dubitandi contra obligationem id manifestandi Religioni obiicit secundo loco hoc Tridentini decretum, in quo absque eiusmodi manifestatione præcedente supponitur validè ratificata Professio quinquennio subsequenti. Ad quam tamen objectionem, & difficultatem ex Tridentino propositam non inuenio ipsum respondisse saltem in eodem *cap. 1.* nam postea *cap. 4. num. 8. & 9.* cum idem Tridentini decretum incidisset, fatetur tandem, in eo sermonem esse de nullitate allegata Professionis factæ per vim, & metum, aut ante debitam ætatem, *aut quid simile*, hoc est, causas tales, vt postea potuerit ratificari tacite Professio per voluntatem solam ipsius Religiosi, sine nouo consensu Religionis, atque aded non esse comprehensum no-

strum casum, in quo necessaria erat scientia, & voluntas ex parte ipsius Religionis, nisi solum cum accommodatione quadam, vt in his etiam casibus non audiatur Religiosus post quinquennium, nisi quando cessat præsumptio ratificatæ Professionis ex parte Religiosi, & ex parte etiam Religionis, vel certè non audiatur, nisi velit probare, non potuisse tempore illo ratificari Professionem, vnde cumque hæc impotentia processerit, atque ita mihi videtur consequenter dicendum.

## D V B I V M III.

*An, et quomodo Regulares cuiusdam Congregationis potuerint reclamare contra Prælatos, à quibus regebatur.*

**C**ongregatio quædam Regularium in India Orientali subiecta erat cuidam eiusdem Ordinis Prouinciæ in Europa, à qua fuerat fundata, & ab eadem regebatur auctoritate Apostolica, ab eaque successiue accipiebat electiones præcipuas, scilicet, Prouincialis, Definitorum, Visitationum, &c. Dubitatum diu fuit à Patribus eiusdem Congregationis, an Prouincia ista Europæa haberet legitimam auctoritatem super ipsam Congregationem, & consequenter, an Prælati ab illa Prouincia electi, & ad hæc munera illuc transmissi essent legitimi. Imò doctissimorum hominum iudicio, non solum ex eadem Congregatione, sed ex ipsamet Prouincia gubernante, dubium hoc ferè transibat ad certitudinem de defectu legitimi tituli. Quare, vt rem totam Superioribus proponerent, ad Generalem Ordinis, Summumque Pontificem recurrere volentes, vt controuersia cognita, de opportuno remedio prouideretur, à suis Prælatibus impediti sunt. Vnde cognita omnimoda recursus negatione, & impossibilitate, voluerunt se eximere à gubernio illius Prouinciæ Europææ, & à Prælatibus ab ea transmissis.

Ad hunc finem vniti, & capitulariter congregati mentem suam, & motiua litteris ab eorum antiquissimo omnium nomine subscriptis ad Vicarium Prouincialem dictæ Congregationis, tunc fortè extra ciuitatem degentem, mandauerunt, exponentes, & postulantes, quomodo negato eis toties recursum ad Sedem Apostolicam, & Ordinis Generalem, nullaque

alia ratione manente, qua suis conscientis possent consulere, pareretur, quod per iudices ab ipso de purandos res tota examinaretur, qui & ipsum Viceprouincialem, & Patres etiam eiusdem Congregationis audiret.

Vicarius Prouincialis initio visus est anuere, & iudices deputauit, sed postea mutato consilio, ad Proregem, qui status Concilium actu habebat, recurrit, significans, quomodo Congregationis fratres contra ipsum rebellassent, atque ad eum eius auxilium, & opem implorauit.

Protex Vicarium Prouincialem interim pro bono pacis in alio alterius Ordinis Conuentu manere voluit, deputauitque Archiepiscopum illius vrbs, & Inquisitores Apostolicos, vt auditis partibus rem totam componerent. Hi habito vtriusque tractatu, proposuerunt fratribus Congregationis, vt ab instantia desisterent, & in obedientia Vicarij Prouincialis manerent; ita tamen, vt recursus ad Generalem, & Summum Pontificem toties denegatum liberè haberent, & securitatem, ac impunitatem de iis, quæ in Vicarium intentauerant.

Consentiunt fratres Congregationis, ea conditione addita, vt concederetur ipsis facultas eligendi Procuratores ad recursum profecturos, qui à nemine quouis prætextu impedirentur ab ipso Prorege, Archiepiscopo, & alijs pacificatoribus. Item pro itineris, & negotiorum expensis, certa pecuniæ summa ex communi Congregationis ærario Procuratoribus daretur, & quod has condiciones Vicarius Prouincialis, eiusque in officio successores deberent obseruare, & D. Prorex, Archiepiscopus, & alij ad hoc ipsum deberent concurrere. Interim, quantum de se erat, sub eodem solito gubernio se promiserunt mansuros vsque ad nouam Summi Pontificis, vel Generalis declarationem. Subscripserunt huic concordie Prorex, Archiepiscopus, Inquisitores Apostolici, Vicarius Prouincialis, & fratres Congregationis, & sic tandem tumultus compositus fuit.

Dubitatum Romæ fuit primò, an dicti fratres rei facti fuerint rebellionis contra Prælatum. Secundò, vtrum Vicarius Prouincialis incurrerit censuras, & pœnas contra recurrentes ad iudices laicos in causis spiritualibus. Tertio, an fratres iniquas, & irrationabiles condiciones à suo Prælato postulauerint. Quarto, an Vicarius Prouincialis eas condiciones acceptare potuerit. Quintò, an ipse, & eius successores pœnas

pœnas simoniæ incurrerint obligando se ad illas condiciones, vt ad exercitium suæ Prælatuæ admitterentur. Vltimò, an fratres potuerint se propria auctoritate ab obedientia Vicarij Prouincialis eximere.

Ad primum dixi, fratres non incurrisse verum rebellionis crimen, quia non negarunt obedientiam legitimo Prælato, sed orto dubio circa Prælati ritulum, intenterunt litem legitime coram suo Prælato, petendo ab eo id, quod ipse legitime facere poterat, nempe vt deputeret iudices ad cognoscendum de legitimitate suæ prælationis, de qua cum magno fundamento dubitabatur.

Ad secundum dixi, Vicarium Prouincialem recurrendo ad Proregem non incurrisse pœnas, aut censuras; quia ille non fuit recursus ad iudicium sæculare, sed inuocatio brachij sæcularis ad coercendos eos, quos ipse pro subditis habebat, & in quorum subditorum possessione erat. Certum est autem, iudices Ecclesiasticos, & Prælatos Regulares posse inuocare auxilium à Magistratu laico ad capiendos, & coercendos suos subditos.

Ad tertium dixi, prædictas condiciones iustas, & rationabiles fuisse, cum fratres Congregationis ferè pro certo haberent, Prælatos illos non esse legitime electos; quare potuerunt petere à Vicario Prouinciali ea omnia, quæ ipse etiam non rogatus in eorum opinione facere tenebatur.

Ad quartum dixi, Vicarium Prouincialem potuisse saltem prudenter, & pro bono pacis eas condiciones acceptare. nam, si vera sunt, quæ fratres Congregationis afferunt contra legitimum titulum illius Prælatuæ, Prælati ipse ex se debebat eas condiciones offerre, & dare recursus ad Generalem, & expensas, &c. ad quod facit doctrina, quam tradit Eman. Röder. tom. 2. quæstion. regular. q. 53. art. 13. vbi cum Prælati superior nollet confirmare electionem à Conuentu factam, & ex parte Conuentus fuisset appellatum, dicit, debuisse saltem ex honestate iudices compromissarios dari ad cognoscendum de iusta, vel iniusta electione. Quam ergo magis in casu nostro potuit Vicarius Prouincialis designare iudices, & postea concedere recursus liberum ad Generalem, & expensas, &c. cum ageretur de legitimitate suæmet Prælatuæ? Vnde eiusdem etiam successores in vicariatu potuerunt, & debuerunt acceptare easdem condiciones, easque obseruare. Nam sicut primus potuit, & debuit, ita etiam & eius successores, in qui-

bus ratione eiusdem officij procedebat eadem omnino ratio.

Ad quintum dixi, nec Vicarium Prouincialem, nec eius successores incurrisse pœnas simoniæ statutas, obligando se ad illas condiciones obseruandas, atque ad eum non fuisse ex hoc capite intrusos, si aliunde legitimum titulum habebant, neque eorum acta ex hoc capite reddi irrita, vel irritanda. Primò, quia electio valida non redditur inualida per confirmationem simonicam subsequentem, sed ipsa sola confirmatio ad summum vitiabitur, vt notauit Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. de simonia, cap. 58. num. 7. Multò ergo minus electio, & confirmatio præcedens potuit reddi inualida (si valida fuerat,) propter possessionem meam subsequentem simoniacè obtentam. Secundò, quia in Extrauaganti 2. de simonia, vbi statuitur inualiditas Prælatuæ regularis simoniacæ, solum nominantur electiones, postulationes, confirmationes, prouisiones, & quæuis alia dispositiones, non verò nominantur adeptio possessionis; quare ex hoc capite non videtur Prælatuæ fuisse inualida. Tertio, quia probabile est, Prælatuæ regulares, quæ Præbendam, seu redditus non habent annexos, non comprehenduntur in dicta Extrauaganti secunda, quoad pœnas statutas contra simoniam in beneficiis, vt cum alijs tradit Lezana tom. 4. verb. simonia quoad regulares, n. 29. & alij, quos affert P. Thesaurus in præxi ecclesiastica, verb. simonia, cap. 2. num. 10. vers. Amplia prædictas pœnas.

Ad vltimum dixi, si fratres Congregationis habebant certitudinem de illegitimitate Prælati, potuisse illi negare obedientiam, cum esset certum, quod non erat Prælati, vt fatentur omnes, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 29. Si autem solum erat opinio probabilis, quod ille non erat verus, & legitimus Prælati, aliqui adhuc dicunt, quod poterant ei negare obedientiam, quos refert Sanchez ibi num. 28. Alij verò, quos ipse sequitur, id negant, quia non poterant eum spoliare possessione, in qua erat. Hoc tamen ad propositum videtur parum referre, cum de facto fratres solum petierint iudices de purari ad cognoscendum de legitimitate Prælati, & recursus ad Prælatos superiores, quod iure petere potuerunt. Quod si id acerbiori modo extorqueri conati sunt, & terrore aliquo iniecto, id vtiq; fecerunt ad propulsandam iniuriam, quam ex negato, & impedito recursum patiebantur, & quia videbant, propriam Congrega-

Congregationem, & eius bona à Prælatibus aliunde venientibus dilapidari, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus tendere indices in euidentem interitum, & ruinam. Quare consultum censui, quòd relicta quæstione de rumore sequuto ageretur solùm de examinanda legitimitate illorum Prælatorum, & de remedio in futurum adhibendo, quo Congregatio legitimè, & religiosè regeretur.

## D V B I V M IV.

*Utrum Generalis Regularis possit præcepto obligare subditum ad acceptandum Episcopatum.*

**I**nitio anni 1643. magna fuit in Vrbe disputatio de hoc casu; erat enim Religiosus quidam Professus in Ordine quodam Excalceatorum, in quo Professionis formula post tria vota solemnia consueta, continet quartum votum, & solemne, quo Religiosi se obligant ad non procurandum Episcopatum, imò nec acceptandum, nisi cogantur præcepto potentis sub peccato præcipere. Quamuis autem præfatus Religiosus postea valetudinis causa transiisset cum licentia ad Calceatorum familiam, in qua prædictum votum quartum non fiebat; existimatur tamen eodem voto adstrictus propter constitutionem Urbani VIII. editam anno 1635. qua decreuit, & declarauit, huiusmodi Professos, etiam si cum debita facultate ad alium Ordinem transferrentur, in quo tale votum non emitteretur; adhuc voto illo semel in priori Ordine facto adstrictos remanere. Vnde cum prædictus Religiosus designatus fuisset cuidam Ecclesiæ Episcopus, & ipse sine dispensatione, vel præcepto acceptare non posset; Generalis sui Ordinis ei præcepit, vt acceptaret. qua occasione dubitatum, & acriter disputatum fuit, an Generalis potuerit id præcipere taliter, vt iuxta voti formulam subditus posset acceptare, eo quòd iam id faceret coactus præcepto potentis præcipere.

**2** Non desuerunt Theologi docti, qui id affirmarent, pro qua sententia afferebatur Eman. Roderic. 2. tom. quæst. regular. q. 58. art. 1. in fine, vbi de Professis Societatis id affirmat ex Bulla Pauli III. & rursus de omnibus Religiosis id videtur affirmare in summa tom. 4. cap. 66. num. 2. Item Hieronymus Rodriguez in compendio resolut. 60. num. 2. & Henriquez lib. 7. de Indulgentiis.

cap. 22. in comment. littera H. Rursus afferebatur S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3. vbi dicit, *Accipere Episcopatum fieri necessarium ex Superioris præcepto, &c. & infra addit: Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatu, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quòd nec per obedientiam superioris Prælati accipiat, illicitè vouet.* quo loco nomine Prælati intelligi debet Prælati Regularis, qui semper venit intelligendus, quoties de subditis Religiosis sermo habetur.

Confirmabant denique exemplis, quia 3 P. Fr. Ludouicus de Granata, ex Ordine Prædicatorum, cum esset Prouincialis Lusitanix, præcepto coëgit fratrem Bartholomæum de Martyribus ad acceptandum Archiepiscopatum Bracarensem; & alius Prouincialis Augustinianus simili præcepto coëgit B. Thomam de Villanoua ad acceptandum Episcopatum Valentinum: erant autem & Prouinciales ipsi, & subditi viri doctissimi, qui tamen eiusmodi potestatem agnouerunt.

Ego tamen cum aliis multis doctissimis 4 viris in contraria fui sententia, & dixi, Generalis præceptum non fuisse satis in casu nostro, vt Episcopus designatus acceptare posset. quam sententiam tradiderunt auctores omnes Societatis, in qua ab eius Professis huiusmodi votum (non tamen solemne, sed simplex,) emittitur. Suarez tom. 3. de Religione, lib. 10. cap. 10. Thomas Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 8. num. 38. & lib. 6. cap. 2. num. 49. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 9. n. 76. Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 4. puncto 5. qui addit, hanc esse certissimam regulam, Valentia tom. 3. disput. 10. q. 3. puncto 3. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 9. num. 1. & alij, qui solius Summi Pontificis præceptum sufficere semper agnouerunt.

Ratio à priori est, quia Prælati regularis non potest præcipere, nisi ea, quæ, re-  
tentata regulari subiectione ad ipsum, impleri possunt, & multò minùs præcipere potest ex obedientia id, per quòd debitum eiusdem obedientiæ dissoluitur; repugnat enim, quòd dicat: Quia es meus subditus, præcipio tibi, vt non sis meus subditus; quia hoc esset præcipere ex obligatione obedientiæ id, per quòd subditus ipso facto eximeretur ab obligatione obediendi; quare ex debito obedientiæ careret debito, & obligatione obediendi, & obedientia destrueret simul seipsam. quòd vt clariùs appareat, ponamus Religiosum illum non solùm esse designatum, sed electum à Summo Pontifice, ita vt sola desit eius acceptatio,

tio, vt eo ipso sit iam Episcopus electus, & confirmatus, ac per consequens exemptus à Prælatibus Regularibus. Præcipiat ei tunc Generalis, quòd acceptet. Ecce tunc eo ipso instanti, quo acceptat, est Episcopus electus, & exemptus ab obedientia Generalis. Est quidem, si metaphysicè loquamur, pro priori naturæ ante acceptationem indifferens, vt sit, vel non sit subditus ipsius Generalis, quatenus est indifferens ad acceptandum, vel non acceptandum Episcopatum. Si tamen acceptat, non est subditus, sed exemptus, atque adeò non est capax præcepti, nec obligationis erga suum Generalem, qui vt eum obliget, deberet eum tunc inuenire posituè subditum, quòd repugnat, si eo instanti acceptet, & fiat non subditus: operaretur enim ex moriuo obedientiæ erga Prælatum, cui tamen eo instanti, quo obedit, nullam obedientiam debet, cum iam non sit eius subditus.

**6** Confirmarique potest, & ampliùs explicari primò exemplo quodam desumpto ex Generali Societatis I E S V, qui ex facultate Pontificum potest Professo cuilibet Societatis facultatem concedere ex causâ transeundi ad alium Ordinem etiam laxiorem. Nemo autem dicet, quòd possit etiam ex causa obligare subditum sub præcepto, vt transeat ad alium Ordinem, & in eo Professionem faciat: cuius nulla alia videtur esse potest ratio, nisi quia non potest suo subdito præcipere, nisi quæ subditus manens subditus potest exequi. Professio autem in alio Ordine non est talis, quia eo ipso, quòd validè fiat, eximit Professum ab obedientia Prælatorum Societatis, & transfert in obedientiam Prælati alterius Religionis, in qua sit Professio. Idem ergo erit de præcepto acceptandi Episcopatum, cuius acceptatio non potest mandari executioni à manente subdito Generalis, qui eam præcipit.

**7** Confirmatur secundò alio exemplo desumpto ex potestate eiusdem Generalis Societatis, qui quidem iuxta constitutiones à Sede Apostolica confirmatas, & iuxta Bullas Pontificias, potest subditos suos non Professos, ligatos tamen votis simplicibus, quibus veri Religiosi constituuntur, dimittere ex Societate liberos ab obligatione votorum. Quamuis autem possit Generalis iis subditis omnia præcipere, quæ intra Societatem possunt exsequi; & quamuis possit illos ex causa dimittere à Societate: non tamen potest iis præcipere, quæ includunt exemptionem, & liberationem à voto obedientiæ, v. gr. ante Bullam Gregorij XII.

qui eiusmodi Religiosos Societatis nondum Professos, sed votis post nouitiatum ligatos, reddidit inhabiles ad matrimonium contrahendum, potuerant ij quidem non licitè, sed tamen validè matrimonium contrahere. Nemo tamen dicet, quòd potuisset tunc Generalis subdito suo ex causis etiam iustis præcipere in virtute obedientiæ, vt duceret vxorem. cuius eadem videtur esse ratio, quia ipsamet obedientia, & consensus in matrimonium transferret subditum in alium statum impossibilem cum statu regulari; quare non poterat obedientia debita Prælato Societatis extendi ad præcipiendum consensum in matrimonium, quo ipso consensu redderetur subditus inhabilis vt maneret sub obedientia Societatis. Hoc autem ipsum videtur procedere in casu nostro, in quo Episcopus contrahit matrimonium spirituale cum sua Ecclesia, vt supponitur in cap. inter corporalia, de translatione Episcopi, per quòd spirituale matrimonium, & per consensum præstitum electioni factæ à Pontifice, eximitur ipso facto Religiosus à subiectione debita suis Prælatibus regularibus: non ergo poterit magis Generalis obligare subditum ad eum consensum, quàm potuisset olim Generalis Societatis ex voto religiosæ obedientiæ obligare subditum ad consensum in matrimonium corporale, cum eadem videatur esse ratio de vtroque.

Adde, formulam, sub qua votum hoc 8 emittitur in illo Ordine, esse strictissimam. Primò, quia fit simul, & eodem tenore cum aliis tribus votis solemnibus, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ; quare non est votum simplex, vt in Societate I E S V (in qua votum non acceptandi Episcopatum est votum simplex, & emittitur post Professionem solemnem alio tempore, & loco,) sed est solemne, additum aliis tribus solemnibus, vt de quarto voto Professorum Societatis obedientiæ Summo Pontifici circa missiones, propter easdem rationes probant esse solemne, Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 6. cap. 5. num. 38. & Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 5. puncto 3. n. 5. Deinde constat, illud votum, de quo erat quæstio, proferri per strictissima verba: non enim dicunt: Voueo non acceptare, nisi coactus obedientia, &c. prout dicunt Professi Societatis; ex quibus verbis (vt notat Suarez vbi supra, lib. 2. cap. 8. num. 16.) potuisset aliquis colligere, quòd sufficiat obedientia simplex sine præcepto sub peccato: & tamen ipse, & alij dicunt, requiri præceptum obligans sub peccato. At verò illud



illud aliud votum de quo agebatur, dicit, *nisi adstringar præcepto*, &c. quod verbum *præcepti* significat obligationem sub peccato, vt declaratur in Clementina, *Exiui, de verb. significat. & in cap. exiit, eod. tit. lib. 6.* & notat Suarez cum aliis *lib. 3. de legibus, cap. 26. num. 5.*

9 Responderunt aliqui primò, verba illa, *nisi adstringar præcepto*, &c. verificari sufficienter posito præcepto Generalis. non enim dicit, *nisi adstringar præcepto eius, qui id præcipere possit*; sed dicit, *nisi adstringar præcepto eius, qui præcipere possit*. Quamuis autem Generalis non possit id præcipere; potest tamen alia præcipere, quare iam interuenit præceptum eius, qui ei præcipere potest in aliis materiis. Hæc tamen responsio subsistere non potest. Primò, quia, si id sufficeret, posset etiam sufficere præceptum Prouincialis, vel Prælati localis, nam hi etiam præcipere possunt in aliis materiis. Consequens autem ex se affert absurditatem, quòd Prioris, vel Prælati localis præceptum sufficiat ad acceptandum Episcopatum, non obstante voto solemniter non acceptandi. Secundò, quia ex subiecta materia constat, verba illa intelligenda esse in sensu formali de præcepto eius, qui in hac materia præcipere possit, cum potestas præcipiendi solum in aliis materiis per accidens se habeat ad præceptum hoc, quod superat potestatem præcipientis. Tertiò, hoc ipsum manifestè constat ex illis verbis, *nisi adstringar præcepto*, &c. Nam præceptum non potentis hoc præcipere, non potest adstringere, cum non possit obligare: non ergo acceptabit adstrictus præcepto, & per consequens violabit votum.

10 Propter hæc responderunt secundò, Generalem quidem ex se non posse hoc præcipere; posse tamen facultate ipsi data ab ipso subdito vouente tali verborum formula, qua satis significat, se nolle acceptare sine præcepto sui Generalis, atque aded subdit se Generali in hac etiam materia, quæ aliunde non comprehendebatur in materia obedientiæ religiosæ.

11 Hæc responsio apertè impugnatur. Primò, quia si tota hæc potestas præcipiendi prouenit Generali ab ipso subdito, qui eo peculiari voto eam illi communicat, deberet etiam subditus in ipsomet voto explicare, cuiusnam Prælati in hac materia se subdat; an soli Generali, an etiam Prouinciali, vel Priori, aut Prælati locali, quod tamen vouens non explicat, vt constat ex formula voti.

12 Secundò à priori, quia subditus in rigore

non potest hanc potestatem præcipiendi in rigore communicare. Potest quidem subditus vouere, & promittere Deo, quòd in ea materia faciet id, quod Generalis ei faciendum dixerit, & ad hoc poterit se ex virtute Religionis obligare, contra quam peccabit id non faciendo, si tamen melius sit id facere, quàm non facere. Non tamen potest dare suo Generali potestatem ei propriè, & in rigore in ea materia præcipiendi. Sicut etiam Papa posset ex priuata deuotione promittere Deo, se petiturum consilium in aliqua materia à viro aliquo religioso, & id facturum, quod ipse consulisset, si melius id iudicaret. Per hoc tamen non constitueret Papa superiorem suum virum illum religiosum etiam in illa materia (hoc enim facere non potest, nec fieri subditus alterius quandiu maneat Papa,) atque aded si votum violasset, peccaret quidem contra Religionem, & votum, non tamen contra obedientiam, aut præceptum proprium, cum Religiosus ille non possit Papæ præcipere. Sic in casu nostro subditus peccabit contra votum, si voluit se obligare ad faciendum id, quod Generalis dixerit: non tamen peccabit contra præceptum, cum ipse non possit Generali communicare potestatem præcipiendi in illa materia, quam potestatem Generalis ex iure, & munere suo à Summo Pontifice non habet, atque aded non acceptabit Episcopatum adstrictus præcepto Generalis, sed voto acceptandi, quando Generalis id dixerit; quod tamen constat esse contra mentem vouentis, qui non vult acceptare, nisi adstrictus præcepto potentis propriè præcipere.

Tertiò denique id constat ex formula ipsius voti, promittit enim, quòd non acceptabit, *nisi adstringar præcepto eius, qui iure præcipere possit*: non dicit, *præcepto eius, qui ex mea facultate præcipere possit*, sed, *qui ex iure præcipere possit*, hoc est, qui ex lege, & officio suo habet potestatem præcipiendi in hac materia. Solus autem Papa potest ex iure id præcipere Religioso exempto; ergo solius Papæ præceptum sufficit, & requiritur, vt ille Religiosus possit acceptare.

Nunc respondeamus breuiter ad auctoritatem, & exempla in contrarium adducta, & in primis Emanuel Rodericus *tom. 2. dicta quest. 58. art. 1.* loquitur solum de Professis Societatis, de quibus dicit debere acceptare Episcopatum, si eorum Prælati eos ad hoc obliget, quia ita ordinavit Paulus III. in sua Bulla. Vnde magis

magis videtur ibi esse pro nostra sententia: si enim ad hoc, vt Generalis possit eos obligare ad acceptandum Episcopatum, necessaria fuit Bulla Summi Pontificis, non potuisset Generalis id præcipere. Sed re vera hic Auctor deceptus fuit, nec satis benè notum habuit Societatis institutum: nam Paulus in sua Bulla data anno 1549. loquutus fuit de omnibus personis Societatis Professis, & non Professis, & dixit, eos omnes non posse acceptare Episcopatum sine consensu Generalis, nullà facta mentione præcepti; quia tunc temporis nondum fiebat hoc votum non acceptandi Episcopatum in Societate, imò nec constitutiones Societatis factæ fuerunt vsque ad annum 1553. votum verò hoc introductum fuit postea mortuo iam S. Ignatio. Quare Paulus III. non dedit Generali facultatem id præcipiendi, sed consentiendi, ita vt sine eius consensu subditi non possent acceptare. Quando verò idem auctor *in summa tom. 4. cap. 68. num. 2.* dixit, posse Religiosos ad hoc à Prælato obligari, non expressit à quo Prælato, id enim debet intelligi de Prælato supremo, nempe Summo Pontifice, nec S. Thomas, quem *ibi* affert, eam facultatem tribuit Prælati Regulari, vt mox videbimus. Sed de mente illius auctoris non est locus dubitandi, cum ipse postea *tom. 3. quest. regul. q. 19. art. 8.* ex professo hoc dubium tractauerit, & concludit, Prælatos Regulares non posse id suis subditis præcipere, quia hoc esset eos inuitos extra Ordinem trahere. Fateretur tamen, posse eos obligare, vt ad Indos transeant, & acceptent Episcopatum, *si à Summo Pontifice præcipiantur, cum Summo Pontifici incumbat cura vniuersalis boni communis.* Hæc sunt verba, & hæc est mens expressa illius Auctoris.

15 Henriquez etiam non benè affertur pro illa sententia: nam in illo *lib. 7. de Indulgentiis, cap. 22.* nihil dicit, in alio tamen loco, nempe *lib. 10. de Sacramento Ordinis, cap. 32. num. 2.* dicit, aliquos benè vouere non acceptare Episcopatum sine præcepto Generalis, vel Pontificis, quod non est ad rem nostram, cum in voto, de quo agimus, nulla fiat mentio Generalis, sed illius solum, qui id iure præcipere possit. Porrò idem Henriquez etiam eo casu, quo mentio facta fuisse in voto de præcepto Generalis, videtur dubitare de eius potestate ad præcipiendum; nam statim subiungit, Generalem vix vnquam posse id præcipere, & ratio-

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

nem reddit in glossa, quia non potest præcipere, quæ non pertinent ad statum regularem, & quamuis ibi afferret Sotum *lib. 10. de Iustitia, quest. 2. ad 2.* quasi contrarium sentientem; Sotus tamen ibi nihil tale significat.

Immeritò etiam affertur S. Thomas, <sup>16</sup> qui *dicta quest. 185. art. 2.* nomine Prælati superioris, non intelligit Prælatum Regularem, sed Prælatum potentem id præcipere, quicumque ille sit. Supponit enim S. Doctor, non solum Summum Pontificem id posse præcipere, sed etiam alios, vt Archiepiscopum, & Primatem, vt colligitur clarè ex eius doctrina *in responsione ad 2.* vbi dicit, Superiorem obligantem suum subditum ad acceptandum Episcopatum, aliquando posse ab eo auferre impedimentum irregularitatis (qui est solus Papa,) aliquando non posse, vt est Archiepiscopus. Non ergo loquitur de Prælato regulari, sed de sæculari, qui potest id præcipere suis subditis sæcularibus non exemptis: in quibus non procedit eadem ratio, quæ in subditis Regularibus, quibus Prælati Regulares non possunt præcipere, quæ non sunt iuxta institutum, & disciplinam sui Ordinis.

Ad exempla denique, quæ afferuntur, <sup>17</sup> dico in primis, si quid probant, nimum probare, nimirum non solum Generalem, sed alios Prælatos inferiores posse id præcipere, cum exempla illa non sint de præcepto Generalis. Vnde Lezana *1. tomo cap. 4. num. 18.* dicit, illos subditos laudabiliter quidem fecisse obediendo, non tamen ex obligatione. Non sunt ergo ad rem nostram, quia illi subditi non habebant votum non acceptandi Episcopatum sine præcepto obligante sub peccato. Sic etiam S. Ignatius noluisset acceptare Generalatum Societatis ante præceptum sui Confessarij, vt legitur *in eius vita*; & S. Franciscus imponebat Socio, vt ei præciperet. Si tamen habuissent votum expectandi præceptum obligans sub peccato, non fuissent contenti præcepto illo Confessarij, vel Socij. Sic ergo illi venerabiles viri ad acceptandum Episcopatum acceperunt pro præcepto iussionem sui Prouincialis, cui possent sine peccato inobedienciæ resistere, saltem per principia extrinseca, cum sit ad minus communis Doctorum sententia, vt vidimus, non posse ipsum etiam Generalem ad id obligare. Quòd si Prouinciales illi addiderunt censuras, excusandi sunt

K propter

propter consuetudinem, quam habebant præcipiendi sub censura in rebus grauioribus. Sicut etiam aliquando in meris licentiis solent addere præceptum in virtute sanctæ Obedientiæ ad maius subditorum meritum augendum.

18 Addo, id, quod referebatur de Bartholomæo à Martyribus, noluisse ipsum acceptare Archiepiscopatum Bracarensem ante præceptum sui Prouincialis, videri vel falsum, vel dubium, vt constat ex Reuerendissimo Ioanne Lopez Episcopo Monopolitano in 4. p. *Chronica Ordinis Prædicatorum*, lib. 3. cap. 27. vbi dicit, ipsum statim absque excusatione acceptasse Archiepiscopatum illum à Regina Lusitanæ sibi oblatum. Vnde constat, minus accuratè loquutum Barbofam 1. parte de officio, & potestate Episcopi, tit. 2. gloss. 1. num. 25. vbi dicit, illum coactum iussu Superioris acceptasse, sed statim obtinuisse à Summo Pontifice facultatem renuntiandi, & rediisse ad Conuentum: quod est omninò falsum, nam vixit in eo munere vsque ad extremam senectutem, vt constat ex loco citato. Quamuis autem idem Ioannes Lopez postea eodem lib. 3. cap. 37. sibi contrarius dicat, iussum fuisse à suo Prouinciali sub excommunicatione acceptare: addit tamen cautè idem Auctor, quòd illius Prælati verbis territus, nec volens videre, aut disputare, an Prælati posset id præcipere, cessit, & acceptauit; quibus verbis satis indicat potuisse non acceptare ob defectum potestatis Prælati præcipientis. Certum mihi est, quòd non acceptasset, si adstrictus fuisset voto non acceptandi sine præcepto potentis ad id propriè, & rigorosè obligare.

19 Propter hæc ergo, & alia, quæ producta fuerunt, scilicet record. Urbanus VIII. Congregationem peculiarem distinauit ex variis Prælati, & Theologis, ac Iurisperitis doctissimis, qui re plenè examinata dixerunt, Generalis præceptum in casu nostro non sufficere. Id quod idem Pontifex proprio motu litteris suis Apostolicis editis 26. Februarij anno 1643. & in locis publicis de more affixis, & publicatis declarauit. Quare, si quando aliter in hoc puncto sentiendi facultas fuit, prout sensisse videretur Villalobos in *summa tract.* 35. difficultate 40. & si quis alius ita sensit, iam nunc post Sedis Apostolicæ declarationem nemini fas est aliter opinari. Tenor autem litterarum Apostolicarum, quia non omni-

bus fortasse copia data fuit illas videndi, talis est.

## VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

**H**onorum, dignitatūque vana ambitio hæc quorundam Regularium mentes interdum excacat, vt ab eo, quòd abnegantes semetipsos sponte vouerunt, postmodum inanis gloriæ cupiditate ducti resilire conentur, cum tamen dicat Propheta, Vouete, & reddite vota vestra Deo. Quamuis igitur, vt accepimus, tam fratres Discalceati S. Augustini, & B. Mariæ de Monte Carmelo, etiam Discalceati Ordinum, quàm Clerici Regulares ministrantes infirmis respectiue nuncupati, & nonnulli aliorum Ordinum, seu Congregationum Regulares, etiam Societatis IESV, & alij Regulares etiam indiuiduam expressionem requirentes, aut in ipsa Professione vnà cum tribus essentialibus votis, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ, aut ante, vel post Professionem prædictam siue solempne, siue, vt dicunt, simplex votum, in manibus tamen Superioris Regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, seu Prælationem, vel Prælaturam extra Religionem, nisi coacti, vel adstricti fuerint præcepto eius, qui sibi iure præcipere potest, & aliqui addant etiam illa verba, videlicet, sub pœna peccati, iuxta formam suarum constitutionum à Sede Apostolica confirmatarum; nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus etiam translati ad Ordines Regularium, etiam Mendicantium, qui prædictum, aut simile votum non emittunt, retrò adspicientes, emissisque à se voti huiusmodi immemores, Prælationes, seu Prælaturas, vel dignitates ambiunt, imò etiam Episcopatus, maiorūque dignitatum solum conscendere moluntur, prætendentes, quòd suis superioribus Regularibus, præsertimque Generalibus, liceat eis præcipere, vt dignitatem, Prælationem, seu Prælaturam, vel Episcopatum, maioremve dignitatem extra Religionem acceptent, aut ipsum votum relaxare, & cum ipsis desuper dispensare, licet per præcepta, & dispensationes huiusmodi ipsi ab obedientia præcipienti, seu dispensanti debita eximantur, ac etiam si vota prædicta, tanquam emissa in manibus superioris Regularis dicantur solempnia, vel saltem efficaciam voti solempnis habeant, Regulariumque constitutiones sint confirmatæ auctoritate Apostolica, & cum decreto irritante, à quo propterea manus quorumcumque inferiorum

inferiorum ligata existunt. Quapropter Nos ambitum hunc retundere, & prætensionem huiusmodi excludere, ac etiam omnem dubitationem super præmissorum interpretatione à nonnullis excitatam Apostolicæ declarationis auctoritate penitus tollere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris; deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetua nostra constitutione declaramus, super prædicto voto, etiam per translatos ad Ordinem, seu Congregationem Regularem capacem, ante translationem emisso de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis Ordinibus, seu Congregationibus Regularibus, aut Societate prædicta respectiue aliqua dignitate, seu prælacione, vel Prælatura, siue aliquo Episcopatu, aut maiori dignitate, neminem superiorem Regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seu Congregationem Generalem, nec etiam Nuncium Apostolicum, aut prædictorum Ordinum, seu Congregationum Protectorem, etiam S. R. E. Cardinalem, nec etiam Legatum Sedis Apostolicæ etiam de latere, nec quemlibet alium etiam speciali, & indiuidua mentione dignum, sed tantummodò Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut aduersus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aut aliquod præceptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus vouentibus facere, cuius vigore prædicti Religiosi illas, & illos procurare, vel acceptare possint, aut teneantur, aut aliàs quomodolibet vouentes prædictos à prædicto voto liberare. Prout pariter declaramus, quasque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel aduersus illa præcipiendi, aut aliàs quomodolibet vouentes habilitandi, etiam in foro conscientie dumtaxat, siue per dictas constitutiones à Sede Apostolica confirmatas, siue per litteras etiam in forma Breuis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, aut nostras, vel successorum nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationes, seu contemplationes quorumcumque, etiam Imperatoris, Regum, & Principum, seu Rerumpublicarum, ac prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatis, aut vigore cuiuscumque Iubilei, etiam vniuersalis, vel Cruciatæ sanctæ, aut sanctæ Inquisitionis, seu missionum; & aliàs quouis modo, & ex quacumque causa quantumlibet pia, fauorabili, publica, & privilegiata

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

concessa, & emanata, concedendaque, & emananda, nunquam, ac pro tempore competentes ad præmissa omnia, & singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris dumtaxat reseruaata, prout tenore præsentium decernimus, & reseruamus. Decernentes quoque easdem præsentis litteras etiam ex eo quòd prædicti Regulares, & alij quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi, causaque propter quas illæ emanarunt sufficienter, aut nullatenus adductæ, seu probatæ fuerint, de surreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quoquam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, prætextu, colore, & capite notari, impugnari, rescindi, in ius, vel controuersiam reuocari nunquam posse, sed easdem præsentis litteras semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & inuiolabiliter obseruari, sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quosuis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si scetus super his à quocumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, & quatenus foret opus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de iure quasito non tollendo, nec non quorumuis Ordinum, & Congregationum Regularium, dictaque Societatis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Societati, illorumque superioribus, fratribus, Clericis, & personis, ac generaliter quibusuis aliis etiam indiuiduam mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis;

K 2 1037

confirmatis, & pluries innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur, presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut presentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo persona alicuius in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, qua presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 26. Februarij 1643. Pontificatus nostri vigesimo.

M. A. MARALDVS.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi 1643. indictione 11. Pontificatus vero S. D. N. Urbani diuina providentia Papæ VIII. anno eius vigesimo, die vero 11. mensis Martij, supradictæ litteræ Apostolica affixa, & publicata fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Iosephum Masseum eiusdem Sanctissimi D.N. Papæ Cursorem.

FRANCISCVS ANGELICVS  
Mag. Curs.

D V B I V M V.

*An Summus Pontifex cogere possit Religiosum suo præcepto ad acceptandum Episcopatum.*

**H**oc dubium meritò annectitur præcedenti, in quo diximus, neminem præter Summum Pontificem, posse suo præcepto obligare Religiosum ad Episcopatum acceptandum. De ipso autem Summo Pontifice dubitatum aliquando fuit, an id possit absolūtè, & constanter præcipere subdito Religioso acceptare renuenti.

Pro negatiua sententia videntur esse aliqua decreta antiqua, & præsertim verba Simplificij Papæ relata in cap. ubi ista,

dist. 17. in quo Pontifex acriter reprehendit Episcopum Rauenam, quòd Presbyterum quemdam inuitum ad Episcopatum promouerit, & concludit his verbis: Denuntiamus autem, quòd si posthac quicquam tale præsumpseris, & aliquem, seu Episcopum, seu Presbyterum, seu Diaconum inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauenatis Ecclesiæ, vel Emiliensis conueris auferendas. quod idem ex Concilio Aurelianensi III. cap. 7. refertur cap. 1. ead. dist. 74. his verbis: Episcopus, qui inuitum, aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat. quod videtur etiam supponere Gregorius relatus in cap. gesta, dist. 74. vbi de eo, quem inuitum volebant aliqui ad Sacerdotium promouere, subiungit: & sicut iustum est, ut nemo crescere compellatur inuitus, ita censendum puto similiter, ne quisquam insons ab Ordinis sui ministerio deiciatur iniuste. quæ decreta, dicunt aliqui, in hoc saltem sensu locum habere, vt si subditus non solum initio fugiat, & renuat, sed postea etiam constanter, vel obstinatè in sua renitentia perseueret, nullo modo sit cogendus. Ita expresse docuit glossa in cap. ante omnia, verb. mihi, dist. 40. & in cap. sicut is, verb. renuit, l. q. 6. & in cap. displicet, verb. inuiti, 23. q. 4.

Pro affirmante tamen parte sunt alia clarissima decreta: nam in primis in Concilio Carthagin. relato in cap. 3. & 4. dist. 74. de iis qui resistunt promotioni ad superiorem gradum, sic statuitur. Placuit, ut quicumque Clerici, vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiasticarum rerum, (vel, vt alij legunt, Ecclesiarum) non obtemperauerint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in Ecclesia sua promouere; nec illic ministrent in suo gradu, vnde noluerunt recedere. Hoc ipsum supponit Gregorius Magnus 1. p. Pastoralis, cap. 6. vbi de nolentibus hæc munerata acceptare sic ait. Quorum profectò humilitas si ceteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad reputandum hoc quòd utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est, qui superbi nutus arbitrio, vt debeat præesse intelligit, & tamen præesse contemnit. Sed diuinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si iam donis præuentus est, quibus & aliis prosit, & ex corde debet fugere, & inuitus obedire. Idem significat Augustinus relatus in cap. displicet, 23. quæst. 4. vbi vsum Ecclesiasticum refert, vt hæretico suadeat, posse absque

absque iniuria illum cogi ad hæresim relinquentem, exemplo eorum, qui ad Episcopatum suscipiendum coguntur. Sed neque hoc (inquit) putas tibi fieri debuisse, quia neminem existimas cogendum esse ad bonum. Attende, quid dixerit Apostolus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Et tamen tam multi, vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni. Quanto magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis, trahendi estis, & perducendi ad veritatem vel cognoscendam, vel eligendam, non solum vt honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessimè pereatis? In quo etiam sensu idem Augustinus relatus in cap. vos autem, 16. quæst. 1. Monachos quosdam sic alloquitur: Vos autem fratres exhortamur in Domino, vt propositum vestrum custodiatis, & vsque ad finem perseueretis: ac si quam operam vestram Mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis; sed mihi corde obtemperetis Deo cum mansuetudine, portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inueniretis. Quare glossa in cap. Catinensis, dist. 61. verb. compellat, apertè fatetur, posse aliquem cogi ad Episcopatum acceptandum.

Hanc sententiam docent omnes Theologi communiter cum S. Thoma 2. 2. quæst. 185. art. 2. Bonaventura super regulam cap. 2. circa medium, vbi loquens de Religiosis, sic ait. Si coacti ab Ecclesia huiusmodi inuitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab Ordine egressi, si quantum in ipsis est, semper appetant in sinu Ordinis confoueri. Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 6. cap. 8. num. 3. S. Antoninus 3. p. titul. 20. cap. 2. §. 6. Richardus quodlib. 3. quæst. 21. Syluester in Summa, verb. electio 1. q. 19. Armilla ibi num. 3. Summa Angelica ibi num. 30. Miranda in manuali Prælatorum, tom. 2. quæst. 23. art. 31. Lezana tom. 1. cap. 4. num. 18. Valentia, Corduba, Ludouic. Lopez, & Roderic. quos affert, & sequitur Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 8. num. 38. & lib. 6. cap. 2. num. 49. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 76. & alij communiter; quam doctrinam certam omninò puto, nec in genere loquendo posse de ea dubitari, quamuis in aliquibus circum-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

stantiis possit dubitari de obligatione talis præcepti, vt postea videbimus.

Potest autem probari primò à posteriori ex voto quod multi Religiosi emittunt non acceptandi Episcopatum, nisi adstringantur præcepto Summi Pontificis, vt vidimus dub. præcedenti, quod votum & eius formula continetur in eorum constitutionibus approbatis, & confirmatis à Sede Apostolica. Effet autem votum illud vanum, & ridiculum, si Summus Pontifex non posset obligare ad acceptandum Episcopatum: si enim non posset subditus adstringi à Summo Pontifice id præcipiente, dicere, nisi adstringar præcepto Summi Pontificis, perinde esset ac dicere, nisi Cælum terram retigerit, cum vtrumque esset impossibile. Damnare autem illam vouendi formulam à Sede Apostolica approbatam, & confirmatam, non careret maxima temeritate.

A priori autem ratio ea esse videtur, quam prædicti Doctores reddunt, quia scilicet Ecclesiæ debet in se habere potestatem necessariam ad sui gubernationem, & conseruationem, ad quam necessaria est potestas cogendi aliquando ad hæc munera acceptanda. Sicut potestas sæcularis, & ciuilis propter bonum publicum cogere potest ciues ad munera publica obeunda, vt constat ex l. si magistratum, Cod. de decurionibus, lib. 11. & toto tit. de excusat. muner. eod. lib. quod multo magis in Republica Ecclesiastica necessarium est, in qua qui meliores, & aptiores sunt ad Prælaturas Ecclesiasticas, magis eas effugient, & dignitates abhorrebunt, prouiderunt plures sanctissimi viri, quorum alij omninò eas refutarunt; alij non nisi coacti acceptarunt; debet ergo esse potestas in Ecclesia ad eos obligandos, ne careat Pastoribus & Prælatibus.

Tertiò denique afferri possunt multorum exempla, quos Summi Pontifices, præcepto formali imposito, coegerunt ad eiusmodi dignitates acceptandas, à quibus omninò abhorrebant. Sic legimus de B. Laurentio Iustiniano, qui quantum potuit, Episcopatum recusauit, donec resistere non potuit Eugenio Papæ ter iubenti, vt refert Bernardus Iustinianus in eius vita, cap. 4. in fine. Idem legimus de S. Antonino Archiepiscopo Florentino, quem omninò recusantem Eugenius IV. Papa suo præcepto coegit ad assentiendum, vt refert Platius de bono status religiosi, lib. 1. cap. 38. Idem fecit Martinus Papa V. cum venerabili, & laudatissimo Patre Nicolao Alberigato, Monacho Carthusiano, & Episcopo



Bononiensi, quem recusantem, & renuentem non potuit, nisi obedientiæ præcepto, & sub excommunicationis pœna cogere ad Cardinalatum acceptandum; quo etiam præcepto, & excommunicationis pœna coactus fuit à Clemente VIII. Cardinalis Bellarminus ad eandem dignitatem acceptandam, vt omittam Cardinalem Franciscum Toletum, & alios, quibus Summi Pontifices similia præcepta imposuerunt, probantes re ipsa, se in se ipsis hanc potestatem agnoscere: quam etiam in me ipsum omnium nouissimum exercuit foelic. record. Vrbanus Papa VIII. cui vsurpanti verbum illud *mandamus*, post repetitum sæpius illud verbum, ego quidem aliquandiu non acquieui; sciebam quippe non deesse, qui de obligatione saltem graui eo verbo significata dubitent, quos refert Thomas Sanchez lib. 6. in *Decalog. cap. 4. num. 35.* donec expressè dixit, se quia proculdubio pollebat potestate suprema, *præcipere* id mihi præcepto formali in virtute sanctæ Obedientiæ, quod in exemplum sit potestatis ad præcipiendum, & obligandum sub peccato graui, quam in hac materia Pontifices Summi credunt sibi competere.

8 Restat nunc ad auctoritates in contrarium adductas breuiter respondere: ad quas aliqui dicunt, non posse inuitum cogi ad acceptandum Episcopatum, quia sine eius consensu non erit valida ordinatio; posse tamen cogi præcepto vt consentiat. quæ quidem doctrina in se vera est, sed aliqua loca ex ibi adductis plus aliquid volunt. Quare pro eorum intelligentia distinguendum est inter eum, qui ita inuitus est, vt non consentiat interius, qui proculdubio non est ordinandus per vim, cum esset irrita ordinatio: & inter eum, qui resistit electioni, & à quo petitur consensus; qui quidem, si non potest ab eo facile obrineri, tentanda erunt pro gradu necessitatis diuersa media: aduertunt enim in hoc puncto Sanchez *dicto lib. 4. in Decalog. cap. 8. num. 39.* & clarius *lib. 6. cap. 2. num. 49. in fine*, iuncto *num. 48. in fine*, Suarez *dicto tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 6. cap. 8. num. 3.* debere ad hoc præceptum imponendum interuenire Ecclesiæ necessitatem, cuius ratio esse potest, quia præceptum de re ad eò graui, & periculosa non videtur posse pro libito imponi, sed ex necessitate boni publici, propter quam, & vt Ecclesia rectè gubernari possit, & ne careat ministris, & Prælati ad ea munera idoneis, eiusmodi

potestas cogendi Ecclesiæ collata censetur, vt *suprà* vidimus. Quare ea causa cessante, videretur superior abuti collata ibi potestate. Nomine tamen *necessitatis* ego intelligerem magnam etiam Ecclesiæ vtilitatem, qua Ecclesia careret, si talis persona ad Prælaturam non assumeretur, quia hæc etiam publica vtilitas bono priuato præferenda est.

Hinc ergo ad singula loca *suprà* adducta 9 responderi facile potest. Ad primum *ex cap. vbi ista, dist. 74.* constat ex ipso textu ibi non fuisse impositum præceptum, sed per violentiam fuisse subditum in Episcopum consecratum, quod factum Archiepiscopi meritò reprobatur Summus Pontifex. Primò, quia ibi nulla erat necessitas, vt significat illis verbis, *non dilectione, sed inuidia, & rursus, non per animi tranquillitatem, sed per amentiam.* Secundò, quia etiam si intercederet necessitas, non erat ad violentiam deueniendum, sed tentanda alia media, vt ex nolente fieret volens, & tandem veniendum ad præceptum, cui si non obediret, posset tanquam inobediens puniri, prout puniendus dicitur *dicto cap. 4. eadem dist. 74.* numquam tamen vis inferenda propter indecentiam, & propter periculum, ne fortè ordinatio esset irrita ob defectum consensus interni ex parte illius, qui ordinatur. In quo etiam sensu intelligitur decretum *suprà* relatum *ex cap. 1. eadem dist. 74.* vbi puniuntur *Episcopus, qui inuitum, aut reclamantem præsumpsit ordinare*, vbi non est sermo de Episcopo præcipiente, sed de ordinante per vim eum, qui actu inuitus est, vel reclamans.

Colligi autem potest horum decretorum mens ex Gelasio Papa relato *in cap. consuluit, ead. dist. 74.* vbi Pontifex consultus à Victore Episcopo, quid facere deberet in sua Ecclesia, in qua Diaconi volebant transire ad gradum Presbyterij, cum tamen Ecclesia pluribus Presbyteris indigeret. Ad quod Pontifex respondet his verbis. *Quapropter quia inuitos fieri ecclesiastica moderatio, grauitasque non patitur; vt ex nolentibus fiant volentes, ordinatio illa potest perficere; si quos habes vel in Acolythis, vel Subdiaconis maturiores ætate, & quorum sit vita probabilis, hos in presbyteratum studeas promouere, vt qui in suis Ordinibus proficere noluerint, reddantur suis inferioribus post minores; ipsaque commoda Presbyteri propensius, quam Diaconi consequantur: vt hæc saltem ratione constricti, & honorem, quem refugerant, appetere*

*appetere nitantur, & questum.* Vbi vides prudentiam Summi Pontificis, qui in primis non vult violentiam iniici contra modestiam, & grauitatem Ecclesiasticam. Deinde vult, quòd suauiter reddantur volentes, & consentientes, dum vident alios inferiores in gradu honoris, & in emolumentis præferri. Nec consuluit, vt præcepto cogeret ad consensum, quia non apparebat tanta necessitas, cum possent ad Diaconatum, & Sacerdotium aliqui ex Subdiaconis ætate, & meritis prouecti, vel etiam ex Acolythis ad sacros Ordines, & Sacerdotium promoueri. Si tamen nulla esset alia via ad prouidendum Ecclesiæ necessitati, non dubium, quin posset etiam ad præceptum perueniri.

11 Denique hinc constat responsio ad verba Gregorij *in d. cap. gesta, eadem dist. 74.* vbi dicit, *iustum esse, vt nemo crescere compellatur inuitus*, pro cuius intelligentia sciendum est, ibi sermonem esse de quodam Honorato Archidiacono Ecclesiæ Salonitanæ, cuius causa refertur ex professo ab eodem Gregorio *in cap. Honoratus, ead. dist. 74.* quem Natalis Episcopus volebat ad Sacerdotij gradum promouere, non quidem necessitate ductus, vel zelo boni publici, sed ex affectu priuato, vt eum ab Archidiaconatu remoueret, in quo munere se eidem Episcopo Ecclesiæ bona dissipanti constanter opponebat. Quapropter Gregorius Archidiaconi causam suscipiens, Episcopum per specialem delegatum à proposito absterret, pœnam etiam priuationis pallij, & excommunicationis comminatus, nisi à proposito desistat. nam, vt *suprà* diximus, necessitas, vel magna Ecclesiæ vtilitas iustificat eiusmodi coactionem, & præcepta: nec permittendum est, quòd Prælati superior ob rationes priuatas, & affectus inordinatos prætextu honorandi subditum, sed re vera, vt eum suo loco deiciat, & speciosè remoueat, compellat eum ad Episcopatum acceptandum: hoc enim esset abuti potestate data in bonum Ecclesiæ, & armare superiorem ad dehonorandos subditos sub specie maioris honoris.

12 Circa hoc tamen duo aduertenda sunt. Primum est, si Religioso habenti votum non acceptandi Episcopatum Summus Pontifex præcipiat, quòd acceptet, non debere formidare, ne fortè Pontifex affectu potius humano, & priuato ducatur, quàm vtilitatis Ecclesiæ; sed posse tutò acceptare, quia votum non fuit non acceptandi, nisi Pontifex ex causa necessaria id

præcipiat, sed solùm non acceptandi, sine præcepto Pontificis quomodocunque, & ex quocunque sine id præcipiat, vt expressè obseruauit Thomas Sanchez *dicto lib. 4. in Decalog. cap. 8. num. 39.* vbi pro eadem sententia affert Hostiensem *in summa tit. de voto num. 4.* & Abulensem *in cap. 30. Numer. quest. 58.*

Alterum notandum est, optimum esse 13 consilium eo casu, ne fortè subditus nimium obstinatus prætentat, sine causa sufficienti id sibi præcipi, vt aperiat subdito causa necessitatis, vel vtilitatis publicæ, vel certè in genere Pontifex testetur, & asserat, constare sibi de eiusmodi causis, cuius dicto tenetur subditus credere; nec debet eas causas in particulari exquirere: neque enim agitur de foro contentioso, & iudiciali, sed de materia ad rectam gubernationem Ecclesiæ pertinente; nec tenetur supremus Governator rationes semper explicare, quas ipse pro maiori rerum notitia, quam habet, cognoscit, quibus vti debet ad Ecclesiæ gubernationem. Sicut etiam Princeps sæcularis potest ex iusta causa aliquem ministrum ab officio remouere, quin teneatur ei causam reddere, quam interdum oportebit in occultò retinere. Nec apud sanctos viros inuenio vllum, qui Summo Pastori præcipienti, & constanter imponenti ei munus Episcopale, ausus fuerit post vnam, vel alteram excusationem obstinatè resistere. Exemplum potius Apostoli Petri sequendum est, qui licet, proposita propria indignitate, recusauerit semel, & iterum pedum abluitionem; vbi tamen Christus Dominus communicatione grauissimæ pœnæ constanter perseuerauit, totum se abluendum eius arbitrio commisit: quamuis facti rationem noluerit antea Dominus ei reddere, sed aliquandiu occultare verbis illis, *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea*; vt doceret fidendum, credendumque esse subditis, quamuis Summi Pastoris motiua, rationesque occultas penetrare, vel comprehendere non possint.

Hac tamen occasione vnum restare 14 potest dubium, an quæ dicta sunt de obligatione acceptandi Episcopatum præcipiente Summo Pontifice, locum habeant in Ordine ad acceptandum Pontificatum, quando aliquis legitime eligitur, nimirum per suffragia Cardinalium, concurrentibus in eius electionem duabus tertiis partibus Cardinalium præsentium in Conclau. Non quærimus autem, an votum non acceptandi Episcopatus, & dignitates, quod

in aliquibus Ordinibus religiosis emitti solet, impediatur acceptationem etiam Summi Pontificatus: de hoc enim puncto late, & bene tractat P. Suarez dicto tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 9. à num. 11. ubi iuxta formulam, qua votum hoc in Societate fit, dicit in primis, si iam aliquis è Societate ad Cardinalatum præcepto Pontificis transiit, posse postea Episcopatum, & Summum Pontificatum acceptare. Deinde addit num. 15. etiam si contingeret, Professum Societatis nondum Cardinalem, nec Episcopum, sed commorantem adhuc sub obedientia Generalis, eligi immediatè ad Summum Pontificatum, posse non obstante prædicto voto illum acceptare, quia votum non videtur ad illum casum extendi, propter multas rationes, quas ibi adducit, & doctissime ponderat. Dubium ergo nostrum non est, an possit, non obstante illo voto, acceptare, sed an debeat; hoc est, an electores, vel aliquis alius possint præcepto obligare electum ad acceptandum summum Pontificatum.

15 De hoc dubio non inuenio aliquid à Doctoribus definitum. Et quidem P. Suarez dicto num. 15. obiter unico verbo id attingit, sed in ambiguo reliquit: nam inter alias rationes, quibus probat votum illud Societatis non impedire acceptationem summi Pontificatus, hanc affert: *Neque enim, inquit, est credibile constitutionem Societatis voluisse limitare modum acceptandi electionem ad eò singularem, & ad totius Ecclesie bonum pertinentem, & qua eo tempore fit, in quo Ecclesia caret vniuersali Pastore, qui huic bono prospiciat, & vix potest moraliter fieri, ut præceptum de illa electione acceptanda imponatur, etiamsi maxima instet necessitas.* In quibus verbis non videtur omninò negare possibile eiusmodi præceptum, cum solum dicat, vix posse moraliter contingere, ut imponatur. quod si ab aliquo imponi potest, non apparet, à quo alio, nisi ab ipsis Cardinalibus, penes quos potestas residet ad electionem necessaria.

16 Vnde desumi potest ratio pro sententia concedente Cardinalium Collegio illam potestatem præcipiendi, & obligandi electum, quia; quamuis verissimum sit, Sede vacante non remanere penes Collegium Cardinalium potestatem iurisdictionis, quam habebat Summus Pontifex, sed solum potestatem ad eligendum successorem Pontificem, & alia quædam agenda, quæ expressè illis concessa sunt, ut cum aliis probat Suarez lib. 4. de legibus cap. 6. num. 7. & plures, quos congerit Diana p. 5.

tract. 2. de potest. & privileg. Cardinalium, resolut. 9. & constat ex cap. ubi periculum, de electione lib. 6. & ex Clementina ne Romani, eodem tit. Semper tamen intelligitur iis concessa potestas necessaria in Ordine ad eam electionem conficiendam, & breuiter expediendam, prout eam potestatem referre, & agnoscere videntur Suarez loco citato, & Baldellus tom. 1. lib. 5. disp. 7. num. 9. vnde Diana dicta resolut. 9. versus finem, cum Laurio concludit, mentem Pontificum in dictis constitutionibus fuisse non denegare Cardinalium Collegio necessaria, & signanter ea, quæ retardare possunt negotium electionis. Cum ergo possit ad electionis expeditionem maximè expedire, quòd electus non renuat, sed acceptet electionem, non videtur adempta Cardinalium Collegio potestas cogendi, sed potius hæc videtur inclusa in potestate eligendi iuxta vulgarem iuris regulam, ex l. 2. ff. de iurisdic. omnium iudicum, quòd illi, cui conceditur iurisdic. tio, intelliguntur concessa omnia, quæ necessaria sunt ad eam exercendam.

Quæ ratio confirmari magis potest ex 17 supradictis: nam inde probauimus potestatem Summi Pontificis ad cogendos suo præcepto subditos, ut Episcopatus acceptent, quia aliter non esset sufficienter Ecclesie prouisum, quæ indiget bonis Prælati ad suam rectam gubernationem, si non possit illos obligare ad hæc munera suscipienda; sicut etiam Respublica sæcularis obligare potest suos subditos ad munera publica, & Præfecturas suscipiendas, quia hæc potestas necessaria est ad rectam Reipublicæ gubernationem: videtur autem multò magis necessaria Ecclesie destinatio, & electio bona supremæ potestatis, ex cuius bonitate magna ex parte pendet bonitas, & salus totius corporis, & Reipublicæ Christianæ; ergo debuit Ecclesie dari potestas non solum ad eligendum, sed ad cogendum electum ad acceptandam electionem, sine qua potestate non poterit aliquando finis necessarius obtineri. Hæc autem potestas non potest per alios commode exerceri, nisi per illos, quibus competit ius eligendi, quod ius residet penes Collegium Cardinalium, quibus solis potestas hæc demandata est.

Ex alia parte difficile videri potest hanc 18 potestatem absolutam Cardinalibus concedere, nam eius exercitium nunquam expressè reperitur; quamuis enim nonnullos restitisse legamus suæ electioni, eos tamen precibus, & Cleri ac populi Romani instantia,

stantia, aliquando etiam per annum ferè perseueranti, ut in Victore III. anno 1086. per vim etiam ferè illatam ad consensum inductos, nunquam tamen præcepto coactos inuenimus. Ratio autem à priori videtur colligi posse ex dictis dub. præcedenti: quia nullus videtur reperiri in terra, qui id posset præcipere, cum nemo sit Summo Pontifice superior, cui ipse obedientiam debeat. Quamuis autem ante acceptationem non sit adhuc Summus Pontifex, atque ad eò sit subditus Ecclesie, & eius legibus, ac præceptis teneatur: in ipso tamen momento, quo acceptat, eo ipso definit esse sub vllius potestate, & iurisdictione, atque ad eò non apparet, quomodo eodem momento possit tanquam subditus exercere actum propriæ obedientiæ, & acceptare Pontificatum propter obligationem obedientiæ, quam obedientiam eo ipso instanti exercere non potest, cum iam tunc, si acceptat, nullius in terris sit subditus, nec possit alicui propriè obedire. quæ ratio, si quid probat, videtur etiam probare, nec id fieri posse ex præcepto sibi imposto à prædecessore suo; posset enim aliquis cogitare, quòd prædecessor ante mortem præciperet ei, ne resisteret suæ electioni, si fortè à Cardinalibus eligeretur: sed nec id videtur ad hoc satis esse, tum quia præcepta personalia à prædecessore imposita, eius morte expirant, iuxta communem Theologorum doctrinam: tum etiam, quia, quamuis id fieret, non simplici præcepto, sed lege, quæ de se est perpetua, & non finitur morte Legislatoris, ita ut propter Ecclesie bonum Pontifex viuens statueret, ut nemo legitimè electus posset assensum negare; adhuc repugnare videtur, quòd ex lege illa obligaretur ad assentiendum, cum eo ipso, quòd acceptaret, non esset eodem instanti subditus legibus suorum prædecessorum, sed par omninò illis, nec par in parem potestatem habeat præcipiendi, vel obligandi. Quare vnica videtur via ad illum obligandum, si nimirum prædecessor faceret, ut propter Ecclesie bonum, & maiorem libertatem electionis, omnes Cardinales iurarent, & promitterent se non restituros electioni, sed consensum præstituros; quia tamen Ecclesie necessitas non est tanta, ut remedio ad eò violento indigere credatur, meritò vsque adhuc adhibitum non est, nec in posterum adhibebitur, præsertim cum frequentius contingere possit quòd expediatur dissensus electi, ut electio aliqua minùs fortasse diligenter facta corrigatur

per spontaneum dissensum, & cessionem electi, quàm quòd necessaria sit obligatio antecedens ad consensum, ob cuius defectum vix vnquam electio dignioris caruit effectu: concurrente aliquando ipso Deo signis manifestis externis ad extorquendum consensum in eiusmodi casibus, ut contigisse legimus in electione Sanctorum Fabiani, & Gregorij.

Ex quibus ad rationes dubitandi supra 19 adductas posset aliquis respondere. Ad primam dicere posset, datam esse Cardinalibus potestatem omnem necessariam ad electionem Pontificis faciendam, hoc est, ut ex parte ipsorum sit valida, & legitima: non tamen datam ad obligandum electum; hanc enim potestatem nec ipsimet Pontifices auctores illorum decretorum habebant ad obligandos suos successores, ut vidimus. Quare non bene applicatur ad hoc regula illa communis ex leg. 2. ff. de iurisdictione omnium iudicum. Nam electoribus in hoc casu datur quidem tota potestas necessaria, quæ dari potuit, non tamen illa, quæ dari non poterat, cum ipsi in hoc casu non sint superiores electi, sed potius eo ipso quòd acceptet, sint ei inferiores; quare nec conferunt ei iurisdictionem, aut potestatem, sed destinant, & eligunt personam, cui Christus immediatè potestatem, & iurisdictionem conferat.

Ad confirmationem denique dici posset, etiam sine hac potestate præcipiendi 20 sufficienter esse prouisum Ecclesie, cum experientia tot sæculorum probauerit; nunquam ex huius potestatis ad præcipiendum defectu electionem aliquam Summi Pontificis ad bonum publicum necessariam effectu caruisse, supplente Deo, & manifestando suam voluntatem aliquando signis externis; sæpius verò per lumen internum, quo electus agnosceret ex variis circumstantiis, resistere se diuinæ voluntati, si in dissensu persisteret. Nec est eadem ratio in electione ad Episcopatus inferiores, qui, cum multi sint, & multis indigeant ministris optimis, frequentius contingere posset, quòd deficerent idonei ad tot Ecclesias: vix autem contingere potest non reperiri, nisi vnum, qui Summum Pontificatum bene & vtiliter gerere possit: ad quem tamen casum sufficit prouidentia Dei peculiaris, ad quem spectabit eius voluntatem flectere ad consensum, quæ Dei prouidentia specialissima non est ad casus communiter occurrentes alliganda, sed lege aliqua communi occurrendum erat. Non itaque nego, potuisse Christum hanc etiam

etiam potestatem Ecclesiæ relinquere, ut posset electum cogere præcepto ad accipiendum Summum Pontificatum, & quoad hoc relinquere illum subditum Ecclesiæ. Cùm tamen regula generalis sit, Summum Pontificem nullius in terris imperio subiaci, non videtur hæc exceptio admitenda sine magno fundamento, præsertim cùm in tot retroactis sæculis nullum inuenimus exemplum huiusmodi potestatis, aut præcepti impositi, sed si qui fuerunt reluctantes, & resistentes aliis artibus, & modis ad consensum præstandum fuerint inducti. Et hæc sufficiat breuiter de hoc puncto pro vtraque parte attigisse; quia tamen (ut verum fatear) ratione etiam secundo loco allata possent fortasse non difficile dissolui; ego in hoc puncto nihil definire audeo, sed casu occurrente, iudicio Ecclesiæ acquiescerem, quæ melius potestatem suam Deo illuminante agnoscere possit.

## D V B I V M V I.

*An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ possint saltem extra confessionem absolui à censuris Papæ referuatis.*

**N**ON quærimus nunc, an Bulla Cruciatæ pro Regularibus ad eligendum Confessarium, à quo sine licentia suorum Prælatorum absolui possint à peccatis referuatis, de hoc enim puncto dixi satis *disp. 20. de Pœnitentia sect. 9.* vbi ex Pontificum decretis, præsertim nouissimo Urbani VIII. comprobauimus, id fieri non posse, & *num. 195.* ostendi, id etiam extendi ad peccata mortalia non referuata, à quibus etiam non possunt Regulares sine consensu suorum Prælatorum absolui virtute Cruciatæ, nisi à Confessario per eosdem Prælatos deputato. Aliqui tamen totam illam doctrinam admittentes, nec potentes amplius apertissimis Pontificum verbis contradicere, contendunt, omnia illa intelligi debere de solo Sacramento Pœnitentiæ. Quare, cùm iuxta probabilem Doctorum sententiam possit virtute Cruciatæ conferri absolutio à censuris extra Sacramentum Pœnitentiæ, & sine absolutione sacramentali à peccatis, consequens est, ut Regularibus quoad hoc non sit interdictus vsus Bullæ Cruciatæ, sed possint adhuc eiusdem fauore absolui à quibuslibet

censuris etiam Papæ referuatis, excepta hæresi, ita ut à referuatis Papæ, & à contentis etiam in Bulla Cœnæ absolui possint semel in vita, & semel in articulo mortis, prout in eadem Bulla Cruciatæ conceditur.

Ratio præcipua huius opinionis desumitur ex verbis Pontificum, qui in suis decretis, quibus hunc vsus Cruciatæ Regularibus negant, loquuntur semper de vsu in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ; sic enim videtur loqui Pius V. in quodam Breui edito anno 1571. pro Ordine Prædicatorum, quod refert Roderic. *in explicatione Bullæ Cruciatæ, §. 9. num. 24.* & cuius verba attuli *dicta sect. 9. num. 171.* vbi inter alia hæc habet: *Talem concessionem sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absoluedi à casibus referuatis, cum fratribus, & sororibus totius Ordinis prædicti locum minime habere, sed nostræ intentionis existere, quod iidem fratres, & sorores, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate, tenore presentium perpetuò declaramus.* iisdem verbis vsi sunt Clemens VIII. in suis litteris pro fratribus Carmelitanis, & Paulus V. in suis litteris datis anno 1608. pro omnibus Regularibus, quorum verba attulimus *d. sect. 9.* & iisdem verbis vsus nouissimè fuit Urbanus VIII. in dictis suis litteris expeditis pro omnibus Religiosis anno 1630. Cùm ergo hæc omnia decreta sint odiosa, quatenus vsus Cruciatæ Regularibus negant, non sunt amplianda, sed potius restringenda ad merum Sacramentum Pœnitentiæ, de quo solo Pontifices præfati loquuti sunt.

Confirmari verò potest ex decreto illo, <sup>3</sup> quod iussu Clementis VIII. anno 1601. Congregatio pro negotiis Episcoporum, & Regularium edidit, quo Confessarij omnes intra Italiam, & extra Urbem prohibiti sunt absolui à casibus, quos Ordinarij locorum sibi referuant, quod habetur apud Ludouicum à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ *disp. 1. cap. 3. dub. 5. num. 5.* Post illud enim decretum volebant aliqui, quod possent adhuc Confessarij Regulares absolui à censuris, quas Ordinarij sibi referuabant. Vnde oportuit postea iussu Pauli V. anno 1617. eandem Congregationem declarare, nec à peccatis, neque etiam ab excommunicationibus referuatis posse illos absolui, quam etiam declarationem, & decretum nouum refert ad litteram

teram idem Ludouicus à Cruce *vbi supra num. 7.* Quanto ergo magis dubitari potest in casu nostro, in quo Pontifices prohibitiones suas restringunt ad Sacramentum Pœnitentiæ?

**4** Respondi tamen, nec à censuris etiam extra Sacramentum posse Regulares virtute Cruciatæ absolui. Primò, & à posteriori, quia si eiusmodi interpretationem, & restrictionem leges illæ Pontificiæ reciperent, vanæ omninò essent, suoque sine omninò fraudarentur. Intendunt enim, quod Religiosi virtute Cruciatæ non possint absolui à casibus referuatis suis Prælati, neque etiam à casibus Sedi Apostolicæ referuatis. id quod expressè dixit, & explicuit de sua, & aliorum mente Urbanus VIII. in præfata Bulla, vbi Pontifex, postquam retulit facultatem per Cruciatam fidelibus aliis concessam obtinendi absolutionem à casibus referuatis etiam in Bulla Cœnæ, excepta hæresi in foro conscientiæ, subdit, hanc concessionem, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluedi à prædictis casibus referuatis etiam in Bulla Cœnæ contentis, cum fratribus, & Monialibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & instituti, &c. locum minime habuisse, nec habere, &c. sed nostræ intentionis esse, quod iidem fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ quoad sibi referuata subiecti sint, earumdem tenore presentium perpetuò declaramus. Vnde constat, Pontificem velle quod non obstante indulto Cruciatæ, Regulares non possint absolui à casibus Sedi Apostolicæ referuatis, etiam in Bulla Cœnæ, nisi ab eadem Sede Apostolica, vel de eius licentia. quæ lex esset omninò inutilis, & vana, si contraria opinio vera esset; casus enim Sedi Apostolicæ referuati omnes, vel ferè omnes habent annexam excommunicationem referuatam, & de omnibus casibus Bullæ Cœnæ id compertum est. Et quidem referuantur ratione excommunicationis, atque aded ablata censura, peccatum illud non manet amplius referuatum, sed potest absolui à Confessario Ordinario potenti absolui ab aliis peccatis mortalibus non referuatis, ut ex communi sententia suppono. Si ergo virtute Cruciatæ possunt extra Sacramentum Regulares absolui ab excommunicatione quacunque referuata, etiam in Bulla Cœnæ, excepta causa hæresis, & ablata excommunicatione peccata

ipsa iam non remanent referuata, prodesset omninò Bulla Cruciatæ Religiosis ad absolutionem ab omnibus referuatis Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ, excepta hæresi, cùm ipsi facerent se à censura absolui extra Sacramentum, & postea à peccatis sacramentaliter à quocunque Confessario potente absolui illos à non referuatis, atque aded non minus possent virtute Cruciatæ Regulares, quàm sæculares absolutionem obtinere à casibus Sedi Apostolicæ referuatis. quod quidem constat manifestè quàm sit contra intentionem, & mentem Summi Pontificis relatis verbis clarissimè expressam. Cùm ergo verba legis, si aliquid fortasse in illis ambiguum, & dubium esse appareat, interpretanda ita sint, ut maximè ad Legislatoris intentionem attendendum sit, ut cum communi docet P. Suarez *lib. 6. de legibus cap. 1. num. 12.* imò debeant verba à propria significatione ad impropiam detorqueri, quando aliàs lex remaneret inutilis, ut pro comperto, & ex omnium sententia supponit idem Suarez *ibi cap. 1. num. 7.* vbi probat, id etiam in lege odiosa locum habere, quod ex variis iuribus, & Doctoribus ostendit: consequens est, ut verba illa Pontificum, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, non de sola absolutione sacramentali à peccatis strictè sumpta debeant intelligi, sed de absolutione etiam à censuris, quæ regulariter simul cum absolutione à peccatis conferri solet. Tum quia alioquin lex inutilis foret, ut clarè probatum est, & mens Legislatoris ex verbis præcedentibus manifestè constat, iuxta quam mentem verborum significatio temperanda est. Tum, quia verba illa, *confessionis administrationem*, in significatione non impropria significare, & comprehendere possunt etiam absolutionem à censuris saltem in significatione vulgari, & vsui populi accommodata, quæ popularis vsurpatione vocis communiter præferenda est ad legis interpretationem, ut cum Bartolo, Panormit. & Felino obseruat Suarez *dicto cap. 1. num. 9.* nomine enim *confessionis*, in communi loquendi modo, omnia illa intelliguntur, quæ à pœnitente, & Confessario peraguntur: sicut autem pœnitens non solum peccata, sed censuras etiam incurfas explicat, ut ab vtrisque soluatur, ita Confessarius ab vtrisque absoluit, & in vtroque dicitur Confessarij munus exercere, ut confessionis minister, neque aliquod aliud speciale nomen habet quo appelletur, quatenus à censuris



cenfuris abfoluit, nifi nomen commune *Confessarij*. Quare non mirum, fi Pontifex volens vtrumque interdiceret Religiofis virtute Cruciatæ, vſus fit vocabulo communi *confessionis administrationis*.

5 Secunda ratio à priori peti poteſt ex verbis Pontificum in diſtis decretis, ſi attentè conſiderentur, duo videntur Regularibus prohibita; duo enim ſæcularibus in Bulla Cruciatæ conceduntur: nempe quòd poſſint eligere Confefſarium ex approbatis ab Ordinario; & rurfus quòd idem Confefſarius ſic electus poſſit eum abſoluere ab omnibus referuatis, excepta hæreſi, quæ duæ conſeſſiones ſunt diuerſæ, cùm poſſit prima ſine ſecunda haberi, & poſſit aliquis eligere Confefſarium ad alios effectus, nempe ad obtinendam licentiam veſcendi carnibus, cui tamen Confefſario non conſiteatur, vt in ſimili docet Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 17.* & cum aliis idem obſeruauit *diſput. 27. de pœnitentia num. 120.* Similiter ergo hæc duo prohibent Pontifices Religioſis, ne ea faciant virtute Bullæ Cruciatæ, itaut nec poſſint obtinere abſolutionem à referuatis, nec etiam poſſint Confefſarium pro libito ex approbatis eligere. Vnde fit, nec poſſe eos abſolutionem à cenſuris referuatis, etiam extra Sacramentum obtinere virtute eiufdem Cruciatæ; ad hoc enim deberet præcedere electio Confefſarij, quæ illis prohibita eſt.

6 Porro non ſolum abſolutionem Sacramentalem à peccatis, ſed etiam electionem Confefſarij, & per conſequens abſolutionem etiam à cenſuris prohiberi; conſtat ſatis ex verbis eorundem Pontificum. Nam in primis Gregorius XIII. in Bulla edita 3. Maij anno 1575. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, inter alia dicit, *non eſſe, nec fore vnquam mentis ſuæ, aut Sedis Apoſtolice, vt perſonæ Societatis abſque expreſſa ſuperiorum eiufdem Societatis licentia, vtantur facultatibus, quæ in Iubileis, Bullis Cruciatæ, conſeſſionalibus, aut alijs quibuſlibet Apoſtolicis indultis, ſiue communitatibus, ſiue priuatis perſonis, ſiue pijs locis, aut quomodocunq; aliter hætenus conſeſſe ſunt, aut in poſterum concedentur, etiamſi in illis expreſſe indulgetur, vt omnes Regulares etiam Mendicantes, huiusmodi facultatibus vti poſſint. Si quando autem vſus aliquarum ex prædictis facultatibus, perſonis ex dicta Societate ab eiſdem Societatis ſuperioribus concedatur, vt nulli earum liceat, niſi intra numerum eorum, qui ad conſeſſiones perſonarum eiufdem domus, aut Collegij audiendas depu-*

*tati ſunt, Confefſarium eligere, niſi ratione itineris, aut alia de cauſa ab iſdem ſuperioribus alijs Confefſarijs, intra, aut extra Societatem conſitendi facultas ad id ſpecialiter daretur.* Hoc ipſum declarauit quoad vtramque facultatem Clemens VIII. in ſuis litteris datis 14. Iunij anno 1595. vbi dicit, *nulli Religioſorum Societatis licere facultatibus Cruciatæ in quacunque mundi parte publicata, vel publicanda, quoad eligendum Confefſarium, & obtinendam abſolutionem à caſibus referuatis vti; nec eis quoad hanc eligendi Confefſarium, & obtinendi abſolutionem prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi ſuffragari.* Eodem modo loquitur idem Clemens in litteris, quas retulit Paulus V. in aliis ſuis litteris datis 24. Decembris anno 1608. vbi eas iterum perpetuò confirmauit, & approbauit, in quibus de omnibus mendicantibus dicitur: *conſeſſionem ſanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confefſarium, & abſoluendi à caſibus referuatis cum fratribus, &c. locum minimè habere, neque cenſeri.* Idem iſdem verbis declarauit Gregorius XV. loquens de perſonis Societatis in ſuis litteris datis 26. Februarij anno 1622. dicens, *nulli Religioſorum eiufdem Societatis facultatibus Cruciatæ huiusmodi publicata, vel publicanda, quoad eligendum Confefſarium, & obtinendam abſolutionem prædictam, facultatem Cruciatæ huiusmodi ſuffragari.* Denique idem iſdem verbis declarauit pro omnibus Regularibus vtriuſque ſexus Urbanus VIII. ſuis litteris datis 19. Iunij anno 1630. dicens, *conſeſſionem ſanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confefſarium, & abſoluendi à caſibus referuatis, cum ijs Regularibus locum minimè habuiſſe, neque habere, neque illis vilo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe.* Vides, quoties Summi Pontifices teſtantur, ſe vtrumque Regularibus negare, nempe & eligere Confefſarium virtute Cruciatæ, & abſolui à referuatis. Sicut ergo, quia vtrumque eiſdem verbis ſæcularibus in Bulla Cruciatæ, concedunt, docent Theologi, poſſe ſæcularem vti prima facultate eligendi Confefſarium, licet non vtatur ſecunda, nec abſoluatur à peccatis: imò quamuis Confefſario ſic electo non conſiteatur peccata in Sacramento, poſſe extra Sacramentum per illum abſolui à cenſuris referuatis, & commutationem votorum obtinere, & diſpenſationem ad carnes edendas in diebus ieiunij, quia ad hæc omnia, & ad ſingula ſeorsim poteſt eligi Confefſarius: cur negata

negata vtraque facultate Regularibus per eadem verba, non dicemus, negari etiam electionem Confefſarij ad abſolutionem à cenſuris referuatis.

7 Confirmari denique poteſt ad hominem, quia aduerſarij non contendunt, poſſe Regulares intra conſeſſionem Sacramentalem abſolui à cenſuris referuatis; ſolum enim volunt, poſſe id extra conſeſſionem fieri, quia Pontifices ſolum in conſeſſione Sacramentali negant iis Cruciatæ vſum. Ex hoc autem manifeſtè inferitur, etiam extra conſeſſionem id fieri non poſſe. quia in primis alioquin eluderetur tota hæc prohibitio. Si enim Confefſarius dum conſeſſiones audit, inueniret peccatum cœſura referuata, poterit ſtatim pœnitenti regulari dicere: Ego non poſſum te abſoluere ab hac cenſura intra conſeſſionem, poſſum tamen extra illam: quare relinque pronunc conſeſſionem, & abſoluam te ab hac excommunicatione, & poſtea redire poſſumus ad conſeſſionem. Ad nihilum ergo deſeruiret prohibitio toties à Summis Pontificibus repetita, & inculcata, cùm diſpendio ſolum dilationis per horam totius Cruciatæ fructus à Regularibus obtineretur.

8 Vnde vterius idem argumentum ad hominem vgeri poteſt, quia non poterit facile explicari, quid intelligatur per illas voces, *extra conſeſſionem*, quando dicunt, Religioſos abſolui poſſe virtute Bullæ Cruciatæ à cenſuris extra, non verò intra conſeſſionem, vel intra Sacramentum. Nam loquendo in rigore abſolutio à cenſuris, quocunque loco, & tempore detur, non eſt ſacramentalis, nec pars Sacramenti, ſed diſpoſitio extrinſeca ad abſolutionem ſacramentalem, ad quam æquè diſponit, ſiue extra conſeſſionem, ſiue in ipſa conſeſſione detur, cùm ſemper reddat habitum pœnitentem ad accipiendam abſolutionem à peccatis. Si ergo Pontifices ſolum negarunt Regularibus quæ pertinent propriè ad Sacramentum Pœnitentiæ, non negarunt abſolutionem à cenſuris, etiam in conſeſſione, vel ſi eam negarunt, quia pertinent aliquo modo ad Sacramentum, quatenus diſponit pœnitentem ad abſolutionem ſacramentalem: eodem modo negarunt illam etiam extra conſeſſionem, cùm ſemper æquè diſponat ad ſacramentalem abſolutionem, præſertim quando datur pro foro conſcientiæ, cui vtrouique eodem modo remedium adhibetur.

9 Ex quibus facile iam erit ad rationem pro contraria ſententia adductam reſponſa. D. lo. Card. de Lugo Reſponſ. mor.

dere: dicimus enim, quamuis Pontifices in illis decretis aliquando dixerint ſuam intentionem eſſe, vt in Sacramento Pœnitentiæ, vel conſeſſionis Regulares ſubſtan- tur ſuis Prælatiſ; aliquando tamen verbis magis generalibus vſos fuiſſe, negando generaliter Regularibus facultatem Cruciatæ ad eligendum Confefſarium, qui eos à caſibus referuatis, etiam Sedi Apoſtolice, poſſit abſoluere. Imò in illis etiam decretis, in quibus Sacramenti Pœnitentiæ meminerunt, antea loquuti fuerunt de tota illa facultate eligendi Confefſarium, & abſolutionem obtinendi à cenſuris referuatis. Deinde, etiamſi ſenſus vocis illius *conſeſſionis* ambiguus eſſet, indagandus eſſet ex ſubiecta materia, & ex intentione Pontificum, de qua in præſenti dubitari non poteſt, cùm velint, Regulares non poſſe virtute Cruciatæ abſolui, à caſibus referuatis in Bulla Cœnæ, quæ lex inutilis omnino, & vana eſſet, ſi poſſent extra conſeſſionem abſolui, cùm caſus Bullæ Cœnæ non ſint referuati, niſi ratione cenſuræ referuata, cuius abſolutione extra conſeſſionem ritè habita, auferretur tota eorum referuatio; quam tamen Pontifices volunt non poſſe per Cruciatam Regularibus auferri, vt ex eorum verbis manifeſtè oſtendimus.

Ad confirmationem denique dici poteſt, in primis immeritò dubitatum fuiſſe, an prohibitio Regularibus facta, ne abſoluerent à caſibus Ordinario referuatis, extenderetur ad cenſuras eidem Ordinario referuatas: nam harum etiam abſolutionem proculdubio comprehendebat, vt bene norauit Filliuc. *tom. 1. tract. 15. cap. 10. num. 153.* ſed quamuis dubium illud tunc rationabile fuiſſet, quia de mente legiſlatoris non ſatis conſtabat; in noſtro tamen caſu dubitari non poteſt, cùm ex ſubiecta materia, & ex verbis ipſorum Pontificum conſtet clarè, eos voluiſſe omnem vſum Cruciatæ paſſiuum Regularibus negare etiam ad abſolutionem à cenſuris, cùm loquantur etiam de caſibus Bullæ Cœnæ, qui non referuantur niſi ratione cenſuræ, & lex nullum haberet effectum, niſi abſolutio à cenſura intra, & extra conſeſſionem prohiberetur, vt ſuprà vidimus; quare non eſt ad alias coniecturas recurrendum, cùm legiſlatoris mens manifeſtiſſimè nobis conſtet.

D V B I V M VII.

*An extrahentes puellam è Monasterio, ubi ad educationem comorabatur, incurrerint excommunicationem.*

1 **N**obiles quidam viri puellam in Monialium Monasterio educationis causa commorantem, consentientem tamen, & quidem, ut creditur, petentem, sine Prælatæ, vel Monialium consensu, extraxerunt, timebant enim, ne quando in Monasterio erat, desponderetur in nuptias minori, quam oporteret, ipsius libertate. Questum fuit, an contra ipsos procedi posset, quasi incurrissent pœnas & censuras impositas iis, qui cooperantur Monialibus ad violationem clausuræ, vel eas comitantur, &c.

2 **S**uppono, Pium V. Kal. Febr. anno 1570. edidisse Bullam, quæ incipit, *Decoris, & honestatis*, & est octava inter eius Bullas tom. 2. Bullarum communis: ubi postquam strictissimis verbis egressum è clausura prohibuit, addit: *Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut Sacerdotes, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latae sententia vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subiaccere, à quo, præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolui nequeant. Et insuper, tam egressas, quam Præsidentes, & alios superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis priuamus, & illos, & illas ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles, &c.*

3 **H**oc ergo supposito, aliqui dixerunt, tam virginem egressam, quam qui eam extraxerunt, incurrisse pœnas huius constitutionis Pij V. quod probabant ex Tamburino, qui vit. 2. de iure Abbatiss. disp. 7. quest. 2. num. 14. cum Gregorio Pollacco ab eo relato, dixit, prædictas pœnas extendi ad puellas, quæ educantur in Monasteriis, & ad eas comitantes, vel iuuantes in egressu à clausura. Fundamentum autem desumi potuit ex decreto sacre Congregationis edito 31. Augusti anno 1575. ubi inter alia quæ pro prædictis puellis statuuntur, dicitur, quod dum in Monasteriis sunt, eandem seruent clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi facultatem. quod decretum inte-

grū refert Quaranta verb. *Monasteria Monialium*. Vnde videri posset eodem modo, & sub eisdem pœnis ad clausuram obligari.

Dixi tamen, constitutionem Pij V. & pœnas in ea contentas ad puellam, & extrahentes in casu nostro non extendi; & in primis de extrahentibus res est clara, quia in dicto decreto Congregationis, in quo lex clausuræ extenditur ad eiusmodi puellas, nullum est verbum de comitantibus, aut extrahentibus, sed de solis puellis. Quamuis ergo lex Pij V. ad eas extensa fuisset etiam quoad pœnas egredientium, non potest tamen dici extensam fuisse ad extrahentes, cum de iis merito nulla facta fuerit.

Deinde neque ipsam puellam incurrisse pœnas illas, probatur, quia in primis ex Bulla Pij V. eas non incurrunt, in qua sermo semper est de Sanctimonialibus, seu Monialibus, quales illæ puellæ non sunt, sed merè sæculares. Vnde communis Doctorum sententia tenet, non comprehendendi, nec incurrere pœnas illas Monialem nouitiam, ut fatentur Azor 1. tom. lib. 13. c. 8. q. 1. *Item quærebatur, & alij multi, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 15. n. 16.* quibus adde eundem Tamburinum ubi supra disp. 18. q. 6. n. 1. & fauent illi, qui dicunt, excommunicationem latam contra alloquentes Moniales, non comprehendere loquentem cum Nouitia, ut cum Graffio docet Diana 2. part. tract. 2. de dubijs regul. resolut. 48. Multò ergo minùs comprehendit constitutio illa puellam sæcularem, quæ multò minùs potest intelligi sub nomine *Monialium, vel Sanctimonialium*, quàm Nouitiæ.

Sed nec decreto illo Congregationis, aut ex vi illius, possunt incurere dictas pœnas, cum in eo decreto solùm statuatur, quod obseruent clausuram, sicut Moniales, non verò statuuntur contra illas eadem pœnæ, quæ statutæ sunt Monialibus. Imò nec lex clausuræ eodem modo illis imponitur, sicut Monialibus, sed solùm quoad hoc, ut si semel exierint, non ampliùs possint redire, quod verba ipsius decreti satis significant: dicit enim, *atque in eis (scilicet Monasteriis) dum erunt, eandem seruent clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi facultatem.* quasi dicat, ipsas posse absque noua licentia exire non reuersuras; dum tamen ibi permanere volunt, debere ab iis clausuram obseruari, contra quam non facit, quæ iure suo vtens vult in domum propriam reuertit, sicut & Nouitia non indiget licentia, ut è Monasterio exeat ad propria, non reuersura

fura ad statum religiosum, neque ad Monasterium.

7 **P**orrò hunc esse sensum prædicti decreti, clariùs adhuc apparere potest ex aliis declarationibus eiusdem sacre Congregationis Concilij, quarum plures, nempe 17. congerit Eman. Roder. tom. 1. qq. regul. q. 46. art. 10. ex quibus constat, eiusmodi personis libertatem relinqui exeundi, ut non reuertantur ad Monasterium. nam in tertia dicitur: *nec inde, nisi non reuersura, possunt exire, & obligata sunt ad clausuram, & ad cetera, sicut ipsa Moniales. & in quinta dicitur expressè, Puella, quæ sunt in Monasterijs educationis gratia, debent reddi patri, quando-cumque eas petierit. & in septima dicitur, & dum ibi erunt, seruare debet clausuram eandem legem, quam Moniales seruant. & in octaua dicitur, & quandiu ibi sunt, clausuram seruare tenentur, & reliquam viuendi rationem prout ipsa Moniales.* Vides, legem clausuræ non imponi his puellis, nisi in sensu composito (ut ita loquar,) & ex suppositione, quod ibi manere volunt. In quo earum clausura differt à clausura Monialium, sicut & obligatio seruandi modum viuendi regularem, quod Moniales absolute obligantur ad eam vitæ rationem, & ad clausuram: puellæ autem prædictæ non nisi supposito, quod velint in Monasterio manere, & ad proprias domos non reuertit. Vnde merito huic sententiæ subscripsit, (quem post hæc scripta vidi,) P. Franc. Pellizzar. in tract. de Monialibus cap. 5. sect. 4. n. 187.

8 **A**ddidi tamen in casu proposito, quia puella illa erat quasi in deposito, & custodia Monasterij, cui videtur facta aliqua iniuria, vel irreuerentia per illam clandestinam, & occultam extractionem puellæ, posse fortasse Episcopum procedere contra Nobiles illos, ut, nisi rationem probabilem afferant sui facti, quatenus vim aliquam, vel importunas preces timebant, quibus puella resistere non auderet, & consensum puellæ, vel eorum, quorum curæ suberat, possit Episcopus eos aliqua pœna extraordinaria pro ratione delicti punire.

D V B I V M VIII.

*An Regulares licitè promittant Communitati seculari, se nunquam empturos bona immobilia in eo territorio.*

1 **C**um ageretur de fundatione Domus religiosæ in quadam ciuitate, & ad

hoc requireretur consensus Magistratus sæcularis, hic renuebat consentire; timebar quippe ne ea via minuerentur gabellæ publicæ, si fortè Religiosi paulatim emerent multa bona immobilia, quæ postquam ad eorum manus deuenirent, essent immunita à gabellis. Petierunt ergo ab illis Religiosis, ut pacto firmarent, se nunquam in eo territorio bona immobilia empturos. quaesitum fuit, an possent Regulares, salua Ecclesiastica immunitate, hoc pactum inire cum Magistratu?

Videbatur aliquibus, posse id pactum acceptari, quia, licet Magistratus intendere indemnitatem suarum gabellarum; in pacto tamen nihil dicebatur de gabellis soluendis, sed solùm de non comparandis bonis immobilibus, ex quibus sæculares gabellas soluere solent. Ego tamen planè dixi, me nunquam in eo consilio futurum, ut pactum illud fieret sine consensu Summi Pontificis, quod mihi valde suspectum erat, quod Ecclesiasticam immunitatem lædere posset. Primò, quia quidquid verba sonarent, re tamen ipsa, & æquivalente erat contra legis canonicæ mentem. Perinde enim erat in re ipsa, ac si Magistratus sæcularis daret quidem consensum ad erigendum Conuentum, sed simul prohiberet Religiosis, ne possent bona immobilia acquirere, quod apertè esset contra immunitatem Ecclesiasticam. Pacti autem appositio nihil aliud videtur esse, nisi palliatio speciosa grauaminis, quod Religiosis imponitur, qua ratione posset Magistratus alia vice negare consensum alteri Religioni, nisi Conuentus se obligaret ex pacto ad donandum singulis annis communitati illius ciuitatis 200. aureos; eam nempe summam, quæ probabiliter ab iis Religiosis contribuenda foret, si contribuerant ad solutionem gabellarum communium, quæ non esset aliud, nisi solutio gabellarum nomine donationis ex pacto, & hoc modo possent pacta diuersa inueniri ad eludendas omnes immunitates Ecclesiasticas.

Secundò, quia non videtur, quod Religiosi propria auctoritate, & sine consensu Summi Pontificis, possint cedere libertati, quam habent, ut ex testamento, donatione, vel etiam emptione, aut alio titulo oneroso, possint acquirere bona immobilia. Pro quo suppono, hoc esse vnum ex capitibus libertatis, & immunitatis Ecclesiæ, quod non possint sæculares Principes impedire translationem dominij circa bona immobilia factam, vel faciendam in ipsam

ipsam Ecclesiam à legitimis eorum bonorum dominis; quam Ecclesiae libertatem plurimi doctissimi viri acerrimè propugnarunt, quos omnes, & eorum praecipua fundamenta, videre in compendio poteris apud Antoninum Dianam variis in locis, sed praesertim 1. parte tractat. 2. de immunitate Ecclesiastica, resolut. 57. & 63. & 3. part. tract. 1. resolut. 14. & 4. part. tractat. 1. resolut. 13. & 57. & 70. & 5. part. tract. 1. resolut. 3. & denique 6. part. tract. 3. per totum. quo posito, certum etiam videtur, non posse Religiosos propria auctoritate cedere huic libertati, & immunitati Ecclesiasticae; quia exemptiones, & immunitates concessae toti statui Ecclesiastico, non intuitu singularum personarum, sed totius status, non possunt à singulis renunciari, ut constat ex cap. si diligenti, de foro competenti, & testantur Doctores, quos congerit idem Diana 1. part. tract. 2. resolut. 3. Sicut ergo non possent Religiosi, ut consensum praedictum à Magistratu obtinerent, obligare se ad solvendas gabellas, & renunciare immunitati, quam habent ab iis solvendis, quia haec renunciatio, & subiectio cederet in prauiudicium libertatis Ecclesiasticae, quam læderet. Sic non videntur posse renunciare libertati, quam Ecclesia habet ad acquirenda bona immobilia, cum non minus pertineat ad Ecclesiasticam immunitatem haec libertas, quam illa alia à gabellis. Quid autem aliud est pactum illud, quod ab illis exigitur, non comparandi bona immobilia, nisi cessio, & renunciatio facultatis, quam habent ad illa acquirenda? Non videbatur ergo tutum, quod Religiosi pacto illo consentirent sine consensu Summi Pontificis, vel certè non consulta sacra Cardinalium Congregatione de immunitate Ecclesiastica, cuius censuram, & correctionem potuissent merito timere, si ea inconsulta aliquid eiusmodi intenterent.

4 Similis valde praecedenti casui fuit alius, quo Baro quidam Catholicus in prouincia haeretica desiderabat habere in suo territorio Patres Societatis, ut subditos suos ad fidem Catholicam inducerent. Votebat tamen rebus suis praecauere, & Patres Societatis se obligare ad non acceptanda ibi bona, vlla immobilia sine ipsius consensu: testabatur autem, se consensurum ad rationabilia. Dixi tamen iuxta responsionem praecedentem, Societatem non debere pacto se ad id obligare; citra pactum tamen posse P. Generalem non solum hor-

tari Patres, ne acceptent bona immobilia sine Baronis consensu, sed etiam id eis prohibere, auferendo ab eis facultatem accipiendi: quam tamen prohibitionem ipse Generalis non debeat ex obligatione sustinere, sed possit pro libito auferre. Posset item à Barone petere, ut probet, an inueniat Patres Societatis sibi in hoc obsequentes, & placentes. Quod si quæ fortasse bona immobilia Patres iam antea acceptassent, haec quidem dimitti non poterunt sine licentia Sedis Apostolicæ: quare orari poterit Baro praedictus, ut vel patienter expectet, dum consensus impetrari procuratur Summi Pontificis, vel certè haec bona computet pro parte eorum bonorum, ad quæ promiserat se consensum praestiturum. Haec tamen omnia sine pacto, vel obligatione fiant, ne aliqua ratione prauidicetur immunitati Ecclesiasticae.

#### D V B I V M IX.

*Utrum bona, quae possident Regulares supra summam statutam, possint alienari sine licentia S. Congregationis.*

PRæcedenti dubio annexum est hoc, quod sequitur. In Belgio, prout mihi narratum est, habetur lex statuens Religiosis Conuentibus certam summam bonorum immobilium, vltra quam non possint retinere, de cuius legis iustitia modò non disputamus, sed supponimus ad praesens dubium, iustam fortasse esse, atque factam de consensu Sedis Apostolicæ, ideoque diligenter, & exactè obseruari. quo supposito, quaesitum est, an Domus regularis, cuius bona immobilia eam summam excedunt, possit propria auctoritate bona excedentia alienare, ut pretio emat census aliquos perpetuos redimibiles, vel irredimibiles, (hi enim non sunt illi prohibiti,) & hoc sine licentia sacrae Congregationis.

Respondi posse, si lex illa sit iusta, & in illa Prouincia obseruetur; est enim communis Doctorum sententia, quod lex prohibens alienationem bonorum Ecclesiasticorum non obliget quando ea bona quouis titulo acquiruntur alicui loco Ecclesiastico, qui lege incapax est ad ea retinenda; tunc enim sine alia licentia potest ea alienare, cum necessitas alienandi ad-

sit, quæ plus est, quam mera licentia; nam, licet non omnis, qui potest, debeat alienare, omnis tamen, qui debet, potest, & lex ipsa obligans dat simul licentiam ad id faciendum, quod iubet. Ita de Religione non potente retinere bona immobilia, docent plurimi Doctores, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 26. num. 30. & cap. 27. num. 17. Carolus Antonius Thesaurus in praxi Ecclesiastica part. 2. verb. alienatio, cap. 1. num. 3. Lezana tom. 1. cap. 10. num. 4. & alij, quos affert, & sequitur Diana part. 5. tract. 13. Miscellaneo, resolutione 6. vbi refert declarationem sacrae Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, qui in dubio proposito, an sacra Patrum Theatinorum Religio posset alienare bona immobilia sine licentia eiusdem Congregationis, responderunt his verbis. Congregatio censuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quandiu institutum propositum retineat quoad bona immobilia, non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis. cuius responsionis nulla alia fuit ratio, nisi quia ex sua regula supponebantur non posse eiusmodi bona retinere, ut significant illa verba, quandiu institutum propositum retineat, scilicet viuendi ex solis elemosynis, & non ex redditibus. Eadem autem est ratio, si incapacitas retinendi proueniat ex lege extrinseca iusta, quæ taxat bona immobilia, quæ à singulis Monasteriis retineri possint. Nam aliqui ex auctoribus supracitatis loquuntur etiam de necessitate extrinseca proueniente ex contractu, vel testamento, ut quando testator legauit Monasterio fundum cum obligatione vendendi illum intra tantum tempus, ut videri potest apud Sanchez vbi supra dicto cap. 26. num. 30. Idem ergo dicendum est in casu nostro.

3 Vnde obiter inferret fortasse aliquis, in casu proposito, posse Domum illam regularem, quæ iam habebat bona immobilia vsque ad taxam lege praescriptam, & de nouo acquisit legato, vel donatione bona alia immobilia, posse, inquam, alienare aliqua ex iis, quæ antea habebat, ut ex pretio emat census, ut dictum est, & retinere bona quæ vltimo loco acquiserat: nam lex, ut suppono, non prohibet acquisitionem nouam bonorum, sed solam retentionem supra taxam praescriptam; non ergo obligat magis lex ad alienanda haec bona posteriora, quam priora, nec prohibet magis retentionem posteriorum,

D. 10. Card. de Lugo Respons. mor.

quam priorum bonorum, sed solum prohibet retentionem bonorum vltra taxam: retinendo ergo solum bona taxata, satisfit plenè legi, & illa, quæ alienantur, ex legis necessitate alienantur, quæ non obligat ad hæc determinatè alienanda, sed ea solum, quibus taxa superatur, quæcunque illa sint.

4 Quod explicari potest exemplo Societatis Iesu, quæ ex suo instituto à Sede Apostolica confirmato retinere non potest bona immobilia fructifera, neque etiam census in Domibus professis. Potest tamen ex eodem instituto quælibet Domus professa retinere domum aliquam, seu villam suburbanam ad recreationem, ex qua nullos habeat redditus, nec fructus tritici, vini, aut olei, &c. Ponamus ergo, quod Domui professa Romanæ, quæ iam habet vnam villam suburbanam ad recreationem, legetur alia magis opportuna: quo casu aliquis diceret, quod quamuis non possit vtramque retinere, sed debeat retinere vnicam, possit tamen ex iis alienare, quam voluerit, quia ex suo instituto non magis ligatur ad hanc, quam ad illam alienandam; ergo cum vtriusque dominium interim habeat, potest vnam, vel alteram, quam maluerit retinere, praesertim, cum contingere possit, quod facilius inueniat emptorem vnius, quam alterius. Hoc tamen ego intelligerem, quando vtraque esset æqualis valoris, vel certè illa, quam retinet, esset maioris valoris, quam altera, quam alienat. Alioquin si prima villa valebat quatuor millia, & illa, quam acquisit, & retinet, valeat solum duo millia, iam censeretur sponte, & nulla lege cogente alienare totum illum excessum rei immobilis, quem stante suo instituto retinere poterat, & quoad illum excessum non fieret alienatio ex necessitate legis, quæ sola necessitas excusat à petenda licentia sacrae Congregationis ad alienandum. Ex hoc autem exemplo argui potest, ut dicebam, ad casum propositum, in quo eadem videtur esse ratio, solumque est differentia, quod in exemplo necessitas sit quasi ab intrinseco ex proprio instituto: in casu autem proposito necessitas sit extrinseca ex lege; quod tamen ad intentum nihil referre videtur.

5 Hoc tamen non videtur carere difficultate, quia, si tunc non esset necessaria licentia, sequeretur, quod nec esset necessaria, si occurrente aliquo emptore, qui desideraret emere à Regularibus praedium illud,



illud, ipsi dicerent, nos non possumus alienare sine licentia sacre Congregationis; possumus tamen alienare ea, quæ non possumus retinere, atque adeò, si haberemus iam prædium alterum, cum quo non possemus simul retinere illud prius, possumus tunc sine alia licentia illud antiquum alienare. Tunc enim si ad hunc finem, vel hoc pacto daretur illis alterum nouum prædium, ut illud prius alienarent, hæc proculdubio esset implicita permutatio. Constat autem, eum qui vendere, & alienare non potest, non posse pariter permutare, quæ permutatio non procedit tunc ex necessitate, sed ex voluntate alienandi prius prædium. Vnde ego doctrinam huius corollarij non facilè admitterem: vereor enim, ne sacre Congregationis mens contraria sit.

6 Inferebam secundò ex eadem responsione, si lex illa præscribens Religiosis taxam bonorum immobilium iusta sit, & obliget ante sententiam, non opus esse, quòd interueniat iudicis decretum, ut possint Religiosi absque alia licentia alienare bona immobilia quoad illum excessum, cum lex ipsa obligans sit quasi quoddam decretum perpetuum vrgens pro alienatione facienda; secus esset, si lex non censeretur immediatè obligare, sed post sententiam, vel decretum iudicis: nam tunc antequam alienatio vrgeretur ex parte illorum, quorum interest, non videtur esse necessaria, atque adeò, cum fieret absque necessitate intrinseca, requireretur licentia specialis sacre Congregationis, à qua licentia petenda excusantur solùm ij, qui retinere non possunt, vel ex proprio instituto, vel ex lege iusta talem retentionem immediatè prohibente.

7 Circa prædictam tamen declarationem sacre Congregationis pro Patrum Theatinorum Religione datam, aliqua aduertenda videntur. Primò enim aduerto, nonnullos eam extendere ad alienanda etiam mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, itaut pro his etiam alienandis non sit necessaria facultas sacre Congregationis iis, qui bona immobilia alienare possunt. Pro qua sententia affertur Ioannes Antonius Nouarius in *summa Bullarum, de alienatione rerum Regularium prohibita*, num. 29. & in eadem inclinatur Diana *ubi supra, dicta resolut. 6.* quia mobilia pretiosa ideò comprehenduntur in prohibitione alienandi, quia inter immobilia reputantur; ergo cui licet alienare immobilia, licebit etiam hæc mobilia pretiosa alienare,

quæ pro immobilibus computantur; & ideò hanc sententiam approbare videtur Castro Palao *tom. 2. tract. 12. disp. unica, puncto 15. §. 1. num. 13.*

Hæc tamen explicatio mihi nunquam placuit, & video displicuisse etiam Peregrino in *compendio privilegiorum Clericorum regularium, verb. alienatio, in principio sui scholij*, & colligi potest ex verbis eiusdem declarationis sacre Congregationis suprà adductis, in quibus cautè addita sunt illa verba, *quoad bona immobilia non comprehendendi*; noluit enim excludere ab omni prohibitione non alienandi, sed solùm quoad immobilia, quæ ex proprio instituto non poterant retinere, quam esse legis mentem in hoc casu docuerunt etiam Riccius *resolut. 53. num. 5.* & Barbosa *allegat 95. num. 59. in fine*, apud Castro Palaum *ubi supra*, & ideò Doctores limitantes prohibitionem alienandi, ut non procedat in Religiosis incapacibus retinendi, loquuti sunt cautè, dicentes eos quoad bona immobilia non obligari prædicta prohibitione. Vnde credo, Doms profestas Societatis nullo modo posse eiusmodi bona mobilia pretiosa alienare sine licentia sacre Congregationis.

Ratio autem videtur clara, quia lex prohibens alienationem bonorum Ecclesiasticorum, maximè pertinentium ad Regulares, generalis est, & ab ea non excipiuntur prædicti Regulares incapaces retinendi bona immobilia, nisi propter rationem generalem, quòd scilicet obligatus ad alienandum non comprehenditur prohibitione alienandi. Hæc autem ratio procedit solùm in bonis immobilibus, quæ dicti Regulares retinere non possunt; non verò procedit in bonis mobilibus pretiosis, quæ utique possunt retinere, sicut & alij omnes Religiosi. Cum ergo ipsi non habeant facultatem ex privilegio ad alienandum, per quod legi derogetur, sed habeant meram facultatem fundatam in iure, quatenus incapacitas retinendi facit, quòd lex non loquatur de illis; non potest facultas hæc extendi, nisi ad bona illa, quorum retinendorum sunt incapaces, qualia non sunt pretiosa mobilia, ut constat.

Confirmari potest exemplo; nam si testator relinquat Conuentui Religiosorum bona immobilia cum clausula, ut possint, & debeant ea vendere ad hoc, ut ex pretio aliquid aliud faciant; potuerunt utique ea bona absque licentia sacre Congregationis alienare, cum ex testamento ad id sint obligati;

obligati: non tamen ideò poterunt alienare bona mobilia pretiosa eiusdem Conuentus; quia facultas alienandi non magis extenditur, quàm necessitas, & hæc non est nisi ex testamento, quod solùm obligat ad alienanda bona illa immobilia; imò, licet eodem testamento legata iis fuissent bona mobilia pretiosa: si tamen testator solùm obligauit ad vendendam domum, vel vineam, quam in eodem testamento iis relinquebat; non possent alienare bona illa mobilia, propter eandem rationem; quia necessitas ex testamento orta solùm erat ad alienandam domum, vel vineam: similiter ergo in casu nostro, cum facultas alienandi tota fundatur in necessitate, & obligatione, & hæc sit ex incapacitate retinendi, quæ incapacitas solùm est in ordine ad bona immobilia, fatendum erit, facultatem alienandi non extendi ad mobilia pretiosa, ad quæ non extenditur necessitas retinendi.

11 Nec obstat modus loquendi aliquorum, qui dicunt, mobilia pretiosa computari cum immobilibus quoad effectum non alienandi ea: per hoc enim solùm intendunt, eandem esse prohibitionem alienandi vtraque; non verò quòd non possit dispensari, vel etiam excusari aliquis ad alienanda bona vnus generis, quin dispensetur, vel excusetur quoad alienanda bona alterius generis: quod maximè intelligitur, quando exceptio fit expressè quoad vnum bonorum genus, prout facta fuit in prædicta declaratione sacre Congregationis quoad bona immobilia, eo quòd necessitas, & obligatio alienandi excusabat solùm quoad eorum alienationem.

12 Vnde aduerto secundò quoad eandem declarationem, non debere ita intelligi, ut omnia, & quæcumque bona etiam immobilia possint sine facultate sacre Congregationis alienari ab eiusmodi Regularibus incapacibus retinendi: nam, si velint partem aliquam propriæ habitationis, & Conuentus, in quo degunt, vendere alicui vicino sæculari, non poterunt id facere sine licentia sacre Congregationis; hanc enim alienationem non facerent ex necessitate proprii instituti, à quo non prohibentur habere domum propriam, Ecclesiam, & Conuentum, in quo habitent, sed solùm prohibentur habere alia bona immobilia, ex quorum fructibus, & redditibus viuunt; quare quoad hæc sola bona alienanda, quæ retinere non possunt, intelligi debent non comprehensi in lege prohibente alienationem. Atque idem dicerem, si Domus pro-

fessa Societatis, quæ iuxta suas constitutiones retinere potest, vltra domum propriæ habitationis, domum aliam ruralem, & villam ad recreationem. Si hanc, inquam, vendere vellent, & priuari commoditate illa ad recreationem permessa, indigerent enim consensu sacre Congregationis, propter eandem rationem, cum alienatio illa non esset ex necessitate, & obligatione proprii instituti, cui nullo modo repugnat retentio illius horti, aut villæ ad religiosam recreationem.

Tertiò denique, & consequenter aduerto, in iis casibus, in quibus alij Regulares indigent consensu sacre Congregationis ad vendendum censum, & hypothecanda sua bona ad eius solutionem, indigere etiam eadem licentia Doms profestas Societatis, & Regulares alios incapaces retinendi bona immobilia; cuius contrarium supponere videtur loco suprà citato Diana ex sententia Nouarij, qui in sua Theatinorum Religione dicunt, posse etiam hodie census redimibiles imponi ex consensu Præpositorum, & duarum partium vocalium. Sed certè non credo, id esse ex mente sacre Congregationis, quæ solùm declarauit, eos non comprehendendi prohibitione alienandi quoad ea, quæ ex proprio instituto alienare tenentur; census autem imponere super bona, quæ retinere possunt, non est illis necessarium ex proprio instituto. Aliud esset, si censum imponerent super prædio aliquo sibi donato, quod ex proprio instituto intra paucos annos alienare debent, quia non possunt illud retinere. Nam, sicut hoc prædium possent sine alia licentia omninò alienare: ita possent grauare interim censu aliquo, quæ est quasi partialis alienatio. Super aliis verò bonis, quæ retinere perpetuò possunt, non video, quomodo possit census sine licentia Congregationis imponi. Suppono enim recentioribus decretis sacre Congregationis Urbani VII. iussu editis ablata fuisse Religiosis omnibus priuilegia, & facultates alienandi, & imponendi sibi quoslibet census, imò & mutuum accipiendi ad cambium, vel cum interesse, vel lucri cessantis, vel damni emergentis soluendo, quæ decreta videri possunt apud Lezanam *1. tom. cap. 10. num. 2. & 3.* Et in hoc sensu intelligo declarationem aliam sacre Congregationis, quam ex Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. domus*, refert idem Lezana *tom. 2. cap. 19. num. 55.* qua dictum est, Doms profestas Societatis Iesv comprehendendi etiam in decretis prohibentibus alienationem re-

rum Ecclesiasticarum. Si quæ enim fuit talis declaratio, fortasse agebatur de mobilibus pretiosis alienandis, aut de re immobili, quæ retineri poterat, vel, (quod verius puto,) de censu aliquo redimibili imponendo, quæ omnia diximus, Doms illas professas non posse facere sine licentia sacre Congregationis. Si autem aliquid plus sacra Congregatio intendit, eius intentioni, & declarationi standum erit.

## D V B I V M X.

*An fructus à donatore destinati ad emptionem bonorum immobilium possint ex eius consensu applicari ad soluenda debita eiusdem Conuentus.*

**N** Sæcularis Donauit cuidam domui regulari aliqua bona immobilia, quorum retinendorum erat capax, & imposuit inter alia hoc onus, vt fructus deberent rursus applicari ad emenda bona immobilia fructifera, donec totum capitale adscenderet ad tantam summam. Religiosi acceptarunt donationem cum illis oneribus, atque ita obseruarunt per aliquod tempus ementes bona alia fructifera ex redditibus. Post nouem verò annos, quia domus illa grauata erat ære alieno, petierunt Religiosi à donatore, vt quamuis fructus nondum adscenderant ad summam ab ipso præfixam, consentiret tamen, quòd ex fructibus subsequenter soluerentur debita, quibus domus illa grauata erat. Donator itaque denuo in scriptis donationis præteritæ nonnulla onera abstulit, & consensit, vt si Generalis ita iudicaret, fructus in posterum ad soluenda debita applicarentur; qua occasione dubitarum fuit, an accedente consensu donatoris, sine alia sacre Congregationis licentia, fructus, qui ex vi prioris donationis applicandi erant ad emptionem bonorum immobilium, applicari iam possent ad debita soluenda.

**2** Videbatur, non sufficere consensum donatoris, vt applicarentur redditus ad debita soluenda; quia quamuis aliqui voluerint pecuniam non computari inter bona immobilia, vel mobilia pretiosa inalienabilia: contraria tamen sententia communis est de magna pecuniæ summa, vel de pecunia, quæ semel destinata est ad emenda bona immobilia, vt post alios, quos affert, videri potest apud Filliucium in Ap-

pendice tract. 44. cap. 4. num. 25. & Lezana 2. tom. cap. 19. num. 59. & omnes fatentur, id saltem verum esse, quando destinatio illa ad emenda bona immobilia facta est ex obligatione orta ex lege, testamento, vel contractu: tunc enim illa pecunia sic destinata reputatur inter bona immobilia, vt fatetur Vasquez in opusculis, tract. de redditibus, cap. 2. §. 2. dub. 13. num. 44. in nostro autem casu redditus omnes vsque ad talem summam deputati, & destinati fuerunt à donatore, & à Religiosis acceptantibus talem donationem, ad emenda bona immobilia. Quare non solum primum capitale, sed tota illa summa constanda ex redditibus, facta fuit inalienabilis, & computari debet inter bona immobilia. Nec iam erit in potestate donatoris eam pecuniam reddere alienabilem; considerandum enim est duplex impedimentum in illa pecunia, vt applicetur ad alios vsus. Primum est ex voluntate donatoris, qui voluit, non posse conuerti ad alios vsus, nisi ad emenda bona immobilia: & hoc quidem impedimentum potest idemmet donator auferre, quia eius est soluere, cuius fuit ligare, & obligatio per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Secundum tamen impedimentum oritur ex lege Ecclesiastica, qua bona immobilia Regularium (in quibus diximus computari pecuniam semel destinatam ad emenda bona immobilia,) redduntur inalienabilia, & inconuertibilia in alios vsus; quod quidem impedimentum non potest auferri à donatore, nec ab alio, nisi à Sede Apostolica: quod ad eò verum est, vt quamuis testator, vel donator dicat expressè, quòd relinquit, vel donat Conuentui talem fundum ad hoc, vt possint Religiosi illum liberè alienare, nullius ad hoc petita licentia; adhuc Conuentus fundum illum semel habitum alienare non posset sine licentia Sedis Apostolicæ, vt cum aliis obseruat idem Filliucius *vbi supra*, num. 29. Ratio autem est, quòd res illa semel posita sub dominio Ecclesiæ, debet omninò participare conditiones rei Ecclesiasticæ, quas non potest testator, vel donator impedire, nisi impediendo dominium Ecclesiæ supra illam rem: vt si diceret, Relinquo talem fundum Ecclesiæ ea lege, vt eum vendat: tunc enim non dat Ecclesiæ plenum fundi dominium, cum obliget Ecclesiam ad eum alienandum. Quando verò non obligat Ecclesiam ad alienandum, sed permittit solum ei alienationem, iam dat Ecclesiæ plenum rei dominium, & aufert impedimentum alienandi ex parte sua, non

tamen

tamen ex parte legis Ecclesiasticæ, in qua ipse non potest dispensare. Cum autem bona illa sint iam sub pleno dominio Ecclesiæ, atque ideò bona Ecclesiastica, subduntur planè legi Ecclesiasticæ, & participant inalienabilitatem, à qua non possunt, nisi auctoritate Ecclesiæ, liberari.

**3** Confirmatur, quia si donator ille post dictam donationem irrevocabilem factam, & post nouem annos voluisset bona illa, etiam quoad primum capitale, & quoad bona immobilia, quæ donauit, & iam erant facta bona ipsius Conuentus, liberare ab inalienabilitate, & consentire, vt liberè alienarentur; non sufficeret utique hic consensus donatoris, vt accedente etiam consensu Prælatorum Ordinis, & consensu Religionis, possent alienari sine licentia sacre Congregationis; quia iam semel facta fuerant bona Religionis inalienabilia. Eadem autem ratio videtur esse de redditibus vsque ad summam præscriptam, cum tota illa summa donata fuerit irrevocabiler, & ad bona immobilia, atque hoc pacto acceptata, atque ad eò videntur iam pertinere ad bona Ecclesiastica immobilia, ad quæ fuerat destinata: non ergo poterit magis ex consensu donatoris alienari, quam possent bona immobilia ab eodem donatore primò donata. propter quæ videtur mihi hæc pars non solum magis iura, sed etiam in puncto iuris, & in rigore magis vera.

**4** Non tamen auderem damnare vt omninò improbabilem, contrariam sententiam, quæ diceret posse à Religiosis conuerti subsequenter redditus ad soluenda debita ex consensu donatoris auferentis grauamen, quòd in prima donatione apposuerat. Ratio autem hæc esse potest, quia redditus illi considerari possunt inalienabiles, vel ex obligatione imposita à donatore, & pacto cum ipso inito, vel ex lege Ecclesiastica, quatenus illa sunt bona religiosa subdita legibus Ecclesiæ prohibentibus alienationem. Ex primo quidem capite, nempe ex voluntate donatoris, fatemur esse inalienabilia; hoc tamen impedimentum, sicut totum fundatur in voluntate donatoris, sic eiusdem consensu, & voluntate auferri potest, cedente donatore iure suo, atque ideò ex hoc capite cessat obligatio applicandi eos redditus ad emenda bona immobilia, quia tota illa obligatio respicit donatorem, quo cedente iure suo, dissoluitur.

**5** Ex secundo autem capite, nempe ex legibus Ecclesiæ, non videntur redditus illi esse inalienabiles, quia lex Ecclesiæ solum

prohibet alienari mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, & bona immobilia, non verò eorum fructus, & redditus; hi enim ex natura sua ordinantur ad vsum quotidianum, ad quem finem necesse est, quòd alienentur. Quamuis autem pecunia in magna summa alicui Conuentui legata, vel donata participet naturam rei immobilis, & debeat applicari ad emendam rem immobilem, vt cum aliis notat Filliucius *dicto cap. 4. num. 25.* quando tamen pecunia colligitur ex fructibus, vel redditibus bonorum immobilium Ecclesiæ, non subiacer prohibitioni Ecclesiasticæ alienandi. Talis autem videtur esse pecunia ex redditibus in casu nostro: nam in rigore loquendo donator solum donauit Conuentui prædia ipsa, seu bona immobilia; fructus verò subsequentes non sunt obiectum, vt ita dicam, donationis, sed acquiruntur Conuentui, eo quòd sint fructus rerum suarum, & omnis res fructificat suo domino. Donator ergo præscribens, quòd fructus vsque ad talem summam applicarentur ad emptionem immobilium, non utique id fecit tanquam disponens de fructibus, qui futuri erant sui, sed per modum grauaminis, quo grauauit Conuentum, vt teneretur fructus (qui futuri erant sub dominio ipsius Conuentus, utpote fructus bonorum eiusdem Conuentus) applicare ad emenda bona immobilia. Si ergo fructus illi ex natura sua fiebant Conuentus eo titulo, quòd essent fructus rerum suarum, non comprehendebantur sub lege Ecclesiastica non alienandi, quæ lex solum loquitur de bonis immobilibus, non de eorum fructibus, & redditibus. Tota ergo prohibitio alienandi oriebatur, non quidem ex lege Ecclesiastica, quæ eorum fructuum alienationem non prohibet, sed ex mero pacto oneroso inito cum donatore, quo Conuentus acceptauit donationem bonorum stabilium cum onere, & obligatione non expendendi fructus, nisi ad vsum emendi alia bona stabilia; quod grauamen cum solum obliget Conuentum donatori, condonante, & cedente ipso donatore, manebunt fructus omninò liberi, tam à pacto, & debito erga donatorem, quam à prohibitione legis Ecclesiasticæ, ratione cuius nunquam alienatio fructuum impediatur.

Possent tamen aliquis dicere, in casu nostro fructus non requiri Conuentui, sed donatori, cuius mens in illo contractu ea fuisse videtur, vt scilicet transferret in Conuentum dominium solum directum bonorum immobilium,

immobilium, & referuaret sibi dominium utile, seu vsum fructum per tot annos, quo tempore donabat eisdem fructus Conuentui, ad hoc solum, vt ex iis emerentur alia bona immobilia. Non ergo nascuntur fructus illi immediatè Conuentui, vt domino rei fructificantis, sed nascuntur donatori, qui referuauit sibi dominium utile, seu fructus per tot annos; qui tamen denuò illos donat Conuentui, vt ex iis emantur bona immobilia. Cùm ergo fructus, & pecunia ex iis conflata, donati sint ad bona stabilia comparanda, & hæc donatio fructuum sit acceptata à Conuentu, iam videtur summa illa manere affecta lege Ecclesiastica, & inalienabilis ad alios vsus: nam pecunia relicta, vel donata Conuentui ad emendum fundum, iam eo ipso reputatur inter bona immobilia inalienabilis.

7 Propter hæc dixi, tutius, & verius videri, quòd non possint fructus illi conuerti in alios vsus, vel in soluenda debita sine licentia sacre Congregationis, quia mens donatoris videtur fuisse donare immediatè non solum capitale, sed fructus etiam tot annorum, vt conuerterentur in bona stabilia: quare videtur esse quasi donatio pecuniæ numeratæ ad emenda bona stabilia, quæ pecunia sic donata, & destinata non potest in alios vsus expendi. Addidi tamen, non audere me reprobare, vt improbabile, si quis diceret, sufficere in casu proposito consensum donatoris, vt fructus annorum subsequentium applicentur ad solutionem æris alieni; quia in primis posset aliquis dicere, donatorem in nostro casu non apposuisse conditionem illam circa fructus, retinendo sibi dominium utile, & vsum fructum; sed potius donasse simpliciter totum capitale, & transtulisse in Conuentum dominium totum, & directum, & utile: apposuisse tamen grauamen illud conuertendi fructus in bona immobilia; quod grauamen non supponit, fructus manere sub dominio donatoris, sed potius acquiri Conuentui tanquam fructus rei suæ; cum onere tamè ex pacto inito cum donatore conuertendi illos in bona immobilia, quod pactum, & grauamè ex voluntate donatoris postea auferri potest, vt dictum est.

8 Deinde, quia etiam si ex pacto, & voluntate donatoris, tota illa summa destinata iam sit ad emenda bona immobilia: illa tamen destinatio non videtur certo sufficere ad hoc, vt censetur legibus Ecclesiasticis comprehensa, & prohibita ne alienetur; potest enim considerari deputatio illa vel

quatenus procedit à voluntate donatoris deputantis ad bona immobilia, vel quatenus procedit etiam à voluntate Conuentus acceptantis donationem ad eum effectum. Loquendo ergo de deputatione facta à donatore, ea non videtur sufficere ad obligandum ipsum donatorem, qui certè non intendit se ipsum obligare, sed donatarium, cui grauamen illud apposuit. Nec enim se obligat aliquis ad persistendum in decreto, & voluntate, quam semel habuit, emendi bona stabilia pro aliqua Religione, nisi fortè votum emisit, sed potest liberè ab ea intentione desistere.

Difficultas solum potest esse ex parte Regularium, qui acceptarunt eius summæ donationem ad eum finem, atque adeò iam ex parte sua deputasse videntur eam summam ad bona immobilia. Quare, cùm donator non possit, mutata voluntate, auferre ius, quod Regulares acquisierunt ad ea bona, & aliunde ipsi non possint mutare voluntatem, & conuertere in alios vsus pecuniam, quam deputauerunt ad bona immobilia, videtur iam ex hoc capite summa illa subdita legibus Ecclesiasticis prohibentibus alienationem. Cæterum dicere aliquis posset, nec deputationem, prout oritur ex voluntate Regularium, inducere hanc obligationem; est enim sententia grauissimorum Doctorum, non sufficere ad hunc effectum deputationem meram extrinsecam, qua Prælati, & Conuentus deputant, & referuant aliquam suam pecuniam ad emenda bona immobilia; ita cum aliis, quos affert, docet P. Vasquez in opusculis, tract. de redditibus, cap. 2. § 2. dub. 13. n. 44. & in terminis Castro Palao tom. 2. tract. 11. disp. vnica, puncto 15. §. 1. num. 5. vbi dicit, deputationem à Prælato, & Monasterio factam ad emenda bona immobilia ex aliqua pecunia, tunc solum impedire alienationem, quando pecunia fuit à testatore ad illum effectum relicta, vel habita fuit ex pretio rei immobilis venditæ, cuius loco substitui debet res alia immobilis; vel denique, quoties pecunia in se habet intrinsecè illam obligationem. Aliæ namque destinationes, inquit, videntur accidentariæ, neque conditionem pecuniæ mutant; quo supposito, non videtur sufficere ad inducendam eam obligationem deputationem, qua Conuentus destinauerat pecuniam fructuum subsequentium ad emenda bona immobilia, cùm hæc non possit mutare conditionem fructuum, qui ex natura sua sunt consumptibiles, sine alia licentia Sedis Apostolicæ.

Solum

10 Solum posset obstare, quòd hæc destinatio non fuit omninò spontanea, sed ex obligatione, & pacto imposito ab ipso donatore, qui voluit, quòd ad hunc effectum deputaretur pecunia illorù fructuum, quo casu prædicti Doctores fatentur, per destinationem reddi pecuniam inalienabilem. Ad hoc tamèn dici posset, casum nostrum differre ab omnibus exemplis, quæ illi Doctores afferunt: ea enim sunt de pecunia ad eum effectum destinata ex obligatione irreuocabili, qualis est pecunia ex pretio census redimibilis extincti, vel ex re immobili vendita, quæ quidem pecunia subrogatur loco census, vel rei immobilis, cuius pretium est, nec hoc habet ex voluntate alicuius hominis, sed ex sua natura. Idem est de pecunia à testatore relicta Conuentui, vt emat rem immobilem, quæ debet in eum vsum conuerti ex voluntate testatoris, quæ voluntas reuocari non potest iam à testatore mortuo. At verò in casu nostro obligatio tota est ex voluntate donatoris, qui potest suam voluntatem reuocare, & remittere obligationem, quam ipse solus imposuit: quare deinceps non erit iam pecunia ad eum effectum deputata ex obligatione, cùm obligatio ab ipso, qui obligauit, sublata fuerit, atque adeò manebit pecunia illa deputata non ex obligatione. nam Prælati, & Religio non habuerunt animum absolutè se obligandi, sed solum sub conditione, quandiu donator, cui se obligarunt, iure suo non cederet; quod commune est in omnibus contractibus onerosis, excepto matrimonio, & Professione religiosa, & similibus, qui dissolui non possunt ex consensu contrahentium: in cæteris enim contrahentes se obligant solum sub conditione, si ille, cui se obligant, non cessent iure suo. Non ergo videtur pecunia illa deputata ex obligatione absoluta, sed solum sub conditione, qua conditione deficiente, obligatio tota, atque adeò deputatio ex obligatione cessare videtur. Et hæc sunt quæ mihi pro vtraque parte dicenda occurrebant.

11 Hinc obiter infero, quid dicendum sit ad alium casum, qui in facti contingentia propositus fuit. Legata quippè fuit Conuentui Regularium res immobilis. Prælatus Conuentualis, & Prouincialis acceptare volebant, sed relicta sibi libertate ad alienandum; quare non ita volebant rem illam Conuentui incorporare, vt redderetur inalienabilis, sicut alia bona immobilia eiusdem Conuentus, nec defuerunt qui probarent, posse eo animo, & cum ea limi-

tatione acceptari. Sicut & testator, vel donator posset eam conditionem in legato, vel donatione rei immobilis addere, & obligationem alienandi imponere.

Dixi tamen, id fieri non posse, nec acceptari legatum rei immobilis, referuando sibi facultatem alienandi. Ratio est clara, quia, antequam alienetur res illa à Prælati, debet acquiri Conuentui: nemo enim potest alienare rem non suam, neque transferre in emptorem dominium, quòd non habet: debet ergo prius acceptari legatum, per quam acceptationem res legata acquiritur legatario, imò posita acceptatione, retrotrahitur acquisitio rei legatæ ad tempus mortis testatoris, vt suppono. Eo autem ipso quòd Prælatus acceptat legatum, res illa manet sub dominio Ecclesiæ, & Conuentus: quare non est differentia inter rem illam denuò acquisitam, & reliqua bona Conuentus, sed omnia æquè sunt bona Conuentus: nec nomen incorporationis, quòd attinet ad hunc effectum, explicat, vel addit aliquid supra nomen acquisitionis, cùm nullus alius actus requiratur ad incorporationem præter dominij pleni acquisitionem, vt bene obseruauit Filliucius in Appendice, disp. 44. cap. 4. n. 34. & quamuis aliquid adderet, id quidquid sit, non requiritur ad alienationem: nam lex Ecclesiastica prohibens alienationem, loquitur vniuersaliter de omnibus Ecclesiæ bonis immobilibus, vt bene ad hoc propositum obseruauit Castro Palao tom. 2. tract. 10. disp. vnica, puncto 15. §. 1. nam. 9. inferens, quamuis testator non obliget ad conseruandam rem legatam, non tamen posse ab Ecclesia alienari; quia per meram acceptationem fiunt bona Ecclesiæ, atque adeò comprehenduntur lege prohibente generaliter alienationem omnium bonorum Ecclesiæ; quam etiam sententiam supponere videtur Filliucius vbi supra dicto cap. 4. num. 29. cùm nolit posse alienari rem immobilem relictam, vel donatam Ecclesiæ, cum conditione expressa addita à donatore, vel testatore, vt possit Ecclesia eam rem liberè alienare, quantò magis quando sine ea conditione donata, vel legata fuit?

Nec obstat, quòd, quando testator obligauit ad rem alienandam, potest sine alia facultate alienari: tunc enim non solum potest, sed debet alienari; quare non fuit vnquam sub pleno, & libero dominio Ecclesiæ, cùm Ecclesia non possit eam rem sibi retinere: lex verò Ecclesiastica prohibet alienari bona Ecclesiæ, hoc est, quæ ita sunt

sub



sub Ecclesiæ dominio, vt possit Ecclesia ea sibi liberè retinere, qualis est res legata, & acceptata in casu nostro. Quia tamen de obligatione emendi immobilia loco rei immobilis cum licentia alienatæ loquuti sumus: hac occasione aliquid insinuabimus de obligatione extinguendi censum, qui cum licentia sacre Congregationis impositus est ob necessitates Regularibus occurrentes, vel etiam inuestiendi pecunias pro capitali, quod fuerat alienatum,

## D V B I V M X I.

*Incidens de obligatione Prælati imposita extinguendi censum, vel inuestiendi pecunias intra certum terminum.*

**S**olet quippe Sacra Congregatio, quando ob necessitates vrgentes concedit Regularibus facultatem imponendi sibi censum redimibilem, apponere in ipsa licentia præceptum, & obligationem extinguendi censum totum, vel saltem partem intra tantum tempus, prout maior, vel minor est spes extinctionis possibilis. quod idem fit, quando alienatur cum licentia res aliqua immobilis, imposito præcepto inuestiendi pecunias intra tempus determinatum.

**C**um ergo ex facultate Sacre Congregationis alienata fuissent aliqua bona stabilia, eadem Congregatio imposuit præceptum Prælati eiusdem Domus religiosæ, ad quem spectabat, inuestiendi singulis annis centum aureos in bonis stabilibus, donec compensaretur alienatio facta; & hoc sub pœna suspensionis, à qua non posset absolui, nisi facto inuestimento prædicto. Cum ergo anno præsentis nihil inuestisset Prælati, qui diebus quinque ante finem anni cessauit ab officio, successor illius non inuenit ex fructibus anni præcedentis, nisi decem aureos; quare dubitauit, an sequenti anno deberet inuestire 200. aureos, an satisfaceret inuestiendo centum pro illo anno sequenti, qui erat primus annus sue Prælaturæ.

**R**espondi, distinguendum esse: nam vel Prælati successor inuenit prouisiones factas ad victum, vestitum, & alia necessaria pro anno sequenti in totum, vel in partem, vel non inuenit. Si eas inuenit, falso dicit, se non inuenisse, nisi decem aureos; nam res illæ anticipatè emptæ ad annum

sequentem æquivalent pecuniæ, quæ anno sequenti ad prouisionem præsentem insumenda erat. Quare sicut teneretur inuestire pro anno præcedenti, si pecuniam inuenisset collectam ex fructibus eiusdem anni, sic tenebitur, si inuenit prouisiones ex iisdem fructibus antecedenter factas ad annum sequentem; quia res illæ emptæ succedunt loco pecuniæ, & reddituum anni præcedentis. Si verò non inuenit eiusmodi prouisiones, videndum rursus erit, an Prædecessor ex culpa sua non obserauerit præceptum sibi impositum: quo casu probabile mihi visum fuit, non obligari successorem ad inuestiendum pro utroque anno, sed solum pro anno sequenti, addita ad summum illa parua summa, quam inuenit ex redditibus anni præcedentis, & rata illorum quinque dierum, hoc enim videtur significari in illis verbis Congregationis, *Prælati ad quem spectabit, &c.* Ad illum enim Prælatum videtur spectare inuestire centum ex pecuniis huius anni, qui est Prælati hoc anno, qualis non est successor, qui diebus solis quinque anni huius fuit Prælati, atque idè ipse non videtur esse Prælati, ad quem spectat præceptum pro hoc anno. Si tamen Prædecessor in utilitatem Conuentus distulit inuestire, tunc videtur successor obligari etiam pro anno præcedenti, quia tenetur ad debita contracta à prædecessore in utilitatem Conuentus, inter quæ videtur etiam computandum hoc debitum, quod oritur ex prædicto decreto Sacre Congregationis.

## D V B I V M X I I.

*De promissione facta à Regularibus locandi fundum per plura triennia successiue.*

**N**onauit Domui religiosæ in Prouincia ultramontana longinqua sex mille florenos, vt ex iis Conuentus fruere- tur censu durante donatoris vita, & ipso mortuo, ex capitali disponerent Prælati pro ipsorum libito. Petiit etiam vt locaretur ei fundus quidam Conuentus eiusdem minori pretio per triennium, & renouaretur successiue locatio per singula triennia durante eius vita, alioquin redderentur ei 6000. floreni donati: consensit Conuentus, & per nouem annos locationes continuatæ sunt. Quæsitum est, an sit obligatio continuandi eodem minori pretio sub obligatione reddendi capitale illius census.

Respondi,

**R**espondi, videndum in primis esse, an donatio 6000. florenorum, & promissio locationum fuerint factæ eodem tempore, & contractu, an diuersis temporibus, prout facti narratio indicare videbatur. Nam, si donatio facta fuit primo modo, non videtur fuisse donatio absoluta, sed conditionalis, & talis, vt deficiente postea conditione, resoluatur, & debeat restitui capitale donatori, quoties locatio fundi postea non renouabitur, prout verè renouari semper potest. Nam quamuis daremus, quod non possit se obligare Conuentus ad renouandas locationes per alia triennia ex vi constitutionis Pauli II. de quo postea: donator tamen potuit non dare capitale absolute, sed sub conditione illa renouandi locationem, ad quam nolebat obligare Conuentum, sed solum reseruare sibi ius repetendi suam pecuniam donatam: vnusquisque enim est dominus rei sue, & potest illam ad tempus, vel in perpetuum, absolute, vel sub conditione donare, præsertim cum interim permetteret Conuentum frui redditibus illius census, quibus abundè compensari videbatur diminutio pretij in locatione fundi subeunda.

**S**i verò (quod magis videtur re ipsa factum,) non fuit promissio illa locationum petita eodem tempore, vel contractu, sed tempore diuerso posteriori; dixi, etiam si Conuentus nolit continuare locationes, non debere reddere illos 6000. florenos, neque enim postea potuit se ad hoc obligare, cum hoc esset alienare censum Conuentui iam incorporatum. Imò, quamuis donator in ipsa prima donatione dederit facultatem Conuentui disponendi de capitali pro libito post mortem donatoris, id non sufficit, vt absque Sedis Apostolicæ licentia possit alienari; potest enim donator, vel testator obligare quidem donatarium, vel legatarium ad alienandam rem donatam, vel legatam: si tamen nullam imponat obligationem, non potest facere, vt possit absque licentia Sedis Apostolicæ eam alienare, cum res immobilis incorporata Conuentui eo ipso fiat inalienabilis. Non ergo potuit postea Conuentus obligare se ad relinquendum censum illum sibi iam incorporatum, neque ad id obseruandum tenebitur.

**Q**uia verò obiter quærebatur, an Prælati incurrissent censuras, & pœnas Extrauagantis Pauli II. cum se ad illas locationes faciendas obligarunt, dixi, verè

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

simile satis esse, quod eas non incurrerint. Primò, quia in constitutione Paulina exigitur dolus, & præsumptio, vt constat ex eius verbis: præsumptio autem importat temeritatem, & dolum, vt cum aliis notat in terminis huius Bullæ Filliucius in *Appendice, tract. 44. cap. 6. §. 1. num. 5.* in casu autem nostro non fuit præsumptio, sed bona fides, vel ad summum ignorantia vincibilis. Secundò, quia constitutio illa prohibet solum locationem ultra triennium: in nostro autem casu non fuit vnquam facta locatio, nisi ad vnum triennium; & quamuis se obligauerit Conuentus ad renouandas locationes de triennio in triennium, viuente donatore; hæc tamen non fuit locatio, sed promissio locationis faciendæ, quæ quando est solà promissio personalis, qualis videtur hæc fuisse, non dat ius in re promissario, neque intelligitur comprehensa in prohibitione illa Paulina, ex sententia grauium Doctorum, quos refert, & sequitur Filliucius *dicta disp. 44. cap. 2. num. 19.*

**V**nde vltimò inferebam, quidquid sit, an Conuentus possit reclamare contra promissionem illam, siue quia sit infra dimidium iusti pretij, siue ob aliud caput, & petere restitutionem in integrum Minoribus concessam: prudenter tamen facturum Generalem, si consideret, an diminutio illa pretij locationis faciendæ sit talis, vt non excedat id quod intra terminos donationis remuneratoriæ potest Conuentus prudenter donare benefactori suo bene merito, qualis fuit donator: quo posito, expediret magis bono nomini, & debitæ gratitudini, continuare locationes eodem pretio singulis annis, condonando defectum iusti pretij ad vitandas saltem lites, querelas, & offensiones, quæ sine iactura nominis religiosi excitari non possent.

## D V B I V M X I I I.

*De alienatione facta contra formam facultatis concessæ à sacra Congregatione.*

**P**etita fuit facultas à sacra Congregatione Cardinalium Interpretum sacri Concilij Tridentini, vt domus quædam Regularium posset alienare tres census ibi nominatos, dando illos in pretium pro certo fundo. Fuit autem commissa facultas Ordinariis, vt præuio examine ab ipso faciendo

M

ciendo

ciendo circa euidentem vtilitatem, &c. dispensaret. Postea verò in decreto ab Ordinario facto, positi sunt alij duo census diuersi loco duorum ex tribus propositis sacre Congregationi, & contentis in commissione eiusdem Congregationis, sed tamen eiusdem valoris. Itaque venditori fundi dati sunt in pretium fundi tres census, quorum vnus solus continebatur in commissione sacre Congregationis, pro aliis verò duobus subrogati sunt duo diuersi, sed eiusdem valoris. Quæsitum ergo fuit primò, an Conuentus ex hoc defectu facultatis possit allegare postea, & agere contra emptionem fundi, (quæ apparuit temporis decursu parum vtilis Conuentui,) & contra alienationem censuum. Secundò, quo remedio liberari possit Prouincialis, ne fortè in foro saltem externo accusetur, tanquam qui incurrerit pœnas statutas contra Regulares alienantes sine debita facultate Sedis Apostolicæ.

2 Ad primum dixi, alienationem censuum proculdubio fuisse inualidam, cum ex dicta Extrauaganti Pauli I I. quæ incipit, *Ambitiosa*, & ex decretis sacre Congregationis iussu Urbani VIII. editis, irritæ sint alienationes à Regularibus factæ sine licentia eiusdem Congregationis: quæ licentia defuit, cum petita fuerit, & concessa ad alienandos alios census nominatos in indiuiduo, & eorum loco alij diuersi sint alienati, ad quorum alienationem nec fuit petita, nec concessa facultas. Nec obstat, hos census fuisse eiusdem valoris, & qualitatis cum illis aliis, quare eodem modo, & æquè facillè data fuisset licentia ad illos, sicut ad istos; hoc, inquam, non obstat, quia adhuc defuit voluntas concedendi facultatem ad horum alienationem, cum data fuerit facultas solùm ad illorum aliorum alienationem nominatim. Nec fuit error in nomine, sed in substantia, designando vnum censum realem pro alio diuerso: Regula autem generalis est, vt concessio facultatis non extendatur ad casum sub verbis concessionis non comprehensum, quamuis ad illum etiam casum, si pereretur, æquè facillè concessio facta fuisset. quæ regula potissimum locum habet in mandato, quale fuit in præsentibus mandatis sacre Congregationis destinatum Ordinatio, cuius mandati termini strictissimè sunt obseruandi, vt cum communi Doctorum, quos affert, notat Thomas Sanchez lib. 8. de matrimonio, disp. 2. 1. num. 36. & colligitur ex cap. cui de non Sa-

cerdotali, de præbendis, lib. 6. & cap. susceptum, de rescriptis, eodem libro: in quibus deciditur, mandatum de conferenda alicui præbenda certi valoris, vel beneficio vacante per resignationem, non extendi ad conferendam præbendam minoris valoris, nec beneficium, quod vacaret per obitum. Aliud item simile, & magis strictum exemplum afferunt Doctores, quos refert, & sequitur idem Sanchez *ibi n. 39. si*, v. gr. rescriptum impetretur ad recuperandum debitum, quod tibi debetur ex mutuo: quod rescriptum nihil poterit conducere ad recuperandum debitum, quod non sit ex mutuo, sed ex alio contractu, quamuis æquè facillè, & facilius ad id concessum fuisset. Cum ergo rescriptum, & mandatum sacre Congregationis fuerit ad tales census alienandos, & ad facultatem pro iis ab Ordinario concedendam; non potuit validè Ordinarius extendere mandatum ad alios census alienandos, quamuis æquè facillè ad eos concessa fuisset facultas, si petita fuisset.

Nec etiam obstat, quòd posita facultate alienandi hos census, videatur leuis transgressio, si commutentur pro aliis æqualibus: hoc, inquam, non obstat, quia si hæc esset leuis transgressio legis, sequeretur, quòd possent hodie Prælati Regulares absque alia facultate Sedis Apostolicæ permutare fundos, vel alia bona immobilia pro aliis æqualibus, vel melioribus, quod tamen est falsum omninò, & contra omnes Doctores, qui non minùs dicunt esse prohibitam permutationem, quàm venditionem horum bonorum, quos refert, & sequitur Filliucius in *Appendice tractat. 44. cap. 2. num. 23.* & constat expressè ex cap. nulli, de rebus Ecclesiæ alienand. & cap. 2. de rerum permutatione, & ex Extrauaganti *Ambitiosa*.

Denique nec dici potest, hanc alienationem fuisse validam saltem quoad partem, nempe quoad censum illum contentum in iis tribus, ad quos data fuerat commissio, & facultas à sacra Congregatione. Hoc, inquam, non subsistit, quia, cum tres census dati fuerint pro pretio fundi, qui indiuisibiliter permutabatur pro illis tribus censibus; si non potuit permutatio valere quoad partem propter defectum licentiæ, consequens est, vt quoad nihil valere poterit, cum fundus non potuerit solùm quoad sui partem Conuentui acquiri. Restat ergo quòd alienatio censuum, & totus ille contractus inualidus omninò iudicari debeat.

Ad

5 Ad secundum verò punctum de liberando Prouinciali à pœnis, & censuris ob alienationem indebitè factam, cui contractui ipsemet personaliter auctoritatem, & consensum præstitit; dixi, quamuis Prouincialis possit etiam in foro externo se excusare, dicens, se probabiliter deceptum auctoritate Ordinarij concedentis facultatem: videri enim potuit Ordinarius visa, & considerata commissione sacre Congregationis, agnouisse adhuc in se potestatem ad id faciendum, etiam deficiente identitate censuum: adhuc tamen ad maiorem securitatem tentandum esse pro absolutione obtinenda à Sacra Pœnitentia, quæ habere solet in ordine ad Regulares facultatem pro vtroque foro, & absoluendi, & dispensandi, & habilitandi, & liberandi ab aliis similibus pœnis Canonicis. Peri etiam hoc ipsum potest à sacra Congregatione Concilij, & attenda errandi occasione prædicta, facillè impetrabitur absolutio, & dispensatio. Denique potest idem intentari apud Datarium, vel etiam apud Secretariam Apostolicam, vt absolutio, & dispensatio habeatur per Breue Pontificium. Quoad forum verò internum, probabilis est sententia multorum, qui dicunt, pœnas inhabilitationis, & priuationis vocis actiue, & passiuæ non incurri ante sententiam criminis declaratoriam; quam sententiam docent cum aliis multis, quos afferunt, Thomas Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 39. num. ult. & Filliucius dicto tract. 44. cap. 6. num. 7.

## DUBIUM XIV.

## De Religioso non manifestante hæreditatem sibi delatam.

1 Titius antequam fieret Religiosus, institutus fuit hæres vniuersalis à Sempronio auunculo materno; postquam verò Titius Professionem emiserat in Religione capaci successione hæreditaria, longo post tempore mortuus est Sempronius, nullo alio testamento condito: quia tamen testamenti facti temporis lapsu noticia communiter non habebatur, existimatus est decessisse ab intestato, atque adè propinquiores consanguinei testamenti facti conscij hæreditatis possessionem acceperunt. Nec id Titio displicuit, qui mallet hæreditatem à suis propinquis retineri, quàm ad Religionem transferri. Quæsitum fuit, an Titius dissimulare pos-

D Io. Card. de Lugo Respon. mor.

set, & tacere, ac permittere testamenti ignorantiam, ob quam Religio, ad quam ex testamento spectabat hæreditas, eam non exigebat.

Suppono, esse controuersiam apud Doctores, an Religioso aliquo hærede instituto, hæreditas acquiratur immediatè ipsi, & eo mediante, & adeunte hæreditatem, acquiratur Religioni; an verò ius adeundi acquiratur immediatè Monasterio, ita vt non sit necesse, quòd Religiosus institutus adeat hæreditatem, sed Monasterium immediatè possit eam acceptare: quam quæstionem latè tractat Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 12. n. 35. & sequentibus, & nos de hoc ipso egimus tom. 1. de Iustitia, disp. 3. sect. 5. num. 94. & sequentibus; & quamuis aliqui asserant non nisi mediatè acquiri Monasterio, atque adè requiri quòd Religiosus institutus adeat hæreditatem; nos tamen cum Sanchez, & aliis multis diximus, posse Monasterium immediatè adire hæreditatem, ignorante etiam Religioso ipso suam institutionem.

Quia tamen primam sententiam tenent graues Doctores, eamque probabilem esse fatetur Sanchez *ubi supra*, num. 36. idè in casu nostro aliqui volebant, propinquos potuisse hæreditatem possidere, & nihil de testamento dicere, quandiu Religiosus ipse institutus non contradiceret, sine cuius voluntate hæreditas non poterat ad Monasterium deuolui. Nec etiam ipsum Religiosum obligari ad aliquid Monasterio manifestandum, sed posse tacere, quia quandiu ipse non acceptat, nullum videtur ius acquisitum Monasterio ad bona illa hæreditaria. Posset autem confirmari ex doctrina communi Doctorum, qui dicunt, posse Religiosum, cui donum offertur, illud respuere sine licentia Prælati ad respondendum, neque in hac refutatione peccare contra votum paupertatis, aut contra iustitiam, licèt aliquando peccare possit contra charitatem, quando sine rationabili causa impedit Monasterio lucrum, quod dono acceptato posset habere; quod docet idem Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 75. & nos etiam dicta disp. 3. sect. 8. num. 166. cum aliis *ibidem* à me relatis. Poterit ergo etiam in casu nostro Religiosus non acceptare hæreditatem absque vlla iniuria contra Monasterium, amplectendo sententiam probabilem, quòd sine acceptatione Religiosi non possit hæreditas Monasterio acquiri.

M 2

Dixi

4 Dixi tamen, Religiosum non posse Monasterio occultare suam institutionem, & hæreditatem sibi delatam. Primò, quia præterquam quòd Religiosus peccaret contra charitatem defraudando Monasterium lucro ex hæreditate obuiente, sine iusta, & rationabili causa excufante; statuendum est, in vtraque sententia supra relata, Religiosum non posse sine licentia Prælati adire, vel etiam repudiare hæreditatem sibi delatam, imò aditionem, vel repudiationem esse nullam, vt cum aliis aduertit Thomas Sanchez dicto cap. 12. num. 37. & nos etiam dicta sect. 5. Vnde constat, Religiosum in casu nostro non posse sine consensu Prælati licitè, nec validè repudiare hæreditatem, quam scit sibi ex testamento delatam, præsertim cum in iis circumstantiis eo ipso, quòd hæreditatem non adit, nec petit, censeatur illam omninò repudiare; nam hæres ab intestato, qui notitiam habet testamenti antea facti, & videt Religiosum nolle vti eo testamento, nec illud Monasterio manifestare, sed potius velle quòd hæreditas veniat ad hæredes ab intestato, prudentissimè iudicat, Religiosum nolle hæreditatem, sed potius, quantum in se est, eam repudiare, eoque titulo hæreditatem possidet. Cum ergo repudiatio illa tota sit inualida, vt pote facta sine licentia Prælati, peccat Religiosus repudiando hæreditatem repudiatione illicita, & inualida, & quæ non solum est contra iustitiam, sed etiam contra votum paupertatis.

5 Vnde fieri potest secunda ratio, quia hæres ab intestato peccat possidendo quasi ab intestato hæreditatem, non præcedente valida, & legitima repudiatione hæredis, quem scit testamento designatum esse; hæres enim ab intestato nullum habet ius, antequam hæredes testamentarij repudiant. Huic autem peccato cooperatur ipse Religiosus, dum suo silentio, & occultando testamentum, fiduciam, & animum generat in hærede ab intestato, qui alioquin hæreditatem non peteret, nec caperet, si sciret testamentum manifestandum, & hæredem testamentarium velle succedere. Cooperatur ergo iniquæ vsurpationi bonorum, qua hæres ab intestato sine titulo sufficienti hæreditatem possidet. Denique addi potest iniuria contra legatarios; fortasse enim plures alij præter hæredem aliquid ex illo testamento capere debebant, qui quando testamentum occultum manet, care-

bunt iis, quæ sibi debentur: quod præsertim locum habebit in iis, quæ etiam hærede repudiante hæreditatem, adhuc ab hærede ab intestato solui deberent, qualia sunt legata pia in testamento relicta, imò & legata etiam non pia, quando in testamento appofita fuit clausula codicillaris, vel aliquid æquipollens, vt adductis etiam aliis casibus obseruat P. Molina tom. 1. de iustitia, tract. 2. disp. 181. omnes ergo legatarij in illo testamento scripti habent ius ad legata illa ab hærede etiam ab intestato accipienda, quia communiter clausula codicillaris apponi solet, & ea etiam non appofita, debentur saltem legata pia; quæ tamen omnia, non habita notitia testamenti, effectu suo carebunt. Nec Religiosus tacendo excufari poterit ab his omnibus detrimentis, si, vt consanguineis indulgeat, veritatem occultet in præiudicium Monasterij, & aliorum.

## D V B I V M XV.

*Utrum grangia Regularium gaudeat immunitate.*

**D**elinquens sæcularis captus fuit à ministris curiæ sæcularis in Capella quadam, quæ erat in grangia Regularium. Reclamatum fuit à Regularibus, & coram Episcopo accusati ministri curiæ, eo quòd immunitatem Ecclesiasticam violauerint, dum reum ex Capella illa extraxerunt; ipsi tamen excufabant factum, allegantes illum fuisse capturatum in villa, quæ non est locus sacer, vt docet Cardin. Tuschus in conclusionibus iuris, verb. grangia, his verbis: *Grangia est membrum suppositum Monasterio, in quo est Oratorium ad celebrandum, sed non est locus sacer, nec fundatus de licentia Episcopi, idèd Episcopo non subest.* Quare Barbosa, & Gambacurta, quos affert, & sequitur Lezana tom. 3. verb. immunitas Ecclesiarum, num. 3. dicunt, domos, seu villas, quas Religiosi habent recreationis gratia, separatas ab eorum Ecclesia, non gaudere immunitate.

Ego tamen oppositum Episcopo consului; concessi quippe libenter, eum non esse locum sacrum, nec etiam esse Monasterium, in rigore loquendo, atque ideo de rigore iuris non gaudere immunitate; & in hoc sensu loquuti sunt prædicti auctores. Secus

Secus tamen dicendum, si speciali priuilegio id concessum sit: quod quidem priuilegium, quia prædicti Auctores vel non viderunt, vel illius memores non fuerunt; idèd absolutè negarunt immunitatem; extat tamen eiusmodi priuilegium ab Eugenio I V. concessum Cisterciensibus, prout ex compendio Ordinis Cisterciens. refert Eman. Rodericus tom. 2. quæst. regular. q. 75. art. 2. his verbis: *Concessit, quòd grangia Monasteriorum Cisterciensium, sicut Ecclesiarum atria, prauorum hominum incurfu, & violentia, libera, & quietæ debeant esse; ita vt nemo in eis hominem capere, spoliare, aut ruinam exercere presumat in virtute Spiritus sancti inhibendo statuit.* ex quibus verbis constat, id non fuisse concessum viæ vocis Oraculo, sed per litteras authenticas. Nam, licet Oraculo concedi soleant priuilegia pura, quia id sufficiebat ad securitatem conscientie ipsius priuilegiati; nunquam tamen eo solo Oraculo statuuntur pœnæ facientibus contra priuilegium; ad hunc enim finem id nihil deseruiret, cum non constaret tunc de priuilegio, nisi ex testimonio priuilegiati, cui alij, de quorum præiudicio agitur, credere non tenerentur; quod potissimè locum habet in materia immunitatis, quæ nihil aliud est, nisi prohibitio ministrorum curiæ, & inhibitio eorum circa aliquas personas, vel loca: quæ inhibitio nihil operabitur, nisi legitimè, & authenticè de ea constet. Cum ergo hoc sit speciale priuilegium Ordinis Cisterciens. atque adèd competat illis aliis Ordinibus, qui plenissimam priuilegiorum communicationem habent cum cæteris (qualis erat Ordo religiosus, ad quem grangia illa spectabat) consequens est, vt extractio delinquentis fuerit contra immunitatem, atque idèd reus restituendus omninò esset: quod etiam in propriis terminis tenet Villalobos in summa tom. 2. tract. 39. difficultate 5. num. 6. vbi id probat ex eodem priuilegio Cisterciensibus concessio, & Peregrinus de immunitate, cap. 4. num. 58.

3 Quapropter Episcopus sacram Congregationem Romæ consuluit, quæ respondit, si Capella illa erat in grangia, obseruandum priuilegium; qua occasione iterum ex parte curiæ sæcularis apud Episcopum oppositum fuit, illam non esse grangiam, sed villam: quasi sub grangie nomine non veniant meræ villæ, sed hospitia quædam, seu parua domus Religiosorum, quæ sunt quasi membra Monasterij. D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

rij, & sub eiusdem Prælati gubernatione, quod videtur intellexisse P. Diana 6. p. tract. 1. de immunitate Ecclesiarum, resolut. 6. post. medium, (quæ post litem illam in lucem prodiit,) vbi, cum aduersus nonnullos teneat grangias gaudere immunitate, addit hæc verba: *& grangia sunt quadam parua domus Religiosorum, quæ sunt veluti hospitia ipsorum, & membra Monasterij, quæ sunt sub potestate, & iurisdictione Prælati Monasterij, cuius sunt grangie.* Quare videtur velle, quòd ibi habitent aliqui Religiosi permanentes, in quos Prælati exerceat iurisdictionem.

Ego tamen dixi, grangie nomine intelligi villam etiam illam cum Capella, in qua Religiosi recreationis gratia adeuntes, vel ibi commorantes celebrant; quod probauit ex cap. ultimo, de censibus, vbi Pontifex dicit, *Auctoritate presentium inhibemus, ne quis pro eo, quod in Oratorijs, quæ in grangijs vestris habetis, interdum aliqui vestrum celebrant, procuraciones, quæ ratione visitationis debentur, à vobis exigere, vel extorquere presumat.* vbi glossa verb. *ratione visitationis*, notat, quòd in illis grangijs, licet ibi quandoque Monachi celebrent, non consueuerunt Monachi morari, sed conuersi causa colendi agros suos: & glossa marginalis addit, *in multis Hispanie locis, grangias vocari, quæ Latini rura appellant.* Et quidem Italica etiam lingua eandem appellationem retinet, & eiusmodi villas Religiosorum solet grangias vocare. Quare meritò Episcopus perstitit in defensione immunitatis sacræ Congregationis mentem sequens, quæ prudenter addidit verbum illud, *obseruandum priuilegium*, vt significaret, immunitatem in hoc casu non esse de iure communi, sed ex priuilegio speciali; quare reus tandem ratione immunitatis restituendus fuit.

## D V B I V M XVI.

*De prætenfa inualiditate Professionis cuiusdam Monialis ex causa metus, & postea ab eadem ratificata.*

**D**E hoc casu per multos annos litigatum fuit in varijs tribunalibus, & vltimò in sacra Rota Romana controuersum, cuius variæ fuerunt, & contrariæ decisiones ob circumstantias facti pluries alteratas, M 3 tas,



ras, & testes etiam diuersis temporibus aliter deponentes, de quo etiam casu, vt opinor, loquutus est Laurentius Portel in *responsionibus moralibus*, p. 3. casu 32. qui tamen respondisse videtur ante ratificationem ab eadem Moniali factam, & casu ipso principali paulò aliter narrato. Ego itaque relicto suo loco narrationi veriori, proponam casum prout mihi propositus fuit, & subiiciam, quid ipse iuxta eam facti seriem in hac controuersia senserim.

Fœmina quædam ingressa est Monasterium, & facta intra bimestre ante Professionem iuxta decretum Tridentini renuntiatione bonorum, & iurium ad fauorem sui patris, Professionem emisit, coacta tamen, vt ipsa præterdit, metu, & minis parentis, ac protestata prius ante imaginem Crucifixi, & coram multis aliis Monialibus, se inuitam profiteri; sed pars aduersa negat & metum, & minas, & protestationem prædictam. Postea per multos annos more Professarum actus omnes exercuit tam in electionibus Prælatarum, quam in admittendis Nouitiis ad habitum, & Professionem, & hoc non solum viuente patre, sed etiam eo mortuo per longum tempus. Occasione tamen cuiusdam hæreditatis, quæ ipsi obueniebat, sollicitata ab aliis consanguineis, qui ea bona per manus prædictæ Monialis sibi comparare volebant, vt dicebatur, obtentata prius à Summo Pontifice licentia reclamandi post quinquennium, reclamauit contra valorem Professionis propter metum. Quia tamen causa in longum traheretur, suadentibus nonnullis viris piis, & doctis, quibus res illa non videbatur scandalo carere, vt post annos 30. negaret se esse Monialem, quadam die, dum Vicarius generalis Archiepiscopi tanquam iudex à Papa ad id muneris delegatus, testes examinaret, ipsa met accessit ad crates, eidemque Vicario coram Notario, & testibus palàm edixit, ne ulterius procederetur in testium examine, quia ipsa sponte sua cedebat liti, *ac si antea*, inquit, *Monialis non fui, hodie Monialis esse volo.* Quare Vicarius ab examine testium cessauit. Consanguinei tamen, qui ex renuntiatione præcedente, bonis fruebantur, & idcirco pro valore Professionis agebant, conscij huiusmodi cessionis, noluerunt eam acceptare, nisi simul ratam haberet renuntiationem bonorum antiquam; timebant enim, ne adhuc remaneret titulus eam annullandi ob nullitatem prioris Professionis.

Ipsa etiam Monialis parùm constans, paulò post iterum rediit ad litem contra valorem suæ Professionis, & contendit pro liberatione, & reditu ad sæculum.

Videbatur itaque res in primo statu constituta, quia cessione litis facta, cum non fuisset ab aduersariis acceptata, non potuit habere effectum, atque idè potuit liberè reuocari. Ratificatio etiam Professionis non videtur fuisse valida, quia Professio, vt validè fiat, debet fieri in manibus Abbatissæ, vel Prælati potentis acceptare Professionem: illa autem ratificatio non fuit facta in manu alicuius potentis eam acceptare, sed coram quodam iudice delegato, ad quem non spectabat dare, vel acceptare Professionem.

Dixi tamen, ratificationem illam videri fuisse omninò validam, & non relinquere amplius locum reclamandi. Ne autem quæstio nostra ad alia diffundatur, omitto totum id quod spectat ad nullitatem præsentem Professionis prioris ob metum; de quo alia quæstio erat: nam metus non probatur sufficienter, ac, etiamsi præcessisset, purgatus videbatur ex eo quòd mortuo patre, qui metum dicebatur iniecisse, ipsa per multos annos perseuerauit, ingerens se in omnibus actibus propriis Professarum, quales sunt electiones Prælatæ, admissiones Nouitiarum, & alij similes, per quos actus arguitur tacita ratificatio Professionis. Sed quia non est animus de hoc articulo disputare, reducit tota quæstio præsens ad valorem ratificationis expressæ subsequenter, quæ videtur totam controuersiam dirimere.

Et in primis concedo, cessionem litis, quatenus intra suos terminos continetur, non habere suum effectum, nisi acceptetur ab aduersario; quia est contractus humanus, & sequitur naturam aliorum contractuum: quare ante aduersarij acceptationem potuit ab ipsa Moniali reuocari. Et quidem, vt hoc obiter dicam, minùs prudenter aduersarij fecerunt, dum illum actum recusarunt acceptare, eo timore ducti, ne fortè, si prior Professio censeretur inualida, declararetur etiam inualida renuntiatione, cuius virtute ipsi bona possidebant; debuissent enim aduertere, quando renuntiatione fit expletis decem mensibus nouitiatus, quamuis Professio subsequuta sit irrita ex metu; quocumque tamen tempore postea tacitè, vel expressè ratificetur Professio, renuntiationem confirmari, vt cum Eman. Roderico norauit optimè

optimè Thomas Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 5. num. 56.* quod saltem de proprietate bonorum intelligi debet, quamuis de fructibus tempore intermedio decursis posset esse controuersia, iuxta ea, quæ addit idem Sanchez *ibi num. 62.*

Dixi itaque, ratificationem Professionis illis verbis contentam non indignis ad sui valorem acceptatione aduersarij, sed solum censensu eiusdem Monialis volentis validè profiteri. Ratio est, quia ad valorem præcedentis Professionis, dato, quòd illa ob metum fuisset inualida, solum de erat consensus liber, quo, accedente quolibet tempore, Professio fit valida, etiamsi ratificatio non fiat cum noua solemnitate in manibus Prælatæ, vel Prælati. Nec id videtur posse negari stante doctrina Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 19. de Regularibus*, vbi post elapsum quinquennium à die Professionis factæ negatur audientia Regulari alleganti Professionis suæ nullitatem ob metum, quia nimirum præsumitur tacita ratificatio, & sufficiens ad valorem Professionis, etiam sine noua solemnitate, vel acceptatione Prælati, aut Capituli, quorum acceptatio iam antea præcesserat, & nondum est reuocata. Quanto ergo magis iuxta mentem Concilij sufficiet ratificatio expressa coram iudice delegato, Notario, & testibus, qualis in casu nostro reperitur?

Ad hoc tamen ex parte Monialis responsum fuit, supponi falsò, quòd præcesserit vnquam acceptatio, & consensus ex parte Conuentus; nam tempore primæ Professionis constabat Monialibus omnibus, vel pluribus earum, quòd Professio fiebat ex metu, qua notitia stante, non poterant Moniales habere animum acceptandi eam, quam sciebant inuitam, & reluctantem venire. Primò, quia delicta non sunt præsumenda: peccarent autem Moniales grauissimè acceptando Professionem factam ex metu, & incurrerent excommunicationem impositam cooperantibus ad eiusmodi Professionem in Tridentino *dict. sess. 25. cap. 18. de Regular.* Secundò, quia non potuit esse consensus ex parte Monialium, & voluntas obligandi se ad alendam, & regendam eam, quæ ex parte sua non se obligabat ad obedientiam, & vitam religiosam, vt explicat Castro Palao *tom. 3. tract. de susceptione Religiosi status, disp. 2. punct. 5. num. 2. & seqq.*

Contra hanc tamen responsum opposui, eam videri esse elusionem decreti Tridentini supra citati approbantis ratifi-

cationem tacitam Professionis factæ ex metu sine noua solemnitate, aut consensu ex parte Prælati, vel Conuentus. Suppono, si vitium illud nullitatis ex metu fuisset occultum, non requiri postea ad valorem ratificationis tacitæ, vel expressæ nouum consensum Prælati, vel Monasterij, sed sufficere priorem illum consensum antea præstitum, & non reuocatum, etiamsi plurimi anni intercessissent, vt cum aliis multis, quos affert, docet Thomas Sanchez in terminis fortioribus de matrimonio ex metu facto, *lib. 2. de matrim. disp. 22. num. 12.* & de Professione ex metu, idem Auctor *lib. 7. de matrim. disp. 37. n. 60. & 61. in Decalog. cap. 5. num. 81.* Quare difficultas solum restat in præfenti, eo quòd præterditur pluribus Monialibus tempore Professionis constituisse de metu, atque idè non potuisse tunc habere consensum ex parte sua ad eam acceptandam.

Cæterum, acceptationem illam ex parte Monasterij fuisse validam, & voluisse Moniales, quantum ex se erat, Nouitiam acceptare, si ipsa liberè, & sponte vellet profiteri, probari potest multis argumentis.

Primò retorquendo argumentum ab aduersariis adductum ex Tridentino *dicto cap. 18.* vbi excommunicantur, qui scienter consensum præbent Professioni ex metu faciendæ; supponit ergo Concilium, quòd cum notitia metus incussi potest stare ex parte acceptantis voluntas acceptandi Professionem, quantum est ex se; alioquin nemo illam excommunicationem incurrere posset. Ergo si non est præsumendum delictum Monialium, non est præsumendum, quòd certam notitiam de metu incusso habuerint, sed ad summum aliquæ earum rumorem aliquem audierint. Neque enim euaderent illam Tridentini excommunicationem abstinendo solum à consensu interno, sed ad eam incurrendam sufficeret præstare consensum externum, & auctoritatem, vt Prælati acceptaret Professionem, quam ipsæ scirent procedere ex metu. Nam in dicto Tridentino decreto excommunicantur omnes; qui scientes eam non ingredi sponte Monasterium, quo quo modo eidem actui, vel præfentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Non ergo euaderent peccatum, vel pœnam per solam omissionem consensus interni.

Secundò probatur ex regula generali, quòd in dubio semper præsumendum est pro valore actus. Cum ergo expressè dixerint,

rint, etiam per suffragia secreta, in quibus maior libertas est, se eam acceptare, non est præsumendum, quòd voluerint solum fingere sine vlla voluntate eam ex parte sua acceptandi.

12. Terriò, & à priori, quia, etiam si constaret illis de metu, non est dubium, quòd adhuc potuerint, si vellent, habere consensum, & voluntatem eam acceptandi validè, quantum erat ex parte sua. Erat enim voluntas efficax consentiendi ex parte sua ad hoc, vt si metus cessaret in proficiente, vel si ipsa non moueretur ex metu, sed alio motiuo, Professio haberet effectum. Vnde certum videtur, quòd, si post acceptationem Monialium, & antequam ventum esset ad actum Professionis, metus cessasset, vel proficiens, non eam ex metu, sed ex alio motiuo voluisset profiteri, Professio fuisset absque dubio valida sine noua acceptatione, vel scrutinio faciendo, nec vllus de Professionis valore dubitasset. Acceptatio ergo prior non fuit ficta, sed vera, & saltem conditionalis, vt valeret Professio, si ipsa sponte sua profiteri vellet. Cùm ergo postea sponte sua profiteri voluerit, ratificando expressè priorem Professionem, non fuit necessarius nouus consensus ex parte Monasterij; suppono enim, non requiri acceptationem Professionis consequentem, sed posse validè acceptari, etiam antequam fiat Professio.

13. Quartò probatur hoc ipsum clarè exemplo matrimonij, in quo si vterque coniux falsò existimet subesse impedimentum dirimens, & adhuc contrahat, valet matrimonium, non solum, si falsò putabat, posse esse validum, non obstante consanguinitate, v. gr. sed etiam, si putasset non posse esse validum, vt ex *cap. 1. de sponsalibus lib. 6. & ex Clementina unica, de consanguinitate*, probat, & tenet cum multis alijs, quos affert Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 33. num. 2.* quia adhuc potuit esse consensus validus, quo voluerunt facere matrimonium quantum in ipsis erat. Et saltem in foro externo, & Ecclesiæ, non esse tunc credendum contrahentibus, si dixerint, se non habuisse verum consensum, obseruat cum Cardinali, & Couarruuiam idem Sanchez *ibi num. 3.* Si ergo existimatio de consanguinitate, & impedimento irritante non tollit consensum validum ad matrimonium, & in foro externo, debet præsumi interuenisse tunc animum contrahendi, quantum in ipsis erat, quanto magis præsumere debet Ecclesiæ in casu nostro animum consentiendi, & acceptan-

di ex parte sua in Monialibus, etiam si illis constasset de metu, cùm posset consensus ille deseruire saltem ad valorem Professionis, quoties postea cessante metu, vel mutata voluntate ipsa vellet sponte consentire?

Quintò probari potest hoc ipsum exemplo Confessionis sacramentalis, ad cuius valorem requiritur etiam intentio confitendi, vt constat. Et tamen quamuis pœnitens videat, se adhuc non habere dolorem sufficientem de suis peccatis, & sciat, sine dolore confessionem, & absolutionem non habere effectum gratiæ; potest adhuc habere intentionem confitendi sacramentaliter, ita vt, si post confessionem, & ante absolutionem concipiat verum dolorem, non sit necesse postea repetere totam confessionem, quia confessio iam fuit facta cum vera intentione confitendi, licet sine sufficienti dolore. Et ita plerumque contingit in multis qui accedunt, & confitentur sine dolore sufficienti, quem postea hortante Confessario concipiunt. Sicut ergo potest aliquis habere intentionem confitendi seriò, & sacramentaliter, sine fictione, sciens impedimentum ad effectum Sacramenti, & absolutionis, quia vult confiteri ponendo requisita præcisè ex parte confessionis, vt si postea auferantur impedimenta alia, & accedat debitus dolor, confessio illa habeat suum effectum: sic possent Moniales, etiam si essent conscia metus incussi, velle ponere acceptationem, & consensum validum ex parte acceptationis, vt si postea auferretur metus, vel Nouitia vellet sponte profiteri, acceptatio haberet suum effectum, & Professio fieret valida. Et hæc intentio semper præsumitur, nec contrarium dicentibus creditur, saltem in foro externo Ecclesiæ, vt vidimus.

Nec obstant adducta pro parte contraria; 15 potuerunt enim Moniales præstare consensum validum ex parte sua. Primò, quia non constabat eis certò de metu illato, & in dubio poterant velle acceptare, quantum in ipsis erat. Secundò, quia dato, quòd aliquibus constaret de metu incusso, poterant adhuc parte sua velle dare consensum, vt, si ante, vel post Professionem cessaret metus, vel mutata voluntate sponte profiteretur, valida esset Professio; quæ voluntas conditionata præsumitur ab Ecclesiæ in foro externo, vt vidimus, etiam in putante subesse impedimentum dirimens ad valorem matrimonij. quod multò magis procedit in casu nostro, in quo nulla ratio

ratio erat ex parte Monialium ad fingendum consensum, cùm ipsis nemo metum iniiceret, nec erat, cur non dicerent, se nolle eam acceptare, quia non sponte, sed coacta veniebat. Dicentes ergo, se velle eam acceptare, censentur ex parte sua consensisse, in quantum poterant, cùm nulla esset causa fingendi, & mentiendi.

16. Quod confirmari etiam potest exemplo optimo, quod affert Sanchez *vbi supra d. disp. 33. num. 2.* hæretici putantis ex suo priuato errore Baptismum nostrum esse cæremoniam irrisoriam: qui tamen, si vtratur debita materia, & forma, validè baptizat; potest enim adhuc habere intentionem sufficientem faciendi id, quod facit Ecclesiæ: imò & Iudæus potest validè baptizare, vt constat, licet nihil profus credat de valore Baptismi. Vnde, si dicat, se velle validè baptizare, Baptismus præsumitur validus, quia non obstante falsa illa existimatione de inualiditate actus, potuit habere intentionem sufficientem, vt constat ex *cap. à quodam Iudæo, de consecratione disp. 4.* & de facto ita obseruatur in Gallia, vt baptizati ab hæreticis Caluinistis non rebaptizentur, si debitam formam, & materiam adhibuerunt, vt respondit sacra Congregatio Concilij ex sententia Pontificis. quia, licet ij hæretici putent formæ verba non habere efficaciam, sed esse solum verba concionatoria ad instruendam plebem; præsumuntur tamen habere intentionem proferendi ea verba, vt formam efficacem, si talis sit; quanto ergo magis præsumendum est de Monialibus Religiosis, quòd verba acceptationis protulerint cum voluntate sufficienti, etiam si putassent Professionem tunc fore inualidam propter metum; præsertim cùm in casu nostro potuissent efficaciam intendere saltem ad casum possibilem, quo cessasset metus.

17. Nec etiam obstat, quòd dicebant, non præsumi delictum, atque idè non præsumi Moniales consensisse, ne incurrerent excommunicationem Tridentini contra cooperantes ad Professionem, quæ fit ex metu. Ad hoc enim iam diximus, Moniales non potuisse etiam illam excommunicationem, etiam si interiùs non consensissent: nam excommunicatio non imponitur iis solis, qui concurrunt ad Professionem validam, alioquin nemo eam incurreret, cùm nunquam ea Professio sit valida. Sufficit ergo cooperari ad Professionem inualidam, prout re verà Moniales cooperarentur, acceptando exteriùs, & dando

suffragia, licet interiùs non consentirent nam sine illa acceptatione externa, & ficta, non posset veniri ad actum Professionis, vt constat. Sicut ergo pater cogens filiam ad Professionem, incurrit excommunicationem, quamuis ipse sciat, Professionem fore inualidam: ita Moniales, licet idem scirent, incurrerent cooperantes exteriùs ad illam Professionem inualidam. Ex hoc ergo capite non præsumitur defectus consensus interni, qui defectus non impediret excommunicationem.

Nec obstat etiam, quòd dicebatur, non 18 potuisse, nec voluisse Monasterium se obligare ex parte sua ad alendam, & regendam eam, quæ non se obligabat Religioni. Responderetur enim ex dictis, Monasterium non se obligasse absolutè ad hæc, sed sub conditione, si ipsa etiam se obligasset; & acceptando ex nunc obligationem, & Professionem ipsius, quoties postea sponte, & validè fiat; in qua obligatione conditionata antecedenti nullum onus subit Monasterium, cùm semper ante Professionem validè emissam liberum maneat ad eam expellendam: quòd autem interim sub prætextu Professionis emissæ alimenta percipiat, non censetur onus graue Monasterio fruente interim eius dote. Et probatur ab euentu, siquidem libenter eam aluit per 24. annos ante litem motam, etiam si rumor esset de reclamatione ipsius futura contra Professionem; denique hoc onus, quodcumque esset, non vitaretur magis per defectum consensus interni in acceptatione: siue enim consenserint interiùs; semper quandiu ipsa tacitè, vel expressè non ratificaret Professionem, & se obligaret Monasterio, maneret Monasterium liberum ad eam expellendam, cùm consensus fuisset solum conditionalis, & conditio posita nondum esset.

Nec Castro Palao supra in contrarium 19 adductus huic doctrinæ contradixit: nam licet *num. 2.* videatur requirere in ratificatione nouam scientiam, & consensum ex parte Monasterij; postea tamen *num. 4.* propter decretum Concilij Tridentini supra adductum ex *sess. 25. cap. 19. de Regularibus*, vel reuocat, vel declarat, quòd dixerat, & fatetur, in casu nostro non requiri scientiam, vel acceptationem nouam Monasterij, sed sufficere, quòd non contradicatur, quia Religione non contradicente; Summus Pontifex, qui est supremus Prælatulus Religionis, ratificationem Professionis ex metu factæ acceptat, quoties postea sponte fiat. quòd etiam docuerant Lessius

lib. 2. cap. 4. dub. 7. num. 6. in fine, & Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 37. num. 64.

20 Nec satisficit, quod aliqui respondent, hanc doctrinam intelligi, quando antea Monasterium validè consenserat, & solùm desiderabatur consensus profitentis, quo solo casu Pontifex acceptat postea ratificationem Professi: non verò quando Monasterium à principio sciens inualiditatem futuræ Professionis, propter metum, non potuit nec voluit consentire. hæc, inquam, responsio non iuuat, iam enim vidimus scientiam de metu, etiam si fuisset, non impedisse, quòd Moniales potuerint ex parte sua validè consentire saltem sub conditione, & debere præsumi in foro Ecclesiæ externo, ita consensisse; quare nihil deest, vt Pontifex postea acceptet spontaneam ratificationem Professionis.

21 Denique immeritò pro contraria parte adducitur P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. num. 20. vbi petit ex parte Monasterij nouam scientiam, & consensum ad acceptandam ratificationem Professionis inualidæ. nam ibi loquitur de Professione quæ fuerat inualida ex defectu tenente se ex parte Religiosi profitentis, & ipsius Religionis, v. gr. quando defuit annus probationis. Quando verò defectus tenuit se solùm ex parte profitentis, & specialiter, quando defectus fuit propter metum, expressè fatetur num. 6. & seqq. non requiri nouum consensum ex parte Religionis, quia prior consensus semper remanet, quandiu non reuocatur, & solùm dicit requiri consensum nouum ex parte profitentis aliquo signo externo proditum; quanto magis quando fuit proditus coram iudice delegato, Notario publico, & testibus?

22 Propter hæc, qui contra validitatem ratificationis agebant, aliam viam tentarunt, contententes, quòd consensus prior à Monialibus præstitus reuocatus postea fuerat, atque idè tempore ratificationis subsequitæ non perseverabat ampliùs virtualiter consensus prior, quo iam deficiente, non poterat ratificatio valere, aut validitatem communicare Professioni præteritæ. Adueniente enim postea notitia metus incussi, & posita tali ac tanta mutatione circa rei statum, non præsumitur perseverare consensus, quo Nouitiam in Capitulo acceptauerant ad Professionem, sed potiùs præsumitur reuocatus vel ante Professionem, vel certè ante ratificationem postea subsequitam, quando scilicet notitiam habuerunt coactionis, & metus incussi.

Contra hanc responsionem probaui iterum, non potuisse in casu nostro priorem consensum præsumi reuocatum. Et in primis non videtur potuisse reuocari ante primam Professionem; & hoc, licet concedatur, (quod tamen falsum esse dicitur,) metum fuisse incussum, & ad notitiam Monialium, seu maioris partis earum venisse. quod primò probari potest ex dictis, quia adhuc stante illa notitia, potuerunt Moniales præstare consensum ex parte sua, quo quantum erat ex se, vellent eam acceptare, si impedimentum ex parte Nouitiæ auferretur, vt supra probauimus; ergo multò magis cum eadem notitia potuerunt non reuocare consensum à se antea bona fide præstitum; plus enim est denuò consentire, quàm consensum non reuocare.

Secundò probatur, quia potissima ratio, ob quam aduersarij dicunt, debuisse, & præsumi Moniales reuocare consensum habita notitia metus, ea est, quia non præsumitur quis delinquere, & eiusmodi reuocatio consensus necessaria erat, vt vitarent excommunicationem Tridentini contra acceptantes ad Professionem interueniente metu. hæc autem ratio nihil probat, quia, vt supra vidimus, desistendo interiùs à consensu priori, nullo modo vitabant excommunicationem, aut peccatum, imò illud aggrauabant: nam Tridentinum eo loco non solùm excommunicat consentientes Professioni Monialis coactæ, sed etiam eos omnes, qui scientes eam non ingredi sponte Monasterium, quo quo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Vel ergo Moniales sciebant tunc, Professionem esse coactam, vel id nesciebant. Si nesciebant, non reuocarunt consensum; si sciebant, non vitabant delictum, & censuras reuocando interiùs consensum, sed debent fugere ab eo loco, ne præsentiam interponerent Professioni coactæ: debebant intimare Prælato reuocationem consensus, & impedire, ne Professionem acciperet ipsis dissentientibus, quia dum hoc non intimabant Prælato, dabant auctoritatem actui, qui fiebat ex earum commissione, & consensu, dum Nouitiam ad Professionem offerebant: quod erat grauissimum delictum, nempe offerre ad Professionem deficiente Monialium consensu, sine quo Professio fieri non potest.

Vnde tertio retorquetur contra aduersarios doctrina illa; quia Moniales, dum aderant illi actui, & non monebant, nec impediebant, ne fieret, eo ipso posituè applicabant,

plicabant, se consentire, & acceptare, ad eò vt etiam si antea in Capitulo non acceptassent, sufficeret præsentia illa, & silentium ad explicandum suum consensum, vt docet expressè cum aliis Thomas Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 3. num. 14. in fine, dicens, scientiam, & patientiam potentis admittere ad Professionem, sufficere ad explicandum consensum in Professione tacita, ac etiam in expressa, si intercessit aliquis actus externus, qualis in casu nostro proculdubio interueniebat ex parte Monialium, quæ Nouitiam comitabantur, & deferebant, ac offerebant Prælato, per quæ satis expressè declarabant suum consensum: quod esset grauissimum peccatum, si re vera non consentiebant, sed potiùs priorem consensum iam reuocauerant.

26 Quartò hoc ipsum probatur ex communi doctrina Doctorum, qui dicunt, etiam in his actibus, in quibus requiritur positius consensus, sufficere interpretatiuum, quando aliquis videns, & potens facillè impedire, non impedit: hoc enim idem omninò est, ac si actu diceret, *consentio*. Vnde Prælati videns subditum audire confessiones, quas sine eius licentia non potest validè audire, & non impediens, cum facillè possit, censetur dare positiuam licentiam, vt docet Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 1. & alij, quos adduxi, & idem probaui in tom. de penitentia disp. 19. sect. 2. num. 23. & plurimos congerit, & sequitur Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 35. num. 26. inde inferens, Parochum, qui videt alium Sacerdotem assistere matrimonio, quem cum facillè possit, non impedit, eo ipso dare licentiam assistendi, quia scientia, & patientia in his, quæ sine magno incommodo possumus impedire, habetur pro consensu. Cum ergo in casu nostro Moniales adessent, & viderent, Prælatum acceptare Professionem, quam sine earum consensu non poterat validè acceptare, & tacerent, eo ipso significabant, se consentire actu: nam ipsæ poterant facillè impedire, cum si quis intercederet metus, non ipsis, sed soli Nouitiæ fuisset incussum. Fatendum ergo est, vel ipsas nullam habuisse tunc notitiam de metu, & inualiditate Professionis, vel certè non reuocasse consensum, cum per præsentiam, & patientiam actu significarent Prælato, se actu præstare consensum requisitum ex parte sua ad valorem Professionis.

27 Quintò probatur, quia præsumptio orta ex actu externo significante consensum ad acceptationem Professionis, est ad eò ve-

hemens, vt, si Prælati postea affirmet, se non habuisse consensum internum, nec voluntatem acceptandi Professionem, etiam si id iuret, non debeat ei in foro externo credi, neque Professus debeat id credere, sed debeat se pro verè Professo habere, quia magis debet credere actui externo Prælati, quo significauit suum consensum, vt docet expressè Suarez tom. 3. de Relig. tract. 7. lib. 6. cap. 4. num. 20. Cum ergo Moniales in casu nostro per præsentiam, & patientiam, & multò magis per actus positiuos, quibus Nouitiam detulerunt, & obtulerunt ad Professionem, sufficienter explicauerint suum consensum præsentem, non deberet iis credi, etiam si post tot annos iurarent modò, se reuocasse consensum; quod tamen nulla earum causa est dicere; sed, etiam si id dixissent, non possumus in foro externo iis credere.

Sextò probatur retorquendo idem argumentum aduersariorum, quia sicut non sunt præsumenda delicta, ita difficiliùs præsumenda sunt plura, & grauiora delicta: si autem Moniales tunc reuocassent consensum, plura, & grauiora delicta perpetrassent postea admitendo dictam Monialem ad actus Professarum in electionibus Abbatissarum, in admisione Nouitiarum ad habitum, & Professionem; & aliis similibus, qui omnes actus fierent inualidi admittendo ad suffragium ferendum in Capitulo eam, quam publicè scient, non esse Professam, nec habere ius suffragij, iuxta communem doctrinam Canonistarum, quos refert Suarez de censuris disp. 14. sect. 2. num. 13. qui eam sequitur tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. num. 9. & saltem exponerentur periculo claræ inualiditatis, si fortè numerus requisitus suffragiorum compleretur per suffragium illius personæ inhabilis; quare non possent à grauissimo peccato excusari, quoties eam ad suffragium in Capitulo ferendam admittebant, scientes se in eius Professionem non consensisse, quæ delicta cum plura, & grauiora sint, & continuata per tot annos, non sunt villo modo præsumenda.

Vnde probatur septimò, præsumi potiùs, & omninò non fuisse reuocatum consensum à Monialibus, quæ post Professionem emissam perseverarunt per tot annos, admittentes, & vocantes eam ad omnes actus Professarum. Sicut ergo actus proprii Professorum inducunt in eos exercitè præsumptionem consensus in Professionem, vt constat ex cap. vidua, de Regularibus;



bus, & cum communi Doctorum, quos affert, probat Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 8. num. 20.* Sic admissio ad actus Professorum inducit in admittente consensum in Professionem eius, qui admittitur, cum eadem sit ratio. Ergo à fortiori inducet præsumptionem perseverantis consensus expressi antea præstiti, seu non reuocationis illius, quod facilius præsumitur, quam novus consensus.

30 Octauò denique probari potest argumento practicè concludente, si res hæc sincerè consideretur, & *suprà* insinuat; quia, si dicta Monialis post Professionem emissam nunquam reclamasset, nec intenter litem, imò non obstante metu præcedente (si quis fuisset,) eo ipso tempore, quo Professionem faciebat, spontè, & non coacta Professa fuisset spiritu deuotionis commota, nemo prorsus scrupulum ei ingessisset circa valorem suæ Professionis, nec dixisset: Tua Professio non est valida, quia, licet non metu, sed sponte eam feceris, sed tamen Moniales in corde suo reuocauerant iam consensum propter notitiam, quam paulò antè habuerant de metu tibi incusso. Imò potiùs dixissent, Professionem fuisse validam, quippe quam mutato animo, non iam ex metu, sed sponte emiserat, & ipsam posse esse quietam, saltem dum non constaret ei expressè, quòd Moniales consensum antea reuocassent. ita certè omnes tunc iudicarent, & consulerent, in quo vnusquisque conscientiam suam consulat, & videat, quòd tunc dixisset, si à dicta Moniali interrogatus fuisset. Ex hoc autem sequitur clarè, quòd non sit fundamentum ad præsumendum, quòd Moniales in corde suo reuocarent consensum; alioquin, etiam si Nouitia mutato animo, sponte, & non ex metu nouisset, dicendum fuisset Professionem non fuisse validam propter defectum consensus Monialium, quæ iam tunc in corde suo consensum reuocauerant: quòd tamen in illo casu nemo prudens dixisset. Ergo fatendum est, non esse sufficiens fundamentum ad præsumendam reuocationem illam consensus à Monialibus in corde factam ante Professionem.

31 Restat nunc probanda pars altera, nempe neque esse fundamentum ad præsumendum, quòd saltem post Professionem in manibus Prælati factam, Moniales reuocauerint suum consensum ante ratificationem eiusdem Monialis factam coram iudice delegato, Notario, & testibus, quam ratificationem ideo aduersarij contendunt,

non fuisse validam, quia iam tunc non perseverabat virtualiter consensus antea à Monialibus præstitus, sed potiùs ab eisdem reuocatus iam fuerat. quòd probant primò, quia in contractibus mutuis, & onerosis, quando inter consensum vnus, & alterius contrahentis intercedit multum temporis, non censetur manere virtualiter consensus primi contrahentis, sed censetur reuocatus, vt cum alijs docet Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 32. num. 7.* exemplum afferens in lapsu septennij, vel biennij, & tandem concludens, arbitrio prudentis iudicandum. In casu autem nostro elapsi sunt multò plures anni ante ratificationem Professionis post consensum præstitum à Monialibus: ergo non potuit tandiu perseverare virtualiter. Ad hoc tamen constat responsio ex eodem Sanchez *ibi num. 12. & 14.* dicente, in matrimonio, & Professione non obstare quamcunque temporis distantiam, sed semper præsumi perseverantem consensum priorem, non solùm virtualiter, sed formaliter, & actu, cum semper intercedant actus, quibus eum semper coniux tractat tanquam coniugem, vel Religio tanquam suum Religiosum: quare ex hac temporis distantia nunquam censetur reuocatus prior consensus Monasterij.

32 Secundò tamen id probare volebant, quia licet in alijs casibus distantia temporis non impediret perseverantiam consensus; in hoc tamen casu debuit impedire propter notitiam, quam Moniales habuerunt de metu incusso, & de defectu consensus ex parte profitentis, quo defectu cognito, non potuit in illis perseverare consensus antea præstitus, sed præsumuntur ab eo discessisse.

33 Sed hæc etiam ratio parum vrget: tunc enim haberet aliquam apparentiam, quando vel Moniales postea significassent suum recessum à primo consensu, vel certè non significassent positivè suam perseverantiam per tot actus, vocando eam ad omnes electiones, & ad omnes actus capitulares, tanquam Professam; qui actus significant satis clarè, se ex parte sua velle illam vt Professam habere, ac perseverare in eadem voluntate. Quare tantum abest, quòd notitia illa de metu (si quæ fuit) inducat præsumptionem reuocati consensus à Monialibus, vt potiùs inducat præsumptionem maiorem consensus perseverantis; si quidem, non obstante notitia metus incussi, volebant adhuc eam ex parte sua

sua tanquam Professam habere, & admittere ad omnes actus, & iura Professorum, quòd nihil aliud erat, quam illas dicere, se ex parte sua permanere in eadem voluntate, & consensu antea præstito: si enim ab eo discessissent, statim eam à capitulis, & iuribus Professorum excluderent.

34 Est autem aded vehemens, & fortior præsumptio consensus perseverantis ex admissione ad actus Professorum, quando fit post notitiam prioris defectus, vt, etiam si defectus non fuisset solùm ex parte vnus patientis metum, (qualis prætenditur fuisse in hoc casu,) sed etiam ex parte Conuentus propter defectum, v. gr. nouitiatus integri, vel propter aliud impedimentum irritans consensum ex parte Monasterij: si tamen postea cognito eo defectu, prosequatur Monasterium admittens ad actus Professorum, eo ipso censetur denuò consentire, & acceptare, vt cum communi docet Thomas Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 35. numer. 45.* & idem de matrimonio dicit postea *disputat. 26. §. tertia conclusio*, vbi ait, eum, qui cum serua contraxit ignarus seruitutis, si postea cognito errore, eam affectu vxorio per copulam cognoscat, eo ipso absque alijs verbis consentire in verum matrimonium; quia factum illud post scientiam prioris defectus affert suum consensum præsentem: vnde fit argumentum concludens in casu nostro, quia vel Moniales Professione subsequuta, sciebant postea eius defectum, vel non sciebant. Si non sciebant; ergo perseverat prior consensus, qui per distantiam temporis non evanuit, vt vidimus, atque aded, accedente ratificatione ipsius Monialis, conualuit Professio. Si verò sciebant defectum prioris Professionis, & tamen perseverauerunt admittentes eam ad actus Professorum, eo ipso multò magis significarunt consensum præsentem, vt pro comperto supponit Sanchez *dicta disput. 35. numer. 45.* Nec apparet, quid possint aduersarij respondere, stante facto, quòd pro toto illo tempore dicta Monialis admissa fuerit ad actus capitulares.

35 Quòd autem post ratificationem aliqua Moniales scripserint dicantur ad Pontificem, se desiderare, quòd eiiciatur tanquam non Professa, non obstat: tum, quia expressè contradicunt sibi in ipsis, quæ antea dixerant: tum etiam, quia illa scriptura dicitur facta post ratificationem eius-

D. Io. Card. de Lugo *Respons. mor.*

dem Monialis, postquam iam non poterant discedere à consensu, qui antea non reuocatus, sed continuatus per admissionem ad actus capitulares Professorum, accedente ratificatione eiusdem Monialis, habuerat iam suum effectum reualidandi Professionem.

Huius autem argumenti, & præsumpti 36 consensus veritas roboratur validè ex doctrina communi *suprà* adducta ex Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 33. num. 2.* & ex *cap. 1. in principio, de sponsalibus lib. 6.* & ex *Clementina vnica, de consanguinitate*, nempe quando duo falsè credentes, se non posse validè contrahere matrimonium ob impedimentum dirimens, adhuc tamen illud contrahunt, matrimonium valere, si postea constet non interuenisse impedimentum, & consensum præsumi validum. Imò est aded vehemens hæc præsumptio consensus validè præstiti, vt, quamuis postea dicant, se ob illam falsam existimationem de impedimento dirimentè, non verè consensisse, non sit eis credendum in foro Ecclesiæ, vt cum alijs notat idem Sanchez *ibi num. 3.* Cum ergo in casu nostro Moniales tempore Professionis significauerint suum consensum deferentes Nouitiam, & offerentes ad Professionem, & postea ante ratificationem significauerint toties eundem consensum perseverantem continuatis, & repetitis actibus admittendo, & reuocando eam ad actus proprios Professorum: nihil oberit, quòd habuerint notitiam defectus, & metus incussi. Imò, etiam si dicerent, se reuocasse consensum ante positam ratificationem, (quòd tamen nec dixerunt, nec audebunt dicere,) non esset eis credendum in foro Ecclesiæ, quia præualet semper præsumptio ex facto proprio contrario, præsertim cum neque metum, neque aliam causam habuerint ipsæ Moniales, vt fingerent consensum, quem non habebant, vel quem iam reuocauerant.

Hæc autem omnia dicta sunt ad maiorem 37 abundantiam, & data hypothesi, quòd metus intercesserit, & quòd Moniales eius notitiam habuerint; quòd tamen vtrumque negant ij, qui Professionis valorem tumentur.

38 Restat nunc dissoluere aliqua argumenta, quæ aduersarij postea contra supradicta cumularunt.

Primum est, vt probent consensum pri- 39 mum Monialium non potuisse postea perseverare,

N seuerare,

feuerare, quia consensus, seu acceptatio Monialium ad summum fuit conditionalis, nempe ex parte nostra acceptamus Professionem huius Nouitiæ, si valida sit. Cum ergo non fuerit valida propter metum, euauit acceptatio, quia voluntas conditionata, deficiente conditione euanescit, & datum sub vna conditione, sub contraria censetur ademptum. Hoc tamen argumentum nimium probaret, nimirum Professionem per metum factam nunquam posse tacite reualidari cessante metu, etiam per quinquennium, sine noua acceptatione Monasterij; quia, si prima acceptatio euauit deficiente conditione in prima Professione, necessaria est noua acceptatio. quod tamen, vt *suprà* vidimus, est contra Tridentinum *sess. 25. cap. 19. de Regular.* vbi habetur, quod elapso quinquennio, absque alia acceptatione ex parte Monasterij Professio præsumitur reualidata: fatendum ergo est primam acceptationem fuisse absolutam, quæ quantum est ex parte sua acceptarunt. Vel certè, si dicenda est conditionata, non adstringitur ad illud tempus, sed dicitur acceptatio Professionis, si valida sit, quandocunque fiat, atque aded erit acceptatio Professionis etiam postea ratificandæ.

38 Adde, non defuisse in casu nostro nouum consensum Monialium, nam quando inficiæ, vel multò magis conscia metus Nouitiæ incussi, eam postea ad actus Professarum vocabant, toties denuò in suo primo consensu perseuerabant.

39 Secundò arguunt, quia Professio, sicut & matrimonium, quoad sui valorem requirit executionem, & actualement traditionem, si fiat sub conditione de futuro, non perficitur adueniente conditione, sine nouo consensu de præsentia, vt docent Suarez *tom. 3. de Relig. tract. 7. lib. 6. cap. 12. n. 18.* & Basilius Pontius *lib. 3. de matrim. cap. 14.* quod idem dicendum videtur de acceptatione Professionis. Cum ergo Moniales acceptauerint sub conditione de futuro, si nempe Nouitia postea sponte validè, & sine mutu ratificaret, necessarius fuit postea nouus consensus Monialium, vt acceptatio præterita sortiretur effectum.

40 Hoc etiam argumentum nimium probaret, nempe ferè nunquam Professiones validè fieri, quia ferè semper acceptatio ex parte Monasterij præcedit per aliquod tempus ante Professionem. Ergo acceptatio facta fuit sub conditione de futuro, nempe si valida Professio sequatur, atque

adedò requiritur postea nouus consensus Monasterij, qui tamen communiter non exhibetur; omnes ergo debemus respondere. Et quidem ego latè respondi, & explicui *tom. 2. de Iustitia, & iure, disp. 22. sect. 14.* vbi Doctores conciliaui, & ostendi, sufficere, & requiri, adueniente postea conditione, consensum virtualiter permanentem, quatenus consensus præstitus non fuit reuocatus, idedò virtualiter perseuerat, & in virtute illius perficitur tunc contractus de præsentia, quando aduenit conditio. quod totum in casu nostro positum est: nam ostendimus *suprà*, consensum primum Monasterij non fuisse reuocatum, sed potius sæpè fuisse renouatum, dum Nouitiam ad Professionem detulerunt, & eam postea semper ad actus Professarum vocabant: quare ex eo consensu virtualiter perseuerante, quando ipsa validè voluit se obligare spontaneè, perfecta est valida Professio absque vllò nouo consensu explicito ex parte Monasterij.

Tertiò accumulunt plura motiua ad probandam inualiditatem illius ratificationis. Primò, quia præcessit promissio illorum, qui interesse habebant in valore Professionis, qui promiserunt ei soluere eius debita, si Professionem ratificaret. Secundò intercessit metus grauis etiam in ipsa ratificatione: timebat enim, ne ab aduersariis in longum protraheretur cum magna & temporis, & expensarum iactura. Tertiò intercessit dolus, quia decepta à prædictis consanguineis, qui multa ei promiserunt, protulit verba illa: Dolus autem dans causam contractui bonæ fidei, reddit illum inualidum, & nullum. Quartò denique intercessit error, quo Monialis putauit, se hoc modo liberandam ab ære alieno, & consequuturam alimenta, nec aliter finem litis habendum esse.

Ad hæc facilè respondetur, in primis 42 promissiones etiam si dolum continerent, non posse inualidam reddere Professionem, vel ratificationem Professionis, quia regula illa, quod dolus dans causam contractui irritat contractus bonæ fidei, non habet locum in matrimonio, & Professione religiosa, quando dolus non versatur circa substantiam, aut in matrimonio circa conditionem seruitutis, vt cum communi probaui *tom. 2. de Iustit. disp. 22. sect. 6. n. 88.* vbi rationem differentia reddidi inter hos duos contractus, & cæteros omnes. Adde, supponi falsum, quod promissiones illæ dolosæ fuerint.

Vnde idem dicendum est de errore, 43 quando

quando enim is non versatur circa substantiam, non irritat Professionem, vt *loco citato* cum communi Doctorum probaui. Quod verò additur de minis, & metu incusso, præterquam quod id falsum est, vt constat ex attestacione virorum grauium, & piorum, qui internunçij tunc fuerunt, vt ei ratificationem suaderent, & negant, villas prorsus minas interuenisse: adhuc si ipsa metum concepisset litis protrahendæ, & expensarum, id non redderet inualidam ratificationem Professionis. Suppono enim, cum communi sententia, non quemcunque metum ad id sufficere, sed metum grauem iniuste incussum, vt cum aliis probaui latè *dicta disputatione 22. de Iustitia sect. 7. num. 165. & sequentibus.* Metus autem litis, & expensarum non erat iniustus, cum ij, qui pro Professionis valore agebant, iustam, & rationabilem causam haberent litigandi, & experiendi in iudicio circa valorem Professionis, & Concilium Tridentinum *dicta sess. 25. cap. 19. de Regularibus*, nolit eo casu Professionem irritam haberi, nisi in iudicio, & causa cognita res tota examinaretur, & inualiditas probetur. Non ergo erat metus iniuste illatus, sed ex re, quam iure suo vtentes poterant litigantes exsequi.

44 Quartò arguunt ex declaratione quadam sacre Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum die 13. Septembris anno 1629. quam affert Barbosa in *Collectan. Bullarum, verb. matrimonium pag 45.* quæ censuit, *matrimonium contractum à filia per metum à matre illatum, est inualidum, etiam si mulier metum passa per multos annos post mortem matris permanserit cum marito, & filios procreauerit.* Cum ergo eodem modo iudicandum sit de Professione religiosa, ac de matrimonio, pariter dicendum erit, Professionem ex metu factam nunquam fieri validam, quamuis post mortem patris, qui metum intulit, per multos annos Monialis perseuerauerit, & se actibus Professarum ingesserit.

45 Respondetur tamen facilè negando paritatem quoad hoc inter matrimonium, & Professionem. nam matrimonium ex sententia sacre Congregationis Concilij, quam semper etiam amplectitur sacra Rota, non potest post decretum Tridentini reualidari, nisi coram Parocho, & testibus, quæ solemnitas est de substantia matrimonij; quare cohabitatio quæcunque non sufficit ad purgandum vitium nulli-  
D. Io. Card. de Lugo *Responf. mor.*

ratis præcedentis. Hoc autem in Professionis reualidatione non sequitur, vt constat ex eodem Tridentino *dicta sess. 25. cap. 19.* vbi elapso quinquennio absque alia solemnitate præsumitur reualidata Professio per consensum legitimum, qui antea in prima Professione defecerat. Non potest ergo quoad hoc fieri argumentum à reualidatione matrimonij ad reualidationem Professionis.

Quintò denique opponunt, non fuisse 46 veram ratificationem Professionis, quando Monialis dixit: *Si antea Monialis non fueram, hodie Monialis esse volo.* nam verba illa non significant in rigore Professionem præsentem, sed voluntatem, & animum ratificandi postea Professionem; quia verbum *volo* iunctum alteri verbo infinitiui temporis, non importat dispositionem de præsentia, sed voluntatem propensam agendi de futuro, vt ex multis notat Barbosa *diction. 436. numer. 14.* & colligitur ex gloss. in *leg. serui electiones, verb. possumus. ff. de legatis 1.* Quare corrui totum fundamentum in illa ratificatione à nobis collocatum.

Respondetur, verba illa, præsertim in 47 iis circumstantiis, in quibus de examinanda nullitate prioris Professionis agebatur, & ad hoc ipsum testes iuridicè interrogabantur, non potuisse in alio sensu intelligi, nisi in sensu reualidandæ Professionis, & in primis doctrinam illam, quod verbum *volo*, adiunctum alteri verbo infinitiui temporis, non importat dispositionem de præsentia, veram in vniuersum esse, negat gloss. in *leg. vendentis, Cod. de contrahenda emptione*, quæ dicit verbis illis, *volo vendere, volo emere*, perfici contractum emptionis, & venditionis, & Cardin. in *cap. ex litteris, de sponsalibus*, & nouissimè Basilius Pontius *lib. 2. de matrim. cap. 9. num. 8.* qui dicunt, *Volo te ducere, volo te accipere, volo tecum contrahere*, significare consensum de præsentia ad matrimonium, nisi consuetudo, vel circumstantia contrariam persuaderent. Deinde alij plures, qui de prædictis verbis id negant, quando verbo *volo* iungitur verbum significans inchoationem contractus, vt, *volo ducere, volo contrahere*; fatentur tamen significare consensum de præsentia, quando adiungitur verbum significans executionem, & exercitium contractus, vt si dicat, *Volo te habere vt uxorem, volo tenere te, vel tractare te vt uxorem*; quia ad habendum, & tractandum vt coniugem, præsupponitur necessariò, N 2 coniugium,

coniugium, ita Panorm. Ioannes Andreas, & Paludan. quos sequitur Pontius *ubi supra num. 7.* & probabile putat Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 18. num. 24.* in nostro autem casu non dixit, *Volo hodie Professionem facere*, sed dixit, *Volo esse Monialis*, ad quod præsupponitur Professio; neque enim intelligi poterat de Moniali Nouitia, cum nunquam dubitarum fuisset, an ipsa fuisset Nouitia, sed dubium, & liserat, an esset Monialis Professa, atque ideò verba illa, *si antea non fui Monialis, hodie volo esse Monialis*, non poterant aliud significare, nisi, *si usque adhuc non fui Professa, iam ex nunc volo esse Professa.*

48 Denique quamuis Sanchez *d. disp. 18. num. 18.* non admittat ut certum, matrimonium fieri per illa verba, *Volo te habere, te tractare ut uxorem*; idem tamen *n. 28.* fatetur, si adiungatur particula temporis præsentis. v. gr. *ex nunc volo te habere in uxorem*, matrimonium perfici: sicut *n. 14.* dixerat de illis verbis, *deinceps, vel ab hoc tempore habebō te in uxorem.* quibus æquiuale videntur verba illa, *hodie volo esse Monialis*, præsertim cum posita fuerit particula illa *hodie* ad distinctionem explicandam à tempore præterito, nam dixit, *si antea non fui, hodie volo esse*, quasi diceret si usque ad hoc punctum non fui, deinceps, & in posterum, & posthac volo esse Monialis, in quibus casibus nemo negat significari fati consensum de præsentis. hæc autem omnia, ut initio monui, dicta sint iuxta seriem facti mihi propositam, in quo si res aliter se habere probetur, facillè cum aliter sentientibus, quos scio plures esse, conueniam. Video tamen sacram Rotam pro hac nostra sententia in eodem casu decreuisse in decisione facta sub Carrillo Vlixbonensis nullitatis Professionis 17. Maij 1641. quæ ad litteram integra habetur apud Dianam *in fine sextæ partis.* An verò postea Rota mutata specie facti ab ea decisione recesserit, non scio.

#### D V B I V M XVII.

*Quousque extendatur concessio Leonis X. facta Minoribus circa recitationem Officij mentalem.*

1 Nter alias concessiones Leonis X. facta Minoribus continetur quædam, cuius

verba Emanuel Rodericus refert in Bulario Regularium, inter viuz vocis Oracula eiusdem Leonis *num. 12. & tom. 1. quæst. regular. quæst. 42. art. 4.* & eiusdem meminit Nauarrus *de oratione, & horis Canonicis cap. 19. num. 88.* & Lezana *tom. 1. cap. 12. num. 31.* Verba autem petitionis, & concessionis hæc sunt. *Placeat Sanctitati vestra, ut ne fratres mutuo se impediunt in Officio diuino, aut alijs sint fastidiosi, quòd illa, quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio tam in horis Canonicis, quàm etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliqui deuotius sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum, & eodem modo possit facere, qui dicit Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipue ut ab alijs intelligatur.* Hæc fuit postulatio, cui cum alijs simul propositis annuit Leo Papa, ita per suas litteras authenticas attestante Laurentio Presbytero Cardinali Sanctorum quatuor Coronatorum die 15. Aprilis anno 1516.

Hanc concessionem P. Lezana *loco citato* dicit reuocatam esse, quia facta fuit viuz vocis Oraculo; eiusmodi autem Oracula Religionibus facta reuocata fuerunt antea à Gregorio X V. & postea magis vniuersaliter ab Urbano VIII. anno 1631.

Alij tamen contendunt, concessionem hanc factam non fuisse merum viuz vocis Oraculum, sed interuenisse signaturam Papæ: nam in calce memorialis, in quo multæ gratiæ postulabantur, petitum etiam fuit, *ut eiusmodi gratia, & concessio, sola signatura sufficeret, & eundem effectum sortiretur, ac si littera sub plumbo, aut in forma Breuis expedirentur, attento quòd omnia essent in foro conscientia tantum.* & statim prædictus Cardinalis in suis litteris addit: *omnia præsertim modo præfato, ut fuerunt petita, à præfato Sanctissimo Domino Nostro vobis concessa fuerunt, ideò in omnium, & singulorum fidem, &c.* testatur ergo Cardinalis fuisse appositam signaturam, nam eo modo petita fuerunt. Signatura autem Papæ videtur extrahere concessionem à viuz vocis oraculo: nam vbi interuenit manus, & scriptura Papæ, non est sola vox, sed scriptura, atque ideò non videtur reuocari, quando sola viuz vocis Oracula reuocantur.

Quidquid tamen de hoc sit, dixi, prædictam

dictam concessionem parum vtilem esse, & ideò fortasse in compendio priuilegiorum Societatis Iesu non fuit apposta, nec Præpositus Generalis Societatis voluit ut communicatione priuilegiorum latissima, quam habet, ut eam Religiosis Societatis communicaret, atque ideò isti non possunt ea uti, cum non sit ipsis à Generali communicata. Et quidem meritò, nam in primis non potest, nec debet ea concessio intelligi de iis, quæ Sacerdos, dum celebrat, debet secretò dicere in Missa, alioquin posset nihil Canonis proferre, præter verba consecrationis, & Orationem Dominicam; Orationes etiam quæ ad oblationem panis, & vini pertinent, posset non proferre, & alia similia. quod absurdissimum esset, nec facillè apparet, quomodo qui eiusmodi sacrificio adessent, Missam integram audirent, cum Missa sit actio quædam externa, & tunc magna pars Missæ externæ omitteretur, & reduceretur ad orationem mentalem, & internam Sacerdotis. quod etiam ex verbis concessionis facillè colligitur; petitur enim ea concessio, *ut ne fratres mutuo se impediunt in Officio diuino, aut alijs sint fastidiosi, quòd illa, quæ in Ordinario iubentur dici secretò sub silentio, tam in locis Canonicis, quàm in Missa, non teneantur proferre vocaliter, &c.* ex quibus verbis apparet, hoc non fuisse petitum pro ipso celebrante, sed pro fratribus, qui sunt in Choro simul psallentes, & qui si omnes proferant voce clariori, quæ debent sub secreto, & silentio dicere, possunt sese mutuo rumore illo perturbare. Celebrans autem, qui seorsim est in Altari, non potest alios impedire, aut perturbare. Atque ideò fortasse non fuit petitum pro iis, quæ in Missali iubentur secretò dici, sed quæ in Ordinario iubentur dici secretò: nam in Missali agitur de Sacerdote ipso celebrante, & de iis, quæ ipse debet secretò, vel voce eleuata dicere. In Ordinario autem, præsertim illius Ordinis, iubentur fortasse fratres aliqua recitare tempore Missæ, v. gr. dum organum pulsatur, supplere versus organo correspondentes, preces etiam aliquas, prout nunc aliquando pro necessitatibus occurrentibus dicuntur: & Concessionem, quam aliqui etiam in Choro dicunt, dum à Ministris dicitur in Altari; qua de causa in Missali etiam Romano præscribitur in rubr. de ordine genuflectendi, quòd in Choro ij, qui Prælati non sunt, dum dicitur Confessio genuflectant. quod Gauantus *ibi part. 1. tit. 17. num. 5.* intelligit de omnibus præter Can-

D. Io. Card. de Lugo *Respons. mor.*

tores, qui si tunc cantant introitum, non possunt genuflectere. Ad hæc ergo, & similia mentaliter dicenda propter maiorem quietem deseruire poterat illa dispensatio.

In Officio verò, & horis Canonicis in Choro deseruire poterat ad ea solùm, quæ in Breuiario iubentur secretò dici, qualia sunt Oratio Dominica, salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, & si quæ sunt alia; reliqua iubentur clara, & eleuata voce dici. Quare ad reliqua non extenditur illa concessio, ut ex eius verbis constat. Vnde nec extra Chorum in priuata recitatione deseruire potest, nisi ad illa pauca. nam extensio facta illius concessionis ad eos, qui extra Chorum priuatim recitant, non ampliavit materiam, sed personas, vel loca. Cum enim postulatio esset ad illa solùm, *quæ in Ordinario iubentur dici secretò sub silentio, & postea subdatur extensio ad recitantes extra Chorum illis verbis, & eodem modo possit facere qui dicit Officium per se solus;* debet omninò intelligi de eadem materia, circa quam petita fuerat dispensatio pro recitantibus in Choro cum alijs, ne sese inuicem impedirent. Non video ergo, quo fundamento possit concessio illa ad totum Officium diuinum extendi, nec in eo sensu videtur vnquam fuisse vsu recepta.

#### D V B I V M XVIII.

*Utrum ex causa correctionis, & punitionis possit Monialis extrahi ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis sine licentia speciali Sedis Apostolica.*

DE hoc multum fuit disputatum Salamanticæ anno 1611. quo anno ego ibi eram, & disputatio pertransiit ad alias Castellæ Vniuersitates. Et quidem ferè omnes Theologi, & Iuristæ sententiæ affirmanti subscripserunt, quarum subscriptionum exemplar penes me retinui. In iis autem fuerunt Eman. Rodericus, qui citauit seipsum *tom. 1. quæst. regular. q. 49. art. 5.* Petrus Herrera Dominicanus, primarius Theologiæ Salmanticensis Professor, qui postea Episcopus factus fuit, Petrus etiam de Ledesma Dominicanus, Ioannes de Salas, Antonius Perez Genera-



lis Ordinis S. Benedicti, & postea Episcopus, qui multa opera in lucem edidit, Ioannes Guttierrez, qui citauit se pro eadem sententia in quæstionibus Canonicis, Didacus Nugnus Dominicanus, Valentinus Herize Societatis Iesu, Doctor Sobrino Theologus primarius Canonicus, & postea Episcopus Vallisoleranus, Basilius Pontius, & alij 30. Theologi, & Iuristæ doctissimi, qui pro sua sententia alios citarunt, nempe Petrum Lorcam in 1. 2. tom 2 tract de legibus disp. 23. exemplo 5. tertij argumenti, Paulum Tuscum de visitatione lib. 2. cap. 16. num. 42. Ioann. Baptistam Confertium in collatione priuilegiorum cap. 19. Nauarrum cons. 47. de regul. num. 4. & 6. aliàs cons. 5. de statu Monachorum, & in cap. statuimus, 19. quæst. 3. n. 48. commentario 4. de Regul. vers. nota quartò. Azcuedum lib. 8. noua recopil. tit. 20. à num. 55. vsque ad 60. qui quamuis non afferat Motum proprium Pij V. cum tamen iam fuisset publicatus, non potuit illum ignorare. Eandem sententiam videtur amplecti P. Suarez tom. 4. de Relig. tractat. 8. lib. 1. cap. 4. n. 6. in fine, vbi postquam dixit in casibus non expressis à Pio V. expectandam esse licentiam Sedis Apostolicæ, addit, quotiescunque causa mutationis talis non fuerit, quæ vel in iure sit expressa, ut dictum est de officio Abbatissa, vel nisi per equiparationem rationis possit causa ad numeratas à Pio V. reduci: ut est, v. gr. quando oportet ob prauos mores Monialem alio transferre: nam illa causa non immeritò contagioso morbo comparatur, vel scandalo communi, pro quo modo vitando Bonifacius etiam egressum concessit. Eandem denique sententiam tenere videntur Bonacina in tractatu de clausura quæst. 1. punct. 9. num. 12. Portel in dub. regular. verb. Clausura Monialium n. 22. & stando in decreto Tridentini, & Bulla Pij V. idem sentit Franciscus Pellizzarius tract. de Monialibus cap. 3. num. 23. nisi obstet quædam declaratio sacræ Congregationis Regularium infra referenda.

2 Fundamenta præcipua huius sententiæ sunt. Primum, quia, quamuis Pius V. solos tres casus expresserit, in quibus Moniales cum licentia possint exire, nempe ob incendium, lepram, & epidemiam: Doctores tamen communiter dicunt, idem debere intelligi in aliis casibus, qui his tribus sint omnino similes, qualis videretur esse noster casus; nam, sicut ob periculum contagij corporalis permittitur Moniali exire ob lepram, vel epidemiam; multò magis ob periculum contagij spiritualis oportet, quòd moribus corrupta exeat, & cor-

rigatur in alio loco, ne suo exemplo alias Moniales corrumpat.

Secundò, quia in iure non solum permittitur, sed etiam præcipitur, quòd recepta ad Professionem per simoniam eiciatur à Monasterio, vt in arctiori Monasterio penitentiam agat, vt habetur in cap. quoniam, de simonia, cui decreto non est derogatum in Tridentino, nec in Bulla Pij V. sicut neque etiam ibi derogatum inuenitur Bullæ Urbani I V. quam refert Miranda quæst. 3. de Monialibus, art. 2. in qua Pontifex pro Monialibus S. Claræ approbat translationem ab vno Conuentu in aliud pro eo casu. Denique aliqui dicunt, ita responsum fuisse à Sacra Congregatione: hanc tamen responsum nusquam inuenire potui.

Alij tamen in casu nostro dicunt, requiri facultatem Sedis Apostolicæ ad hoc, vt Monialis correctionis causa transferatur ad aliud Monasterium. ita Barbofa in Collectan. Bullar. verb. Monialium translatio, num. 8. Tamburinus de iure Abbatissarum disp. 21. quæst. 3. n. 4. Zerola in praxi Episcop. 1. part. verb. Moniales, ad finem, Lezana tom. 3. verb. clausura num. 16. atque idem sentire videtur Franciscus Pellizzarius loco supra citato, si quædam Cardinalium declaratio, quam ibi affert, authentica sit.

Fundantur præcipuè in declaratione Cardinalium, quam referunt Barbofa, & alij, his verbis: Monialem nullam sibi subiectam ex vno Monasterio ad aliud transmitti possunt locorum Ordinarij, vel superiores Regulares, etiam ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati. quam declarationem Lezana dicit esse sacræ Congregationis circa negotia Episcoporum, & Regularium. Vnde oportet esse duas declarationes, nam ego in decisionibus meis manuscriptis sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum (quæ est diuersa Congregatio, vt constat,) inuenio aliam in causa Mediolanensi, his verbis. Non potest Episcopus causa correctionis, penitentia, vel examinis, etiam in causis criminalibus Moniales à Monasterio facere exire, nec minus ipsa egredi valent. Ita habetur in decisionibus prædictæ Congregationis ad sess. 25. cap. 5. de Regular. in meo Codice antiquo, & manuscripto.

Mihi placuit stando saltem in iure communi quod tunc temporis respondit doctissimus P. Franciscus Cornejo Augustinianus, qui postea primariam Theologiæ Cathedram

Cathedram in Salmanticensi Academia rexit, & denique meritissimè ob eminentiam doctrinæ ad Episcopalem Sedem assumptus fuit. Hic ergo ausus est tot tantorumque virorum sensui non omninò consentire, his verbis. Quod queritur de egressu Monialis ex causa iusta correctionis, si id solum fiat ad puniendam delinquentem exilio à propria domo in penam delicti, non verò ob euidentis periculum scandali, & alias peruertendi; non astimo tutum, quòd propria auctoritate Prælati id faciat; daretur enim latissimus aditus, & facultas Prælati Moniales ab vno in alium locum frequenter transferendi; eisdemque Monialibus daretur occasio delinquendi, spe concepta eiusmodi mutationis; qua quidem iis, quæ sub clausura adeò stricta sunt, apparet appetibilis, & grata. Si verò interueniret spiritualis necessitas communitatis, cui delinquentis presentia scandalum affert, & occasionem, vt reliqua peruertantur, puto fieri posse non obstante constitutione Pij V. in qua cum excipiatur expresse casus pestis, & epidemiam ob temporalem finem sanitatis corporeæ ipsius communitatis: meritò præsumi potest exceptus etiam casus noster, in quo agitur de salute spirituali eiusdem familie. Huc vsque doctissimus ille Magister, qui prudenter distinxit inter egressum ob meram punitionem, & egressum ob scandalum, & periculum peruertendi cæteras, vt in primo casu Prælati non possint egressum imponere, aut permittere; in secundo autem possint.

7 Qua distinctione posita, potest vtraque sententia aliquo modo conciliari: imò si auctores attentè legantur, constabit, non ita generaliter loquutos fuisse. Et in primis Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 47. cautè sententiam suam expressit; numerans enim casus, in quibus sufficit Prælati auctoritas sine licentia Sedis Apostolicæ, subdit, Similiter idem est dicendum causa correctionis eius Monialis, quando in proprio Monasterio timore cognatorum, aut alia causa corrigi commodè non potest. Non ergo vult, ob solam punitionem posse ad alium Conuentum transferri, sed quando aliter puniri non potest; qui quidem casus moraliter non contingit: nam cognati, vel alij, qui punitionem eo loco impediunt, multò magis impediunt exilium, & absentiam cum punitione inde sequutura; nec puto eam causam approbandam à sacra Congregatione saltem, vt Prælati possint propria auctoritate Monialem ad alium locum transferre, & scio, Sanctissimum Dominum Nostrum desiderare, vt Mo-

niales, si puniendæ sunt, puniantur ibi, vbi deliquerunt; cum eadem limitatione loquitur loquitur Bonacina dicta q. 1. puncto 9. num. 13. qui alios affert, & Eman. dicto tom. 1. quæst. Regular. q. 49. art. 5. Denique in hoc solum sensu loquitur Suarez in verbis supra relatis, nam tunc solum approbat ad egressum hanc causam correctionis, quando illa causa non immeritò contagioso morbo comparatur, vel scandalo communi. in quo casu non videntur repugnare declarationes, & responsa Congregationum supra adducta: nam illa prima Congregationis circa negotia Episcoporum solum negat posse extrahi Monialem causa incorrigibilitatis, vel criminis perpetrati: quod est dicere, quòd non possit ob solam punitionem delicti commissi. Aliud verò est, quando transfertur ad vitandum scandalum, & contagium spirituale reliquarum, de quo casu Congregatio ibi nihil dicit. Sicut nec illa alia responsio Congregationis Concilij Tridentini, in qua solum dicitur, non posse extrahi causa correctionis, penitentia, vel examinis. quod nos etiam concedimus, non verò negat, quòd ad vitandum reliquarum periculum extrahi possit. Hæc ergo regula omnia videretur conciliare, si dicatur, Monialem puniendam omninò esse in suo Monasterio, nec hoc titulo extrahendam. Si verò agatur de contagio morum vitando, quòd aliter vitari non potest, siue punienda sit, siue non punienda, extrahi posse ad aliud Monasterium ab Episcopo, & eius Prælati.

Dixi tamen, hanc regulam, & distinctionem mihi placere, stando saltem in iure communi, quia contra illam scrupulum inuenire potest priuilegium quoddam concessum ab Urbano I V. vt refert Miranda q. 3. de Monialibus S. Claræ, & Eman. Roderic. tom. 1. quæst. Regular. q. 49. art. 1. pro Monialibus S. Claræ, quæ ob aliquas causas ibi numeratas transferri possunt ab vno ad aliud Monasterium, inter quas ponitur causa correctionis. Quamuis autem hæc omnia priuilegia reuocata sint in prædicta constitutione Pij V. postea tamen Gregorius XIII. in sua Bulla, quæ habetur apud Roderic. in Bullario Regular. & est prima inter Bullas eiusdem Gregorij, confirmavit, & innouauit omnia priuilegia Minorum de Obseruantia, & Monialium S. Claræ cum clausulis efficacissimis, ex certa scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, vbi postea derogat omnibus contrariis constitutionibus, & in specie litteris Pij V. Et quamuis addat, se confirmare,

& innouare omnia illa priuilegia, quatenus sint in usu, & sacris Canonibus, & decretis sacri Concilij Tridentini non aduersentur; in illis tamen verbis, sacris Canonibus, non est fermo, nisi de Canonibus eiusdem Tridentini, non de aliis, vt cum aliis, quos affert, probat Lezana tom. 3. verb. clausula num. 27. innouatio autem ex certa scientia, est noua concessio, & restituit priuilegia reuocata, vt docet ibidem num. 29. & tom. 4. verb. priuilegia Regularium, numer. 23. Nec priuilegium illud videtur contrarium Concilio Tridentino, cum potius in Tridentino sess. 25. cap. 5. de Regularibus, permittatur egressus Monialis ex causa legitima declaranda ab Episcopo. Vnde Nauarrus 1. tom. consil. lib. 3. tit. de Regularibus, consil. 48. num. 6. in editione antiqua, fatetur planè, translationem ex causa correctionis non esse contra decretum Tridentini.

9 Sed tamen ob solam hanc Bullam Gregorij XIII. confirmantis priuilegia illius Religionis, qua videntur frui posse qui habent omnimodam communicationem priuilegiorum cum illo Ordine, ego non auderem concedere eam facultatem. Nam, licet non obstant verba illa concessionis, quatenus sacris Canonibus, & decretis sacri Concilij Tridentini non aduersentur; videntur tamen obstare verba illa priora, quatenus sint in usu. Difficile autem credi potest, quod tunc temporis esset in usu facultas transferendi Moniales ob solam correctionem, cum iam præcessisset constitutio Pij V. qui egressum Monialium ad tres solos casus reduxit, in quorum nullo, vt vidimus, continetur explicitè, nec etiam per æquiualentiam, vel paritatem causa meræ correctionis, & punitio- nis, secluso scandalo, & periculo peruersio- nis aliarum. Si ergo iam erat facultas illa reuocata, credibile est, quod non erat ampliùs in usu, & per consequens confirmatio, & innouatio priuilegiorum ex certa scientia, quatenus solùm essent in usu, non videtur potuisse tunc exten- di ad facultatem, de qua loquimur, & sal- tem præsumptio videtur esse, quod lex fuerit acceptata, & facultas contraria non esset iam in usu.

\* \* \*

D V B I V M XIX.

*An subditus possit, & debeat obe-  
dire Prælato, quando dubitat,  
an sit licitum, quod præcipitur.*

**M**agister quidam Theologiæ partem 1 negantem docuit, qui ea de causa malè audiuit, & ad superiores Prælatos delatus fuit, quasi religiosæ obedientiæ fundamenta labefactaret, & subditos aduersus superiores armarer, qui propriam inobedientiam excusare pro libito possent, eo prætextu, quod dubitarent, an tuta conscientia rem præceptam exequi possent. Et quidem occasionem dare potuit, quod Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 3. & sequentibus, vniuersaliter docet, subditum posse, & debere obedire, quan- do dubitat, an res præcepta sit licita, vel illicita, quod multis argumentis probare nititur, & pluribus exemplis illustrare. Ego tamen Magistri illius tutelam suscepi, & ostendere curavi, si quæstionis termini distinguantur, & explicentur, vix posse controuersiam remanere de vno puncto, de quo tamen quid sentiendum, & quo- modo loquendum sit, postea subiiciam.

Vt ergo faciliora, & clariora præmitta- 2 mus, & ne ad alias controuersias digredia- mur, suppono primò, nos non loqui nunc, quando subditus dubitat de auctoritate legitima Prælati, nempe, an sit verus, & legitimus Prælati, nec etiam quando du- bitat, an res præcepta contineatur sub eius potestate, v. gr. si eum non possit præci- pere, nisi ea, quæ sunt secundum regulam, dubitat subditus, an res præcepta sit iuxta, vel potius supra regulam, atque adedò ex- cedens potestatem Prælati; hæc enim sunt quæstiones diuersæ, de quibus nunc non loquimur, sed solùm, quando constat illum esse Prælatum, dubitatur tamen, an res ip- sa sit licita, v. gr. si iubeatur aliquod deli- ctum reuelare, vel carnes edere in die ieiunij, & similia, quæ dubitat, an licitè, & sine peccato fieri possint.

Suppono secundò, nec nos loqui, quan- 3 do dubium est probabile, quia nimirum ex vtrâque parte sunt opiniones probabi- les affirmans, & negans, rem illam licitam esse, quo casu potest proculdubio subditus amplecti opinionem probabilem affirman- tem, atque adedò teneri eam amplecti, & obedire; habet enim iam tunc locum re- gula generalis, quod obediendum est Præ- lato,

lato, quoties res præcepta potest sine pec- cato fieri: nunc autem potest id fieri sine peccato, cum possit subditus saltem per principia extrinseca amplecti illam opinio- nem, & exsequi rem præceptam. Hoc enim ipsum Prælati præcipit, nempe quod amplectatur sententiam illam, quam ipse sub- ditus iudicat probabilem: quare præcipit rem extra controuersiam licitam, nimirum quod in ea operatione amplectatur opinio- nem probabilem; ita cum aliis Sanchez ubi supra n. 6. & Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 4. cap. 15. num. 21. qui addunt, etiam si opinio dictans, esse licitum, quod præcipitur, vt minùs probabilis, si tamen probabilis sit, adhuc debere obedientiam; quia iam tunc præcipitur id, quod subdi- tus licitè facere potest, cum possit licitè, communiter loquendo, amplecti opinio- nem probabilem, relicta probabiliori. Nunc ergo solùm loquimur de dubio, in quo non habet subditus fundamentum probabile ad iudicandum licitum, quod præcipitur, licet nec constet euidenter, speculatiuè lo- quendo, quod sit illicitum.

4 Suppono tertio, ad iudicandum de statu dubio rei præceptæ, considerandos esse, & distinguendos duos status, quos habere potest. Primus est ipsius rei secundum se, & antecedenter ad præceptum Prælati. Secundus est eiusdem rei in sensu compo- sito cum præcepto; potest enim contingere, quod res ipsa secundum se, & anteceden- ter ad præceptum sit illicita, & tamen adueniente præcepto, fiat licita. v. gr. si Religiosus ex voto priuato obligatus sit ad audiendas hodie duas Missas, & Prælati ei imponat eadem hora aliam occupatio- nem impossibilem cum auditione du- plicis Missæ, ommissio quidem duplicis Mis- sæ erat illicita secundum se, & anteceden- ter ad præceptum Prælati, quo tamen ad- ueniente, ea ommissio sit licita, & necessaria, quia melior est obedientia, quàm sacri- ficium, nec votum obligat, nisi data oppor- tunitate, quam non habet, dum impeditur ex obedientia. Quare, etsi Prælati non dispenset in voto, adhuc cessat voti obli- gatio, quia Prælati utitur iure suo imponendo, & imperando rem illam, cum Præ- latus non debeat attendere ad votum, quod subditus emisit, nec votum illud præ- iudicet facultati, & libertati, quam Præla- tus habet præcipiendi subdito, & illum in variis rebus occupandi. Quæstio ergo no- stra non procedit in hoc sensu, prout ad- uertit etiam Suarez ubi supra num. 22. sed quando de re præcepta secundum se, &

secluso præcepto, dubium erat, an esset li- cita, vel illicita, an merum præceptum Prælati, non addens, vel tollens aliquam aliam circumstantiam, nisi quod facit, esse præceptam, an, inquam, per hoc solùm reddatur licita, atque adedò debita ex obli- gatione obedientiæ.

Suppono quarto, duplex posse esse hoc 5 dubium. Primum solet appellari specula- tiuum. Secundum verò practicum. Pri- mum versatur circa rem præceptam se- cundum se, & antecedenter ad præcep- tum, quo dubitatur, v. gr. an possit reuelari Prælati tale delictum subditi. Secundum verò versatur circa ipsam obedientiam, & dubitatur, an hîc, & nunc licitum sit obe- dire Prælati in hac materia; & idedò vo- catur practicum, quia opponitur vltimo iu- dicio practico requisito ad licitè operan- dum, quo iudico me hîc, & nunc licitè posse obedire, quod iudicium vltimum practicum esse potest, licet præcesserit du- bium speculatiuum de re ipsa. Quare illud primum dubium possumus appellare re- motum, hoc verò secundum, proximum; quia hoc secundum reperitur in ipso statu proximo ante operationem. Et quidem, si omnibus pensatis, & posito præcepto, & attentis omnibus circumstantiis, adhuc subditus non formet iudicium saltem probabile dictans practicè, quod possit hîc, & nunc licitè obedire, sed maneat etiam cir- ca hoc vltimum merè dubium, non appa- ret, quomodo in hoc dubio debeat, vel possit obedire; quare id meritò negat Sua- rez ubi supra, num. 17. & ratio videtur clara, quia operari cum conscientia practi- ca dubia nunquam est licitum, cum eo ip- so exponat se homo periculo peccandi; quare ad licitam operationem necesse est vt formetur conscientia per vltimum iu- dicium practicum, quo iudicetur non ob- stante præcedenti dubio, licitè posse hîc, & nunc operari, vt docet Suarez loco citato, & aliis relatis latiùs ex omnium sententia Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 4. 1. num. 6. & in Decalog. lib. 1. cap. 10. num. 2. Si ergo supponamus, subditum adhuc stante præcepto, non posse formare con- scientiam, nec habere iudicium practicum, quo iudicet, se posse non obstante dubio, licitè obedire; certum erit, illum non posse in eo statu licitè obedire, quia non obe- diet iuxta conscientiam, cum conscientia non dicet, posse licitè id fieri. Quæstio er- go non est de hoc dubio proximo, practico, & vltimo, sed de dubio remoto, & quasi speculatiuo, an eo non obstante, possit subditus

subditus ratione præcepti formare sibi conscientiam, & iudicium practicum, & verum dictans licitam obedientiam.

6 Suppono quondò, si non solus subditus, sed Prælati etiam ipse dubitet, an possit licitè rem illam subdito præcipere, nec habeat vltimum iudicium practicum, quo saltem probabiliter iudicet, se posse id præcipere, non poterit Prælati præcipere, propter eandem rationem, quia non præciperet iuxta conscientiam, cum conscientia non dicit ei, quod possit præcipere. Tunc autem multò minùs tenebitur subditus obedire, tum ratione dubij quod habet de licita obedientia: tum etiam, quia constat ei, Prælatum sine legitima auctoritate præcipere. Sicut enim non potest Prælati validè præcipere illicita, ita nec potest validè præcipere id, de quo dubitat, an sit licitum, & an licitè possit præcipi, cum in hoc etiam casu abutatur sua potestate, non solum quoad modum extrinsecum, sed etiam quoad materiam præcepti, quæ solum extenditur ad licita: res autem de qua dubitatur modo explicato, an sit licita, eo ipso non est licita, sed illicita, & per consequens præcipitur sine sufficienti potestate, atque adeò non affert obligationem, nec facultatem obediendi; quod ingenuè fateretur, & probat ipsemet Sanchez dicto lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 21. & lib. 2. de matrimonio, disp. 41. num. 45. in fine, docens, subditum non posse licitè militare, quando certò scit Principem suum dubitare de iustitia belli. Addit verò Sanchez dicto num. 21. si subditus sciat, rem sibi præceptam esse licitam, posse & debere obedire, quamvis certò sciat, Prælatum dubitare, an sit licita, vel fortasse credere esse illicitam; quia ignorantia Prælati non tollit, quòd res illa sit materia præcepti, & Prælati debeatur. Sicut, si quis ex errore putet rem à se possessam non esse suam, & malè petat reddi sibi tanquam suam, teneor reddere illi, si sciam reuera esse suam. Hæc ille, de quibus non est necesse disputare, quia non spectant ad nostram questionem, vt constat.

7 His ergo suppositis, restat difficultas solum, an quando secluso præcepto, subditus nullam habet rationem probabilem ad formandam scientiam, & iudicandum licitum id, quod præcipitur, sufficiat præceptum, & auctoritas Prælati ad formandum eiusmodi iudicium, atque adeò ad exsequendum id, quod præcipitur: in quo puncto rursus distinguendum est: neque enim potest vna regula vniuersalis tradi

affirmans, vel negans: etenim frequenter sufficit, aliquando tamen non sufficit; frequenter enim continget, quòd præceptum ipsum afferat subdito motuum nouum ad iudicandum licitum, quod antea non iudicabat. Primò, quia ipsa auctoritas Prælati, qui aliunde noscitur vir doctus, & probus, & qui non solet temerè præcipere, nec ignorat circumstantias rei præceptæ, potest esse magnum motuum ad deponendum dubium, & formandam conscientiam, & iudicium probabile de honestate rei præceptæ. In quo tamen non attenditur Prælati merè vt Prælati, sed vt vir doctus, probus, & prudens. Secundò, quia aliquando materia est talis, vt in dubio prodesse possit dispensatio Prælati, v. g. si sit dubium de causa sufficienti ad non ieiunandum, vel non recitandum Officium diuinum, in quibus casibus aliqui Prælati solent habere facultatem ad dispensandum: tunc enim Prælati prohibens ieiunium, vel Officij recitationem, censetur in illo dubio dispensare, atque ideò subditus potest, & tenetur acquiescere. Et cum his limitationibus fateretur, subditum non posse in dubio obedire, nisi aliquid huiusmodi interueniat, per quod tollatur dubium, & formetur iudicium probabile, Suarez vbi supra dicto cap. 15. n. 19. & sequentibus. Valquez tom. 1. in 1. 2. q. 19. disp. 66. cap. 9. num. 52. & sequentibus, Salas in 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. unica, sect. 17. num. 152. & 159. & alij, cum quibus nos idem diximus tom. 1. de Iustitia, disp. 18. sect. 1. num. 20. & sequentibus.

8 Possumus autem tertio addere, ipsummet Prælati præceptum aliquando iustificare, & honestare rem, quæ aliunde non habebat de se iustam causam, vt honestè fieret: cuiusmodi fuit id, quod Beato Ioanni Damasceno imposuit eius Magister, seu Prælati, vt ex Ioanne Patriarcha Hierosolymitano refert Surius in vita eiusdem Damasceni, die 6. Maij, tom. 3. misit nempe illum in ciuitatem, vt venderet sportas, & peteret duplò maius pretium supra iustum valorem; quod dum faceret, & operam cum irrisione perderet, à quodam, qui virum agnouit, pretium totum accepit. Certè actio illa, secluso præcepto, vix potuisset ab actione otiosa excusari, quamvis excusari posset ab iniustitia, eo quòd non esset futurus, qui ex ignorantia pretium illud solueret. Accedente tamen præcepto, erat actio honesta ordinata à Prælati ad eximiam obedientiam, & mortificationem subditi probandam. Actio etiam illa rigandi

di per annum quotidie lignum aridum; quam de Ioanne Monacho refert Cassianus lib. 4. cap. 24. si propria sponte fieret, esset actio otiosa; facta tamen ex obedientia fuit honestissima, & perfectissima, quam Deus miraculo comprobauit, reuifescente, & fructificante arido illo ligno. In his, & similibus casibus præceptum ipsum mutat materiam, & de actione inutili, & otiosa, reddit vtilem, & honestam, quia facere hoc ipsum ex obedientia non est inutile, sed habet honestissimam causam operandi, nempe obedientiam.

9 Cæterum aliquando possunt hæc, & alia similia deesse, & remanere subditus adhuc dubius, an liceat exsequi rem præceptam, & tunc dicimus, non debere, nec posse obedire. Rationem à priori reddidi in dicto loco de Iustitia, num. 21. quia conclusio probabilis debet fieri ex aliquo nouo moriuo, ex quo probabiliter inferatur: ex hoc autem principio, Prælati id præcipit, non potest semper probabiliter colligi; ergo licitum est. quando præsertim scirem, Prælatum solere temere, & imprudenter præcipere pro libito, quæ non licent. Debent ergo concurrere alia adminicula præter merum præceptum in genere ad inferendam illam probabilem conclusionem, sine qua non potest subditus practicum iudicium necessarium habere ad licitè operandum, quibus adminiculis Prælati auctoritas roboratur ad inferendam illam probabilem conclusionem.

10 Possumus autem hanc rationem, quam ibi indicauimus, explicare, & vrgere magis ad nostrum propositum. Et in primis, si Prælati etiam ipse dubitet, res videtur clara, quòd non possit id subdito præcipere. Quomodo enim potest præcipere subdito id, quod ipsemet Prælati non posset licitè operari? Cum eiusmodi autem dubio Prælati ipse operari non posset, propter regulam generalem, quòd nemo potest licitè operari sine iudicio practico de licita operatione: si posset autem imperare, sequeretur, quòd quando Prælati vellet fieri aliquid, de quo dubitat, an sit licitum, tunc quia per se ipsum non potest illud licitè facere, imponeret alicui subdito, vt faceret, atque ita obtineret per subditum, quod ipse per se non poterat licitè obtinere: quod quidem absurdissimum esset, vt constat. Non potest ergo concedi quòd licet Prælati ipse dubitet, possit adhuc subdito id præcipere.

11 Cæterum quamuis subdito non constet de dubio Prælati, non tamen debere, aut

posse ipsum obedire, quandiu res manet ei dubia, & nisi dubium deponat, probari rursus potest, quia antecedenter ad præceptum non poterat subditus licitè cum eo dubio operari: præceptum autem non potest facere de illicito licitum; ergo nec accedente præcepto poterit. Maior, & consequentia sunt claræ: minor autem, in qua potest esse difficultas, probatur, quia vis, & obligatio præcepti oritur ex obligatione voti obedientiæ, quo subditus obligauit se ad obediendum Prælati, hoc est, ad faciendam ea omnia, quæ Prælati præcipiat: ergo ea obligatio solum se extendit ad ea, ad quæ se poterat voto obligare. Non potest autem quis se voto obligare ad operandum in dubio: alioquin etiam sine præcepto Prælati posset aliquis licitè operari in dubio, nimirum faciendo votum de operandum in dubio circa talem, vel talem materiam: quod tamen nullo modo concedi potest. Non ergo potuit subditus voto obedientiæ hanc potestatem Prælati tribuere, vt præcipiente Prælati, posset facere, quæ sibi antea illicita erant. Nam, si hoc fieri posset, sequeretur idem absurdum in subdito, quod inferebamus in Prælati: nam, si aliquid desiderares facere, quod tamen propter dubium, quod habes, facere non potes, peteres à Prælati, vt tibi illud præciperet, vel promitteres alicui ex voto obedientiam, vt eo iam præcipiente, licitum tibi fieret id, quod antea illicitum erat. Fatendum ergo est, merum præceptum obedientiæ non transferre de illicito in licitum, nisi adueniat aliquod motuum ad deponendum dubium, & formandum iudicium probabile circa operationem licitam.

12 Confirmatur, & explicatur primò, nam si Prælati præcipiat, vt dubius circa factum homicidij celebrem sine metu irregularitatis, non possum obedire, quia celebrare cum dubio homicidij perpetrati est intrinsecè malum, & præceptum Prælati non potentis dispensare in ea irregularitate, non potest auferre illam malitiam. Sed antecedenter ad præceptum æquè est intrinsecè malum operari in dubio, imò malitia non orta ex iure positiuo humano, (qualis est malitia celebrationis cum dubio homicidij,) sed ex iure naturali; ergo præceptum Prælati non magis potest tollere hanc malitiam, quàm illam: neutrum enim tollere potest, nisi tollendo dubium, & subministrando motiuam nouam, vt iam non dubitem, sed saltem probabiliter cedam rem illam, quæ præcipitur, non esse illicitam.



illicitam : quæ tamen motiua in casu no-  
stræ assertionis non afferuntur, vt suppono,  
sed subditus manet æquè dubius de re ip-  
sa, sicut antea.

13 Confirmatur secundò, quia, si Prælatus  
superior, v. gr. Prouincialis, vel Generalis  
aliquid tibi prohibuit, & postea Prælatus  
localis inferior conscius, vel ignarus il-  
lius prohibitionis id tibi facere præcipiat,  
proculdubio non debes, nec potes Præ-  
lato locali obedire, quia præceptum est  
de re, quæ antecederet erat illicita ex  
prohibitione Prælati superioris. Sed non  
minùs in casu nostro antecederet ad præ-  
ceptum Prælati, prohibitum est præcepto  
naturali, & diuino supremi legislatoris  
operari in dubio; ergo præceptum Præ-  
lati, nisi afferat noua motiua ad deponen-  
dum dubium, non potest præiudicare præ-  
cepto supremi legislatoris, nec reddere  
licitum id, quod ex præcepto superiori  
erat illicitum.

Aliæ rationes huius assertionis in solu-  
tionibus obiectionum indicabuntur.

14 Obiiciunt enim primò, quia in dubio  
fauendum est possessori: Prælatus autem  
est in possessione præcipiendi; quare quan-  
diu non constat, esse iniquum, quod præ-  
cipitur, non debet in dubio sua possessione  
priuari.

15 Respondetur in primis, Prælatus non  
esse in possessione præcipiendi, nisi intra  
limites suæ potestatis, scilicet ea, quæ  
licita, & honesta sunt, & in hac posses-  
sione debet conseruari, non verò in pos-  
sessione præcipiendi dubia, quam posses-  
sionem nunquam habuit, si maneant du-  
bia. Vel aliter clariùs dici potest (& in  
idem fortasse residet,) eo ipso quòd du-  
bium non possit superari, non esse iam  
dubium, quòd non sit materia præcepti:  
cum enim supponatur præceptum natu-  
rale, & diuinum non operandi cum du-  
bio de operatione, an sit, vel non sit li-  
cita, eo ipso quòd res manet dubia, ma-  
net illicita, atque adeò est clarè extra  
potestatem Prælati inferioris. Ponamus  
enim, quòd Prælatus superior, v. gr. Prou-  
incialis, vel Generalis prohibuisset sub-  
ditis, ne operarentur, nec obedirent Præ-  
lato locali in tali, vel tali materia, quan-  
do esset dubium, an esset licita, numquid  
possent obligari tunc subditi à Prælato lo-  
cali, vel possent ei obedire in dubio, eo  
prætextu, quòd Prælatus esset in posses-  
sione? imò eo titulo deberent magis obe-  
dire Generali, vel Prouinciali, qui etiam  
sunt in possessione, & quorum præceptum

tunc clarè vrget. Cum ergo Deus, & lex  
naturæ sint multò magis in possessione, &  
antecederet prohibeant, ne operemur in  
dubio manente dubio, nihil iuuat possessio  
Prælati inferioris, quia præuenitur subdi-  
tus præcepto legislatoris superioris, quo  
redditur eo casu illicita operatio à Prælato  
imposita, atque adeò hîc & nunc non ne-  
gatur obedientia in dubio, sed in casu cer-  
to, quia stante dubio, est certa prohibitio  
legis diuinæ, & naturalis.

Vrget Sanchez *vbi supra dicto cap. 3. n. 3.* 16  
quòd in dubio præsumptio stat pro Præ-  
lato, quòd præcipiat licita, & subdito in-  
cumbit onus probandi, quod sit illicitum;  
quare non probante, præsumptio fauet præ-  
cepto Prælati.

17 Respondeo, hunc non esse casum no-  
stræ quæstionis: nos enim loquimur, quan-  
do etiam accedente præcepto Prælati res  
manet in dubio, nec auctoritas, doctrina,  
probitas, vel prudentia Prælati sufficit ad  
deponendum dubium, qui casus possibili-  
s est, nam fieri potest, quòd subditus sit  
multò doctior Prælato, & circumstantias  
omnes in facto, & in iure meliùs penetret,  
& quòd prudentia, ac probitate Prælatus  
superet, atque adeò quòd Prælati aucto-  
ritas non sufficiat ad formandum iudicium  
probabile de honestate actionis, quæ præ-  
cipitur. Quare assertio nostra procedit  
solùm ex hypothesi, quòd hîc & nunc  
auctoritas Prælati non sit talis, vt pro ipso  
stet præsumptio, quòd præcipiat rem lici-  
tam: si enim præsumptio eiusmodi esset,  
iam res non maneret dubia, sed subditus  
posset, & deberet formare conscientiam,  
& iudicare operationem esse licitam, at-  
que adeò deberet obedire.

18 Secundò obiiciunt, quia coniux orto  
postea dubio circa valorem matrimonij,  
non potest quidem petere debitum coniugale,  
potest tamen, & debet reddere alteri  
coniugi petenti, qui non debet in eo du-  
bio priuari sua possessione, de quo dixi la-  
tius *tom. 1. de Iustitia, disp. 17. sect. 4. n. 87.*  
& *sequentibus*; ergo idem dicendum est in  
casu nostro, propter eandem rationem.

Respondeo, retorqueri posse argumen-  
tum, quia si coniugi dubitanti de valore  
matrimonij constaret, alterum coniugem  
similiter dubitare, non teneretur, nec pos-  
set ei etiam petenti reddere, quia qui cum  
dubio petit, sine iure petit, vt loco citato  
latius ostendi; ergo similiter si subdito  
constet, quòd Prælatus præcipiens dubi-  
tat de honestate, vel inhonestate rei,  
quam præcipit, non tenebitur, nec poterit

ci

ei obedire, nec possessio iuuabit Prælatus,  
sicut nec iuuat coniugem dubitantem, &  
exigentem.

19 Est tamen differentia aliqua quoad hoc  
inter coniugem, & subditum dubitan-  
tem: nam subditus, etiam si putet, Præ-  
latus bona fide præcipere, si tamen au-  
ctoritas, & ratio Prælati non habent pon-  
dus, & vim ad superandum dubium,  
quod subditus habet de turpitudine rei  
præceptæ, non potest, nec tenetur obe-  
dire: coniux verò dubitans de valore ma-  
trimonij, potest, & tenetur reddere con-  
iugi petenti debitum, si sciat coniugem  
non dubitare, sed credere bona fide ma-  
trimonium esse validum. Ratio autem  
huius differentie est, quia coniux pos-  
sidet corpus coniugis sibi traditum, nec  
potest qui bona fide possidet, spoliari,  
antequam probetur iniustitia, vel inua-  
liditas tituli, alioquin ei iniuria irroga-  
tur; dum ergo non constat de impedi-  
mento, non potest coniux dubitans ne-  
gare debitum coniugi petenti, quia hoc  
esset eum spoliare re, quam possidet; qua-  
re reddendo debitum non operatur cum  
conscientia dubia, sed certa, quatenus  
reddit id, quod ratione possessionis debe-  
tur omnino coniungi possidenti bona fide,  
quandiu contrarium probari non possit.  
At verò in casu nostro subditus in dubio  
de turpitudine rei præceptæ non obediens  
non priuat Prælatus re, quam possidet,  
quia Prælatus non possidet ius ad omnes  
actiones subditi, sed ad actiones licitas,  
& honestas, qualis non est hæc, de qua  
dubitatur, an sit licita, & per consequens  
secluso præcepto est illicita, manente illo  
dubio, atque adeò non comprehenditur  
sub potestate præcipiendi, quam Prælatus  
possidet, quæ potestas solùm est ad ea,  
quæ antecederet ad præceptum non sunt  
illicita, prout re vera erat hæc actio, quan-  
diu de eius turpitudine dubitatur, & du-  
bium superari non potest.

20 Sed contrà obiiciunt tertio, quia sub-  
ditus potest, & debet parere Prælato, quo-  
ties in re præcepta non apparet manifestè  
peccatum; ergo in eo dubio potest & de-  
bet parere. Maior constat ex modo loquen-  
di sanctorum Patrum, quos affert Suarez  
*dicto lib. 4. cap. 15. num. 18. & sequentibus*,  
qui dicunt faciendum esse quicquid Supe-  
rior præcipit, quoties non constat, vel non  
est certum displicere Deo. Quando ergo  
solum est dubium, obediendum est, cum  
non appareat manifestè peccatum, nec sit  
certum, quod Deo displiceat.

D. Io. Card. de Lugo *Responf. mor.*

21 Respondetur, doctrinam horum Patrum  
non esse contra nostram assertionem. nam  
in casu nostro constat manifestè peccatum,  
si res adhuc cum dubio illo executioni  
mandetur; non ergo volunt sancti Patres  
obedientiam subditi in casu nostro, quem  
potiùs à regula sua omninò excludunt.

22 Obiiciunt quartò eosdem Patres, & Ma-  
gistros rerum spiritualium, qui frequenter  
laudant, & exigunt in subditis obedi-  
entiam cæcam: non ergo debet subditus iu-  
dicare circa rem præceptam, sed id to-  
tum Prælati iudicio relinquere. Ad hoc  
optimè respondet Suarez *dicto cap. 15.*  
*num. 26. & sequentibus*, obedientiam exi-  
gi cæcam, ita vt excludat prudentiam  
carnis, non vt excludat prudentiam spiri-  
tualem, & supernaturalem. Cum enim sit  
virtus, dirigi debet à regula prudentie,  
quæ circumspicere debet, an illud opus  
sit contra præceptum Dei, vel alicuius  
Prælati superioris. Non ergo debet sub-  
ditus considerare, an opus illud sit vtile,  
vel inutile, commodum, vel ingratum,  
& alia huiusmodi: & in eo sensu Bernar-  
dus, & Bonauentura apud eundem Sua-  
rez exigunt obedientiam *indiscretam*, vel  
*insipientem*. Debet tamen considerare, an  
sit licitum, vel illicitum; & in hoc sensu  
S. Thomas 2. 2. q. 104. *art. 5. ad 3.* re-  
probat obedientiam indiscretam: esset  
ergo vitiosè indiscreta, & temeraria obe-  
dientia, quæ poneret opus præceptum  
cum dubio perseveranti, an id esset contra  
diuinum præceptum, vel ipsius Ecclesiæ.

23 Obiiciunt quintò, quia sola Doctores  
auctoritas potest facere sententiam proba-  
bilem, cui subditus possit acquiescere: er-  
go multò magis id poterit auctoritas Præ-  
lati, cui se loco Dei regendum tradidit.

24 Respondetur, si in Prælato supponatur  
doctrina, & prudentia requisita, concedo;  
si sola Prælatura sine illis dotibus, nego:  
potest enim Prælatus errore, & passione  
moueri, vt imperet id, quod cum Dei lege  
repugnat, & dum subditò constat, non ha-  
bere Prælatus motum aliquod proba-  
bile ad honestam rem præceptam, vel ad  
vincendum dubium de eiusdem rei turpi-  
tudine, non potest sola, & nuda Prælati au-  
toritatè moueri.

25 Dices, ergo non damus plus in hoc ne-  
gotio Prælato præcipienti, quam amico, aut  
Theologo consulenti, si in utroque doctri-  
na, & prudentia, non verò auctoritas, vel  
potestas considerandæ sunt.

26 Respondeo negando sequelam; nam  
amico docto possum credere, Prælato, nisi  
apertè

apertè constet defectus motiui, & possum, & teneor credere. Doctor priuatus etiam si probabiliter consulat, non potest me cogere ad amplectendam eius sententiam: Prælatus, si probabile habeat motiuum, potest me præcepto, & censuris cogere, vt eius sententiam in operando amplectar; non sunt ergo pares Prælatus, & Doctor amicus.

27 Obiiciunt sextò periculum ex hac doctrina esse eludendi obedientiam eo prætextu, quòd materia sit dubia.

28 Respondetur, si subditus malitiosè prætextus querit, non dicet, rem esse dubiam, sed esse manifestum peccatum, quo casu omnes ab obedientia excusant. Sicut ergo tunc Prælatus debet ostendere subditi errorem, & eum ad obediendum cogere; sic in casu nostro debet Prælatus motiua proferre, (si ea habet,) quibus probabile fiat rem præceptam esse licitam, quibus adductis subditum reddit inexcusabilem, nisi acquiescat, & obediat.

D V B I V M XX.

*An liceat negotiatio Religiosis ad recuperandum debitum, vel ad substituendam illam pro censu extincto.*

1 DE vtroque hoc casu interrogatus sum ex parte cuiusdam Domus religiosæ, & ideo vtrumque simul propono. Primus ergo est talis: Conuentus ille religiosus habebat redditus annuos sibi à communitate illius ciuitatis soluendos, quos cum ob pecuniæ caritatem exigere, & recipere non posset, communitas obtulit loco pecuniæ facultatem extrahendi triticum ex Prouincia, quæ facultas tanti æstimabatur, quanti redditus decursi. Acceperunt Religiosi, vt sibi eo saltem modo solueretur. Vt tamen facultas illa utilis eis esset, oportebat triticum emere, quod virtute facultatis concessæ extraherent, & alibi cariùs venderent: alioquin facultas otiosa, & inutilis omninò remaneret. Dubitatum itaque fuit, an ad se indemnes seruandos possent emere triticum extrahendum, quod cariori pretio alibi distraherent.

2 Dixi primò, id non licere si facultas concessa posset, (prout fieri solet,) mercatoribus vendi, quo pacto pretium ipsum cederet in solutionem pecuniæ sibi debitæ:

nam re vera emere triticum ad illud alibi cariùs vendendum, est propria, & vera negotiatio Religiosis prohibita. Nec obstat, quòd facultatem illam acceperint ad pecuniam sibi debitam recuperandam; hoc enim probat quidem, quòd possunt illam facultatem accipere loco pecuniæ debitæ: non tamen quòd ideò possunt per se ipsos negotiationem sibi aliunde prohibitam exercere ad fruendum facultate concessa. Sicut si concederetur à communitate Conuentui facultas habendi macellum publicum, & cum prohibitione aliorum: possent quidem Religiosi vendere illam facultatem, non tamen possent illam per se ipsos exercere. Sicut etiam, si daretur eis similis facultas faciendi chartas lusorias, possent illam vendere, non tamen per se ipsos artem illam exercere; quia vtrumque exercitium & macellarij, & faciendi eiusmodi chartas propter maximam indecentiam prohibita sunt Religiosis. Cum ergo propter indecentiam prohibita similiter inueniatur Religiosis negotiatio, dici non potest, quòd concessa illis facultate extrahendi triticum, licita sit illis negotiatio, quæ secundum se, & propter suam indecentiam prohibita illis erat; alioquin omnis ars, vel occupatio Religiosis iure Ecclesiastico prohibita posset illis reddi licita, concessa eis à Principe sæculari facultate illam exercendi, quoties aliunde requiritur etiam Principis, vel Magistratum sæcularium facultas ad illam exercendam, vt contingit in extractione tritici, & in macello publico, & aliis multis.

Nec obstat id, quod dixi tom. 2. de Iur. 3 *stitia, & iure, disput. 26. sect. 3. num. 33.* vbi concessi, non esse negotiationem Religiosis prohibitam, si quando pecunias ex propriis redditibus, vel fructibus habent in alio loco, cuius moneta minus valeat in loco, vbi ipsi degunt, atque adeò non possunt pecunias ad suum locum transferre sine magno detrimento, & iactura; tunc, inquam, in loco, vbi sunt pecuniæ, emunt merces aliquas, quæ ad suum locum translata vendi ibi possunt eodem pretio: hoc, inquam, non obstat, quia in illo casu non emunt merces, vt postea cariùs, sed eodem pretio vendant, atque ita pecuniam suam indemnem transferant. Quòd si aliquando maiori pretio eas postea vendant: id tamen non intendunt, sed emissent, etiam si eodem pretio vendendæ essent, quia non intendunt lucrum, sed translationem faciliorem eiusdem pretij; supposui enim ibi mone-

tam

tam esse eiusdem valoris in vtroque loco. At verò in casu nostro emptio tritici fit omninò ad vendendum maiori pretio, alioquin esset omninò inutilis facultas extrahendi illud, nec potest utilis esse, nisi interueniente negotiatione Religiosis prohibita, vt dictum est.

4 Si verò non inueniatur, qui velit à Religiosis emere facultatem illam extrahendi triticum, possent Religiosi, ne facultas remaneat inutilis ad finem intentum, non emere sibi, & suo nomine triticum, sed mutuare ipsi communitati sæculari pecunias, quibus nomine eiusdem communitatis ematur triticum, & extrahatur, ac vendatur in alio loco, vt ex pretio recuperetur mutuum, & ex lucro recuperentur pecuniæ, quas communitas soluere debebat Religiosis; hoc enim modo finis intentus habetur, & Religiosi non negotiantur, sed ipsa communitas sæcularis. Quòd si communitas laica nolit suscipere in se periculum negotiationis, ne fortè pereunte tritico, maneat cum debito priori, & rursus cum nouo debito ex mutuo contracto ad emendum triticum: poterit Conuentus Regularis suscipere in se periculum illud, ita vt non remaneat tunc obligatio ex mutuo, nisi quoad partem tritici non pereuntis, in qua assecuratione non sentiunt Regulares nouum grauamen. Si enim ipsi suo nomine triticum emerent ad extrahendum, eidem prorsus periculo subiacerent, imò maiori, cum pereunte tritico, non solum perderent pretium pro tritico, sed etiam creditum; quod aduersus communitatem antea habebant, & pro quo facultatem triticum extrahendi acceperant, quæ facultas extincta iam fuerat per primum vsum, & actualem tritici extractionem; hoc autem alio modo, licet perdant pretium tritici, quòd communitati sæculari mutuarunt; retinent tamen adhuc ius antiquum ad suum creditum, pro quo in hoc casu non acceperunt facultatem extractionis, sed maluerunt mutuum nouum dare ipsi communitati, vt illa posset triticum suo nomine emere, & extrahere, atque ita lucrari ad soluendum etiam primum debitum. Monui tamen, negotiationem hanc ita nomine communitatis sæcularis peragendam esse, vt id non sit nomine tenus, re autem ipsa fiat per Religiosos ementes, extrahentes, & vendentes triticum nomine communitatis sæcularis; tunc enim Religiosi verè negotiantur; quamuis sub nomine laicorum, & incurreretur in-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

decentia, quam facti canones vitare voluerunt, quando negotiationem interdixerunt Ecclesiasticis personis.

D V B I V M XXI.

*An qui Professionem fecit non præmissis informationibus, quas exigit Sixtus V. possit post quinquennium reclamare.*

SCIENDUM est, Sixtum V. in quadam sua Bulla edita anno 1587. quæ incipit; *Cum de omnibus*, & est 71. eiusdem in Bullario Cherubini, prohibuisse, ne maiores 16. annis reciperentur ad habitum regularem, nisi præmissa informatione, quod non essent criminosi, vel ingenti ære alieno grauati, vel obnoxij reddendis ratiocinijs; alioquin Professio eorum esset irrita, & sub alijs pœnis contra recipientes, quas pœnas, quamuis in suo robore reliquerit Clemens VIII. in quodam proprio motu edito anno 1602. quoad inualiditatem tamen Professionis reduxit Bullam Sixti ad terminos iuris communis: de quibus Bullis, & earum moderationibus, & interpretationibus videri possunt ultra alios Suarez tom. 3. de Religione, lib. 5. cap. 10. num. 11. & sequentibus, Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 19. num. 21. Thesaurus in praxi Ecclesiastica, verb. criminosi, cap. 1. Lezana tom. 1. cap. 24. num. 12. & sequentibus.

Hoc ergo supposito, accidit, vt quidam maior sedecim annis in quadam Religione profiteretur, non præmissis informationibus illis, quas Bulla Sixti V. exigebat, & hoc ante annum 1602. quo Clemens VIII. abstulit Professionis inualiditatem, quam Sixtus V. induxerat; postea verò, cum rumorem audisset de prædicta Bulla Sixti V. dixit Deo in corde suo: *Domine, ego vellem esse Religiosus.* Denique elapso quinquennio reclamare volebat contra valorem suæ Professionis: quæsitum est, an id tuta conscientia facere posset?

Pro parte negante occurrebant argumenta non leuia. Primum, quia multi, & graues Doctores dicunt, inualiditatem Professionis, quam Sixtus V. induxit, non habuisse locum, nisi quando Professio fiebat, omittis informationibus, quæ præmitti debuissent, & ille, qui profitebatur, re vera habebat aliquem ex defectu

defectibus ibi enumeratis, ad quorum manifestationem ordinabatur informatio; quia nimirum erat criminofus in illo genere ibi explicato, vel grauatus ingenti ære alieno, vel ratiociniis obnoxius, &c. Si enim nihil horum habebat, dicunt, omissionem informationis, licet culpabilis fuerit, non nocuisse Professionis valori; ita sentit Eman. Roderic. in *quæst. Regular. tom. 3. q. 54. art. 5 & 6.* & satis indicant Portellus, & Vecchius, quos affert, & sequitur Diana 3. p. tract. 2. de *dubijs Regularium, resolutione 83.* & Lezana tom. 1. cap. 24. num. 15. & tom. 3. verb. *Nouitij, num. 21.* quamuis oppositum doceat Suarez ubi *suprà, num. 20.* Supponimus autem in casu nostro, illum, de quo agitur, nullum ex impedimentis ibi assignatis habuisse.

4 Sed quidquid sit de hoc, secundò pro eadem parte argui potest, quia elapso quinquennio, reclamari non potest contra valorem Professionis, vt cum aliis latè explicat Thomas Sanchez lib. 7. de *matrimonio, disput. 37. num. 30.* & sequentibus; quia nimirum præsumitur ratificatio sufficiens ad reualidandam Professionem: in casu autem nostro intercessit plusquam quinquennium, imò & videtur interuenisse ratificatio expressa verbis illis ad Deum prolatis, quando de periculo nullitatis audiuit: Domine ego vellem esse Religiosus.

5 Tertio denique argui potest, quia in dubio, an ratificata fuerit Professio antea inualida, præsumptio debet fieri pro ratificatione. Ideò enim stabilitum est quinquennium solùm ad reclamandum, quia Ecclesia præsumit, non potuisse toto illo tempore non interuenire aliquam ratificationem tacitam, vel expressam, vt probat idem Sanchez *dicta disput. 37. num. 12.* Quoties autem præsumptio aliqua à iure approbatur, illi standum est in dubio; quare etiam si in casu nostro dubium esset de valore Professionis, & de ratificatione subsequuta, in dubio præualere debet præsumptio ab ipso Concilio Tridentino approbata.

6 His tamen non obstantibus, dixi, verius esse, quòd Professio non fuerit valida, & quòd possit etiam nunc reclamare contra eius valorem; verior enim sententia, imò Doctores communiter fatentur, Sixtum V. irritasse Professionem eorum, qui maiores sedecim annis recipebantur, & non præmissa informatione ibi præscripta Professionem emitterent; &

hoc quamuis defectus ibi enumeratos re ipsa non haberent, vt latè probat Suarez *loco supra citato*, & colligitur manifestè hæc Pontificis mens ex alia Bulla ab eodem edita anno sequenti, *Ad Romanum spectat*, quam integram refert Quaranta in *sua summa Bullarj, verb. Monasteria, & Conuentus*, in qua Bulla idem Pontifex declarat dubia aliqua, quæ emerferant circa præcedentem constitutionem, & in §. *quod autem*, sic loquitur: *Quod autem pertinet ad Professionem tam illegitimatorum, quam eorum, qui post 16. ætatis annum expletum regularem habitum susceperunt, quia tunc demum verè, & propriè Religiosi effici dicuntur, cum Professionem emittunt; declaramus, eos, qui ante prædictam nostram editam constitutionem habitum susceperunt, & post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad Professionem admittendos esse, quam facta inquisitione, & seruata forma in ipsa constitutione præscripta, & eorum qui post dictam promulgationem, etiam ignoranter, non habita dicta inquisitione, & non seruata forma, ad Professionem admissi fuerint, Professionem nullius esse roboris, & momenti.* quæ verba licet Eman. Roderic. *loco supra adducto* explicare conetur; satis tamen clara sunt, & vniuersaliter comprehendunt omnes, qui sine inquisitione profitentur, nec distinguunt inter habentes, vel non habentes re ipsa illa impedimenta, sed omnes Professiones declarat irritas fuisse, & fore; quem eorumdem verborum sensum agnouit planè Clemens VIII. quando inualiditatem earum Professionum à Sixto inductam abstulit in futurum in sua constitutione edita anno 1602. quæ incipit, *In suprema*, & est 83. eiusdem *in tom. 3. Bullarj* apud Cherubinum, vbi habet hæc verba. *Constitutiones prædictas Sixti Prædecessoris quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam de cætero non seruauerint, & quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscumque etiam Mendicantium Ordinibus Professio nulla declaratur, ad terminos iuris, & sacrorum canonum perinde, ac si prædictæ constitutiones in illa parte edita non fuissent, auctoritate Apostolica tenore presentium reducimus.* Et certè hic fuit omnium sensus post editam secundam constitutionem Sixti supra adductam. Cùm ergo ille, de quo nunc quæritur, supponatur absque inquisitione præuia Professionem emisisse post Sixti constitutiones, & antequam quoad

quoad irritationem à Clemente VIII. reuocarentur, constat eius Professionem inualidam fuisse.

6 Quòd autem lapsus quinquennij non addiderit valorem, probari potest. Primò, quia in foro conscientie non debet se existimare Professum, si nunquam habuit animum positium ratificandi, vt cum aliis probat Thomas Sanchez *dicta disp. 37. num. 9.* Deinde secundò, & magis efficaciter hoc ipsum probari potest, quia in hoc casu non sufficeret ad reualidationem Professionis nouus consensus ipsius Religiosi, nisi accedat nouus consensus ex parte Religionis, cuius prior acceptatio inualida fuit. Quamuis enim ad ratificationem, & reualidationem Professionis sufficiat aliquando consensus solius profitentis, vt quando fidè, vel per metum consensit; quando verò Professio fuerat inualida propter defectum se tenentem ex parte vtriusque, nempe & ex parte profitentis, & ex parte Religionis; ex vtrâque parte requiritur nouus consensus, cùm nunquam positus fuerit consensus validus ex parte Religionis, vt latè probat Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 7. cap. 1. num. 20.* & fatetur etiam Sanchez *dicta disput. 37. num. 63.* qui in exemplum affert defectum informationis præmissæ requisitæ à Sixto V. ille enim defectus inualidat consensum tam ex parte Religionis acceptantis, quam ex parte facientis Professionem. Cùm er-

go consensus ille ex parte Religionis non fuerit validus, necesse erat quòd reualidaretur ab eadem Religione per nouam acceptationem, quæ in hoc casu non fuit: atque ideò dato etiam quòd Religiosus ipse ex parte sua ratificasset, id non sufficiebat ad validitatem Professionis.

Vnde ad argumenta in contrarium adducta facilè respondetur. Ad primum enim iam diximus, sententiam illam communiter reiici, nec posse benè sustineri stante declaratione eiusdem Sixti in secunda Bulla, & Clementis VIII. in Bulla supra adducta, qui supponunt, quòd informatio requirebatur necessariò ad valorem Professionis, siue Professus haberet, siue non haberet impedimenta ibi nominata.

Ad secundum respondetur, lapsum quinquennij solùm impedire reclamationem, quando impedimentum cessauit, non quando perseuerat, vt in terminis nostris non factæ informationis præscriptæ à Sixto V. tenet cum aliis, & probat Sanchez *dicta disp. 37. num. 34.* durante enim eodem impedimento, nunquam potuit validè ratificari Professio, sicut nec durante illo impedimento poterat fieri.

Ad tertium denique respondetur, nos non versari nunc in dubio, sed constare de inualiditate Professionis, cùm clarè proberetur defectus conditionis necessariò requisitæ ad validam Professionem emittendam.





## LIBER QVARTVS

## Continens dubia aliqua pertinentia ad Institutum Societatis IESV.

Quia constitutiones Societatis IESV in multis differunt à iure communi aliorum Ordinum, & quia ego frequentius de his consultus fui, volui seorsim hæc responsa separare; quorum tamen aliqua, proportione seruata, deseruire possunt pro aliis religiosis Ordinibus.

## DVBIVM I.

*An qui post vota biennij è Societate dimittitur, & postea iterum recipitur, indigeat nouitiatu nouo.*

**V**IDAM peracta solita probatione, & nouitiatu integro per biennium, iuxta Societatis constitutiones, admissus est ad vota substantialia simplicia, & ita per aliquot annos in Societate vixit. Postea tamen, antequam ad Professionem solemnem admissus esset, iustis de causis, iuxta eiusdem Societatis leges, ab ea dimissus fuit; quam dimissionem, & litteras patentes, quibus continebatur, ipse acceptauit, & assumpto habitu sæculari discessit. Sed paulò post, nempe vix elapsis nouem horis, pœnitentiã ductus rediit, & constantissimè petiit, ne dimitteretur, vel vt iterum reciperetur. Cogitarunt Patres, & compassione ducti post biduum illum receperunt, eique religiosas vestes restituerunt; quia verò ob moram illam breuissimam dimissio fuerat occulta, nec in Prouincia quidquam de exitu, & reditu sciebatur, & consulendum videbatur existimationi Sacerdotis, qui per plures annos in Societate fuerat, visum fuit aliquibus, posse illum statim admitti ad vota simplicia denuò emittenda, (quæ per dimissionem soluta iam fuerant,) nullo nouitiatu nouo præcedente, vt hoc pacto res tota magis occulta remaneret.

Fundamentum eorum, qui ita sentiebant, desumebatur ex doctrina aliquorum, qui docent, si Nouitius peracto toto anno no-

uitiatus, non admittatur ad Professionem, sed dimittatur, vel ipse sponte recedat, & post breuem morulam redeat, & admittatur, posse statim profiteri absque nouo alio anno nouitiatus, quia iam hic per annum integrum probatus est, quod solum à Tridentino requiritur. Ita sentiunt Thomas Sanchez *lib. 5. in Decalog. c. 4. n. 34.* Thesaurus *in praxi Ecclesiastica, p. 2. verb. professio, cap. 1. & alij, quos affert, & sequitur Lezana tom. 4. verb. professio, n. 10.* In casu autem nostro iam præmissus fuerat nouitiatus per biennium integrum, prout in Societate requiritur: non ergo necesse erat præmittere alium nouum nouitiatum, vt iterum ad eorumdem votorum emissionem admitteretur.

Respondi tamen, non posse ante aliud biennium probationis exactum admitti ad vota substantialia emittenda, quibus substantialiter Religiosus constituatur, quod etiam dixit Suarez, qui vnus de hoc puncto tractauit *tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 2. cap. 4. num. 8.* qui dicit, ad minus ad valorem votorum subsequentiū requiri vnum annum nouum probationis, quod ideò dixit, quia ipse postea addidit, biennium non esse ita essentialiter requisitum ad validitatem votorum, vt quamuis non licitè, validè tamen non possit Generalis illud contrahere ad vnum annum. Illi autem Auctores, qui pro contraria sententia adducti sunt, non loquuntur in casu nostro, sed de mero Nouitio, qui nondum per Professionem, vel vota substantialia factus est

est Religiosus, & quidem adhuc in eo casu doctrinam illam reprobant Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 5. cap. 15. num. 8.* & Castro Palao *tom. 3. tract. 16. disp. 1. puncto 12. §. 2. num. 10.* Sed quidquid de hoc sit, non sumus in eo casu, sed in diuerso: nam primus ouitiatus habuit iam suum effectum, & in virtute illius admissus fuit Nouitius ad statum religiosum per vota substantialia, qua acceptatione reuocata, & solutis votis per dimissionem, extinguitur prior probatio, & requiritur alia ad aliam nouam acceptationem.

4. Quæ ratio explicari potest hoc exemplo. Ponamus quòd Professus Societatis aliquis cum licentia transeat ex Societate ad alium Ordinem, in quo post annum probationis emittat Professionem, post aliquot deinde annos impetret nouam licentiam redeundi ad Societatem. Certè is, quoniam prior Professio Societatis extincta fuerat, vel commutata in secundam Professionem alterius Ordinis, indiget noua Professione, vt sit Societatis Professor, & ad eam Professionem probandus est, atque adeò præmitti debet ad minus annus integer nouitiatus, iuxta regulam generalem, quòd translatus ab vno Ordine ad alium, non potest profiteri in secundo, nisi præmissis anno integro nouitiatus, vt fatentur Doctores communiter, quos affert, & sequitur Lezana *1. tom. cap. 22. num. 16. & tom. 4. verb. transeuntes Regulares, n. 13.* hic autem, de quo loquimur, transiret, & transferretur ab illo alio Ordine ad Societatem, in qua computandus esset, ac si nunquam in ea fuisset; atque adeò Professionis antiquitas computanda esset, non à prima, sed ab hac secunda Professione, quam post reditum emitteret. Sicut ergo nunc non prodesset biennium probationis olim in Societate peractum, nec excusaret à noua probatione, quando ab alio Ordine, ad quem translatus fuerat, & in quo Professionem emiserat, transfertur iterum ad Societatem: ita in casu nostro dimissus à Societate post vota biennij, & postea iterum receptus, debet præmittere nouitiatum, antequam per vota substantialia incorporeretur; ratio enim est eadem in vtroque casu: quia sicut Professio facta in secundo Ordine extinxit Professionem factam in Societate, & consequenter probationem præcedentem; ita dimissio è Societate extinguit vota, & consequenter probationem præcedentem: nec apparet cur magis extinguatur probatio præcedens, quando extinguitur Professio Societatis per Professio-

nem alterius Ordinis, quàm quando extinguuntur vota substantialia, quibus homo constituebatur Religiosus Societatis per dimissionem legitimam, per quam ex Religioso fit non Religiosus.

Confirmatur primò, quia illi, qui dicunt, Nouitium, qui peracto anno integro nouitiatus non vult profiteri, & exit, vel à Prælatis dimittitur, posse profiteri non repetito nouitiatu, si post breuem morulam redeat, vel recipiatur; addunt tamen, id intelligi, dummodò non sit mutata conditio personæ, vel Religionis. Ita Sanchez, & Lezana supra citati pro illa sententia. Thesaurus verò *ibidem* adductus addit, dummodò non tantum tempus intercesserit, vt mutatio morum argui possit. quod ego iuxta mentem horum Doctorum intelligo, vt inter tempus probationis, & Professionis non fuerit ea mora, vel mutatio: cum enim ex probatione debeat desumi iudicium ad Professionem, si post probationem mutatio fit, parum, vel nihil deseruiet probatio præcedens ad iudicium illud ferendum. Cum ergo in casu nostro inter probationis biennium, & secundam receptionem plures effluerint anni, in quibus magna morum mutatio facta est in Religioso, & talis, vt necesse fuerit illum dimittere, & vota dissoluere; fatendum est, etiam ex mente eorum Doctorum probationem longè ante præcedentem non sufficere ad hoc vt iterum receptus admittatur ad vota substantialia Religionis, cum fieri non possit iudicium de moribus, & idoneitate Nouitij ex iis, quæ olim in nouitiatu gesserat, cum ab illo statu notabiliter mutatus inueniatur.

Confirmatur secundò ex praxi, quæ optima est legis interpretis: quoties enim aliqui post vota biennij è Societate dimissi ad eandem Societatem redire desiderant, quorum ego non paucos noui, eodem prorsus modo recipiuntur, ac si nunquam in Societate fuissent, atque adeò per aliud biennium Nouitij manent, vt iterum ad vota emittenda probentur; quia tamen Societas non obligatur lege Clementis VIII. quoad designata habenda certa loca, in quibus nouitiatus peragatur, quamuis & ipsa etiam habeat semper Domum probationis ad exercendos, & educandos Nouitios totius Prouinciæ; ideò solet illos, qui post dimissionem ad Societatem iterum redeunt, breuiori tempore in Domo probationis retinere, v. gr. per vnum annum, & postea ad studia prosequenda, vel si Sacerdotes sint, ad ministeria exercenda mittere:

re: ita tamen vt Nouitij maneat, donec finito biennio ad vota substantialia emittenda admittantur, ad quæ ante illud tempus nunquam admissi sunt, quia Societas nunquam putauit, nouitium in priori ingressu factum sufficere ad hunc secundum ingressum.

7 In casu tamen nostro, quia dimissio secreta adhuc erat, & breuissimum tempus intercesserat inter dimissionem, & secundam admissionem, ego consului, quod quamuis ille Pater deberet manere substantialiter Nouitius per biennium, vt eius tamen existimationi consuleretur, haberetur exeriùs quasi antiquus, & vt antea, donec expleto biennio coram Prælato, & testibus emitteret iterum vota; ex hac enim simulatione publica nihil incommodi sequebatur, eo quod Societas non habet aliqua vel signa, vel exercitia, quæ sint necessariò propria Nouitiorum, vel antiquorum, & aliunde nemini præiudicabatur quoad iura antiquitatis, quia hæc solum possunt prodesse in antiquitate Professionis, quam Professionem ille Pater nondum fecerat: ex reputata autem maiori antiquitate votorum simplicium, nullum profus præiudicium alteri antiquiori prouenire poterat.

## D V B I V M II.

*De Nouitio, qui per errorem dimissus fuit, & post sex dies iterum receptus, an possit continuare biennium suæ probationis.*

1 Præcedenti dubio affine est hoc, quod errore cuiusdam Medici ortum est. Cum enim Nouitius quidam in Societate fuisset iam in probatione per 21. menses, ita vt tres soli ad complementum biennij illi deessent, iudicatus fuit à Medico laborare morbo quodam, qui eum ad Societatem reddebat inhabilem, atque ad eò Superiores eum dimiserunt. Adhibito tamen examine magis accurato, apparuit prioris Medici error, & iuuenis expers suspicionis talis morbi, & id eò post sex dies iterum fuit ad nouitium admissus: volebant autem, vt post tres menses ad vota admitteretur, nec illi Medici error noceret, ad quod afferebantur Sanchez lib. 5. in Decalog cap. 4. num. 34. & Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. num. 10. ipsi tamen id non dicunt: nam Sanchez loquitur de eo, qui

finito nouitiatu exit, & post breuem morulam redit, quem dicit, si aliqua adsint conditiones, non indigere nouo nouitiatu. Suarez verò neque id admittit, quamuis suam sententiam contrariam appellet solum probabiliorum, & non omninò certam. Quando verò tempus nouitiatu non erat finitum, & Nouitius exit etiam per vnum diem, vel horam, dicunt, nouitiatum interrumpi, & debere de nouo inchoari, idem Suarez ibi n. 6. & 8. & tom. 4. tract. 10. lib. 2. cap. 4. num. 10. & Sanchez vbi supra num. 20. & 32. & quidem quamuis aliqui voluerint, modicam interpolationem non obstare continuationi sufficienti; loquuntur tamen de interpolatione multò breuiori, quàm in casu nostro. Nam Francus in cap. 2. verb. per annum, de tempor. ordinat. in 6. dicit, interpolationem duorum, aut trium dierum non obstare; quam tamen obstare dicit Nauarrus apud Sanchez dicto num. 32. in nostro autem casu interruptio fuit per sex dies, de qua non videtur dubium, quod in omni sententia interruptit continuationem requisitam.

Quamuis autem præcesserit iam annus 2 integer continuus, quem solum petit Tridentinum, & secundus annus in Societate non fit ita substantialis, vt non possit à Generali contrahi, sciendum tamen est, hanc facultatem ita esse apud Generalem, vt licet eius vsus sit validus, non tamen sit licitus, quia prohibitus ei fuit in ordine ad vota simplicia biennij à generali Congregatione V. can. 10. & decreto 12. Possit ergo validè, & licitè Congregatio generalis dispensare in casu nostro, vt continuaretur biennium requisitum: possit etiam Generalis validè dispensare, non tamen licitè, quia vsus illius facultatis illi prohibitus est à Congregatione generali, cui obedire tenetur. Neesse est ergo vt biennium probationis denuò inchoetur. Nec hoc difficile erat ipsi Nouitio, quia, vt dixi dubio præcedenti, ad hoc vt currat biennium probationis, non est neesse, quod Nouitius maneat toto illo biennio in Domo probationis, sed transactis tribus illis mensibus, qui ad biennium deerant, quamuis non admittatur ad vota substantialia emittenda, sed re vera maneat Nouitius; poterit tamen mitti ad studia in Collegiis prosequenda, sicut si vota emisisset, & ibi finito nouo biennio admittetur ad substantialia vota emittenda, si sufficienter Religioni satisfecerit; id enim ob iustas causas fieri solet aliquando cum aliis Nouitiis, & ego ipse, qui iam 21. ætatis annum compleueram, missus

fus fui post 18. nouitiatu menses ad Collegium studiorum causa, vt eorum curriculum citiùs absoluerem.

## D V B I V M III.

*De eo, qui petiit dimitti è Societate, vt hæreditatem patris ab intestato obtineret, an potuerit validè dimitti, & hæreditatem acquirere.*

1 Titius nobilis quidam iuuenis in ingressu Societatis renuntiauerat cum iuramento solito patri suo, & eius successoribus omnia sua bona, & iura, præsentia, & futura; ita tamen, vt si fortè ante Professionem factam è Societate exiret, renuntiatio illa ex nunc haberetur pro non facta. Elapso itaque biennio vota simplicia emisit, & dum studiis more solito attenderet, post aliquot annos mortuo iam eius patre, obiit quidam patruus, nempe eius patris frater ab intestato, opulenta quadam hæreditate relicta, quæ videbatur competere Monasterio, in quo Monialis erat soror quædam defuncti, ex cuius Monialis persona Moniales hæreditatem apprehendere volebant. Id ægrè tulit Titius, qui putabat vtilius, posse bona illa applicari ad constituendum dotandumque Seminarium scholasticorum nobilium pauperum, quo sua illa ciuitas indigebat. Videbat, hæreditatem sibi priùs deferendam fuisse propter statutum municipale illius vrbis, quo nepos ex fratre præponitur sorori in successione ab intestato; obstabat tamen renuntiatio in ingressu Religionis facta, quod impedimentum, vt tolleretur, petiit à Patre Generali, vt dimitteretur; credebat enim fore maius Dei obsequium, si possit in opera pia, & publicam vtilitatem omnia illa bona expendere, & administrare: sub spe autem obtinendæ dimissionis, quam litteris petierat; opposuit se Monialibus, & voluit etiam bonorum possessionem apprehendere. Iudex, ne alteri parti præiudicaret, vtramque à possessione prohibuit, & bona interim sequestrauit. Obtinuit Titius dimissionem, & iam cum sui iuris esset, hæreditatem directè petiit tanquam defuncto proximior. Causa denique ad sacram Romanam Rotam delata, ego pro Titio consului, & pro ipso tandem iudicatum fuit. Dicam nunc breuiter quæ potissimum contra Titium oppo-

nebantur, & quomodo ad hæc responsum fuerit.

Primò ergo opponerent, quòd Titius 2 vota substantialia in Societate emiserat, quibus se ex parte sua in perpetuum obligauerat, nec ab hac obligatione poterat per alium, quàm per Summum Pontificem, liberari. hoc tamen argumentum procedit ex ignorantia instituti Societatis, in qua vota illa simplicia non omninò absolutè fiunt, sed cum perperuitate quidem ex parte vouentis; sub conditione tamen illa, *quandiu Societas me retinere voluerit*, quæ conditio implicitè continetur in verbis illis, quæ in formula votorum adduntur, scilicet, *omnia intelligendo iuxta constitutiones Societatis*, quia in eisdem constitutionibus explicatur, Societatem semper manere liberam ad dimittendum eum, si in Domino iudicauerit, eum non esse promptum huic instituto, & tunc dimissum liberum omnino manere ab obligatione votorum, quia sub hac conditione facta fuerant: quod totum auctoritate, & Bullis Pontificum confirmatum est. Quare, in rigore loquendo, quando Generalis aliquem è Societate dimittit, non dispensat cum eo in votis, nec ea irritat, sed tollit conditionem sub qua ea vota facta fuerant, & eo ipso quod Generalis non vult illum amplius in Societate retinere, cessat obligatio voti, quod nunquam pro eo casu obligauerat: ad quod sufficit subtractio materix, seu conditionis, qua sola durante, votum obligabat. Falluntur ergo aduersarij supponentes, eodem modo ligatos esse his votis, ac Professores ligentur sua Professione: hoc enim falsissimum est: nam, licet vtrique ex parte sua se perpetuò obligent; Professores tamen obligant se absolutè: illi autem alij solum sub illa conditione, *quandiu Societas me retinere voluerit*.

Sed contra hoc instabant secundo ex verbis, quibus Generalis in ipsa dimissione vtitur, dicens, *se eum liberare ab obligatione erga Societatem*. vbi ponderabant, Generalem non eum liberare, vel absoluere à votis, quia his adhuc manet ligatus, sed solum ab obligatione, quam habebat erga Societatem. Hæc autem instantia manifestam inuoluit contradictionem, quia, si Titius absoluitur ab omni obligatione erga Religionem, eo ipso non manet Religiosus, cum sit impossibile, aliquem esse Religiosum certi Ordinis, & nullam habere obligationem erga eum Ordinem, neque erga eius Prælatos. Si enim manet Religiosus huius Ordinis, manet cum voto obedientix

obedientia; ergo debet obedientiam Prælati. Fatendum ergo est, si absoluitur ab obligatione erga Societatem, ipsum non manere Religiosum Societatis, atque ad vota non perseverare, quæ ex intentione vouentis obligarunt solum in Ordine ad statum religiosum: imò quamuis daremus, vota perseverare, (quod falsum est,) non manerent tamen ut vota religiosa, sed ut alia vota simplicia facta ex deuotione, & non constituenta statum religiosum, cum supponatur Titius liber iam ab omni obligatione erga Religionem. Quare quod ad rem nostram attinet, etiamsi votis adstrictus maneret, non minus prætere-rita solum id impediatur, quandiu non exierit è Societate, siue habeat, siue non habeat aliquam obligationem ex votis.

4 Tertio opponerent, quod dimissio ipsa fuisset inualida, & nulla: quia quamuis Generalis possit cum causa sufficiente dimittere eum, qui nondum est Professus: sine causa tamen sufficiente non potest, nec licet, ut docet Suarez tom. 4. de Relig. tractat. 10. lib. 3. cap. 9. num. 10. Nulla autem causa, aut culpa apparet in casu nostro, nisi quod Titius contra iuramentum, quo suam renunciationem confirmauerat, tentauit apprehendere possessionem hæreditatis, quam cum omnibus seis iuribus iam renuntiauerat: quod quidem grauissimum periurij crimen magnam causam dedit, & sufficientem ex parte Societatis, ut Titium dimitteret. Sed hæc dimissio non potuit Titio prodesse, nec eum liberum reddere, quia dimissio proprii delicti obtenta non reddit liberum in conscientia ipsum dimissum, ut tradit Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 66.

5 Hoc erat potissimum argumentum, sed procedit, ut dixi, ex ignorantia instituti Societatis: & in primis non desunt, qui dicant, Generalem, licet non licet, valide tamen dimittere sine causa, quos tacito nomine refert Suarez tom. 4. de Relig. tractat. 10. lib. 3. cap. 9. num. 7. ipse tamen, & Sanchez loco citato dicunt, & nos etiam admittimus, ad valorem dimissionis requiri causam rationabilem, cum limitatione tamen, quam adhibet idem Suarez ibi num. 19. quod scilicet sufficiat causa, quæ non temerè, sed prudenter iudicata fuit sufficiens, licet postea constet deceptionem interuenisse, & non fuisse talem, qualis proponebatur. Hoc tamen admissio, negamus causam in casu nostro fuisse periurium illud prætentum, quod Titius di-

citur commisisse. Nec enim causa dimissionis fundari semper debet in peccatis, aut delictis illius, qui dimittitur; possunt enim occurrere aliæ causæ sufficientes, præsertim, si accedat consensus eius, qui dimittitur, ut constat ex constitutionibus Societatis part. 2. & in examine cap. 7. §. 2. & quidem in casu nostro causa dimittendi Titium non fuit peccatum periurij, quod nec Generalis sciebat, nec si illud sciret, iudicaret dignum tali pœna, cum fieri potuisset, quod Titius sine ullo peccato tentare voluisset, & prætere-rita possessionem hæreditatis propter ius, quod intra paucos dies habiturus erat, & iam quasi in proximo habebat, & ne alius inciperet possidere, à quo difficilè posset bona illa recuperare; quare voluit præcauere periculum proximum: sicut creditor in diem, vel sub conditione potest petere securitatem sui crediti, cuius dies, vel conditio breui ponenda est, ut ex cap. per vestras, de donat. inter virum & uxorem, colligit cum aliis Molina in casu simili tom. 2. de Iustitia, disp. 245. num. 3. Ad quod facit doctrina Baldi, Couarruix, & aliorum multorum, quos affert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 4. consil. cap. 3. dub. 29. qui dicunt, spurium hæredem institutum à patre sub conditione, si à Principe legitimeretur, posse interim pendente conditione, & antequam legitimeretur, petere bona paterna, ut ea interim non ut dominus, sed ut curator administret, quia impleta conditione, ad ipsum pertinere debent; & colligitur ex l. si quis instituat heres in diem, 23. ff. de hæredibus instituendis, vbi institutus hæres in diem incertum, vel sub conditione potest bonorum possessionem agnoscere. Cum ergo in casu nostro Titius esset hæres sub conditione, si egrederetur è Societate, & sub ea conditione haberet ius ad ea bona, potuit absque periurio, pendente conditione, quam sciebat breui ponendam, petere bonorum possessionem, ne interim in eius præiudicium distraherentur, vel diminuerentur; non ergo fuit dimissus propter delictum periurij, quod quidem Generalem latuit, nec eum mouere potuit, imò nec tale delictum probare poterit, ut vidimus; & quidem ad maiorem abundantiam poterit id ex testimonio eiusdem Generalis constare, qui planè testabitur, se ab hoc delicto motum non fuisse ad Titium dimittendum.

Sed dato, & non concesso, dimissum fuisse ob illud periurium, non idèò dimissio minus valida erit: nam, etsi periurium interue-

interuenisset; non tamen fuit commissum ad eum finem, ut propter illud peccatum dimitteretur è Societate, neque ea intentio probari vnquam poterit, nec est vllò modo verisimilis. Est autem certissimum iuxta Societatis institutum, eos, qui ob culpas, & delicta dimittuntur, valide dimitti, ipsosque manere liberos à votis, quando culpas non commiserunt ad hunc finem, ut è Societate ob eas culpas dimitterentur. Imò ad hoc potissimum data fuit Societati facultas dimittendi non Professos, ut à se reiceret eos, qui ob suas culpas redditi erant minus apti ad Societatis ministeria, ut constat ex constitutionibus Societatis p. 2. cap. 2. & in examine c. 7. §. 1. vbi expressè habetur, eos etiam, qui ob culpas commissas dimittuntur, liberos manere, & solutos à votis, his verbis: *libera tamen manebit Societas, nec tenebitur ad eos admittendos ad Professionem, nec in coadiutores formatos, si studiorum tempore male se gererent, adeò ut Superior Societatis existimaret, Deo gratum non fore, si in eam admitterentur; & tunc ipsis etiam suis votis soluti erunt*: quod tamen in Congregatione septima generali, decreto 22. num. 4. explicatum est, ut non debeat intelligi de iis, qui ad hunc ipsum finem delicta commiserunt, ut dimitterentur; hi enim non manent tuti in conscientia, nec liberi à votis, nisi suam malitiam, & fraudem detegant, & adhuc Societas nolit eos retinere. Cum ergo periurium illud (si quod fuisset,) non esset ad hunc finem dimissionis obtinendæ commissum, ut constat, non posset dimissionis valor ex hoc capite in dubium reuocari.

7 Quod si petatur, quænam fuerit rationabilis causa Titium dimittendi? Respondimus, in primis Generalem non teneri ad eam declarandam, sed ipse eam debet in Domino considerare, & dum dicit, se iustus de causis eum dimittere, præsumendum est habuisse causam sufficientem. Loquendo tamen de possibili, possumus nos per discursum inuenire, postquam Titius Generali proposuit desiderium, quod habebat, & (ut sibi videbatur,) à Deo expendendi vtiliter bona hæreditatis opulentæ in operibus piis, & in Reipublicæ, ac propriæ patriæ vtilitatem spiritualem, potuisse Generalem prudenter iudicare Titium accensum semel desiderio illo, & spe fructus spiritualis, non facillè habiturum quietem internam in statu religioso, impedito sibi illo maiori bono, quod semel apprehenderat: atque idèò, quamuis humiliter, & sine obstinatione peteret dimissionem,

& promptum se exhiberet ad remanendum, si negaretur, non tamen facillè pacem internam habiturum, sine qua non ita idoneus futurus esset Societati, nec par fructus ab eo iam in Religione sperari posset, ac esset, quem in bonum commune Reipublicæ ferre posset, si suo desiderio duci sineretur. quam prudenter iudicare potuit esse causam sufficientem ad eum dimittendum, vel alias fortasse causas, quas ipse habuit, & nobis manifestare non teneretur.

Vnde facillè soluitur quod quarto loco 8 opponerent contra dimissionis valorem, supponentes, dimissum non remanere tutum, nec liberum à votis, quoties ipse petiit, aut procurauit dimissionem, pro quo afferebant testimonia aliquorum Doctorum è Societate. Sed grauiter sunt decepti in intelligentia illorum Doctorum: nam ij loquuntur solum de eo, qui fraudibus, aut iniuste extorquet dimissionem, non verò de eo, qui simpliciter proponit causas veras, & humiliter petit dimissionem, promptum se ostendens ad remanendum, si non dimittatur. De hoc enim nemo dixit, non manere liberum à votis, imò nec peccare ita petendo, faretur Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 70. qui contrarium dixerat de eo, qui fraudibus dimitti procurat. Vnde in Congregatione generali 7. decreto 22. num. 1. definitum fuit, eum, qui petit dimissionem, debere veras causas Superiori proponere, & eius iudicio, ac decreto stare: quo casu, si Superior eas causas approbauerit, suo iam debito satisfecit. & postea num. 4. additur, *eos, qui ex causis non veris fraude, aut dolo dimissionem à Societate obtinuerunt, aut ex causis quidem veris, & iustis, grauibisque delictis, sed ea intentione perpetratis, quò facilius dimissionem extorquerent, nullo modo tutos in conscientia esse, & eiusmodi facultatem in conscientia foro irritam, ac nullam prorsus esse.* vbi duo soli casus ponuntur, in quibus dimissio non sit valida. Primus est, quando causæ falsæ dolosè allegantur; secundus verò, quando delicta vera sunt ad hoc, ut è Societate dimittatur. Quod ergo in casu nostro Titius petierit, & procurauerit dimissionem, non reddit illam inualidam, cum neque falsas causas adduxerit, nec delicta commiserit ad hunc finem, ut dimitteretur, sed potius promptum se exhibuerit ad obediendum, & remanendum, si Superior non iudicaret dimittendum.

Quintò opponerent magis apparenter, quod quamuis Titius nunc, postquam egressus est ex Societate, sit capax successio-



tionis, non tamen debet attendi status præfens, sed tempus delatæ hæreditatis, & mortis patris, quo tempore Titius nondum erat capax propter renuntiationem factam, & quæ adhuc tunc in suo robore erat, cum adhuc Titius esset Religiosus. Cum ergo eo tempore non potuerit deferri Titio hæreditas, quia tunc erat incapax, debuit deferri forori defuncti, quæ non potest perdere ius semel acquisitum, propter capacitatem postea Titio superuenientem. Hoc argumentum difficilius esset, nisi in renuntiatione apposita fuisset in ipso corpore renuntiationis clausula illa: *ut si Titius aliquando ante Professionem à Societate exiret, renuntiatio illa intelligatur non facta.* quæ clausula quoties ita apponitur in contractu, habet vim, non quidem rescindendi contractum adueniente conditione, sed ostendendi, ab initio contractum non fuisse validum, quia posita conditione, retrahitur contractus inuvaliditas ad initium ipsius, de quo aliquid dixi tom. 2. de Iustitia disput. 21. sect. 13. num. 203. & latius Molina tom. 2. de Iustitia disp. 377. per totam. Quare, in rigore loquendo, valor renuntiationis ex vi illius clausulæ erat semper suspensus, & valida erat, si Titius nunquam à Societate ante Professionem exiturus esset: ipso autem exeunte, apparet nunquam fuisse validam. Vnde, quando mortuus est patrus, Monialis eius soror non habebat absolute ius ad illa bona, sed solum sub conditione, si Titius perseveraturus erat in Societate: quæ conditio cum ponenda non esset, apparet postea illam tunc nullum habuisse ius ad hæreditatem, quia exeunte Titio à Societate retrahitur conditio, & omnia reducenda sunt ad eum statum, ac si nunquam renuntiatio facta esset: hoc enim est, illam intelligi debere nunquam factam. De hoc tamen, quia res spectabat ad Aduocatos Iuristas, qui optime id probarunt, breuiter sufficiat indicasse.

10. Vltimò opponerent, ob peccatum periurij commissi debere Titium repelli à petitione hæreditatis. hoc tamen nullius est ponderis. Primò, quia negatur, Titium aliquid egisse contra iuramentum, ut supra vidimus: & confirmari rursus potest ex proximè dictis. Si enim valor renuntiationis, & iuramenti erat in suspenso sub conditione perseverantia Titij in Societate, & ipse sciebat, conditionem illam non esse ponendam, sed in breui defecturam, sciebat consequenter, iuramentum nec habuisse, nec habiturum vim obli-

gandi. Secundò, quia, etiam si commississet peccatum periurij, in sacra tamen Rota non agitur causa criminalis de puniendo periurio, sed solum ciuile de iure succedendi. Tertio denique, quia illud peccatum impertinenter omnino se haberet ad statum sæcularem, quem Titius nunc habet, quia nec propter illud dimissus fuit à Societate, ut vidimus, nec illa possessio intentata est causa iuris succedendi, quod nunc habet, sed defectus validæ renuntiationis ob defectum conditionis perseverantia in Societate, qua conditione deficiente, non censetur vnquam facta renuntiatio, ut constat ex eius verbis. Atque ita tandem à sacra Rota in eius fauorem decisum fuit.

#### D V B I V M IV.

*An Societas pretendere possit hæreditatem ab intestato nomine Professi, qui ante Professionem omnia sua iura cesserat Collegio cuiusdam Societatis.*

PRæcedenti dubio possumus hoc aliud connectere, quod partim simile, partim dissimile casum habet: quidam enim à Societate, antequam Professionem faceret, renuntiauit in fauorem cuiusdam Collegij Societatis omnia sua bona, & iura, præsentia, & futura, & postea Professionem emisit. Moritur postea eius quidam consanguineus ab intestato, cui quidem ipse erat omnibus proximior, sed opponentibus aliis, ipsum esse iam Professum Societatis, in qua Professi licet sint capaces legatorum, non tamen sunt capaces succedendi in hæreditate; aliqui dicebant, id non obstare: quia quamuis ipse Professus non sit iam capax successio- nis hæreditariae, Collegium tamen, cui ipse cesserat omnia sua iura præsentia, & futura, capax est legati, atque etiam hæreditatis, idè Collegium potest, & debet succedere ob renuntiationem præcedentem, cui sententiæ fauere videtur Castro Palao 3. tom. tract. 16. disp. 1. puncto 18. in fine; vbi dicit, si quis in Societate post vota biennij hæreditati paternæ renuntiauit in fauorem Societatis, & viuo patre Professionem, seu vota Coadiutoris formati in Societate fecit, & postea decessit pater viuento filio, Societatem succedere debere in hæreditatem paternam.

Respondi

2. Respondi tamen, Collegium in casu nostro non posse succedere ab intestato prætextu renuntiationis factæ ab illo Religioso ante Professionem. quod idem antea dixeram tom. 1. de Iustitia, disputat. 3. sect. 9. num. 192. & expressè docet Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 9. numer. 25. qui hoc ipsum in casu magis stricto, & difficili dixit cap. 15. numer. 9. & 10. vbi negat, eum, qui maioratum possidet, posse, antequam Professionem faciat in Religione incapaci eum maioratum possidendi, testamento relinquere vsumfructum illius maioratus alicui alteri, durante vita ipsius Religiosi, sed debere statim, facta Professione maioratum transire ad sequentem successorem. Quanto minus poterit testamento, vel donatione transferre hæreditates, quæ sibi post Professionem obuenire possunt, quando iam ob incapacitatem non potest ipsi hæreditas vlla deferri?

3. Ratio autem in casu nostro videtur clara, quia nemo dare, vel donare potest id, quod suum non est, nec erit: ad eum autem, qui Collegio donauit omnia sua præsentia, & futura, non pertinebat tunc hæreditas consanguinei adhuc viuentis; sed nec pertinet postea, quando moritur consanguineus, propter incapacitatem, quam habet Professus Societatis, ut sit alicuius hæres: non ergo comprehensa fuit hæc hæreditas in renuntiatione illa generali, in qua solum translata fuerant bona, & iura omnia, præsentia, & futura: ius autem ad illam hæreditatem non erat præfens tempore renuntiationis, ut constat, cum viueret adhuc consanguineus illorum, bonorum dominus, sed nec erat futurum, cum postea moriente consanguineo, non posset ad Professum pertinere ius ad illam hæreditatem ob incapacitatem Professi: non potuit ergo comprehendere in illa renuntiatione ius illud ad hæreditatem, quod neque erat præfens, neque futurum. Sicut, si Petrus ante Professionem renuntiaisset in fauorem Ioannis omnia, quæ post Professionem amici dabunt ipsi Petro sine consensu sui Prælati: nihil certè renuntiaisset in fauorem Ioannis, quia post Professionem nihil prorsus possunt amici ei dare absque consensu Prælati. Eodem modo est inutilis renuntiatio, qua ante Professionem renuntiet in fauorem alterius hæreditatem, quæ

D. 10. Card. de Lugo Resp. mor.

ad eum ab intestato spectabit post Professionem in Societate, quando propter incapacitatem nulla talis hæreditas ad eum spectare potest. Sicut, si ante mortem naturalem renuntiaret hæreditatem, quæ ei post mortem aduenire potest, cum certum sit, nullam post mortem hæreditatem deferri posse. Et quidem non magis potest deferri hæreditas Professo Societatis, quam mortuo: nihil ergo donat, qui hæreditatem sibi post Professionem in Societate deferendam donat.

Hinc autem facile solui possunt ea, quæ Castro Palao in fauorem contrariæ sententiæ videtur asserere. nam, licet ipse loquatur de hæreditate Patrum, de qua posset esse maior difficultas, quia filius etiam viuento patre videtur habere ius aliquod ad bona patris, præsertim in Castella, vbi pater non potest disponere extra filios, nisi de quinta bonorum parte: quia tamen argumenta illius Auctoris videntur vniuersaliter probare, oportebit ad singula respondere. Primò itaque probat, quia Professio, quæ est mors ciuile, tunc æquiparatur morti naturali, quando non potest habere diuersum effectum: pro quo asserit Thomam Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 3. numer. 68. & 78. in casu autem nostro Professio in Societate potest habere diuersum effectum à morte naturali, quatenus non extinguit iura in tertium translata, sed quæ ipse Professus eo tempore haberet.

Respondetur, in primis Thomam Sanchez utroque illo loco reprobare potius illam doctrinam, & ideo tenet, testamentum ante Professionem factum debere, (nisi aliud à testatore captum fuerit,) statim facta Professione, & ante mortem naturalem executioni mandari; & rursus, si is, qui iussus fuerat restituere hæreditatem post mortem, Professionem faciat in Monasterio incapaci succedendi suis Religiosis, debere sequuta Professione, non expectata morte naturali, restitui hæreditatem fideicommissario; & vtrumque probat, quia Professio æquiparatur morti. Deinde, quamuis daremus, in iis casibus expectandam esse mortem naturalem, non posset argui ad casum nostrum; aliud enim est, querere, an Professus debeat reputari mortuus, quoad omnes effectus, & Professio veniat nomine mortis in odiosis, de quo potest esse magna difficultas. Aliud vero

P est

est dicere, eum, qui cedit omnia sua bona, & iura presentia, & futura alicui Collegio, transferre etiam iura, quæ neque habet, neque habebit, neque habere poterit: quod dicimus fieri non posse.

6 Secundo arguit, quia hæreditas illa non deferretur Professo Societatis, qui est incapax, sed deferretur Collegio, in cuius fauorem facta fuit renuntiatio ob ius per renuntiationem acquisitum, ut ipsemet Sanchez probauit *dicto lib. 7. cap. 6. numer. 2.* & quidem ob ius concessum à Professo tempore, quo validè concedere poterat.

7 Respondetur, Collegium non potuisse, ut iam diximus, ex renuntiatione acquirere aliquod ius ad hæreditatem, ad quam Professus ante Professionem nullum ius habebat, cum non esset ei delata, nec post Professionem poterat vllum ius habere, cum non posset ei deferri. Nec doctrina illa Sanctij, quæ affertur, est ad rem: nam eo loco agit de eo, qui ante Professionem renuntiavit hæreditati parentum viuentium, cuius hæreditatis ipse post Professionem, vel Monasterium in eius persona capax erat: quo casu dicit, ad valore renuntiationis non requiri consensum, vel renuntiationem Monasterij, quia Monasterium non potest habere ius, nisi quatenus Professus, cuius personam repræsentat, habet ius. In eo autem casu Professus nullum habebat ius; cum per renuntiationem omnè ius à se abdicarit; ergo Monasterium etiam si renuntiationi non consenserit, nullum habebit ius ad illam hæreditatem. quod totum nos libenter admittimus; sed differt multum à casu nostro; aliud enim est dare ius alteri ad hæreditatem, aliud verò abdicare à se ius ad hæreditatem. Illud prius non potest, cui hæreditas non deferretur, nec deferretur, quia nemo dat quod non habet, nec donatarius potest habere plus iuris ad hæreditatem, quam haberet is, qui dedit ius; quando verò aliquis non dat alteri ius ad hæreditatem, sed abdicat à se ius, quod habet, vel poterit vnquam habere, non intendit facere, quod nomine suo alius sit hæres, sed solum aufert ex parte sua impedimentum, quod aliquando posset esse, ut alius sit hæres, & permittit alium esse hæredem, si ei aliunde hæreditas competat. quod quidem Nouitius facere potest ante Professionem, etiam si ei tunc hæreditas delata non sit; quia hoc ferè non est aliud, quam obligare se, quasi

sub conditione ad non acceptandam talem hæreditatem, si aliquando delata fuerit; quæ obligatio conditionalis transit ad Conuentum, qui per Professionem succedit in omnia bona, & iura illius Religiosi. Sicut enim Conuentus capax succedit per Professionem in omnia iura, & actiones Professi, ita succedit in omnia debita, & obligationes, quas Professus ante Professionem habebat; inter quas erat hæc obligatio conditionalis non acceptandi talem hæreditatem, si aliquando ei deferretur. Cum ergo Conuentus capax repræsentet personam Professi, debet sustinere eius obligationes, & quia obligatus erat ad non acceptandam illam hæreditatem, hinc est, quod adueniente casu, quo hæreditas illa deberet ab intestato, vel alio iure illi Professo deferri, debeat Conuentus ab ea abstinere ob renuntiationem præcedentem, vel debeat illam dare iis, in quorum fauorem renuntiata fuit. In Societate autem, quia ipsa non succedit Professo, nec Professus est capax successionis hæreditariæ; eiusmodi renuntiatio solum potest deferri ad hæreditates, quæ deferuntur Religioso ante Professionem, vel gradum Coadiutoris formati: ante quos gradus etiam post vota biennij Religiosus est capax hæreditariæ successionis, & idèd potest ius suum renuntiare in fauorem alterius. Vnde, si Nouitius, vel scholaris etiam Societatis post vota biennij renuntiat hæreditatem parentis viuentis, in fauorem alicuius consanguinei: tunc si parens moriatur antequam renuntians sit Professus, vel Coadiutor formatus, & hæreditas ad ipsum, vel ab intestato, vel iure filiationis pertinere deberet, pertinebit ad illum, in cuius fauorem renuntiata fuit. Si verò renuntians factus sit iam Professus, vel Coadiutor formatus, non pertinebit hæreditas ad illum, in cuius fauorem renuntiata fuit, nisi aliunde ad ipsum ab intestato, vel ex testamento defuncti spectaret, sed deferretur ad illos, qui vel ex testamento defuncti, vel ab intestato ei succedere debent; quia ex renuntiatione nullum ius ad hæreditatem eo tempore delatam acquirere potuerunt, ut dictum est.

Tertio opponitur doctrina, quam defendit cum aliis ipsemet Sanchez *codem lib. 7. cap. 3. numer. 81.* vbi docet, si aliquis grauatus restituere post mortem hæreditatem Titio, Professionem faciat in Ordine incapaci succedendi, v. gr. in Ordine

dine Minorum, quamuis facta Professione debeat hæreditas tradi fideicommissario, quia Professio est mors ciuilis; si tamen ante Professionem ipse venditione, donatione, aut quouis alio contractu, ius in ea bona tempore vitæ suæ ad se pertinens in alium transtulit, hunc debere frui bonis illis, durante vita naturali Professi; quia fictio, qua Professio reputatur mors, non debet operari in præiudicium tertij, cui per translationem, vel venditionem est ius acquisitum. Imò *num. 82.* addit, idem esse dicendum, etiam si bona non essent alienata in illum tertium antea, sed tempore Professionis Professus renuntiaffet expressè, ut ab hora suæ Professionis tertius ille ius hoc obtineret. Idemque docet postea *cap. 13. numer. 57.* de eo, qui habet maioratum, & profiteretur in Religione incapaci succedendi; de quo dicit posse ante Professionem testamento, venditione, vel alienatione disponere pro tempore vitæ suæ in fauorem tertij, ad quem spectabunt fructus durante vita naturali Professi, & non ad successorem maioratus. Quare idem dicendum videtur in casu nostro, in quo Religiosus ante Professionem renuntiauit in fauorem Collegij.

8 Respondetur tamen, in primis eundem Sanchez non videri satis firmiter, vel consequenter in illa doctrina permanisse, ut obseruauit *tom. 1. de Iustitia, disputat. 3. sect. 9. numer. 209.* & sequentibus, nam postea *cap. 15. numer. 10.* dicit, hæredem illius Religiosi non debere frui fructibus maioratus, sed à die Professionis pertinere ad sequentem vocatum: non ergo potuit testamento transferre ius pro tempore vitæ suæ in hæredem. Deinde casus ille valde diuersus est à nostro; quia in illo casu Professus ante Professionem disponit de re sua, quam iam habet; siquidem tunc habet verè ius retinendi hæreditatem, vel maioratum pro toto tempore vitæ suæ, quod ius transfert in alium. Quamuis autem lex voluerit, Professionem æquiparari morti, & idèd facta Professione, transeant bona ad fideicommissarium, vel successorem vocatum: multi tamen dicunt, fictionem iuris non operari in præiudicium tertij, cui iam ius sit acquisitum, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto cap. 3. numer. 81.* Quidquid ergo sit de veritate illius doctrinæ, ea nihil deseruit ad casum nostrum, in quo nulla est iuris fictio, sed mera incapacitas, & defectus

conditionis requisitæ. Nam Religiosus renuntiauit in fauorem Collegij hæreditates, quæ ipsi deferrentur: hæc autem hæreditas ab intestato ei non deferretur, propter incapacitatem, quam ex vi Professionis habet ad successionem hæreditariam. Deficit ergo conditio necessaria, ut comprehensa fuerit in renuntiatione præterita. Vnde constat discrimen, quod in primo casu renuntiauit ius absolute, quod renuntians habebat in bona retinenda per totam vitam, quod ius statim absolute acquisitum est emptori, vel donatario, & idèd volunt ij Doctores, non posse hoc ius acquisitum lædi per iuris fictionem euentus per accidens subsequens. In nostro autem casu ius ad hæreditatem non acquiritur Collegio absolute, sed sub conditione, si hæreditas deferatur renuntianti, quæ cum nunquam ei deferatur post Professionem, non purificatur conditio, & renuntiatio quoad illam partem manet inutilis.

Quia tamen res hæc adhuc dubia videbatur, volebant aliqui, quod Generalis Societatis vteretur facultate sibi concessa declarandi dubia spectantia ad Societatis institutum, de qua fit mentio in compendio priuilegiorum Societatis *verb. Generalis. §. 5.* & declararet capacitatem Collegij ad habendam illam hæreditatem ob renuntiationem præcedentem, & hoc modo maneret res hæc extra controuersiam. Ego tamen dixi, nec hanc declarationem ad Generalem pertinere, neque, etiam si pertineret, expedire, quod id ita declararet. Prima pars colligitur ex verbis dicti priuilegij, quod quidem habetur solum per communicationem concessionis cuiusdam factæ Generali Ordinis Prædicatorum à Iulio II. ea autem concessio non videtur deferri pro foro externo, præsertim sæculari, sed solum ad quietem subditorum in foro conscientiæ, ut constat ex verbis concessionis, quibus dicitur, Generalem posse declarare eiusmodi dubia, *quoad serenitatem illarum conscientiarum, quæ sibi subiecta sunt dumtaxat.*

Nihil ergo deseruieret ea declaratio ad persuadendum iudicibus Ecclesiasticis, vel laicis, apud quos de hac causa tractaretur. Deinde, quia hoc dubium in rigore non est circa institutum Societatis, sed circa ius commune, quia non controuertitur nunc, an Collegium Societatis sit capax

iuxta constitutiones acquirendi ex bonis, & iuribus Professorum, per donationem, aut renuntiationem ab ipsis ante Professionem factam; de hoc enim nemo dubitavit. Sed nunc agitur de alio puncto iuris communis, an renuntians, quando est capax hæreditatis, possit transferre ius, quod tunc non habet, ad hæreditatem, sed quod haberet post Professionem, si tunc non esset redditus incapax omnino successione hæreditaria: quod, ut dixi, non est dubium circa institutum Societatis, sed commune omnibus renuntiantibus ante Professionem in ordine incapaci successione, atque adeo circa omnes tractatur à Doctoribus, ut vidimus. Non ergo pertinet eius declaratio ad Generalem Societatis, quia non dubitatur de sensu constitutionum Societatis, sed de sensu legis, & iuris communis.

II Secunda denique pars, quod nec, etiam si ad ipsum spectasset, expediret, Generalem id declarare in fauorem Collegij, probavi, quia posita, & approbata eiusmodi declaratione, posset satis apparenter dici, quod tota incapacitas Professorum Societatis ad successionem hæreditariam ab intestato, & tota incapacitas ipsius Societatis ad acquirendum hæreditates, in persona Professorum erat incapacitas de solo titulo: nam de facto posset Societas frui hæreditatibus, quæ obuenirent Professoris, siue ab intestato, siue ex testamento, (cùm eadem sit ratio de vtrisque,) facta prius renuntiatione à Professo in fauorem Societatis omnium hæreditatum, quæ ipsi Professo post Professionem obuenirent. qua renuntiatione posita, non minus erunt capaces successionis hæreditariæ Professi Societatis, quàm Professi aliarum Religionum capacium; siquidem tam ex testamento, quàm ab intestato acquirent omnes hæreditates Societati, sicut eidem, & non sibi acquirerent, si ipsi, & Societas essent capaces, & sicut Professi aliorum Ordinum capacium acquirunt hæreditates, non quidem sibi, sed suis Ordinibus: quare daretur occasio dicendi totam hanc incapacitatem esse solum quoad modum, non quoad substantiam, cùm sola renuntiatio præcedens redderet eos, & Societatem capaces ad quolibet hæreditates lucrandas; quod nihil aliud esset, quàm habere eundem effectum, mutato nomine, & per aliam viam. Scio, alios viros doctos aliter sensisse, quibus fauet, ut vidimus, Castro Palao; ego tamen dico solum meum

sensum, iudicio Aduocatorum, & Prælatorum remittens, an occurrente casu lis iustè, & prudenter intentanda, vel sustinenda sit.

D V B I V M V.

*Cui acquiratur legatum relictum Professo Societatis, qui ante Professionem renuntiauerat omnia sua bona.*

N Professus Societatis, antequam Professionem faceret, renuntiauit in fauorem cuiusdam Collegij Societatis omnia sua bona, & iura, præsentia, & futura; postea verò, cùm iam esset Professus, quidam eius frater reliquit ei legatum, qua occasione dubitatum fuit, an non obstante Professione, validum esset legatum, atque adeo acquirendum esset Collegio, cuius fauorem ante Professionem renuntiauerat.

Dixi, de validitate legati nullum esse dubium, quia Professi Societatis, quamuis non possint esse hæredes ex testamento, nec ab intestato: possunt tamen esse legatarij, ut cum aliis tradit Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 27. numer. 25. & nos etiam diximus tom. 1. de Iustitia, disputat. 3. sect. 5. num. 100. Quare, siue Professus ille ante Professionem renuntiationem fecerit, siue non fecerit, manet capax legati, licet non potuisset hæres institui. Difficilius mihi est, quod in casu proposito pro comperto supponebatur, nimirum si legatum validum sit, pertinere ad Collegium illud, in cuius fauorem ante Professionem ipse Professus renuntiauerat.

Hoc, inquam, mihi difficile est; nam, si Professus ille ante Professionem non renuntiauerat, certissimum est, quod legatum illud post Professionem adueniens pertinere ad domum, vel Collegium, in quo tunc habitaret, iuxta communem regulam, quod *quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit.* Et quamuis Societas non sit capax succedendi suis Professoris; hoc tamen non debet intelligi, ut post Professionem non acquirat Societas per suos Professos, sed solum, quod per Professionem non transeant bona Professi ipso iure in Societatem, sed potius debeant spectare vel ad hæredes à Professo destinatos, vel ad hæredes ab intestato, nisi ipse ante

ante Professionem in fauorem alicuius renuntiauerat, quomodo posset etiam renuntiare in fauorem eiusdem Societatis; & tunc Societas succederet non vigore Professionis, sed vigore renuntiationis; postquam verò Professus est, non est incapax Societas, sicut nec vlla alia Religio, acquirendi per Professum: nam si amicus det eleemosynam, vel quidquam aliud Professo, non est dubium quod id totum acquiratur Societati, seu domui, aut Collegio, in quo habitat. Et quamuis Professus Societatis non possit esse hæres ab intestato, neque ex testamento, atque idè, si ei hæreditas aliqua deferretur, non posset Societas illam acquirere, quia Professus non potest esse hæres, ut vidimus dubio præcedenti: est tamen capax Professus ille legati, atque idè illud etiam acquireret Societati, & Collegio, vel domui in qua esset. Hinc autem videtur colligi, quod renuntiatio præcedens, facta in fauorem vnus Collegij, non facit, quod legatum post Professionem relictum illi Professo, non acquiratur Collegio, in quo tunc temporis commoratur, quando legatum illud legatario debet acquiri.

4 Potest autem hoc dupliciter probari. Primò à posteriori, quia, si renuntiatio præcedens extenderetur ad omnia illa bona, quæ Professo quocunque modo post Professionem aduenirent, ita ut ea omnia deberent ad Collegium illud pertinere, in cuius fauorem renuntiatio facta fuit; sequeretur quod etiam si Professus ille in alia domo, vel Collegio permanentemente habitaret; omnia tamen dona, etiam minima, quæ ab amicis ei darentur, eleemosynæ, quæ ei tribuerentur, libri, & utensilia, & alia eiusmodi deberent acquiri ipso facto Collegio illi, in cuius fauorem renuntiauit. quæ omnia certissimum est esse contra praxim Societatis, in qua hæc omnia pertinere intelliguntur ad domum, vel Collegium, cuius subditus est Professus, perinde ac si in illius fauorem antea renuntiauerat: fatendum ergo est, renuntiationem non extendi ad eiusmodi bona, quæ postea adueniunt Professo, atque adeo nec ad illud legatum. Neque enim apparet probabilis differentia inter legatum illud, & alia bona enumerata. nam in hoc solum differre videtur legatum à donatione inter viuos, quod hæc fiat à viuente, & irreuocabiliter; legatum verò relinquatur à moriente, & reuocabiliter quandiu viuit. Si ergo centum aurei donati Professo ab amico, vel fratre, pertinent ad Colle-

gium illud, in quo tunc est, cur iidem centum aurei relictæ eidem Professo ab amico, vel fratre moriente non pertinebunt ad idem Collegium, sed ad aliud, in cuius fauorem renuntiauit ante Professionem?

Vnde colligi potest secunda ratio à priori, quæ partim fundari potest in intentione renuntiantis, qui solum videtur intendere renuntiare id, quod habet, quam intentionem ostendit clarè effectus ipse, cùm post renuntiationem adhuc Professus acquirat alia omnia quotidie alteri Collegio, sine vlla hæsitacione orta ex renuntiatione præcedente: partim etiam fundari videtur ratio, & hæc ipsa intentio in repugnantia ad renuntiandum alio modo: in rigore enim non potest quis in aliud transferre id, quod nec habet, nec ad id vllum ius habebit. Ea autem, quæ Professo post Professionem dabuntur, non habet, quando renuntiat, nec ius quidem ad rem; sed nec post Professionem illa habebit, nec vllum ius ad ea, cùm sit incapax dominij, vel iuris habendi; sed totum ius est ipsius Conuentus, ut constat. Quomodo ergo potest per renuntiationem transferre in alium tertium illa iura, quæ nec tunc habet, nec habere poterit?

Potest autem hoc declarari exemplo serui, cui quoad hoc videtur æquiparari Professus: nam, sicut seruus acquirit domino, ita Professus acquirit suo Monasterio: imò difficilior, & minus possibile est, quod Professus non acquirat Monasterio, quàm quod seruus non omnia acquirat domino, ut multis exemplis probavi tom. 1. de Iustitia disp. 3. sect. 3. num. 56. & sequentibus. Ponamus ergo, quod Titius, dum liber erat, renuntiauit omnia sua bona, præsentia, & futura, renuntiatione valida in Seium: postea verò bello captus contrahat iustam, & legitimam seruitutem. Nemo dicet quod ea, quæ Titius seruus postea acquirit, non acquirat domino, sed quod pertineant ad Seium, ob renuntiationem præcedentem. hoc certè esset in fraudem veri domini: omnes enim, quando ad bella procedunt, possent antea disponere de bonis omnibus præsentibus, & futuris, ut dominos, si fortè in seruitutem inciderent, fraudarent bonis omnibus, quæ in statu seruitutis postea acquirerent. Similiter ergo Professus non potest ante Professionem in fauorem alterius de bonis, quæ post Professionem acquireret, in præiudicium Religionis, vel Monasterij,



cui postea necessarium debet acquirere; nec potest dicere: Ego quidem me trado Religioni; ita tamen ut postea non acquiram Religioni, sed meis amicis. Ratio autem est, quam indicauimus, quia de iis, quæ nec sua sunt, nec erunt, nec ad ea ius habet, aut habebit, non potest disponere, ut in alium pro libito ea transferat. Bona ergo, quæ post Professionem, siue ex donatione, siue sua opera, & industria acquisierit, cum iure ipso, non ad Professum, sed ad Monasterium pertineant, non possunt pro solo libito Professi in alium transferri.

7 Nec obstat, quod in renuntiatione posita sit clausula vniuersalis, *de omnibus bonis, & iuribus, presentibus, & futuris*. tum quia illa verba ponuntur ex vsu Notariorum, qui in aliis renuntiationibus vniuersalibus uti solent verbis illis, & ideo etiam in renuntiatione Religiosi eadem verba apponunt ad significandam, & exaggerandam vniuersaliter renuntiationis: tum, quia in hac etiam possunt aliquem effectum habere, si, v. gr. medio illo tempore inter renuntiationem, & Professionem aliqua bona, vel iura Religioso adueniant, quæ virtute illorum verborum comprehensa intelligerentur in renuntiatione præcedenti; denique verba illa nihil nocere possunt, cum eorum sensus sit conditionalis, nempe, *si aliqua bona, vel iura in futurum habeo*; quæ tamen conditio post Professionem non potest verificari, cum Professus nullius boni, vel iuris habendi sit capax, ut dictum est.

8 Vna potest superesse difficultas ex dictis dubio præcedenti, vbi diximus, posse Professum ante Professionem renuntiare validè hæreditati futuræ, ad quam tunc nullum adhuc ius habet, ita ut si post Professionem hæreditas, vel successio adueniat, Monasterium non possit nomine Professi hæreditatem illam prætere, quæ iam renuntiata supponitur: ergo iam videtur posse Religiosus ante Professionem disponere validè de iure, quod nondum habet; sed post Professionem adueniat, atque aded poterit validè transferre in alium ius illud, quod post Professionem ei relictum fuerit.

9 Respondetur tamen ex dictis eodem loco, renuntiationem illam ante Professionem factam posse dupliciter considerari. Primò, quatenus est abdicatio iuris post Professionem aduenti. Secundò, quatenus est translatio illius iuris in alium. Primo modo diximus, posse renuntiare ius

ad hæreditatem, vel legata futura: nam, in rigore loquendo, tunc non renuntiat aliquid futurum, sed præsens, nempe capacitas ad illa, qua capacitate renuncians se spoliatur; & quidem in gratiam alterius, cui non dat ius ad illam hæreditatem, vel legata, sed in eius gratiam aufert impedimentum reddendo se incapacem, ut eo impedimento ablato possint postea bona illa ad ipsum pertinere, vel ab intestato, vel alio modo, & ad hoc potissimum deferui videtur illa renuntiatio. Secundo autem modo non videtur posse renuntiare ius quod nondum habetur, nec vnquam habebitur, transferendo illud in alium in præiudicium alterius, nempe Conuentus, ad quem postea ius illud spectabit, quia tunc renuncians positiuè daret alteri id, quod ipse nec habet, nec vnquam habebit. Aliter dicendum esset de renuntiatione legitimæ, quam quidem licet filius actu non possideat viuentis patre, habet ius ad illam, & hæc est filio debita: quare de hac non nego posse ante Professionem renuntiare à filio in fauorem alterius, cui ex nunc eam donet: sed loquimur nunc de hæreditate, vel legatis, quæ renuntianti non debentur. Hæc autem dicta sunt ad maiorem abundantiam, ut ostenderemus non posse in fauorem alterius loci pij renuntiare legata ventura, ita ut post Professionem non acquirantur Conuentui, ad quem Professus pertinet, sed illi alter; quid enim de hoc sit, certum videtur, intentionem renuntiantis ante Professionem non extendi ad ea bona, ut praxis ipsa ostendit, cum multi ante Professionem renuntiant omnia sua bona præsentia, & futura, in fauorem alicuius consanguinei, vel loci pij; & tamen post Professionem quidquid iis ab amicis datur, siue sit pecunia, siue res aliæ magni pretij, absque controuersia, vel scrupulo ab iis accipiuntur, & acquiruntur Conuentui, ad quem Professus pertinet, qua praxi supposita, non video, cur non sit idem dicendum de legatis, quæ nihil aliud sunt, quam donationes quædam à moriente relictæ. Post hæc autem scripta vidi Lezanam tom. 5. parte posteriori, vbi super Mare magnum Seruitarum num. 106. eandem sententiam

in simili casu defendit, ob easdem ferè rationes, & affert pro ea Pasqualigum in centuria questionum moral.

quest. 14.

\* \* \*

D V B.

D V B I V M V I.

*Quando aliquis è Societate ante Professionem relinquit legatum cuidam Collegio, an Generalis possit post mortem testatoris illud acceptare.*

1 Quidam è Societate post vota biennij, sed adhuc non Professus, cum nondum renuntiationem fecisset, incidit in morbum, & morti proximus legatum relinquit cuidam Collegio Societatis existentis intra eandem Prouinciam, sub ratihabitione Patris Generalis, hoc ei suadente Prouinciali. Quæsitum fuit, an mortuo iam testatore, possit Generalis ratum habere, & acceptare illud legatum?

2 Ratio dubitandi erat, quia idem Generalis anno 1618. & anno 1620. & aliis suis priuatis litteris respondit, *validam quidem esse donationem ab eiusmodi personis Societatis factam Societati in genere, etiam absque consensu Superiorum: non verò si fieret alicui Collegio particulari absque approbatione Generalis: quare, si ante hanc approbationem contingat donatorem mori, deuolui bona ad hæredes ab intestato*. Videbatur ergo in casu nostro legatum illud deuolutum ad hæredes, cum mortuus sit testator ante acceptationem, vel approbationem Generalis.

3 Dixi tamen, posse Generalem ratum habere, & acceptare legatum illud etiam mortuo testatore. Pro quo suppono primò, eiusmodi Religiosos Societatis ligatos solum votis biennij, & antequam fiant Professi, vel Coadiutores formati, posse validè testari de suis bonis: nam, quamuis non possint licitè de iis disponere, atque aded nec etiam testari sine licentia Superioris, dispositio tamen valida erit, ut cum P. Suarez, & Sanchez dixi contra alios tom. 1. de Iustitia, disp. 3. sect. 6. num. 116. & sect. 4. num. 79. vbi num. 81. addidi, testamentum illud esse irritabile à Prælato, quandiu testator viuit, non tamen eo mortuo, quia iam tunc non subordinatur voluntas defuncti voluntati Prælati, cum iam non sit amplius eius subditus.

4 Suppono secundò, hanc prohibitionem renuntians in fauorem alicuius loci determinati Societatis sine facultate Generalis fundari in ipsis Societatis constitutionibus, ut constat ex earum p. 3. cap. 1. §. 9. & in margine littera H. vbi S. Ignatius dicit, melius, & perfectius esse, si is, qui in

ingressu Societatis aliquam bonorum suorum partem eidem Societati vult applicare, nullum designet locum, sed id totum arbitrio Generalis relinquat. Si tamen velit omninò locum aliquem designare, monendum esse Generalem, ut videat, an renuntians imperfectioni in hac parte descendendum sit. Vnde postea in Congregatione generali 2. decreto 23. statutum fuit, ut si renuntiatio fieret in fauorem Collegij extra suam Prouinciam, (sic enim legi debet, non verò *intra Prouinciam*, ut per errorem legitur,) renuntiatio non acceptetur; si verò in fauorem Collegij certi intra Prouinciam, sit in manu Generalis probare, vel improbare eam applicationem. Denique in Congregatione generali 3. decreto 16. additum fuit, ne etiam intra eandem Prouinciam acceptaretur, quando loca eiusdem Prouinciæ erant sub dominio diuerforum Principum, & bona essent transferenda ab vno in aliud dominium, si Principum offensio ea de causa timeretur.

His suppositis, probatur iam, posse P. Generalem in casu nostro acceptare legatum illud. Primò, quia nec ex constitutionibus, nec ex decretis Congregationum prohibetur acceptare, quando donatio fit intra eandem Prouinciam, & bona non sunt sub dominio diuerforum Principum, prout erat in hoc casu, in quo Collegium est intra eandem Prouinciam, & sub dominio eiusdem Principis. Epistolæ autem illæ priuata, quibus dicit, donationem, quæ fiat sine consensu Generalis Collegio determinato, non esse validam, imò si donator ante Generalis approbationem decedat, bona deuolui ad hæredes ab intestato, illæ, inquam, epistolæ vel fuerunt ad terrorem, ne fierent tales donationes, vel certe Generalis non ideo abdicauit à se facultatem acceptandi donationes. Quomodo enim potuit validè, & irrevocabiliter abdicare à se ius acceptandi, si abdicatio illa nec fuit intimata iis, qui habere poterant interesse, nec ab iis acceptata? Semper ergo retinent facultatem acceptandi eas donationes, quod multò magis procedit in casu nostro, in quo legatum relictum fuit cum clausula expressa ratihabitionis futuræ ipsius Generalis.

Secundò probatur hoc ipsum clarè, quia 6 epistolæ illæ, seu declarationes Generalis loquuntur de solis donationibus, non de legatis, quæ multum à donationibus differunt, nec de illis Generalis cogitauit. Et quidem de legatis nemo vnquam dubitauit,

uit, quòd possint post mortem testatoris acceptari: imò non possunt ante eius mortem acceptari, cum adhuc valida non sint. De donationibus verò est duplex sententia. Prima dicit, mortuo donatore ante acceptationem donararij, donationem non valere. Secunda dicit, posse adhuc donarium validè acceptare post mortem donatoris; quam vt probabiliorem amplexus sum tom. 2. de Iustitia, disp. 23. sect. 5. n. 75. vbi auctores vtriusque sententiæ retuli. Potuit ergo P. Generalis in illis litteris priorem sententiam amplecti, & ideò supponere, quòd mortuo donatore ante acceptationem bona deuoluebantur ad hæredes ab intestato. De legatis tamen id non dixit, nec dicere poterat, quæ in omnium sententia acceptari possunt post mortem testatoris.

7 Solùm posset obstare, quòd in nostro casu testator non potuit eo modo de suis bonis disponere iuxta Societatis constitutiones, in quibus habetur quòd Nouitius, vel ligatus votis biennij, debeant abdicare se bonis suis, & quidem irreuocabiliter, vt ex iisdem constitutionibus supponit Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 8. n. 22. dispositio autem testamentaria non est irreuocabilis, sed reuocabilis ad nutum, vt constat non ergo potuit per modum legati id fieri.

8 Responderetur facile, in primis id ad summum probate, quòd non potuit licitè, non tamen quòd non potuerit validè fieri; nam, vt supra vidimus, peccant quidem contra votum paupertatis eiusmodi non Professii disponentes de suis bonis sine debita licentia; validè tamen disponunt. Deinde in casu nostro interuenit licentia Prouincialis, & facta est dispositio dependenter ab approbatione Generalis, & sub eius rati habitatione: & quamuis Sanchez ubi supra num. 23. dicat solum Generalem posse eiusmodi personis concedere licentiam testandi; sed tamen ipsemet fatetur, quòd in mortis periculo, quando Generalis consuli non potest, & adest iusta causa, potest Prouincialis eam licentiam concedere, imò eo absente, Superior localis. Vnde ego etiam tom. 1. de Iustitia, disp. 3. sect. 6. num. 116. dixi, sufficere licentiam Prouincialis, quando testamentum fieret proximè ante Professionem, per quam statim redditur omninò irreuocabile, quam solam irreuocabilitatem intendunt constitutiones, vt Religiosus maneat sine spe recuperandi bona sua. Hæc autem omnia interuenerunt in casu nostro, erat enim testator morti pro-

ximus, nec poterat consuli Generalis; nec fieri ita commodè donatio inter viuos, quæ cum non posset acceptari à Generali viuento donatore, maneret sub opinione eius valor. Vnde validè, & licitè potuit Prouincialis licentiam concedere, & expectare postea consensum Generalis ad acceptandum legatum.

#### D V B I V M VII.

### Quid faciendum de eleemosyna annua relictæ Domui professæ Societatis I E S V.

N Testator iussit, vt eius hæres singulis annis daret Domui professæ Societatis certam summam in eleemosynam, & singulis vicibus declararet, se illam summam dare solo titulo eleemosynæ, & non propter ius aliquod, quod Domus professæ haberet ad illam petendam. Patres tamen nolebant illam accipere, quia videbantur sub eo titulo palliari redditus annui, quorum Domus professæ incapax est. Dubitabatur, quid expediret, quia si fabrica S. Petri sciret, illud legatum pium non posse impleri, fortasse iure suo illud sibi vsurparet.

Dixi, in illa testatoris dispositione nihil reperiri, quòd repugnet constitutionibus Societatis, vel paupertati Domus professæ; quæ quidem nullum ius ciuile, vel naturale acquirit ad illam eleemosynam accipiendam, vel petendam. Hæres tamen ex obligatione non erga Societatem, sed erga testatorem, debet illam erogare. in quo conueniunt omnes Scriptores Societatis, Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 4. de votis simplicibus, cap. 9. num. 9. & clariùs tom. 3. lib. 8. cap. 17. num. 19. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 27. num. 9. Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 3. puncto 10. num. 5. & ego idem asserui tom. 1. de Iustitia, disp. 3. sect. 5. num. 106. dummodò hæres grauatus non sit aliquod Collegium Societatis: nam in hoc casu non posset acceptari cum illo grauamine, vt declarauit Congregatio generalis VII. decreto 50. Vnde num. 107. addidi posse etiam testatorem imponere suo hæredi sæculari, vt suo filio Professo Societatis offerat singulis annis centum aureos, non intendens dare ius vllum filio, sed solum imponere onus hæredi.

Ratio est, quia, licèt quoad fratres Minorum de Obseruantia dubitetur, an possint pecuniam illam annuam sic relictam accipere, quibusdam id affirmantibus, quos affert

affert Sanchez dicto lib. 7. in Decalog. c. 26. num. 48. aliis id negantibus, quos sequitur idem Sanchez ibi num. 49. id prouenit ex prohibitione speciali illis facta acceptandi, nisi hæres agnoscat, se nullam habere obligationem dandi, sed gratis, & libenter id dare. Societati autem hæc prohibitio non est facta, sed potius contrarium ex eius constitutionibus clarè colligitur. Nimirum 6. p. cap. 2. num. 2. in margine littera B. sic dicitur: *Si aliquis ex fundatoribus domorum, vel Ecclesiarum, vellet redditus aliquos ad fabricam vsu relinquare, dummodò nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit vnde ei competat actio ad illos, (quamuis id illi cura esset, vt is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret, ) & sic in rebus similibus, non esset id à Societatis paupertate alienum.* In quibus verbis solum aufertur à Domo professæ ius, vel actio ad illas pecunias petendas, non tamen potestas eas acceptandi, si testator iubeat hæredi eas dare. Quamuis autem exemplum ponatur de redditibus relictis à fundatore Domus professæ, vel Ecclesiæ; idem tamen intelligitur de relictis ab aliis, vt constat ex illis vltimis verbis, & sic in rebus similibus, &c. quæ verba, vt ponderat Suarez loco citato, debent extendi ad alias personas testatorum: nam quod attinet ad res annuas, quæ relinqui possunt, iam omnes comprehensæ fuerant sub nomine reddituum; extensio ergo est ad alia, quæ à quibuscumque aliis eo modo relinqui possent, nullo dato iure ipsi Societati ad exigendum.

4 Quod rursus clariùs constat ex eodem cap. 2. §. 6. vbi supponitur omninò libertas in testatoribus ad id faciendum: Societati autem aufertur ius ciuile ad petendum, & deinde ob ædificationem prohibentur personæ Societatis, ne inuitent testatores ad eas eleemosynas perpetuas relinquendas, sed propriæ deuotioni eis permittant. Verba constitutionis sunt hæc: *Quamuis ad bona, & sancta opera, & maxime perpetuo duratura inuitare laudabile sit; ob maiorem tamen ædificationem nullus de Societate debet, nec potest quemquam ad eleemosynas perpetuas domibus, vel Ecclesiis eiusdem Societatis relinquendas incitare: & si aliqui sponte sua illas relinquerent, nullum ius ciuile ad eas petendas in iudicio acquiratur; sed cum ad id charitas propter Deum eos mouerit, tunc eas elargiantur.* quæ postrema verba possent aliquem mouere, vt putaret, non posse Societatem eos redditus ab hærede accipere, quando ipse hæres ex obligatione dat, sed solum, quando sponte ex charitate, & li-

berè dat. Atque ideò P. Suarez responder, verba illa non excludere obligationem in hærede; sed solum obligationem iustitiæ erga Societatem: potest tamen charitas Dei hæredem mouere, vt satisfaciat debito suo erga testatorem. Hæc tamen explicatio duriuscula est; & sensus planus illorum verborum est, vt non intelligantur de hærede, sed de testatoribus relinquentibus illas eleemosynas, qui propriè illas elargiuntur. Constat autem hic sensus ex illa aduersatiua sed, nam præmiserat, non esse incitandos, aut instigandos testatores ad eas eleemosynas annuas relinquendas: quare de eisdem subdit, *sed cum ad id charitas propter Deum eos mouerit, tunc eas elargiantur.* hoc est, non extorqueantur, sed sinamus, vt ipsi à Deo solo moti eas sponte relinquunt; qui sensus clarè ex contextu liquet, & ita ea verba intellexit Sanchez ubi supra, num. 9. Denique hæc fuit semper mens, sensus, & praxis Societatis, vt quoties Societas nullum ius ciuile, vel naturale habet, possit quaslibet eleemosynas recipere, etiam si hæredes aliunde debeant illas dare.

Ratio à priori est, quia totum hoc notum opponitur voto paupertatis, etiam illius, quæ excludit à communitate dominium bonorum stabilium, & reddituum; non enim est contra mendicitatem, quod alij Societati eleemosynas dent singulis annis, nec quòd ipsi hoc faciant ex voto, & obligatione erga Deum, vel ex obligatione erga alium hominem, quia Domus professæ adhuc manet pauper, hoc est, sine dominio, aut iure aliquo ad illas eleemosynas, quòd solum ius facit diuites, non certitudo eleemosynæ accipiendæ, quantumcumque, & quomodocumque fundata sit, etiam si in reuelatione Dei infallibili fundetur, dummodo non fundetur in iure Societati acquisito.

Quod à posteriori etiam constat, quia id, quod nostrum est, non potest, nobis inuitis, à nobis auferri: eiusmodi autem eleemosyna posset, Societate inuita, ei negari. Nam si Petrus, v. gt. ex obligatione sola erga Ioannem deberet dare Societati eleemosynam annuam, posset sine Societatis consensu, sed ex solo consensu Ioannis, illam amplius non dare; ergo nullum ius erat in Societate, sed sola potentia passiuæ ad recipiendum. Quòd autem in casu nostro hæres non possit, prouenit ex eo quòd testator mortuus est, quod est per accidens; nam, si testator resurgeret, posset, Societate inuita, reuocare mandatum, & de

de facto Summus Pontifex posset facilius commutare illam eleemosynam ex causa in aliud opus pium, quàm si esset in præiudicium tertij, cui esset ius acquisitum, quia nimirum nullum ius habet ad illam Societas, sed tota obligatio est in hærede ad exsequendum mandatum testatoris. Cum ergo nec secundum se hoc repugnet mendicari, nec in constitutionibus Societatis sit specialiter prohibitum, imò videatur clarè permissum, non est, cur voluntas illa testatoris censeatur caduca, præsertim cum adeò cautè explicuerit futuram esse semper eleemosynam, ne fortè putaretur ius aliquod Societati relinquere.

7 Ad id verò, quod vltèriùs quærebatur, an, si Societas non posset, vel nollet hanc eleemosynam accipere, posset fabrica S. Petri eam petere ab hæredibus: dixi, mihi non vacare, vt facultates fabricæ examinem; si tamen illi applicantur legata omnia pia, quæ in propria specie impleri non possunt, præsumi posset, quòd fabrica exiger in casu nostro. Nec obstat, hoc non esse propriè legatum, cum nullum transferatur ius in legatarium: nam in Bullis Clementis VII. & Pij V. & aliis non solum nominantur *legata*, sed *relicta* omnia, & hoc est verè relictum, & à testatore destinatum. Nec etiam obstat secundò, quòd hæres institutus, & obligatus ad illam eleemosynam fuerit quidam Mons pietatis, qui propter patronatum regium prætenditur non subesse visitationi Ordinarij: nam sine vlla visitatione poterit fabrica ex ipso testamento, vel aliunde habere notitiam illius eleemosynæ, quæ fieri debet, & non fit, & eam petere à Monte, sicut peteret à quolibet hærede laico. Quare, si Domus professæ reuera non posset illam accipere, credo, quòd ministri, & Commissarij fabricæ actionem intentarent ad illam summam habendam.

8 Si verò Domus professæ posset quidem, (prout reuera potest,) capere illam eleemosynam, sed tamen ob alios respectus nollet illam accipere, remedium facile, ne fabrica possit se ingerere, esse potest, quòd Superior Domus professæ singulis annis accipiat eleemosynam illam de manu hæredis, qui est Mons pietatis, & postea illam reddat eidem Monti ad vsus pios; quod videtur facere posse saltem de licentia Generalis, qui propter ædificationem, & iustas causas videtur posse dare summam illam, quæ non excedit 170. ducata Regni Neapolitani annua, & applicare illam ad eleemosynas. Solum possent obstare verba

testatoris, qui iubet hæredi dare illam pecuniam *ad necessitatem Patrum*. Sed hæc verba non videntur inducere necessitatem expendendi pecuniam illam in victu domestico, iuxta ea, quæ in simili dixi *disp. 23. de Iustitia*, num. 111. & docet Molina *tom. 1. de Iustitia, disp. 208.* & certè ea, quæ quotidie fideles dant Domui professæ in eleemosynam, dantur ad domus eiusdem necessitates, & tamen eorum pars conuertitur in eleemosynas aliis pauperibus faciendas: posset ergo illa etiam pars conuerti. Alioquin, si nec hoc modo pecunia illa accipiatur à Patribus, timeri potest, ne fabrica se ingerat, & prætendat ius ad omnia, quæ de facto non expendantur in vsus destinatos à testatore. Optimum autem, & tutissimum esset accipere illam eleemosynam, & expendere in vsus eiusdem Domus professæ, prout tutissima conscientia fieri potest.

#### D V B I V M VIII.

*An potuerit testator obligare Collegium Societatis ad dandos Domui professæ redditus annuos per viginti annos.*

Supponendum est, Collegia Societatis posse habere bona stabilia, & redditus annuos, Domos verò professas non posse, sed debere viuere ex eleemosynis; cum quo stat, quòd, vt diximus *dubio præcedenti*, possit testator obligare suum hæredem ad dandam singulis annis certam eleemosynam Domui professæ, ad quam tamen exigendam in iudicio, vel extra, nullum ius Domus ipsa professæ habeat; quia tamen aliqui testatores instituebant hæredem aliquod Collegium Societatis, & illud grauant, & obligant ad dandam eleemosynam annuam Domui professæ, nullum ius dando eidem domui, sed solum imponendo obligationem Collegio, quod quidem videbatur fieri in fraudem mendicitatis, ad quam Domus professæ tenetur: idcirco in Congregatione Generali VII. decreto 50. prohibitum fuit, ne hæreditas, vel legata relicta Collegiis cum eiusmodi onere dandi aliquid annuum Domui professæ, vllò modo admitterentur; quod quidem iure optimo sancitum fuit; quia quando Societatis constitutiones permittunt, quòd Domus professæ possit acquirere eleemosynas, quas hæres à testatore obligatus

gatus elargitur, addunt id tunc solum fieri posse quando ad Societatem nulla actio, nec dispositio, aut dispensatio reddituum pertineat; ita enim habetur *6. p. cap. 2. §. 2.* his verbis: *Redditus nulli, ne Sacristie quidem, aut fabricæ applicari, haberiue possint: sed neque vlla alia ratione, ita vt penes Societatem eorum sit vlla dispensatio, &c.* & in declaratione littera B: *Si aliquis ex fundatoribus domorum, vel Ecclesiarum vellet redditus aliquos ad fabricæ usum relinquere; dummodò nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, vnde ei competat actio in illos, &c. non esset id à paupertate Societatis alienum.* in quibus locis aduerto, non solum excludi ab ipsa Domo professæ ius, actionem, & dispositionem circa redditus, sed etiam ab ipsa Societate. Non enim dicitur, dummodò actio, vel dispositio non pertineat ad domum, sed dummodò non pertineat ad Societatem: in eo autem casu quamuis non pertineret ad Domum ipsam professam; pertineret tamen ad Societatem, cuius Collegium haberet dominium illorum reddituum, & obligationem disponendi de illis in illos casus: quare modus ille non posset esse iuxta Societatis constitutiones.

2 His ergo suppositis, & vltis constitutionibus posset fieri, testator quamdam viam inuenire volebat, nimirum relinquere certam summam, seu aliqua bona stabilia Collegio cuidam Societatis, cum hoc onere, vt ex fructibus daret Domui professæ per 20. annos certam eleemosynam annuam, quibus elapsis eidem Domui professæ daret totum capitale, quòd iam deinde non fructificaret amplius, sed consumeretur in necessitatibus, vel vsibus eiusdem domus; quod quidem aliquibus videbatur non esse contra constitutiones; nec contra decretum illud 50. Congregationis septimæ generalis, quo prohibetur, ne Collegia admittant legata, vel relicta cum illo onere. nam in eo casu videntur solo nomine bona illa Collegio dari: in re tamen non dari ei nisi meram administrationem, cum totis illis 20. annis deberet omnes fructus domui dare in eleemosynam, & illis elapsis deberet ei dare ipsam capitale, vel eius pretium: nihil ergo Collegio legatur, vel relinquatur, atque adeò non intrat decretum Congregationis, quo prohibentur Collegia eiusmodi legata, vel relicta acceptare.

3 Dixi tamen primò, id eo modo fieri non posse, quia vel Collegium interuenit accipiendo aliquod ius super illa bona, vel nul-

lum profus ius accipit. Si accipit aliquod ius, id erit clarè contra decretum illud 50. Congregationis, quo prohibetur Collegium acceptare aliquod legatum, vel relictum cum onere dandi annuum aliquid Domui professæ, quæ iam tunc acciperet redditus ex obligatione Collegij, quòd renetur ex suis, vel acceptatis à se dare illos redditus; si verò Collegium nullum ius acquirit, erit clarè contra constitutiones loco citato: nam ex illo legato debuit ius acquiri: si ergo non acquiritur Collegio, acquireretur Domui professæ, quæ quidem capax est legati etiam bonorum immobilium, sed non est capax reddituum, & fructuum per longum tempus, quale proculdubio est tempus 20. annorum, vt docet Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 26. num. 39. & cap. 27. num. 6. & 22.* & nos diximus *disp. 3. de Iustitia, sect. 5. num. 99.* non ergo potest illo modo vitari violatio constitutionum, & decretorum Societatis circa paupertatem Domus professæ.

Dixi tamen secundò, posse, in rigore loquendo, id alio modo saltem speculatiuè iustificari, quidquid sit, an in praxi expediat; posset enim testator, vel donator in vita sua dare, seu consignare Collegio bona illa, seu summam pecuniæ, non vt donatario, sed vt merè mandatario cum mandato expresso ea bona administrandi, & ei in vita sua reddendi fructus: post suam verò mortem dandi fructus in eleemosynam Domui professæ per 20. annos (ipsa domo nullum ius acquirente ad fructus,) & iis annis elapsis vendendi bona, & dandi pretium eidem domui; hoc enim modo Collegium non acceptat legatum, vel donationem vllam cum onere dandi redditus Domui professæ, sed habet merum mandatum dandi eleemosynam nomine alterius: quod mandatum ad opera pia non expirat morte mandantis, vt cum Sanchez dixi *tom. 2. de Iustitia, disp. 23. sect. 5. num. 8.* Aliunde verò Domus ipsa professæ nullum ius acquirit ad redditus illis 20. annis, sed eos accipit in eleemosynam de manu donatoris per merum mandatarium: denique elapsis 20. annis non est necessaria facultas Sedis Apostolicæ ad alienanda, & vendenda ea bona, cum Collegium nihil suum vendat, sed bona defuncti ex eius mandato.

Ad lites tamen, & dubia vitanda, oportet primò, quòd huiusmodi mandatum expresse, & per publicam scripturam daretur. Secundò, quòd donator in suo testamento alium hæredem instituat, ad quem directè



directè pertineat repræsentare personam defuncti, & eius mandatum sustineat. Tertio, vt explicetur mandatum duraturum etiam post mortem mandantis, atque ideò eius morte non exspirare. Quarto, vt prohibeatur hæres impedire exsequutionem mandati, & rationem petere à Collegio de obseruatione mandati. Quinto, vt bona consignentur in vita donatoris Collegio ad vitandas lites cum hærede. Sexto, vt explicetur, nullum prorsus ius dari Domui professæ ad fructus in illis 20. annis, sed solum ad capitale iis elapsis. Septimo, vt explicetur etiam, Collegium esse merum mandatarium sine vilo iure ad bona, nec ad eorum fructus. Cum his cautelis probabile videtur, speculatiuè loquendo, id non esse contra constitutiones, vel decreta Societatis; videtur enim esse solum legatum, vel donatio in diem capitalis, nempe post 20. annos referuante sibi interim donatore fructus, & dante mandatum ad eos expendendos quod non videtur esse aliud, quàm obligare hæredem ad dandos illos fructus in eleemosynam toto illo tempore, & ad deputandum Collegium tanquam Procuratorem cum mandato irreuocabili ad exsequendum.

6. Dixi tamen, hoc videri probabile, *speculatiuè loquendo* nam in praxi non facile crederetur, hoc non esse contra constitutiones, & decreta Societatis: si enim hæc via aperiretur, posset ipsemet Procurator pro tempore Domus professæ deputari à testatore, vel donatore administrator illorū bonorum, & exequutor ad dandam eleemosynam annuam ex fructibus ipsi domui per 30. vel 40. annos, & postea ad vendendum capitale, & applicandum pretium eidem domui: quod haberet speciem possidendi bona fructifera per longum tempus, & re ipsa haberet eisdem effectus. Quare, si hoc introduceretur, meritò in Congregatione generali ab ipsa Societate prohiberetur in futurum. Considerandum ergo est, an expediat etiam pro vna vice illud permittere.

D. V. B. I. V. M. IX.

*An Collegium Societatis grauari possit à testatore ad dandos redditus annuos perpetuos Domui professæ ad fabricam Ecclesiæ a se fundatæ.*

Hoc dubium connexionem magnam habet cum dubio præcedenti, & de eo

disputatum multum fuit pro vtrâque parte. N. testatrix hæredem reliquit quoddam Collegium Societatis, illudque grauauit, vt daret singulis annis certam summam notabilem pro construenda Ecclesia Domus professæ, quam Ecclesiam eadem testatrix fundauerat. Dubitatum fuit, an finita Ecclesiæ fabrica, quæ quidem, non nisi post multos annos absolueretur, continuari debeat solutio illa pro reparatione necessaria eiusdem fabricæ.

Difficultas oritur ex decreto illo 50. 2. Congregationis generalis septimæ, citato præcedenti dubio, in quo prohibentur Collegia Societatis accipere redditus annuos donatos, vel legatos cum onere dandi, vel erogandi eorum partem annuam Domui professæ, quia id instituto, & puritati paupertatis repugnare videbatur. Non tamen defuerunt, qui acriter defenderent, debere Collegium in perpetuum Domui professæ partem illam à testatrice assignatam erogare, etiam constructa iam Ecclesia, pro eius reparatione.

Quod primò probabant ex P. Suarez 3 tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 4. cap. 9. num. 7. & sequentibus, vbi, postquam dixit Domum professam non esse capacem vllius iuris ciuilibus, vel naturalis ad annuos redditus, addit, neque etiam accipi posset, licet hæres sit grauatus à testatore ad aliquid per modum annuæ eleemosynæ dandum, nisi in solo casu in constitutionibus Societatis expresso 6 p. cap. 2. §. 2. in declaratione littera B. vbi ponitur exceptio his verbis: *Si aliquis ex fundatoribus domorum, vel Ecclesiarum vellet redditus aliquos ad fabricam vsu relinquare, dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, vnde ei competat actio in illos (quamuis id illi cura esset, vt is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret,) & sic in rebus similibus, non esset id à Societatis paupertate alienum.* in quibus verbis putat Suarez duas condiciones requiri, vt hæc exceptio habeat locum, nempe quòd testator, vel donator sit ipsemet fundator Ecclesiæ, vel domus, & quòd eleemosyna annua sit solum ad fabricam, quia exceptio firmat regulam in contrarium: & quia id debebatur specialiter fundatoribus propter gratitudinem, & quia sunt veluti domini, & patroni, ad quos maximè spectat, & in quorum commodum redundat, quòd eiusmodi aedificia perpetuò conseruentur. Quamuis autem idem Suarez postea num. 9. probabile putet, etiam ad alios vsus præter fabricam,

fabricam, & ab aliis, quàm à fundatoribus posse eiusmodi eleemosynas annuas Domui professæ relinqui, nullò remanente iure, vel cura penes Societatem; ex illa tamen priori eius doctrina colligere volebant, ipsum sensisse, casum nostrum non esse contra decretum illud septimæ Congregationis. Primò, quia numer. 7. postquam illius decreti meminit, quo prohibentur Collegia annuos redditus cum illo onere accipere, statim addit, quamuis Syluester, & alij dicant, Conuentus mendicantes posse illos redditus accipere, quando non habent ius exigendi, & dantur illis in eleemosynam; id tamen Doms professas Societatis non posse, nisi quando redditus ad fabricam à fundatore relinquuntur. Sentit ergo, in eo casu, non esse contra decretum Congregationis, cuius proximè meminerat. Secundò, quia ipse sentit, quòd propter rationes speciales fundatorum, & fabricæ, non fuit à Societate comprehensus ille casus in constitutione prohibente annuos redditus ab hærede ex obligatione erogandos Domui professæ nullum ius ad illos habenti; ergo sentit, quòd iuxta Societatis mentem non comprehenditur ille casus specialis fundatoris, & fabricæ in decretis generalibus prohibentibus eiusmodi annuos redditus eleemosynaliter accipiendos. Non ergo comprehenditur in decreto septimæ Congregationis, quod generaliter loquitur, & prohibet Collegia acceptare legata cum onere dandi Domui professæ eleemosynam annuam.

4. Hoc totum argumentum ex doctrina Suarij inductum dixi infirmum esse ad intentum, quia idem Suarez numer. 6. & 7. omne ius ciuile, & naturale negauerat Societati ad vltimos redditus. Exceptio autem, quam addit de redditibus à fundatore ad fabricam relictis, nihil iuuat; illa enim exceptio intelligi debet cum limitationibus additis in eadem constitutione, & quas refert, & addit idem Suarez: nimirum, *dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, vnde ei competat actio in illos.* quæ condiciones in nostro casu deficiunt: nam, licet Domui professæ non competeret, nec ad ipsam per-

D. Io. Card. de Lugo Respon. mor.

tineret dispositio; pertineret tamen ad Societatem, cuius pars est Collegium, quod habet ius ad totum legatum, cum obligatione erogandi illam partem reddituum ad fabricam Ecclesiæ Domus professæ; quare ad ipsam Societatem pertineret verè, & in rigore actio, & dispositio circa redditus illos.

Similiter falsum est, quòd dicebatur, casum specialem reddituum à fundatore relictorum ad fabricam non intelligi contentum in prohibitione generali reddituum, nisi expressè nominetur: idque ex mente constitutionis esse, & eiusdem Suarij hoc, inquam, falsò supponitur. Pro quo aduertendum est, in dicto cap. 2. part. 6. constitutionum prohiberi in vniuersum Domui professæ omnes redditus etiam ad Sacristiam, vel fabricam, de quibus ibi expressè mentio fit, neque ab hac regula fieri vllam exceptionem circa redditus à fundatore relictos ad fabricam. Dubitari tamen poterat de redditibus, ad quos Societas nullum haberet ius, sed hæres haberet obligationem dandi illos per modum eleemosynæ, nullo iure remanente penes Societatem. De his autem addita est *ibidem*, non quidem exceptio, sed declaratio, quòd non comprehenduntur in illa prohibitione, apposito exemplo reddituum, quos fundator iubet à suo hærede dari in eleemosynam annuam ad fabricam, non remanente iure, vel dispositione penes Societatem: & statim additur, idem debere intelligi in aliis similibus; quòd totum non fuit dispensare in supra posita prohibitione, sed declarare, quòd hi casus non comprehenduntur in illa; solum enim prohibiti fuerant redditus, ad quos Societas haberet ius ciuile, vel naturale. Nullum ergo ibi priuilegium speciale conceditur fundatoribus, aut fabricæ contra constitutionem præcedentem, sed ad tollendum omne dubium, explicatur id non esse contra paupertatem, vt obseruauit etiam Castro Palao tom. 3. tractat. 15. disputat. 3. puncto 10. numer. 5. vbi etiam notauit, factam fuisse nominatim mentionem fundatoris, & fabricæ ad indicandum, quòd in iis, & similibus circumstantiis erat maior conuenientia ad ac-

Q

ceptum

ceptandas similes eleemosynas annuas ab hærede ex obligatione siue iure ex parte Societatis, quas fortasse in aliquibus aliis casibus non expediet accipere propter ædificationem, & maiorem paupertatis puritatem, quamuis in rigore non sint contra votum, nec contra constitutiones Societatis. Nihil ergo ex toto illo loco, neque ex Suarij doctrina colligi potest ad casum nostrum, in quo ius, & dispensatio manet penes Societatem.

¶ Vnde obiter responderi potest ad secundum argumentum, quod pro debito illorum reddituum fiebat ab illis Doctoribus: quia nimirum in illo decreto septimæ Congregationis, quo prohibentur eiusmodi eleemosynæ annuæ soluendæ ex obligatione à Collegiis, Domibus professis, non fit mentio de redditibus annuis relictis à fundatore ad reparandam fabricam, qui cum sint specialiter priuilegiati ob gratitudinem debitam conseruandi fabricam, debuissent specialiter nominari; si prohibendi fuissent. Responderetur enim illos etiam redditus comprehendendi sub prohibitione vniuersali omnium reddituum. nam decretum illud factum fuit ad explicandam mentem constitutionis, vt constat ex eius verbis; propositum enim fuit Congregationi, vt declararet, an contra constitutiones, & instituti rationem esset admittere annuos perpetuos redditus Collegio alicui donatos, aut legatos, cum onere partem illorum annuè Domui professæ dandi, & erogandi. Censuit Congregatio, videri cum instituto, & peculiari paupertatis Professorum voto, nostraque paupertatis puritate pugnare. Quare nullo modo eiusmodi relictos Collegiis redditus admittendos, &c. Hæc sunt decreti verba, ex quibus constat, factum fuisse ad declarandam constitutionem: constitutio autem prohibuerat omnes in vniuersum redditus etiam ad fabricam nominatim, si Societas ius aliquod retineret ad eos, vel eorum dispositionem; ergo Congregatio de his omnibus, de quibus loquitur constitutio, respondet pugnare cum instituto, si non extraneus, sed Collegium aliquod Societatis obligationem habeat eos dandi, vel erogandi Domui professæ. quæ repugnantia, vt diximus, fundatur in eo, quod eo casu ius, & dispensatio remaneret penes ipsam Socie-

tatem, quod etiam in ordine ad fabricam prohibuerat verbis expressis constitutio.

Simile erat tertium argumentum, 7 quod ducebant ex verbis dicti decreti Congregationis septimæ, in quibus solum prohibentur Collegia acceptare redditus legatos, vel donatos, cum onere dandi partem eorum Domui professæ; in casu enim nostro redditus illi non venerunt ad Collegium per donationem, aut legatum, sed per hæreditatem, sub cuius appellatione nunquam legata, vel donationes veniunt, etiam in larga significatione, iuxta doctrinam Bartoli in leg. Centurio, num. 59. & aliorum ibi, ff. de vulgari. In lege autem correctoria, & odiosa, non fit extensio ad casum verbis non comprehensum, nec ex maioritate rationis, iuxta glossam receptam communiter in Authent. quas actiones, & Iasonis ibi numer. 21. Cod. de sacros. Eccles. Cum ergo in casu præsentis annui redditus non veniant ad Collegium per legatum, vel donationem, sed titulo hæreditatis, non intelligitur comprehensus in prohibitione illius decreti Congregationis generalis septimæ.

8 Responderetur facillè, in primis, quamuis Congregatio interrogata fuerit de annuis redditibus legatis, vel donatis Collegio; legatum tamen, & donatio apposita fuisse per modum exempli. Vnde, quando ipsa Congregatio respondit ad dubium propositum, non fuit vsa nominibus legati, vel donationis, sed vocabulo vniuersali comprehendit etiam hæreditatem, & dixit nullo modo eiusmodi relictos Collegiis redditus admittendos; qui sensus vniuersalis constat clarissimè ex contextu: quærebatur enim, an eiusmodi obligatio Collegij dandi partem reddituum Domui professæ pugnaret cum constitutione? & responsum est pugnare. Certum est autem, constitutionem non prohibere solum redditus ex legato, vel donatione prouenientes, sed omnes, vndecumque proueniant, ad quos Societas actionem habeat, vel quorum habeat administrationem. Non potuit ergo Congregatio iudicare, eiusmodi redditus pugnare cum constitutione, quando ex legato, vel donatione facta Collegio proueniunt, quin iudicaret, æquè pugnare cum eadem constitutione, quando proue

proueniunt ex hæreditate Collegio relicta, cum eadem sit vtroque casu æquè redditus illi ad Societatis bona, & ad eius dispositionem pertinerent, quæ sunt conditiones, quas constitutio in omnibus redditibus Domui professæ erogandis omnino prohibuit.

9 Quartum denique fundamentum, quod afferebant, erat, quod decretum illud Congregationis non poterat extendi ad redditus tempore antecedenti relictos Collegiis, & acceptatos cum iis oneribus eleemosynæ annuæ dandi Domui professæ pro reparatione fabricæ, sed ad summum prohibere acceptationem in futurum. In casu autem nostro agebatur de hæreditate Collegio relicta cum eo onere multò ante decretum septimæ Congregationis, & acceptata ex consensu P. Claudij Aquauiuæ Generalis Societatis, atque adeò non videtur subiacere decreto posteriori.

10 Responderetur tamen, id quidem bene probare, si decretum illud factum fuisset per modum legis nouæ: re tamen vera non fuit noua lex, sed declaratio constitutionis, & legis antiquæ, cum qua repugnare eiusmodi redditus perpetuos Collegio relictos cum obligatione erogandi eorum partem annuam Domui professæ, declarauit Congregatio generalis septima. Si ergo declaratio vera est, fatendum erit, repugnasse etiam tempore præcedenti. Quare ex eo quod P. Claudius acceptauit onus illud, colligitur potius, mentem testatrix, & P. Claudij acceptantis non fuisse, quod illa pars reddituum danda esset in perpetuum Domui professæ pro reparatione continua fabricæ Ecclesiæ, sed quod darentur ad fabricam, hoc est, ad fabricandam Ecclesiam, quam testatrix destinauit, & iussit in Domo professæ ædificari, ad quam construendam, & fabricandam cum magna summa requireretur, noluit fundatrix grauare suum hæredem, vt totam illam summam statim, & semel solueret, sed quod daret illam per partes, nempe singulis annis 1500. ducatos, qui sufficiebant ad fabricam continuandam; quæ obligatio duraret, quandiu Ecclesiæ fabrica non esset absoluta. Sicut enim qui à testatore iubetur ei constituere sepulchrum, satisfacit sepulchro semel constructo, nec obligatur, si fortè post aliquod tempus corrui, iterum illud reædificare. Sic

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

hæres grauatus ad fabricandam Ecclesiam, satisfacit eâ semel fabricatâ, nec tenetur illam postea restituere, si diruta fuerit, vel semper reparare, ne corruat.

Porro hunc solum fuisse sensum illius grauaminis, confirmari adhuc potest ex summa annua relicta pro fabrica, nempe 1500. ducatorum, quæ quidem ad ædificium prosequendum idonea erat: ad reparationem autem perpetuam erat exorbitans, & superflua, nec sine fraude, & violatione paupertatis relinqui poterat, cum multò minor summa ad reparationem ordinariam sufficeret. Vnde non est credibile P. Generalem Claudium in alio sensu intellexisse illam Collegij obligationem, cum sciret optimè redditus annuos, perpetuos etiam ad fabricam reparandam, vel ad Sacristiæ expensas, quorum ius, vel dispensatio ad Societatem spectaret, non posse iuxta constitutiones acceptari. Ad didi vltimò, inutilem nunc omnino videri totam hanc controuersiam, & disputationem de hoc puncto, remanent enim adhuc quamplures anni, vt tota fabrica ad perfectionem perducatur: quæ absoluta Generalis, qui tunc erit, non facillè stabit decisioni, quæ nunc fieret, sed rem totam iuxta constitutiones examinabit; nec etiam spes vlla erat, quod Generalis præsens, (qui tunc erat P. Murius Vitellescus,) in eam sententiam vegiret, vt declararet grauamen illud Collegio impositum erogandi perpetuò partem reddituum pro reparatione fabricæ Domus professæ, non repugnare cum instituto Societatis, & cum paupertate ipsius Domus professæ.

#### D V B I V M X.

In quo respondetur ad quæsitam nonnulla circa fructus horti suburbanii, quem habent Domus professæ Societatis.

SVpponendum est, Domo professæ Societatis I E S V non posse habere bona stabilia, aut redditus villos, vt diximus dub. præcedenti; posse tamen habere dominium in communi propriæ habitationis, atque etiam villæ alicuius, vel horti

horti suburbani, ad quem recreandi animi gratiâ Religiosi, atque etiam valetudinarij sese aliquando recipere possunt, vt ex Bulla Iulij I. qua confirmavit Societatis institutum, colligit Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 27. num. 3. & habetur expressè in 6. parte constitutionum Societatis, cap. 2. §. 5. vbi dicitur, non esse contra paupertatem Domus professæ, si in vsum conualescentium, vel eorum, qui, vt rebus spiritualibus vacent, se ab hominum frequentia recipiunt, locus aliquis à communi habitatione separatus, qui aere salubriori, & aliis commodis polleteret, admitteretur, & tunc huiusmodi ille sit, vt nec aliis locetur, nec fructus, qui reddituum loco esse possint, habeat. In declaratione verò eius loci, quæ est in margine littera F. explicatur, quid intelligi debeat per fructus ibi prohibitos; his verbis: *Huiusmodi essent, si vini, vel olei, vel tritici proventum dictæ possessiones ferrent, vel si fructus, & olera ex hortis venderentur; quorum nihil licebit, quamuis fructibus, aut parte ipsorum ad commodum domus sue, vti possint; si tamen Societas eorum aliquem, vel secularem hominem haberet, qui hortum, vel agris, quos dicta domus habent, præfisset; nam esset etiam ei prohibendum, ne ad privatam suam utilitatem, quod videtur, conueniret, ex illis faceret, dummodo tunc nec ad alios, nec ad particulares personas Societatis utilitas interim, vlla perueniret.*

His itaque suppositis, aliqua dubia emergebant circa fructus eiusmodi horti, seu villæ; quousque ex iis posset commoda aliqua licitè Domus professæ percipere. Certum autem videtur, in primis posse Religiosos Domus professæ vesci ex oleribus, & fructibus illis, & hoc absque vlla limitatione, comprehendendo etiam vvas; oliuas, & fructus etiam hyemales, seu quæ per totam hyemem conseruantur. Non tamen liceret ex vuis superfluis, aut oliuis vinum, vel oleum exprimere, quia hæc expressè prohibentur, & reddituum nomine ibi comprehenduntur. Quare idem dicerem, si ex pomis sicera fieret, vel ex hordeo ceruisia, quæ loco vini in multis locis sumi solent, & videntur esse redditus contra mentem constitutionis. Non tamen crederem esse contra eam, si ex aliquibus vuis fieret sapa, vt cum sinape misceretur, & fieret condimentum, quod vulgò *mortarda* appellatur, sicut licitum etiam est ex floribus, herbis, vel rosis aquam odoriferam, vel medicinalem conficere, & alia huiusmodi.

Dubitatur primò, an etiam liceant in eodem horto legumina ad vsum Domus professæ, v. gr. ciceres, lentes, & similia. Credo, hæc non esse contra constitutionem: non enim deseruiunt, nisi ad iuscula, quæ ex iis fiunt, sicut ex caulibus, cucurbita, & aliis oleribus; quare non magis videntur ad redditus pertinere, quàm olera, dum tamen non vendantur, sed domi consumantur. Non tamen crederem, posse ex cicere, vel alio legumine panem fieri in locis, vbi is panis in vsum sit, sicut diximus non posse ex pomis, aut fructibus fieri siceram, vel ceruisiam, quia constitutionis mens hæc videtur fuisse, vt nomine tritici, & vini, panis, & potus vsualis prohiberetur; qui enim hæc ex propriis habet, videtur redditus habere ad ea, quæ potissimè ad victum exiguntur.

Dubitatur secundò, an possit ibi aliquid hordei, vel tritici seminari, non vt tempore messis hordeum, vel triticum colligatur, sed vt in herba adhuc deseruire possint veris tempore ad pastum iumentorum, & animalium domesticorum. Credo etiam id licere, quia sicut licet plantare vineam, & vesci vuis, dummodo ex iis vinum non fiat; non videtur, cur non liceat ibi seminare triticum, hordeum, & similia, non vt fiat panis, sed herba pro iumentis, quæ sicut possunt aliis herbis, vel graminiibus, quæ in horto nascuntur, vesci; sic poterunt herba ex tritico, vel hordeo seminato.

Dubitatur tertio, an liceat habere in eo horto gallinas, quarum oua deseruiant ad vsum eorundem Patrum? De hoc puncto scrupulosè videtur loqui P. Suarez tom. 3. de Religione, lib. 8. cap. 17. num. 14. vbi dicit, *parum pro nihilo reputari, & idè non esse contra paupertatis votum in toto rigore habere domesticas aues nonnullas, dummodo sint in paruo numero, ita vt ex eis non redundent fructus, qui simpliciter possunt redditus appellari, nec absolute pro sustentatione computari, sed magis ad recreationem, vel ad summum ad occurrendum alicui necessitati repentina; hoc enim, nisi in aliqua speciali regula sit expressum, non videtur absolute repugnare paupertati in communi, nec intentioni, sic vouerunt. Sicut etiam non repugnat Religioni proficenti paupertatem hanc, ex domestico horto fructus aliquos colligere, vel olea ad proprium vsum, quamuis ea vendere non liceat: ergo similiter dicendum videtur in prædicto casu.* Hæc Suarez. Ego quidem in primis certum puto, quòd liceat totidem in

eo horto suburbano gallinas habere, & eodem modo earum oua edere, quot liceret domi habere, & sicut liceret edere earum oua: neque enim est peioris conditionis villa rustica, imò reputatur pars quædam propriæ habitationis, & hoc ipso titulo possidetur, vt valetudinarij, & alij aliquoties possint ibi commodius degere. Rursus certum videtur, vtrobique posse ali gallinas in eo numero, quo moraliter requiritur, vt successiuè pro infirmis, & aliis necessitatibus occurrentibus occidi possint, & ad eundem finem adhiberi poterit cura, vt pulli nascantur, qui ad eodem vsus deseruiant, & vt gallinæ in numero sufficienti conseruentur.

6 Et quidem, quod attinet ad gallinas pro necessitatibus alendas, videtur à fortiori colligi ex eo, quòd licitè habetur triticum, & vinum pro toto anno, ne illa indies carius emere necesse sit: cur ergo non licebit habere gallinas necessarias pro toto anno, ne carius, & deterius indies emantur? Nec magis sunt bona immobilia gallinæ, quàm triticum, & vinum: nec Domus professæ, si ex donatione, vel legato accipiat 100. gallinas, obliganda erit ad eas distribuendas, si statim consumi honestè non possint, sed poterit eas retinere, sicut triticum, aut vinum legatum.

7 Quod verò attinet ad pullos ex iis procreatos, & earum oua, videtur non esse magis contra paupertatem, quàm fructus horti percipere: imò minùs, cum hortus sit aliquid stabile, & immobile; gallinæ verò, quarum fructus sunt pulli, & oua, computentur inter bona se mouentia, & mobilia, quæ non sunt prohibita Domui professæ. Vnde nec videtur esse contra eandem paupertatem, si ex iisdem pullis suppleatur pro gallinis, quæ successiuè deficiunt, & comeduntur: sicut idem etiam fit in arboribus ipsius horti, quæ fenescunt, & deficiunt, & earum loco aliæ vites de nouo, vel arbores plantantur.

8 Ratio à priori videtur esse, quòd Domui professæ solùm prohibentur bona stabilia, & redditus: gallinæ autem, præsertim in paruo numero, non possunt nomine bonorum stabilium comprehendi, nec earum oua, aut pulli dici possunt redditus, propriè loquendo. Quamuis enim greges armentorum, aut pecorum soleant inter bona pretiosa mobilia computari, & idè non possint sine facultate alienari à Religiosis Domibus, vt tradunt Molina tom. 2. de Iustitia, disput. 465. in fine, & alij com-

muniter; imò immobilibus æquiparantur, vel annumerantur, vt notauit Suarez tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 19. id tamen est, quia greges illi ita sunt fructiferi, vt redditus proprios habeant, atque idè non minus censentur, & dicuntur diuites, qui multa millia armentorum, quàm qui alias possessiones, aut prædia fructifera habent. Non tamen fit idem iudicium de eo, qui gallinas aliquas domi habet, licet oua, & pullos ea occasione lucretur.

Ad quod etiam deseruit exemplum oleorum, & fructuum, qui ex proprio horto colliguntur; & tamen quandiu non venduntur, non censentur redditus paupertati contrarij: gallinæ autem, & earum pulli, & oua numerari aliquo modo possunt inter fructus ipsius horti: nam sicut canes, & alia domestica animalia pascuntur micis, quæ cadunt de mensa dominorum, ita gallinæ pascuntur oleribus, & herbis ipsius horti, addito ad summum stercore stabuli proprij, & fursure remanenti ex farina, & panibus, qui ad propriæ familiæ vsus quotidie coquantur; quare ad consumenda potiùs superflua, & inutilia deseruiunt, quæ hoc pacto in proprium etiam vsus conuertuntur. Vnde, (vt hoc obiter dicam,) non probarem, quòd oua, vel pulli superflui venderentur, aut eorum pars, vt ex pretio compararetur triticum, vel quidquam aliud, quod ad pastum earundem gallinarum deseruiret; hoc enim videretur esse, sicut si pars olerum, vel fructuum horti vendatur ad sumptus pro eiusdem horti cultura supplendos, quod facere non licet, vt postea videbimus.

Hinc infero, idem cum proportione dici posse de aliquibus columbis, & quidem eo magis, quòd in has minus iuris videtur habere dominus, quàm in gallinas, cum liberius possint euolare, & ad alia columbaria transire. Sicut ergo, si ipsæ sponte venirent, dum syluestres sunt, vt in domo, vel horto Societatis professæ nidificarent, possent illis pabula apponi, nec esset obligatio eas expellendi: cur non possunt ad hunc finem aliunde adsportari, dum non sint in numero ita exorbitanti, vt ex pullis viderentur redditus simpliciter resultare?

Dubitari potest quartò de apibus, an haberi possint in eadem villa, an verò earum fructus censentur redditus prohibiti. Credo de iis, sicut de oleribus, & aliis villæ fructibus respondendum, quòd vendi non possint, sed tamen ad vsus proprios mel,



& cera etiam possint deseruire. Apes enim pascuntur floribus horti, & circumvicinis, earumque fructus multò plus videtur habere de industriali, quàm de naturali, cum neque sint bona stabilia, neque horto affixa, sed se mouentia, & quæ in omnia loca possunt transportari, neque aliud ferè ab homine fiat, nisi preparare vas, in quod ipsæ spontè se recipiant, & ibi fauos suos operentur, vt tempore opportuno extrahi possint, sicut extraherentur, quando in arbore campestri inuenirentur.

12 Magis dubitari posset quintò, an liceat in eodem horto porcos aliquos nutrire, qui dum paruuli sunt, facili pretio comparantur, & postea paulatim crescunt, & pinguescunt, vt grandiores, ac pinguiore facti occidantur, & pro toto anno deseruiant ad vsus necessarios domesticos. In hoc etiam non puto, esse scrupulum: tum quia hæc etiam animalia ex caulibus, & fructibus superfluis horti nutriuntur: tum etiam, quia sicut licitè emi potest pretio viliori statim post vindemiam vinum, seu mustum nouum, & in dolis, ac cella vinaria commoda conseruari, vt postea tempore opportuno, quando iam factum est vinum salubre, deseruiat ad vsus domesticos totius anni: cur non poterunt similiter emi porci iuniores sex, vel octo, vt paulatim crescentes, & facti pinguiore apti fiant ad eosdem domesticos vsus? & quidem per accidens est, quòd id fiat in horto rustico: posset enim fieri idem in horto domestico, vel in stabulo, vt constat, sicut & gallinæ in propria domo plerumque nutriuntur.

13 Dubitari potest secundò, an in eodem horto liceat piscinam habere, in qua pisces etiam nutriantur, & ad hunc finem mitti pisciculi minuti possint, vt grandiores facti possint in cibos domesticos capi. Respondeo, si cum debita moderatione fiat, licitum videri, non solum in villa, vel horto rustico, sed etiam in domestico, si fortè piscina etiam esset in horto, qui intra ambitum Domus professæ continetur. nam piscina hæc pertinet ad honestam quamdam recreationem, ad quam hortus ille ordinatur. Nec videtur esse maior difficultas de piscibus, quàm de gallinis, imò minor, quia pisces non sunt fructuosi, sicut gallinæ quæ oua interim ministrant: tum etiam, quia pisces aliquando sine vlla industria in ipsa aqua generantur, & videntur esse fru-

ctus aquæ, sicut olera sunt fructus terræ: quare sicut licitè olera seminantur in horto, non apparet, cur non possint pisces in piscina seminari, (vt ita dicam,) proiciendo illuc paruulos pisciculos, qui grandiores fiant. Cum ergo S. P. Ignatius ex fructibus horti solum prohibuerit frumentum, vinum, & oleum, quoad alios verò solam venditionem, non videntur prohibiti quoad proprium vsum fructus piscinæ, quæ est pars quædam horti, qui habetur ad commodam recreationem.

Dixi tamen, id licere, *si cum debita 14 moderatione fiat.* non enim putarem sine paupertatis præiudicio posse pisces in eo numero haberi, & nutrir, qui sufficerent ad vsus totius Quadragesimæ, & aliorum dierum, quibus carnibus vesci non licet: tum quia hoc iam esset magnam victus anni partem ex propriis fructibus habere: tum etiam, quia piscina tot piscium capax longè excederet piscinas communes, quæ ad recreationem habentur, in quibus vix inueniuntur pisces, qui ad sex, vel octo prandia familiæ numerosæ sufficiant: habere autem piscinam tantam, videretur esse in fraudem paupertatis, sicut si prætextu recreationis haberetur villa, quæ duo, vel tria milliaria contineret.

Vnde non concederem, posse præ 15 textu recreationis haberi à Domo professæ villam, intra quam contineretur lacus magnæ piscationis; hoc enim magis ad fructus, quàm ad religiosam recreationem pertineret. Aliter dicerem si villa esset ad ripam fluminis, vel lacus, ita vt vicinitas daret commoditatem piscandi: dum tamen ius piscandi commune esset aliis, & non proprium eorum, qui essent domini illius villæ. Si enim proprium eorum esset, videretur iam possessio alia stabilis fructifera annexa villæ, & quæ, seu facultas illa piscandi, potuisset magno pretio locari. Hoc itaque totum moraliter æstimandum, & considerandum est, vt iudicetur, an sit, vel non sit contra mentem constitutionis circa paupertatem Domus professæ, & in dubio in paupertatis fauorem inclinandum est.

Duplex restat maior difficultas. Prima 16 est, an si aliquo anno fructuum abundantia tanta sit, vt consumi non possint in vsus domesticos, possit pars superflua pro illa vice vendi, vt emantur fructus alij necessarii, qui vel in horto illo non sunt, vel illo

illo anno defuerunt. Aut certè si vendi non possunt, an saltem possint cum domino villæ vicinæ permutari pro fructibus illis, quibus ille abundat, & horto Domus professæ deficiunt. Non defuerunt, qui vtrumque licitum putarent. Primum quidem, quia illi non videntur redditus, cum non sint annui, sed emolumentum casuale vnius, vel alterius anni. Secundum verò, quia illa non est venditio, sed permutatio prudens, vt si habito multo tritico ex eleemosyna, commutaretur id, quod superest pro vino necessario.

17 Dixi tamen, neutrum licere Domui professæ Societatis. Non licet, quia, si hoc concederetur, posset etiam, si anno aliquo vix multæ sunt, nec omnes à domesticis consumi possunt, fieri vnum, vel plura vini dolia ex iis quæ superfluis, quod tamen omninò est contra mentem Societatis: imò eum aliquando dolium vnum vini ex vuis superfluis Procurator ex ignorantia fieri curasset, P. Mutius Vitelleschus Generalis iussit dolium totum pauperibus distribui. Ratio autem est, quia in constitutione prædicta non prohibetur venditio annua fructuum, sed permittitur possessio, seu villa fructifera ad recreationem, & vsus eorum fructuum, dum tamen non vendantur: cum ergo venditio fructuum in vniuersum prohibeatur, nullo casu eos vendere licebit.

Quòd verò nec permutare liceat fructus superfluos pro fructibus aliis, aut oleribus necessariis, quæ fortè in eadem villa, vel horto non habentur, probatur facillè primò ex regula generali quam statuit Molina tom. 2. de Iustitia, disp. 196. num. 7. nempe, *quoties res aliqua vendi prohibetur, censeri etiam permutari prohibitam.* quare prohibita venditione fructuum, censetur etiam prohibita eorum permutatio pro aliis fructibus. Secundò, quia, si permutatio liceret, lex hæc omninò eluderetur; possent enim procuratores Domus professæ per duos contractus facere, quod per vnum non possent: nimirum permutando fructus illius horti pro fructibus alterius horti, & hos rursus vendere, cum non prohibeantur vendere, nisi fructus sui horti, hoc autem manifestè esset eludere legem. Tertio denique id colligitur ex verbis constitutionis, in cuius margine littera F. ab eodem sancto fundatore notatur, *quòd, si Societas colonum aliquem, vel secularem hominem haberet, qui hortis, vel agris, quos dicta Domus habent, præisset, non esset ei etiam prohibendum, ne ad priuatam suam utilitatem, quod videretur conuenire, ex di-*

*ctis fructibus faceret, dummodo tunc nec ad particulares personas Societatis utilitas interim vlla perueniret.* Vult ergo constitutio, ne ex fructibus horti directè, vel indirectè quidquam utilitatis ad Domum professam redundet, præter merum vsum, quo eos fructus in suorum victu consumere potest. Si autem liceret fructus superfluos permutare pro aliis, iam ex ipsis fructibus alia utilitas perueniret ad Domum professam, præter vsum eorum in ordine ad proprium victum, vt constat, cum deseruiret loco pretij ad obtinenda alia necessaria pro eodem victu.

Ex verbis tamen proximè relatis prædictæ constitutionis oritur altera, & maior difficultas, an scilicet liceat colono vineæ, qui illius culturæ præest, assignare partem eiusdem vineæ in stipendium sui laboris, & obsequij, vel partem fructuum, quos fructus ipse vendere possit. hoc dubium attigit P. Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 27. num. 5. & responder, id non licere: tum, quia in constitutione absolutè interdicitur fructuum venditio, aut terræ illius locatio: tum etiam, quia solum conceditur permittere cultori horti aliquam in suum commodum partem colere, aut aliquos fructus percipere, dummodo nulla inde utilitas Domui professæ redundet: redundaret autem, si hoc esset stipendium culturæ horti, & sic expensis in eo colendo non indigeret. Addit denique, ita explicuisse, & respondisse P. Claudium Aquauium Generalem de hoc interrogatum die 4. Septembris anno 1589.

Distinguendum videtur de colono: nam, 19 si Societas, vt se ab onere culturæ eximat, constituat colonum, qui suis sumptibus, & vt villam propriam iam colat, & fructus sibi accipiat, retento iure habitationis, & recreationis, vt illuc possint Religiosi ad recreationem ire, vel ad manendum per aliquos dies: tunc credo, posse colonum fructus illos vendere, & tunc locum habere verba constitutionis, quæ non frustra colonum nominauit, quo nomine intelligi solet ille, qui suis sumptibus, & sibi ipsi prædium colit, vt in materia de decimis loquuntur Doctores, & videri potest Suarez tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 19. num. 13. & cap. 36. num. 13. Neque enim in hoc casu Societas locat hortum colono, à quo nihil prorsus accipit, sed permittit ei culturam, & facultatem faciendi fructus suos, & retinet sibi ius, quod antea habebat, adeundi suam villam: neque in rigore obligat colonum ad eam colendam, sed

dat meram facultatem colendi, quam facultatem vtilem sibi reputat Societas, ne villa, vel hortus incultus sylvescat. Sicut si permetteret, animalia aliena ingredi, & pasci, vt herbas inutiles tollant. Nec in hoc casu procedit responsio illa Patris Claudij, cum fructus non dentur colono loco stipendij debiti, sed detur ei gratis totum ius ad fructus, si ipse velit fructus sibi capere: quamuis hoc ipsum vtile sit villæ, ne maneat inculta. Sicut si permetteret alicui vsum equi, vel iumentum proprium, ne hæc animalia nimio otio in stabulo torpeant, & vitentur; quæ tamen animalia Domus professa locare non posset. Sic nec hortum locare potest; & tamen poterit illius vsum, & fructum colono permittere, ne incultus deterioretur.

20 Si verò Domus professa ita det colono horti fructus, vt retineat sibi non solum vsum ad recreationem, & habitationem ruralem, sed etiam partem fructuum, qui coloni cultura indigent, hoc credo non licere: & in hoc casu puto procedere responsum illud Patris Claudij. Ratio autem est, quia hoc esset in rigore hortum locare colono pro parte fructuum; neque enim ille solum dicitur locare, qui pro pecunia locat: nam pater ille familias, qui in Evangelio legitur vineam suam agricolis locasse, misit postea seruos, vt exigerent, non quidem pecuniam, sed fructus: quos cum non accepisset, locavit vineam suam aliis agricolis, qui redderent ei fructum temporibus suis. Matth. 21. Cum ergo Domus professa hortum suum locare non possit, vt habetur expressè in dicta constitutione, consequens est, vt contractus ille licitus non sit.

21 Petes, quid si Domus professa concurreret ad expensas cum ipso colono, v. gr. soluendo partem mercedis operariorum: an tunc posset pacisci de parte fructuum? Credo, neque id licere. Primò, quia quamuis hæc non sit in rigore locatio, sed contractus Societatis, in qua Domus professa afferret prædium, & partem expensarum; colonus verò affert industriam, & aliam expensarum partem: re tamen vera est æquivalenter locatio perinde ac si locaretur colono hortus pro parte fructuum, offerendo tamen ei aliquam pecuniam, vt subleuetur à parte sumptuum, & vt possit facilius reddere tantam partem fructuum: quare, sicut prohibetur locatio, prohiberi videtur Societas, quæ eadem habet inconuenientia. Secundò, quia in dicta constitutione solum tunc conceditur, quòd per-

mittitur colono disponere de fructibus, & eos vendere, quando inde nulla vtilitas in Domum professam redundat: in hoc autem casu magna vtilitas in Domum professam redundaret ex fructibus colono concessis, nempe excusare magnam partem sumptuum, quos facere deberet ad fructus illos habendos; quare perinde esset, ac si locaret illi dimidiam partem horti pro dimidio pecuniæ necessariæ ad soluendum operariis hortum colentibus.

Alius casus excogitari posset, in quo 22 videtur esse maior difficultas, nempe si conducatur agricola, qui curam habeat, & præsit horti culturæ colendi omninò expensis Societatis: huic tamen agricolæ in partem mercedis assignetur pars ipsius horti, ex qua possit sibi seminare, & fructus suos facere, in quo casu videtur loqui Thomas Sanchez loco supra citato, & respondet id non licere, quia iam ex fructibus à colono venditis redundaret commodum in Domum professam, nempe diminutio mercedis, quæ colono soluenda esset.

Aliunde tamen videri posset, id licere, 23 quia Domus professa, licet non possit aliis vendere, vel locare fructus horti: potest tamen in suorum domesticorum vsum, & victum eos consumere: nomine autem domesticorum intelliguntur non solum Religiosi, sed etiam famuli, & domestici: nam verba generalia sunt, quibus dicitur, vt fructibus, & oleribus ad commodum Domus sue uti possint, & ita praxis habet, vt ex iisdem fructibus, & oleribus edant famuli, quibus victus tanquam pars mercedis debetur. Cum ergo agricola ille, seu præfectus horti, famulus sit rusticus Domus professæ, potest viuere ex fructibus, & oleribus eiusdem horti, sicut ceteri famuli domestici, atque idè poterit ei assignari vna pars fructuum horti pro eius victu: quam partem ipse poterit vendere, sicut etiam alij famuli domestici, quibus datur victus quotidianus, possunt illum, vel eius partem postea vendere. quo casu iam videtur Domus professa expendere iure suo partem illam fructuum in victu suorum domesticorum, quidquid ipsi postea de illis fructibus faciant; neque enim ex hoc redundat aliud Domus professæ commodum, nisi illud, quod ei permittitur, nempe victus domesticorum.

Hoc tamen fundamentum, vt verum 24 fatear, non videtur mihi solidum. Et in primis hoc ad summum procederet de fructibus solum, qui compensarent fructus

ab

ab ipso agricola consumendos, si ipse ex iis comederet. Quare, si agricola præter victum dandum esset, vt communiter fit, stipendium etiam pecuniæ, non potest diminui hoc stipendium pecuniæ propter illam partem horti, quæ illi in suam vtilitatem colenda conceditur. Hoc enim esset non solum in famuli victu fructus consumere, sed etiam loco mercedis pecuniæ eos dare, imò nec potest assignari illa pars fructuum pro solo victu, qui ei dari debuisset; victus enim non constat ex solis fructibus, vel oleribus, sed ex pane, carnibus, piscibus, vino, & aliis. Si ergo loco horum omnium daretur pars fructuum, iam fructus horti non consumerentur in solo vsum domestico, sed darentur in pretium panis, vini, carniæ, &c. quæ emi debuissent ad victum agricolæ debitum: quod esset contra constitutionem, quæ solum permittit, quòd fructus, & olera horti comedi possint à Religiosis domesticis, & famulis, nimirum quantum ipsi comedere possunt, non quòd famulis distribuatur in ea quantitate exorbitanti, vt inde emere possint totum victum, hoc enim esset manifestè in fraudem legis.

25 Adde, si constitutio attentè consideretur, quamuis non repugnet illi, si cultori vineæ detur de fructibus, & oleribus eius in partem victus debiti, quia fructus hi expendi possunt in vsum domesticos; hoc tamen intelligi de fructibus, & oleribus ipsis, non de spe, seu iure ad fructus, & olera. In casu autem proposito Patres non vrentur suis fructibus in victum familiæ, sed darent agricolæ ius, vt posset colere sibi partem villæ, & facere fructus suos. Est autem longè diuersum comedere fructus iam decerptos; eosque aliis domesticis distribuere, quod quidem constitutio permittit, etiam si deseruiant ad partem victus famulis debiti. Aliud verò est: loco victus debiti dare ius agricolæ seminandi, & procreandi sibi aliquos fructus: quo casu Domus professa non consumit fructus suos in suo victu, sed vendit ius seminandi, & spem fructuum pro victu, quem famulo debet: quod quidem constitutio non permittit, sed solum consumere fructus in vsum domesticos. Nec dici potest, quòd Societas tunc vitur iure suo dando fructus illos in victum sui famuli: in victum enim dare quidem potest fructus suos, quos ipsa Societas prius fecit suos: hi autem fructus non sunt sui, nec vnquam fuerunt sub eius dominio, sed seminati, & nati fuerunt agricolæ ipsi, & sub eius do-

minio: non sunt ergo ex illis fructibus, quos constitutio permittit expendi in victum domesticorum, quamuis nascantur in proprio horto. Optimè ergo respondit P. Claudius, non esse deducendum in partem cum colono, vel præfecto villæ, vt partem fundi sibi colat in stipendium pro cultura reliquæ partis.

Hinc à fortiori inferitur, non licere ven- 26 dere partem fructuum horti ad soluendam mercedem operariis, qui eundem hortum colunt, vel alias eiusdem horti expensas; omnis enim fructus venditio prohibetur in quemcunque finem fiat, alioquin liceret partem Domus professæ locare, vt ex mercede locationis soluantur expensæ annuæ, quæ fiunt in reparanda tota domo: quòd tamen nemo concedet, quia hoc esset habere redditus pro fabrica. Similiter ergo non licebit locare partem horti, aut vendere partem fructuum, vt pretium conuertatur in expensas necessarias eiusdem horti. Vnde etiam constat id quod supra indicaui, non posse vendi oua gallinarum ad expensas pro earum victu faciendas. Nam, sicut non licet Domui professæ locare equum, quem habet ad communem vsum, etiam si locationis merces conuerteretur in victum emendum pro ipso equo, vt colligitur ex doctrina P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 17. num. 12. qui locationem equi vniuersaliter dicit esse prohibitam: sic dicendum erit de fructibus, seu ouis gallinarum, nam, vt probat idem Auctor, hæc bona se mouentia non possunt aliter Domui professæ fructificare, nisi ad solos vsum eiusdem domus.

*De vniuersali prohibitione venditionis fructuum, seu ouis gallinarum, ad expensas pro victu faciendas. Vtrum Domus professa Societatis domum sibi legatam possit vendere in solam vitam emptoris: ubi, quid de venditione cum pacto retrovendendi.*

Suppono, Domum professam posse hæredem institui, ac etiam legata ex testamento habere, quamuis legentur ei bona stabilia, vt constat ex constitutionibus, & concedunt Doctores communiter, quos reruli, & sequutus sum tom. 1. de Iustitia; disp. 3. sect. 5. num. 99. & 100. debet tamen Domus professa rem illam stabilem alienare quamprimum possit, quòd intelligitur, moraliter loquendo, irat ad modicum tempus

tempus retineri possit, & fructus percipi, dum emptor commodus inueniatur, quod *modicum tempus* intelligitur communiter infra decennium, vt dixi eodem loco, & colligitur ex constitutionibus 6. p. cap. 2. § 5. & in margine ibi littera E. & videri possunt Thomas Sanchez *lib. 7 in Decalog. cap. 27. num. 17.* & Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. num. 16.*

2. Hoc supposito, accidit, quod Domui professæ relicta fuerit domus quædam, quæ nec erat necessaria ad habitationem, nec ad recreationem rusticam ipsorum Professorum, atque aded debebat alienari, & vendi, quamprimùm commodè posset. Volebant autem Patres eam vendere in vitam emptoris minori pretio, itaut ipso moriente, rediret in eorum potestatem, & iterum vendi posset in vitam alterius, & sic deinceps: quæsitum itaque fuit, an hoc alienationis genere satisfaceret constitutioni.

3. Dixi, proculdubio id non licere, quia reuera illa non est venditio, sed locatio in vitam conductoris accepta pensione tota simul: vel certè, si aliqua venditio interuenit, est venditio solùm dominij utilis, seu vsusfructus per totum tempus, quo emptor vixerit, remanente dominio directo, & proprietatis penes venditorem. Hoc autem totum aperte est contra constitutionem, quæ vult, ne Domus professæ habeat ius utile ad rem vllam stabilem, & ided quamprimùm commodè possit, debet eam vendere, ac se omni iure ciuili exuere. In casu autem nostro Domus professæ retinet ius ciuile ad domum sibi ad propriam habitationem non necessariam; dominium enim proprietatis, & directum, ius ciuile est, & illius species nobilissima: si autem contractus ille reducat ad locationem, multo magis est contra constitutionem prohibentem Domui professæ locationem eiusmodi bonorum stabilium.

4. Dicere posset aliquis, hanc esse propriam venditionem illius domus, non enim est contra leges venditionis, quod vendatur ad tempus, prout fit, quando additur pactum retrouendendi, v. gr. reddendi domum venditam ipsi venditori, si post decennium pretium emptori reddat, vt cunctialis probauit *tom. 2. de Iustitia, disp. 26. sect. 1. 1. 1.* ergo poterit etiam esse venditio, licet mortuo emptore domus ad venditorem reditura sit.

Respondetur tamen, negando consequentiam, est enim magnum discrimen. Primò, quia in venditione, cum pacto re-

trouendendi, res transit in dominium emptoris, licet non omnino absolutum, & plenum: vnde, si intra tempus medium pereat, perit damno emptoris, non venditoris. At in casu nostro perit damno venditoris, cui non est amplius restituenda domus mortuo emptore, sed perdit dominium directum, quod in domum sibi venditor retinuerat. Secundò, quia in primo casu venditor non potest recuperare rem venditam, nisi per nouam emptionem, & soluto pretio eam redimat à primo emptore, quod probat transiisse in dominium, primi emptoris, qui tamen pacto se obligauit ad eam vendendam, si venditor eam vellet emere. At in nostro casu mortuo emptore, ipso facto, & sine vllò pretio, aut emptione, statim res vendita manet plenè in potestate Domus professæ, sicut antea: vnde probatur non fuisse alienatam omninò, alioquin non posset sine voluntate domini transire in dominium Domus professæ: si tamen volueris illam vocare venditionem, non repugnabo: dummodo solùm sit venditum dominium utile, seu vsusfructus in vitam, quæ non est perfecta alienatio, qualem constitutio Societatis exigit, vt vidimus.

Hac tamen occasione dubitari vltèriùs posset, an stante dicta constitutione, posset Domus professæ vendere domum illam sibi relictam, sed cum pacto retrouendendi, itaut emptor obligaretur ad eam iterum vendendam Domui professæ, quoties ipsa vellet eodem pretio, quod accepit, illam redimere. Ratio dubitandi esse potest, quia illa videtur esse perfecta venditio, & alienatio, qua res vendita transit in dominium emptoris, non solùm quoad vsusfructum, & dominium utile, sed etiam quoad proprietatem, & dominium directum; ergo satisficit constitutioni præcipienti venditionem, & alienationem.

Confirmarique potest primò, quia ex illo pacto retrouendendi solùm videtur remanere in Domo professæ ius quoddam ad rem illam iterum habendam titulo oneroso: non videtur autem repugnare huiusmodi ius Domui professæ; si enim aliquis promittat Domui professæ, se illi donaturum prædium post decennium, eo ipso Domus professæ acquirit ius aliquod ad illud prædium, quod ius retinere potest per totum illud decennium, nec debet ius illud vendere, vel alienare; ergo similiter potest retinere ius ad recuperandam domum venditam titulo nouæ emptionis.

Confirmari potest secundò, quia, quando Domus

Domus ipsa professæ vendit prædium sibi relictum, adhuc retinet postea ius ad petendam restitutionem in integrum, & rescindendam venditionem, si appareat læsam fuisse in eiusmodi contractu, quod ius per quadriennium durat, vt dixi *tom. 2. de Iustitia, disput. 22. sect. 12. num. 332.* Nec enim peioris conditionis debet quoad hoc esse Domus professæ, quàm cætera loca pia, quæ hoc beneficio restitutionis gaudent. Hoc autem videtur esse ius aliquod ad rem, quod tamen sine violatione suæ constitutionis potest Domus professæ retinere toto illo tempore: cur ergo similiter non poterit retinere ius ad redemptionem fundi venditi restituto pretio ex pacto in venditione apposito?

7. Ego tamen non auderem hanc licentiam, nisi pro vno fortasse casu speciali infra assignando, Domui professæ concedere, quia re vera venditio cum pacto retrouendendi non transfert ius, & dominium plenum in emptorem, nec tunc venditor exuit se, & abdicat à se totaliter ius ad rem venditam, sed cum limitatione, & retentione alicuius iuris circa rem, quam vendit, vt obseruauit *dicto tom. 2. de Iustitia, disp. 26. num. 188. & 189.* Et quamuis dubitari possit, an ius illud, quod venditor tunc retinet, sit ius in re, & actio realis, an solùm ius ad rem, & actio personalis; *ibid.* tamen *num. 190.* dixi magis esse actionem realem, & ius in re, quod venditor sibi retinet. Sed quidquid de hoc sit, constitutio videtur verbis generalibus, & statuit, quòd, vt in litteris Apostolicis dicitur, *non est habitura Societas ius ciuile ad rem vllam stabilem, nisi ad ipsius habitationem, & vsum esset opportuna;* hæc enim sunt eius verba *dicta 6. part. cap. 2. num. 5. littera E.* Vnde continuo infert, *quidquid stabile illi datum fuerit, teneatur eo, quamprimùm potuerit, se exuere, ac vendere; vt pauperibus Societatis, vel externis in sua penuria subueniatur.* nimirum debet ita se exuere, vt nullum ius ciuile, non solùm in re, sed etiam *ad rem stabilem,* retineat.

Adde, non possit excogitari, ad quem finem Societas pactum illud retrouendendi, posset licitè apponere. nam vel intenderet redimere postea fundum illum, ad sibi retinendum: & hæc intentio esset illicita, cum nunquam Domus professæ posset fundum illum sibi retinere. Vel intenderet emere postea fundum illum reddito pretio, vt posset denud illum vtilius, & maiori pretio vendere. Et hoc etiam non esset licitum, quia esset intentio negotiationis om-

nibus Religiosis prohibita: esset enim intentio emendi postea illum fundum ad illum cariùs vendendum, quod est in omni rigore negotiari. Vnum ergo ex duobus inferri videtur: nam vel apponitur pactum illud retrouendendi, retinendo ius in re, & actionem realem in fundo, qui venditur, vel solùm ius ad rem, & actionem personalem aduersus emptorem, qui manet obligatus ad vendendum Domui professæ eundem fundum, quando idem pretium abstulerit. Primum fieri non potest, quia hoc esset retinere ius reale, & dominium radicale fundi, atque aded non intercederet vera fundi alienatio. Sed neque secundum fieri potest, quia esset obligare emptorem ad vendendum fundum Domui professæ eodem pretio, quoties ipsa vellet illum emere ad vendendum maiori pretio, hoc est, quoties vellet illum emere ad negotiationem sibi illicitam: quod certè pactum ex ipsis terminis turpe, & illicitum apparet.

Vnde facilè iam responderi potest ad 9. rationem dubitandi supra positam; dicimus enim, non satisfieri hoc venditionis genere constitutioni: nam vel retineret ius aliquod in re, ad dominium radicale, atque aded non perfectè, & plenè alienatur res stabilis, vel certè Societas obligat personam emptoris, vt vendat ipsi iterum, quando Societas velit emere ad meliori pretio vendendum, quæ est intentio negotiationis Religiosis omninò prohibita.

Ad primam confirmationem concedimus, non repugnare Domui professæ, quòd habeat aliquando ius ad rem aliquam stabilem, vt constat ex exemplo ibi adducto, imò, cum possit aliquandiu habere ius in re, quod est plus, non negatur illi habere ius ad rem, quod est minus, & quòd sæpè debet præcedere ad ius in re. Constitutio ergo, vt ex eius verbis constat, solùm prohibet habere ius ad rem, vel, in re stabili, nisi sit necessaria ad vsum Patrum, vel cum obligatione quamprimùm commodè possint alienandi, & conuertendi pretium in proprias, vel alias necessitates subleuandas. Sicut ergo possunt ad tempus possidere rem stabilem, cum obligatione eam quamprimùm alienandi, ita possunt habere ex promissione, vel alio titulo ius ad rem stabilem cum eadem obligatione eam alienandi, nimirum quando eam adepti fuerint: antea enim alienare non possunt, quod nondum habent. In nostro itaque casu peccant contra constitutiones, quia quando eam rem habuerunt, non



non eam perfectè alienarunt, vel quia obligant emptorem, vt eam Patribus iterum vendat, volentibus eam emere ad vendendam cariori pretio, quæ est negotiatio illis prohibita, vt dictum est.

11 Ad secundam denique confirmationem desumptam ex iure ad restitutionem in integrum intra quadriennium petendam, quod ius Domus professa post venditionem rei stabilis retinet, responderetur facile, ex illo priuilegio restitutionis non sequi inconuenientia supra adducta. Nam in primis tunc Religiosi non emunt ad vendendum in rigore, sed rescinditur prior venditio, quæ beneficio legis debilis erat, & cognita læsione rescindi potest. Nec Religiosi retinuerunt sibi aliquod ius, imò quantum est ex parte sua perfectè alienarunt, & vendiderunt: lex tamen ob fauorem loci pij non tribuit tantas vires illi contractui, sed vult, quòd, si de errore, & læsione constet intra quadriennium, venditio rescindi possit, vt res, & bona Ecclesiæ melius alienentur. Satisfecerunt ergo Patres suæ obligationi abdicandi à se rem immobilem: lex tamen postea concedit illis facultatem rescindendi alienationem malè factam agnito errore, quam potestatem non potuerunt Religiosi legibus auferre.

12 Dixi tamen, posse fortasse pro aliquo speciali casu concedi alienationem cum pacto retrouendendi; posset enim contingere, quòd res illa stabilis Domui professa relicta, non sit ei nunc necessaria ad suum usum; sit tamen ei futura necessaria ad hunc finem post aliquot annos; vt si sit aliqua domus vicina, quam postea deberent emere ad propriam habitationem dilatandam, vel ad construendam Ecclesiam, vel si sit villa necessaria ad recreationem, quam modò non possunt colere propter nimiam paupertatem; sperant tamen, quòd postea ex liberalitate, & pietate alicuius benefactoris amici poterunt eam comparare: videri posset, quòd eo casu possent ita rem illam vendere, vt emptor maneret obligatus ad eam sibi postea vendendam eodem pretio, quando ad eorumdem habitationem, vel usum posset deseruire. Nam constitutio præcipit solum alienare ea bona stabilia, quæ ad Patrum habitationem, & commoditatem non sunt necessaria, & hoc eo fine, vt non habeant bona fructifera, sed ex eleemosynis viuant. Videtur ergo ad finem constitutionis sufficere si res alienetur, & vendatur, ita vt nullum ius reale maneat in Socie-

tate, quamuis maneat ius, & actio personalis in emptorem, qui debeat eam eodem pretio Patribus vendere, quando ipsi eam emere velint, non quidem ad iterum maiori pretio vendendam, sed ad suos vsus. Hoc enim pacto obtinetur finis, quòd Domus professa non habeat rem stabilem, nisi ad proprios vsus necessariam. Vnde posset aliquis dicere, idem procedere, quando Domus professa ob raritatem, & exiguum numerum eleemosynarum crederetur post aliquot annos conuertenda in Collegium, quod iam capax erit bonorum stabilium: itaque posset nunc alienare prædium sibi relictum, quod nunc possidere non potest, obligando tamen emptorem obligatione solum personali, vt si quando Domus professa fiat Collegium, & capax sit bonorum stabilium, debeat ei prædium eodem pretio restitui; tunc enim Domus professa abdicat à se omninò rem stabilem, quando Domus professa manet: obligat tamen emptorem, vt Collegio futuro idem prædium vendat. Cæterùm de vtroque casu nihil definitio, sed iudicium, & sensum eiusdem Societatis, quando casus accideret, consulendum puto.

Hac occasione quæri potest, an quando 13 habetur pecunia aliqua, quæ ex obligatione sit inuestiendis in bonis immobilibus, satisfiat huic obligationi, si ex ipsa ematur domus, vel fundus cum pacto retrouenditionis in fauorem venditoris, quoties ipse intra tot annos æquale pretium reddiderit; videtur enim non esse emptum aliquid stabile, cum non sit acquisitum eius dominium stabiliter, & firmiter, sed ad beneplacitum venditoris. Cæterùm respondendum est affirmatiuè, vt constat exemplo sensus redimibilis, cuius quidem emptione satisfacet proculdubio Prælatus regularis, qui debet inuestire pecunias in bonis stabilibus, in quorum numero reputantur communiter census redimibiles; qui tamen emuntur cum eadem conditione, vt quoties venditor reddiderit pretium, extingatur census: quod etiam de domo, & fundo cum pacto retrouenditionis video concedi à Pellizzario in *manuali Regular. tract. 6. cap. 8. quest. 6. num. 13*. Ratio autem esse potest, quia bonum stabile humano modo non debet excludere omnne prorsus periculum amittendi dominium: nam feudum ex multis causis potest recadere in dominium directum, & fundi possunt alluione deperdi, & domus possunt ruinâ, aut vetustate corruiere; quæ pericula maiora sunt, quàm id, de quo nunc

nunc agimus; quando enim venditor velit redimere domum, quam vèdiderat, reddit quidem totum pretiù, quod accepit, in quo eadem domus virtualiter continetur, cum ex ipso possit domus alia, vel fundus comparari: ob quam rationem census etiam redimibiles censentur meritò bona stabilia, quod idem in casu nostro dicendū videtur.

## D V B I V M XII.

*De supellectile Congregationis Parthenica, an dissoluta Congregatione pertineant ad Collegium Societatis.*

1 IN domibus, & Collegiis Societatis erigi solent aliquæ Congregationes, seu sodalitates scholasticorum, & aliorum fidelium, sub inuocatione Beatissimæ Virginis Mariæ ex litteris Apostolicis Greg. XII. & Sixti V. in quibus sodales conueniunt frequenter ad Sacramenta suscipienda, ad orationem, & plura alia opera pietatis, quæ exercent in capella, vel aula aliqua ad hoc designata; quem finem, & ad cultum Altaris, & Missæ, vltra ornamenta sacra eiusdem Collegij, & domus, solent aliquando aliqui ex ipsis sodalibus piè donare vestes aliquas sacras, candelabra, pallia, & alia eiusmodi, quæ pro eadem Capella deseruiunt. Quæsitum ergo fuit, an si aliqua ex his Congregationibus, vel sodalitatibus casu aliquo dissoluatur, vestes illæ sacræ, & alia ornamenta remanere debeant in Sacrario communi eiusdem domus, vel Collegij, an aliter de iis disponendum.

2 Dixi, totum hoc pendere ex voluntate, & intentione donantium res illas; potuerunt enim, si vellent, nolle eas donare Societati, vel Collegio, sed solum sodalizio, seu Congregationi, quæ facit vnum corpus politicum: & tunc dissoluta Congregatione, res illæ non transirent in dominium domus, vel Collegij, in quo erecta fuerat ea Congregatio; sed Summus Pontifex, vel ille, ad quem pertinet disponere de rebus sacris vacantibus, deberet eas alicui, vel aliquibus locis piis applicare. Quando tamen de eiusmodi voluntate, & intentione donantium non constat, manent in dominio, & ad usum Collegij, vel domus Societatis, in qua erecta fuerat Congregatio, & hæc præsumitur intentio eorum, qui res illas ad usum Congregationis donarunt.

Pro quo suppono, has Congregationes erigi auctoritate Sedis Apostolicæ, & Sum-

morum Pontificum, quorum primus fuit Greg. XIII. in Bulla data Nonis Decembr. an. 1584. quæ incipit, *Omnipotētis Dei*, in qua erigitur primaria Congregatio in Ecclesia Annuntiata Collegij Romani, & datur facultas Præposito Generali erigendi alias Congregationes in domibus, & Collegiis Societatis, & eas aggregandi prædictæ primariæ Congregationi cum iisdem priuilegiis, & Indulgentiis primariæ Congregationi concessis: quæ tamen omnes Congregationes subint gubernio, visitationi, & directioni Societatis, & regulis, quas Præpositus Generalis Societatis illis præscripserit, quam facultatem confirmauit Sixtus V. in Bulla data Nonis Ianuar. ann. Incarnationis Dominicæ 1586. quæ incipit, *Superna dispositione*, & extendit ad hoc, vt plures etiam Congregationes in eodē Collegio, vel domo Societatis erigerentur, & primariæ Congregationi aggregarentur. Addit autem ibi Pontifex hæc verba notabilia. *Volumus autem quòd si dictæ Congregationes, aut sodalitia, vel eorum quacūque aliquo modo eidem Societati, vel domibus, seu Collegijs aliquod impedimentum, seu præiudicium pro tempore attulerint, idem Præpositus, seu Vicarius illas, vel illa, aut eorum singulas, vel singula dissoluere possit*. Denique Clemens VIII. litteris expeditis die 30. Augusti ann. 1601. quæ incipiunt, *Dilecte fili*, extendit has concessionem ad sodalitia etiã, & Congregationes quæ in residentiis Societatis erigerentur, quamuis non essent Collegia, vel Domus professa.

Hoc ergo supposito, P. Claudius Aquauina Societatis Generalis instructionem specialem toti Societati communem edidit de iis, quæ in erigendis, & aggregandis huiusmodi Congregationibus obseruanda erant, quæ instructio, seu ordinatio habetur in ordinationibus communibus impressis c. 21. in qua n. 3. habentur hæc verba. *Nostri intelligent, atque omninò sibi persuadeant, Congregationes, quarum directio à Societate suscipitur, nullo modo bona immobilia, aut certos redditus admittere posse, cum nec Societas, penes quam est erigendi, aggregandique facultas, capax sit eorum reddituum; nec ipsa sodalitia, quæ per se stabile, ac perpetuum quoddam corpus constituere nequaquam possunt, cum eiusmodi ea esse oporteat, vt quandocumque nostri subducere se voluerint, eo ipso dissoluantur, quod agrè fieret, si corpus vnum efficerent, certòque redditu potireretur. Accederet inter alia multa illud etiam incòmodi, quòd si sodalitates nostræ redditus certos haberent, essent omninò, sicut & aliæ externorum confraternitates, visitationibus externorum obnoxie, quo vno maxime*

*mè à constitutione Clementis VIII. ne comprehenderemur, immunes fuimus.* Hæc ibi P. Claudius Generalis.

Ex quibus verbis colligitur, intentionem Societatis in erectione, & aggregatione, & gubernio harum Congregationum eam esse, vt non faciant corpus capax acquirendi bona aliqua, quæ possint retardare eorum dissolubilitatem, quoties Societati necessaria, vel utilis visa fuerit earum dissolutio; sed sit semper coadunatio quædam multorum ad exercitia pia simul obeunda sub directione eiusdem Societatis; qua directione, & gubernatione cessante, statim dissoluatur, nec possint sodales sese cum eadem Congregatione aliò transferre, sed in fieri, & in conseruari dependeat semper à directione, & gubernio Societatis, ad cuius Ecclesiam, vel domum sodales conueniunt, sicut, & alij fideles; cum hoc tamen discrimine, quòd his sodalibus, vt meliùs, & cum maiori quiete possint suis exercitiis vacare, præstatur, & commodatur communiter locus aliquis separatus seorsim, v. gr. aula aliqua, vel Capella interior, in qua tamen ipsi nullum prorsus ius habent, vel acquirunt. Vnde aliqui ex ipsis solent aliquando, vt Capella illa, vel Altare decentiùs ornerur, dare pallium, vel planetam, aut quid simile: quo casu intentio donantis, nisi aliud exprimat, ea videtur esse, vt sicut in eo Altari deseruire solent ornamenta sacristiæ communis, vel alia peculiaria facta sumptibus Collegij, sed minùs fortasse pretiosa; deseruiant illa ad maiorem sodalium consolationem, & vt sodales, dum conueniunt, donatoris recordentur. Quare dare videntur Collegio, vel domui, cum eo tamen onere, vt ad vsum illius Capellæ deseruiant, quando sodales conueniunt. Sicut, si aliquis ex deuotione erga Beatissimam Virginem, cuius aliqua Capella sit in Ecclesia Societatis, offerret illi planetam, vel pallium ad vsum illius Altaris; dominium quidem non acquireretur illi Capellæ, quæ non est capax dominij, sed ipsi Collegio, vel domui Societatis, cum obligatione ad summum vtendi in illo Altari; atque adeò dirura fortasse illa Capella, adhuc donaria, & ornamenta remanent sub dominio eiusdem domus, vel Collegij: ita, si quis aliquid donat Capellæ, in qua conueniunt sodales, dominium non acquiratur illi Capellæ, sed domui, vel Collegio, vt vratur rebus illis eo loco, in quo sodales solent conuenire. Sicut etiam ad eundem finem fieri possunt, contribuenti-

bus eleemosynam iisdem sodalibus, sedilia pulchriora, in quibus sedeant, quando conueniunt, mensa, in qua suffragia numerentur, quando alios sodales recipiunt, & alia eiusmodi, quæ omnia vtensilia sunt sicut cætera bona, mobilia eiusdem domus; applicata tamen ad illum vsum ex intentione donantium. Sic enim videmus sceminas nobiles Romanas construere sibi in aliqua Ecclesia scamna pretiosa, in quibus cum sua familia federe possint commodè, quando illuc ad concionem concurrunt, & ad hunc finem proprium nomen in illis imprimi faciunt: & tamen mortua donatrice, & posteris, non minus remanent scamna illa in pleno dominio eiusdem Ecclesiæ, in cuius etiam dominio ab initio fuerant, cum obligatione tamen ad illum vsum. Et quidem si Capella, vel Altare, ad quod sodales conueniunt, esset in ipsa Ecclesia, nemo fortasse dubitaret; idem enim de donariis, & ornamentis illius Altaris iudicaretur, quod de rebus oblatis cæteris Altaribus, vel Capellis. Per accidens autem est, quòd Altare, vel Capella, in qua conueniunt, sint extra ipsam Ecclesiam; hoc enim fit, vt commodiùs vacare possint suis exercitiis, & audire exhortationes priuatas, quæ illis fieri solent; atque etiam, ne detur locus sceminas se ingerendi, quæ in eiusmodi sodalitia recipi non possunt. Nullum tamen maius ius sodales acquirere possunt in Capellam, vel Altare illud, quàm si in Ara maxima ipsius Ecclesiæ ad Communionem conuenirent.

Ratio denique à priori desumitur ex 6 supradictis: nam intentio donatoris accommodari debet circumstantiis, & qualitatibus personæ loci, rerum, &c. Cum ergo Congregatio ipsa non sit ex sua institutione corpus stabile, sed temporaneum, & dissolubile ad arbitrium Societatis, qua dimittente gubernationem, eo ipso Congregatio dissoluitur, nec potest in alio loco subsistere, vt secum deferat sua bona: non præsumitur, quòd res oblata donetur ita Congregationi, vt dissoluta Congregatione, donatio euanesca, quia res permanens iuxta suam naturam debet donari subiecto permanenti, vel saltem habenti hæredes, ad quos res donata transeat, quales hæredes Congregatio habere non potest. Intentio ergo prudens donatorum est illa, quam diximus, nempe donare domui, vel Collegio, vt deseruiant res illæ ad vsum Congregationis, quandiu Congregatio subsistit; vt hoc modo minùs grauetur domus prouidendo Capellæ de ornamentis necessariis

cessariis, & ipsa etiam Capella pulcheriùs, & decentiùs ornetur. Hanc denique esse praxim Societatis, vt dissoluta aliquando Congregatione, supellex maneat penes domum, vel Collegium, in quo erat, testatur etiam mihi P. Carolus Sangrius, Assistentens tunc pro Italia, & qui paulò post Vicarius Generalis fuit totius Societatis, & qui multas eius Prouincias rexerat, & praxim Societatis benè nouerat.

7 Hinc autem inferri rursus potest, quòd occurrente eo casu non debet supellex Congregationis extinctæ trãsferri ad aliam Congregationem, quæ in alia fortasse domo, vel Collegio Societatis sit. Cum enim dominium earum rerum acquisitum semel fuerit domui, vel Collegio, in quo fuerat Congregatio: non potest iis rebus priuari, vt alteri domui acquirantur, præsertim, si sint mobilia pretiosa ex iis, quæ seruando seruari possunt, nec alienari possunt sine facultate Sedis Apostolicæ. Esset enim vera alienatio translatio illa ab vna in aliam domum; sicut nec potest vllum Collegium dare alteri Collegio fundum, vel alia bona stabilia, quæ possidet. Si tamen in eadem domo, vel Collegio erectæ essent plures eiusmodi Congregationes, congrueret, quòd extincta vna, applicaretur eius supellex ad vsum alterius Congregationis in eodem Collegio, vel domo existentis, imò hoc videretur necessarium, quando ex duabus Congregationibus fieret vna, vel quando sodales vnus extinctæ aggregarentur alteri Congregationi; hæc enim præsumitur intentio donantium, vt deseruirent eiusmodi ornamenta ad vsum eorum sodalium, quandiu moraliter non desinunt esse sodales in eodem loco.

#### D V B I V M XIII.

*Utrum fuerit valida Professio emissa ante tempus, quòd Generalis præscripserat.*

1 S. Vppono primò, Professionem ad sui valorem requirere consensum liberum profitentis, & consensum etiam Prælati potentis Religionis nomine acceptare Professionem, vt tradunt communiter Doctores, quos affert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 62. & seqq. Cum enim intercedat contractus mutuus ex parte profitentis, & Religionis; neces-

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

farius est vtriusque consensus, quorum altero deficiente, Professio non subsistit, videatur Suarez tom. 4. de Religione tract. 10. lib. 6. cap. 5. num. 4. & 6. vbi notat, Prælatum inferiorem à Generali non posse in Societate acceptare Professionem, nisi iuxta formam illi à Generali commissam, & præscriptam, quia non habet ad hunc actum, nisi facultatem delegatam, & non potest terminos transgredi, mandati sibi dati.

Suppono secundo, Generalem, quia non potest per se ipsum immediatè recipere Professiones omnium, solere, visis informationibus de qualitatibus, profectu, & doctrina subditorum, committere Prouincialibus, vt subditos nominatos in catalogo, quem ad ipsos transmittit, admittant ad Professionem, vel per se ipsos, vel per alios, quos sibi substituant; in hoc tamen iuxta decreta eiusdem Societatis seruari debet ordo, vt illi priùs Professionem emittant, qui antiquiores sunt, vel in ordine ipso, vel in studiis, ita vt etiam si simul octo, aut decem Professionem faciant, illi priores sint in Professione facienda, qui cæteros postea præcedere debent. quæ præcedentia deseruit, non solum, vt in Comitibus priores sedeant, & loquantur, sed etiam vt veniant ad Comitibus prouincialia, ad quæ non conueniunt nisi antiquiores Professi vsque ad certum numerum: quare contingit, ex illis, qui simul Professionem fecerunt, vnum venire, altero non veniente ad comitia, eo quòd hic post illum Professionem pronuntiauit.

His suppositis, accidit, quòd Generalis catalogum Prouinciali apud Indiam miserit eorum, quos in sua Prouincia ad Professionem admittere debebat: quorum vnum, quia in Societate iunior erat, dixit, vt post alios antiquiores profiteretur. Vnde Prouincialis, quia ij in variis locis tunc degebant, singulis præscripsit, Professionis faciendæ diem, atque ita dies distribuit, vt singuli pro sua antiquitate in Professione faciendâ præcederent. Superior tamen illius loci, vbi iunior ille reperiebatur, habita opportunitate nescio cuius solemitatis, vel concursus, parum id referre putans; si diem sibi à Prouinciali præscriptam præueniret, profiteri illum iussit ante diem præfixam, atque inter Missarum solemnias publicè ab eo Professionem acceptauit. Dubitatum ergo fuit in primis de valore Professionis: deinde, an deberet loco, & iure præcedere eos, qui ante ipsum profiteri in aliis Collegiis debuerant, & te ipsa diebus sequentibus professi sunt.

R Respondi,

4 Respondi, valorem huius Professionis videri mihi dubium; pendet enim ex intentione Generalis, & Prouincialis, quorum quilibet habere potuit intentionem, non acceptandi Professionem, nec committendi facultatem ad eam acceptandam, nisi tali tempore: & hoc propter magna inconuenientia, quæ sequerentur, si Professio ante illud tempus fieret, & propter querelas perpetuas futurarum seniorum, qui exclusi essent à iuniore illos excludente, & præcedente. Quamuis autem ordo seruandus inter professuros non videatur circumstantia substantialis, sed accidentalis: ex alio tamen capite, cum in Societate non sit tempus determinatum ad Professionem faciendam, sed pertineat ad Generalem singulis tempus determinare, ante quod tempus Professio non est valida, quia fieret ante debitum tempus, sicut si in aliis Ordinibus religiosis fieret ante finitum annum integrum nouitatus, & Generalis in casu nostro designauerit tempus illud, nempe post Professiones aliorum seniorum; videtur facta Professio ante debitum tempus, quod debet esse tempus à Generali designatum, qui videtur esse defectus substantialis. Scio equidem, quando anno 1617. Prouincialis Castellæ petiit per litteras à P. Generali facultatem admittendi me ad Professionem solemnem: datam quidem illi fuisse hanc facultatem, sed cum ea limitatione, vt quia iunior eram in Societate multis aliis, qui ob serius absoluta studia non profitebantur, differretur mea Professio vsque ad annum à data illarum litterarum: quod temporis spatium Prouincialis religiosè, & exactè obseruauit, nec nisi die sequenti post annum expletum, professus sum, vt nullum omnino dubium de actus valore relinqueretur.

5 Aliud tamen certum etiam est, potuisse ordinem illum inter seniores, & iuniores non præscribi à Generali tanquam substantiali, & necessarium ad valorem Professionis, sed solum committente Prouinciali, vt contentos illos ad Professionem admitteret, quæ erat substantia committentis: deinde inuenisse, vt in Professione admittenda seruaretur debitus ordo secundum maiorem, vel minorem antiquitatem eorum, qui professuri erant; in quo ordine, si deficeretur, violaretur præceptum, seu ordinatio ipsius Generalis, non tamen læderetur valor Professionis. Porro hanc fuisse Generalis mentem, suaderi posset, quia non satis prudenter vi-

deretur agere Generalis, si valorem Professionis voluisset dependere à circumstantia ad eum extrinseca, qualis est ordo inter eos, qui profitentur, & in qua sine vlla culpa multi defectus, & errores contingere possunt; potest enim contingere, aut quando in eodem loco plures simul Professionem emittunt, vnus per errorem post alium genuflectat, quem tamen iuxta ordinem debuisset præcedere. Deinde, quando in locis diuersis emittunt Professionem, & idè monentur, vt seniores tali die, iuniores verò die sequenti profiteantur, contingere potest, vt litteræ ad locum seniorum casu aliquo non veniant tempore, atque eà de causa iuniores ante seniores profiteantur. In quibus, & aliis similibus casibus, non est credibile, quod Generalis velit Professionem iuniorum eo ordine non seruato factam, irritam esse. Præsumendum ergo est, ordinem illum iniungi solum ex præcepto, non vt necessarium ad substantiam Professionum.

Hæc autem, vt verum fatear, magis 6 conducere possent ad præsumendam intentionem Generalis, quod non posuerit pro substantia ad valorem Professionis ordinem seruandum inter professuros; quam ad hoc ipsum præsumendum de Prouinciali, qui sanè non præcepit Rectori illius loci ordinem seruandum inter Professos, sed potius ad seruandum hunc ordinem sibi à Generali præscriptum, commisit illi Rectori, vt loco sui admitteret Professionem tali die, & non antea. Quare videtur circumstantia temporis inclusa in corpore ipsius mandati, cuius mandati terminos ipse mandatarius exercere non poterat. Nam, sicut Procurator constitutus ad contrahendum matrimonium nomine alterius cum tali femina tali die, & non antea, non contraheret validè, si ante diem assignatum vellent contrahere, vt colligitur ex doctrina communi, quam tradit Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 11. num. 17. sic mandatum acceptandi Professionem talis Patris tali die, & non antea, videtur coartare mandatarium, ne possit antea diem illam validè Professionem acceptare.

7 Itaque propter hæc, & alia, quæ considerari possent, censui explorandam esse mentem Generalis, & Prouincialis, & videndum, an ita præscripserint ordinem, & tempus, vt eo etiam non seruato, voluerint Professionem valere; quod si de ipsorum

ipsorum mente non constiterit, iudicari poterit, Professionem, licet ab initio non valuerit, valuisse tamen adueniente tempore à Generali, & Prouinciali præfixo, ab eoque puncto antiquitatem illius Professionis computandam esse. Ratio est, quia facta Professione inualida ob defectum potestatis in acceptante, potest postea illam acceptare is, qui auctoritatem legitimam acceptandi habet, si tamen voluntas Professionis moraliter perseverat, nec fuit iam per contrariam voluntatem mutata; atque ex eo acceptationis legitimæ tempore incipit Professio præterita valorem completum habere: dum tamen Professio antea acceptata fuerit nomine legitimi Prælati potentis eam acceptare, vt cum communi Doctorum, quos affert, docet Thomas Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 80. Ratio autem est, quia nemo quidem ratum habere potest, quod eius nomine non est gestum: id tamen, quod eius nomine gestum est, ratum habere postea potest, & tunc locum habet regula iuris, rati habitationem retrotrahi, & mandato comparari, ex reg. rati habitationem, de regulis iuris lib. 6. Hæc autem omnia in nostro casu concurrunt, in quo Prælati inferior acceptauit Professionem nomine Generalis, à quo putabat se mandatum, & commissionem habere: quare Generalis postea conscius factus, poterit eam acceptationem ratam habere. Cum enim ad Professionem validam duo requirantur, nempe promissio ex parte Professi, & acceptatio ex parte Prælati nomine Religionis acceptantis, & obligantis ipsam Religionem, & iam præcesserit promissio ex parte Professi; solum desideratur acceptatio legitima ex parte Prælati, qua adueniente, completur valor Professionis, si medio illo tempore voluntas Professi mutata non fuit. Valor tamen Professionis non potest incipere, nisi ab eo tempore, quo acceptatur, quia antea verè ille nondum erat Professus, atque ad eum, si medio illo tempore matrimonium contraxisset, validum esset, vt notauit idem Sanchez loco citato, quod intelligi debet, nisi adesset aliud impedimentum irritans valorem matrimonij, quale in Societate præstant vota simplicia post bientiij nouitatum emissã. Debet ergo antiquitas Professionis in casu nostro computari à tempore rati habitationis, & acceptationis subsequenter, quia ante illam nunquam fuit Professus, nisi inchoatiuè, nec potest Generalis concedere illi antiquitatem temporis antecedentis in præiu-

dicium eorum, quibus fuerat ius acquisitum, eo quod tempore intermedio Professionem fecissent.

5 Dixi tamen, hanc Generalis acceptationem in casu nostro præsumi posse ex eo tempore, quod ipse præscripserat ad Professionem illam acceptandam, quia hoc modo, & hanc intentionem habendo potuerunt Generalis, & Prouincialis omnia inconuenientia vitare, ne ex vno capite Professio exponeretur periculo inualiditatis, & ne ex alio capite iunior ob Professionem anticipatam præcederet postea seniores, & iis præiudicium vllum afferretur. Ad hæc, inquam, vitanda potuerunt velle, quod Professio fieret debito tempore: si autem ex errore anticiparetur, nolle eam acceptare, nisi post Professiones illorum antiquorum, seu non nisi post tempus à se præscriptum. Suppono enim, non esse contra valorem Professionis, si nunc fiat, & acceptetur; ita tamen, vt non incipiat valere, nisi crastina die, vt latè probaui in tomo de penitentia disp. 13. sect. 5. præsumi num. 128. Cum ergo hoc modo intentionis potuerint omnia inconuenientia vitari, præsumi potest quod Generalis, & Prouincialis, si voluerunt Professionem non esse validam ante tempus ab ipsis præscriptum; voluerunt tamen, quod inciperet valere à tempore illo, atque ad eum ab illo tempore eam acceptare. Requiritur tamen, vt dixi, quod Professus post Professionem à se factam vsque ad illud tempus, in quo Prælati legitimus eam acceptat, non mutauerit voluntatem, sed perseveret moraliter in eadem voluntate profitendi, quia tempore intermedio adhuc non erat Professus, sed poterat resilire, sicut & Prælati poterat eam non acceptare. Alioquin, si Professus iam esset ligatus, & Prælati esset adhuc liber ad acceptandum, & non acceptandum, contractus claudicaret cum maxima inæqualitate. Ratio autem, cur consensus in matrimonium, vel Professionem præstitus in diem sub conditione de futuro possit validè reuocari semper ante aduentum diei, vel conditionis, quamuis in aliis contractibus reuocari non valeat, assignata, & declarata à nobis est latè in loco supracitato de Penitentia, vbi videri potest.

\* \*



## D V B I V M XIV.

*An fuerit valida Professio facta in manibus Episcopi secularis ex commissione Prouincialis.*

1 Generalis Societatis more solito scripserat Prouinciali, vt Patrem N. ad Professionem admitteret. Cùm autem ob maiorem actus solemnitate, & honoris gratia, magna Nobilium pars in templo interesset, ac inter alios Episcopus loci, Prouincialis honorem hunc Episcopo detulit, vt ipse Professionem acceptaret nomine Generalis, prout factum est: Re autem rescita Romæ, dubitatum fuit de valore talis Professionis.

2 Suppono, posse Generalem validè committere alteri etiam seculari, vt eius nomine acceptet Professionem alicuius à Societate, quod quidem commune est aliis Prælati, ad quos spectat Professiones in suo ordine acceptare, vt supponit Thomas Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 77. Suarez tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 11. num. 5. & aliis communiter, & videtur etiam supponi in ipsis constitutionibus Societatis part. 5. cap. 1. §. 2. littera B. in margine; hoc enim commune est omnibus, qui ordinariam potestatem habent ad aliquem actum, vt eam possint alteri delegare: quod multò magis locum habet in acceptatione Professionis, in qua ille alius videtur se habere tanquam merus Procurator ad Professionem acceptandam, & ad obligandam Religionem ipsi Professo; quare stante commissione sufficienti, non poterit de valore Professionis ex hac parte dubitari.

3 In Societate tamen est peculiaris difficultas propter verba constitutionis loco citato; ibi enim postquam dictum fuerat, facultatem admittendi in corpus Societatis eos, qui admittendi erunt, penes eius caput esse, additur. *Sed quia Præpositus generalis tam varijs locis interesse non potest, alijs de Societate eam partem huius facultatis, quæ ad totius corporis huius bonum facere videbitur, poterit communicare.* & in margine littera B. declaratur magis hæc communicatio his verbis. *Alij, quibus ordinariè magis, & absolutè communicabitur, Præpositi Prouinciales erunt; quibusdam tamen Præpositis localibus, vel Rectoribus, & alijs visitatoribus, aut personis insignibus, poterit Præpositus generalis hanc auctoritatem com-*

*municare; imò & alicui, qui de Societate non esset, aliquo in casu, vt Episcopo alicui, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ; cùm nullus ex Professis eiusdem Societatis eo in loco, vbi aliquis ita est admittendus, inueniretur.* Vbi ergo aliqui Professi Societatis inueniuntur, prout in casu nostro inueniebantur & Professi, & Prælati Societatis, non potuit ea facultas Episcopo seculari committi.

Respondere aliquis posset, in prædicto loco constitutionum sermonem non esse de acceptatione Professionis iussu Generalis faciendæ, sed de facultate admittendi aliquem ad Professionem inconsulto Generali, quæ facultas rarè, & cum magna cautela communicanda est. Potest autem hæc interpretatio suaderi, primò, quia eiusmodi facultas est, quæ communicari solebat aliquibus Superioribus insignibus à S. Ignatio. Secundò, quia in 9. part. earundem constitutionum. §. 1. magis explicatur eadem facultas, & eius communicatio; dicitur enim, Generalem posse per se, & per alios admittere ad probationem, ad Professionem, &c. & statim littera A. in declaratione explicatur, qualiter aliis communicare possit hanc facultatem, his verbis: *cùm vnum, vel plures ad Professionem per alios admiserit, prius nominatim de eis certiore fieri, & de eorum dotibus ipsi satisfactum esse oportebit: vel hoc munus admittendi pro suo arbitratu, (iuxta id quod in 5. part. dicitur,) alicui perinde, ac sibi ipsi confidat, peculiariter committat.* & in margine citatur ex 5. part. locus ille, de cuius verborum sensu nunc agimus, & rursus citatur caput secundum eiusdem quintæ partis §. 1. littera A. vbi expressè agitur de communicatione facultatis ad dandam Professionem inconsulto Generali. Vnde videtur, quòd etiam in dicto cap. 1. de hac eadem facultate sermo sit, quam quidem S. Ignatius noluit communicari externis etiam Episcopis in locis, vbi sint aliqui Societatis Professi; non verò de facultate acceptandi Professionem illius, cui nominatim Generalis iniungit, vt Professionem emitat.

Tertiò denique hoc ipsum confirmari potest à simili, quia quando agitur de communicatione facultatis ad dimittendum ex Societate, non intelligitur de facultate exsequendi dimissionem, quam Generalis mandat pro aliquo particulari nominatim, sed de facultate dimittendi inconsulto Generali, vt constat ex part. 2. constit. c. 1. §. 2. per totum, in textu, & in declarationibus,

bus, vbi traditur, quando, & quibus possit eiusmodi facultas communicari: ergo quando agitur de communicatione facultatis admittendi ad Professionem, eodem modo debet intelligi de facultate admittendi inconsulto Generali, non de acceptanda Professione alicuius, cui nominatim Generalis Professionem emittendam mandauit, cùm contrariorum eadem sit ratio: atque adèd ex illo loco §. partis non habetur prohibitio communicandi Episcopo facultatem acceptandi Professionem, sed ad summum quòd non detur ei facultas admittendi ad Professionem inconsulto Generali, & hoc in locis, in quibus alij Societatis Professi inueniuntur.

7 Hæc tamen interpretatio, vt verum fatear, difficultate non caret. Primò, quia ille etiam, qui consulto, & iubente Generali, Professionem admittit alicuius, dicitur simpliciter, & absolutè *admittere Professionem, & admittere ad Professionem*, vt constat ex iisdem constitutionibus p. 5. c. 3. §. 2. in textu, & in declaratione littera A. Cùm ergo in dicto cap. 1. dicitur non esse Episcopo loci communicandam facultatem admittendi Professionem, vbi aliquis ex Societatis Professis adest, intelligi debet de admissione etiam ad Professionem consulto Generali: & quidem iuxta subiectam materiam videtur ita intelligendum; quia agitur ibi de facultate, quam aliquando expedit Episcopo, vel aliis secularibus communicare. Nunquam autem accidit casus, nec futurum credo, in quo alicui seculari detur facultas, vt pro suo arbitrio admittat ad Professionem in Societate, quos ipse voluerit, ignorante, & inconsulto Generali, & aliis Prælati Societatis de persona admittenda, & eius qualitatibus. Non est ergo ibi sermo de hac sola facultate, sed de facultate in genere, prout præscindit ab admissione ad Professionem consulto, vel inconsulto Generali: quam facultatem S. Ignatius dicit committi posse Episcopo, vel personæ graui, &c. non quidem vniuersalem, sed limitatam, nempe *aliquo in casu, & cùm nullus ex Societatis Professis eo loco reperitur.* Vnde constat, facultatem hanc tunc non communicari ad acceptandam Professionem eorum, quos voluerit, sed pro casu aliquo particulari, atque adèd ad Professionem personæ particularis ab ipso Generali approbatæ.

8 Potest autem secundò hic sensus confirmari ex verbis, quibus ibi hic casus circumscribitur, ex quibus colligitur agi de

casu particulari, in quo constat iam Generali de idoneitate personæ, quæ ad Professionem admittitur, & quia non reperitur eo loco Professus vllus Societatis, qui Professionem acceptet, committi potest acceptatio Episcopo loci, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ. Verba S. Ignatij sunt: *Imò & alicui, qui de Societate non esset, aliquo in casu, & Episcopo alicui, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ; cùm nullus ex Professis eiusdem Societatis eo in loco, vbi aliquis ita est admittendus, inueniretur.* Supponitur ergo iam decretam esse admissionem illius, vt significant verba illa, *vbi aliquis ita est admittendus*, atque adèd iam Generalem examinasse merita personæ, vt eam ad Professionem solemnem admittat.

Propter hæc posset aliquis secundò, & 9 magis verisimiliter respondere, in illo cap. 1. partis §. præscribi quidem Generali ordinem, quem seruari debet in communicatione facultatis, & in deleganda acceptatione Professionis, non tamen reddi inuvalidam facultatem aliter concessam, vel Professionem sic factam: nullum enim est verbum irritans; quare cùm de iure communi Generales possint aliis delegare, vel committere id, quod iure ordinario ipsis competit, quæ facultas non inuenitur cùm irritatione ablata Generali Societatis, non est, cur neganda sit ei potestas committendi Episcopo, vt suo nomine Professionem alicuius acceptet; præsertim cùm Professio, sicut potest per Procuratorem fieri, vt cum communi fatetur Suarez tom. 3. de Religione, lib. 6. cap. 12. num. 22. ita etiam possit per Procuratorem acceptari; cùm sit contractus mutuus, & æquè possit ex parte vtriusque contrahentis substitui Procurator: cur ergo non poterit à Generali constitui Episcopus quasi Procurator ad acceptandam eius nomine Professionem?

Confirmarique potest, quia quamuis in eodem loco constitutionis mentio fiat de solis Prouincialibus, Visitatoribus, & quibusdam Præpositis localibus, & Rectoribus, aut personis insignibus, quibus hæc facultas communicetur: vsus tamen obtinuit, vt in absentia Prouincialis, cuilibet Superiori locali, atque eo impedito, aliis subditis committatur acceptatio Professionis, licet non sint personæ insignes: nec vllus vnquam de harum Professionum valore dubitauit. Denique multa in iisdem constitutionibus passim reperiuntur ad instructionem, & directionem Generalis, & aliorum Superiorum scripta, quæ tamen,

quia non habent clausulam irritantem, non reddunt inuálidos actus aliter factos, quod multis exemplis comprobari facile possit.

**II** Hæc quidem responsio ostendit, potuisse Generalem validè acceptationem Professionis Episcopo committere, etiam si in eo loco Societatis Professio inuenirentur: non tamen ostendit, Prouincialem, cui Generalis commiserat Professionem illam intimare, & acceptare, potuisse loco sui Episcopi ad id muneris validè substituere; est enim regula vniuersalis, quòd Procurator ad Professionem constitutus non potest alium sibi substituere, nisi id ei specialiter in mandato concedatur, vt cum communi docet Thomas Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 3. num. 8.* qui hoc idem de Procuratore ad matrimonium dixerat *lib. 2. de matr. disp. 11. num. 5.* & de Procuratore ad Professionem Suarez *dicto lib. 6. cap. 11. n. 5.*

Quamuis autem de facto Prouincialis, cui Generalis mittit Catalogum eorum, qui Professionem in sua Prouincia facturi sunt, soleat quando absens, vel impeditus est, nec per se ipsum potest Professionem acceptare, id muneris aliis Superioribus localibus subdelegare, in quorum domibus, vel Collegiis professuri reperiuntur: id tamen non fit sine consensu Generalis, qui sanè nouit optimè, Prouincialem non acceptare immediatè per se ipsum Professiones omnium subditorum, atque aded censeatur illi imponere, vt vel per se, vel ipso impedito, per alios faciat, vt Professiones ab illis personis fiant: in hoc tamen mandato non videtur includi facultas id exsequendi per extraneos, & sæculares, & eos sibi substituendi. Primò, quia, cum eiusmodi vsus in Societate non fit, non possumus talem intentionem Generalis interpretari, vt velit concedere Prouinciali facultatem substituendi sibi sæculares, etiam si Prouincialis non sit impeditus, nec desint alij Professi Societatis, quibus id committi possit. Secundò, quia, cum ipsa constitutio contrarium Generali præscribar, ne scilicet Episcopum substituatur, nisi in casu necessitatis; difficile credi potest, quòd Generalis substituatur sibi Prouinciales cum facultate substituendi sæculares, etiam sine vlla necessitate. Illa ergo commissio Prouinciali facta interpretanda videtur iuxta vsum Societatis; atque ideò, cum mandatarius, qui non habet potestatem à se, sed solum à mandante, non possit mandati terminos excedere, non videtur potuisse Prouincialis Episcopum sæcu-

larem sibi substituere sine vlla prorsus necessitate.

Hæc itaque reddunt mihi dubium **va- 12** lorem illius Professionis, & acceptationis, nisi de Generalis mente constare possit, quòd noluerit arctare Prouincialem, sed potius dederit ei liberam potestatem substituendi sibi quos vellet. Ex dictis ergo dubio præcedenti remedium facile erit, quòd Generalis acceptet Professionem illam inuálidè factam ex defectu potestatis in recipiente: per quam acceptationem Professio incipit esse valida, si Professi voluntas tempore intermedio non fuit mutata, sed eadem moraliter perseuerat, vt ibi diximus; quod remedium probat, & consulit Thomas Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 80.* quoties Professio à non habente potestatem admissa fuit nomine habentis potestatem, prout in casu nostro factum fuit.

Hoc tamen remedium in hoc casu non **13** approbat P. Suarez *dicto lib. 6. cap. 11. n. 6. & 7.* quia non videtur sufficere, quòd Generalis approbet Professionem, & illam acceptet, nisi hæc ipsa acceptatio constet ipsi Professo. Cum enim Generalis per suam acceptationem consentiat, & obliget se Professo nomine Religionis, nec sufficiat consensus internus ad pariendam obligationem, sed debeat hic consensus esse externus, & manifestari alteri contrahenti: oportebit, hanc Generalis acceptationem, & consensum manifestari Professo: & tunc, si Professus dissentiat, Professo adhuc non valebit; si verò consentiat, iam hæc erit noua ratificatio non solum ex parte Generalis, sed etiam ex parte Professi, quâ positâ, non est dubium, quòd incipiat valere Professio.

Hoc argumentum negari non potest, **14** quin probabile sit, quia, vt latè probauimus *tom. 2. de Iustitia, disp. 22. sect. 3. n. 29. & sequentibus*, in contractibus onerosis, qualis est Professio, necesse est, vt voluntas, & acceptatio cuiusque ex contrahentibus nota sit alteri contrahenti: quod tamen ibidem diximus, regulariter verum esse; habere autem aliquas exceptiones, & ideò responderi potest, hanc esse vnam ex iis exceptionibus. Acceptatio enim subsequens Patris Generalis, non est mera acceptatio, sed approbatio, & ratihabitio illius, quod eius nomine gestum fuerat. Constat autem, eam esse vim ratihabitionis, vt mandato æquiparetur: quare facta semel Professione, & acceptata ab Episcopo nomine Generalis, & sequuta postea ratihabitione,

bitione, qua Generalis ratum habet, quod eius nomine gestum fuerat; perinde erit, ac si ex eius mandato factum fuisset, quamuis valor non antea, sed nunc subsistere incipiat. Sicut ergo præcedente legitimo mandato Generalis, non esset necesse, quòd Professus haberet postea notitiam de noua acceptatione Generalis; sic subsequuta ratihabitione, qua Generalis ratum habet, quod suo nomine gestum fuerat, & quæ ratihabitio mandato æquiparatur, iuxta regulam iuris vulgarem, non erit necessaria notitia noua in Professo de hac subsequenti acceptatione Generalis: quod potuit esse fundamentum eorum Doctorum, quos refert, & sequitur Sanchez *loco citato*, & quos refert etiam, & impugnat Suarez *vbi supra*, dicentium, Professionem inuálidam ob defectum potestatis in acceptante, fieri validam subsequuta acceptatione legitimi Prælati, si Professus adhuc in priori voluntate moraliter perseueret.

**15** Post hæc autem scripta vidi in nouissima Congregatione octaua generali *decreto 4.* hoc dubium propositum fuisse, & re discussa, responsum fuisse his verbis. *Iudicauit Congregatio, nullius esse valoris ob defectum potestatis in admittente: quia facultas Prouincialis delegata ex Generalium intentione, non semet eorumdem responsis expressa non extenditur ad hunc casum.* quod quidem est iuxta doctrinam superius traditam.

#### DUBIUM XV.

*An habitus religiosus assumptus sit semper impedimentum essenziale ad ingressum in Societatem.*

**1** **S**uppono, inter impedimenta, quæ ingressum, vota, & Professionem in Societate Iesv impediunt, & irritant, vnum esse, si habitum suscepit alicuius Religionis fratrum, vel Clericorum, vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, siue emissa, siue non emissa Professione, vel eremitam cum vestibus Monachalibus fuisse. quod autem hoc sit impedimentum irritans ingressum, & omnia sub sequentia, probat latè P. Suarez *tom. 4. de Religione tract. 10. lib. 2. cap. 1. num. 28. & sequentibus*, Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 60.* Castro Palao *tom. 3. tract. 18. disp. 1. puncto 8. §. 1. num. 2.* & ita declaratum fuit ab eadem Societate in Congregatione Generali septima, decreto 42.

Hoc supposito, contigit, vt postquam aliquis in Societate per aliquot annos vixerat, notum, & comprobatum fuerit, ipsum ante Societatis ingressum habitum alterius Religionis ab eius Prælati accepisse, & per quatuor, vel quinque horas ibidem mansisse; postea tamen dimisso habitu, & mutato consilio ad propriam domum rediisse. Vnde ingressus subsequens in Societatem, & vota ibi emissa existimantur nullum habuisse valorem ob incapacitatem subiecti ex impedimento essentiali præcedenti.

Respondi tamen, eo casu non præcessisse **3** impedimentum irritans, quod reddat inuálidum ingressum subsequentem, & vota in Societate emissa. Pro quo aduerte, in duobus potissimum locis mentionem fieri à S. Ignatio huiusmodi impedimenti. Primus est in examine *cap. 2. §. 3.* vbi inter casus, quibus nemo potest in Societatem admitti, ponitur tertio loco, si fuerit Religiosus, vel Eremita cum habitu Monachali, his verbis. *Tertius est habitum sumpsisse alicuius Religionis fratrum, vel Clericorum vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, siue emissa, siue non emissa Professione, vel Eremitam cum vestibus Monachalibus fuisse.* Secundus locus est in *constitut. 1. p. cap. 3. §. 5.* vbi inter primaria impedimenta ponitur, *assumpsisse Religionis habitum, vel Eremitam cum vestitu Monachali fuisse.* in quo secundo loco additur ab eodem S. Ignatio declaratio in margine *littera E.* his verbis: *Non solum se Professionem emisisset: sed se vel unum diem habitum Religionis gestasset: admitti, propter rationes in examine dictas non potest.*

Ex his ergo verbis constare videtur, **4** momentaneam habitus sumptionem, & dimissionem non sufficere ad inducendum eiusmodi impedimentum. Nam in primo loco exigitur, *vitam aliquandiu in obedientia cum eis egisse;* & quidem de eo, qui per vnicum momentum habitum induit, non verificatur, quòd habitu sumpto vitam aliquandiu in obedientia cum aliis egerit. Si enim verba illa non significarent moram aliquam ibi factam post habitum assumptum, frustra fuissent addita, cum sufficeret dixisse, *habitum assumpsisse;* quod tamen solum non sufficit, sed requiritur & habitum assumpsisse, & vitam aliquandiu cum aliis in obedientia egisse. Quare in secundo loco, quamuis verba illa non repetantur, sed solum dicatur, *assumpsisse habitum,* refert tamen se S. Ignatius ad illum primum locum examinis, in quo id explicatur.

catum fuerat. Nam idcirco illo *cap. 3. § 7.* post enumerata omnia quinque impedimenta, addit, *ut in examine fufius tractatur*, quæ verba non debent, nec possunt referri ad quintum impedimentum solum, de quo non fuerat fufius in examine dictum, sed debent referri ad omnia impedimenta, de quorum aliquibus dixerat fufius in examine.

Quia tamen dictio illa *aliquandiu*, exposita manebat interpretationibus & non deesset fortasse, qui ad illius verificationem plurium dierum moram exigeret, idcirco non ad ampliandum, sed ad restringendum illius sensum, addidit in declaratione supra adducta, sufficere, *si vel unum diem habitum Religionis gestasset*. cum enim dictio *aliquandiu*, excludat omnino momentaneam habitus assumptionem, & exigat moram temporis, quo sub obedientia vitam egerit religiosam; restabat omnino declarandum, quale, vel quantum tempus illud esse debeat, ut impediatur, & irritetur ingressum subsequentem in Societatem: ad hoc ergo declaratio ab eodem S. Ignatio addita est, & quidem satis stricta, sufficere nimirum moram vnus diei: ex qua declaratione manifestum videtur, non sufficere ad hunc effectum moram quatuor, vel quinque horarum, quæ partem vnus diei quartam non attingunt, præsertim, cum versetur in odiosis, atque adeo legem non debeamus strictius declarare, quam sit ab ipso legiflatore declarata; quando eius rigorem, & obligationem magis voluit exaggerare; quam meam in hoc puncto sententiam confirmavit mihi, postea magis auctoritas Patris Natalis, qui fuit S. Ignatio in euulgandis constitutionibus minister, & comes fidelissimus, & mentem sancti Fundatoris omnium optimè callebat: hic ergo tantus vir in scholiis, quæ adhuc manuscriptæ conseruantur in Domo professa Societatis Romana, aperte negat, moram illam adeo breuem impedimentum esse ad Societatis ingressum.

Scio, aliquem post Professionem in Societate ingressum, in iudicio de eius nullitate, eo prætextu, quod antea ad horam alterius Ordinis habitum assumpserat. Sed certe Societas non probauit, nec confessa fuit Professionis nullitatem, sed ut se ab inuito, & litigante expediret, P. Mutius Virelleschus, tunc nouus Generalis, litteris publicis eum à Societate, expulit; quibus quidem expulsionis litteris ipse contendebat se non indigere, quippe qui nunquam validè professus fuisset. Sed Societas sibi

fatis consuluisse putauit, eum, quamuis Professus esset, iustis de causis expellendo: ipse de reliquo suæ conscientie consulere, & videret, an merus sæcularis, an verus Religiosus expulsus esset. Petiit quidem postea ille à Nuncio Apostolico declarari merus sæcularis, atque adeo capax beneficiorum sæcularium: id tamen sine iudicio contradictorio factum fuit, nolente Societate se rursus in eam litem ingerere, quippe quæ iam hominis curam abiecerat. Quod totum reuocare volui in memoriam, ne fortè posteri eo exemplo decipiantur, & credant, Societatem agnouisse, moram illam adeo breuem sufficere ad hoc impedimentum irritans, de quo loquuti sumus.

#### D V B I V M X V I.

*De homicidio non probato, an sufficiat ad dimittendum non-dum Professum in Societate.*

Inter impedimenta essentialia, & irritantia ingressum Societatis, vota, & Professionem, ponitur homicidium, ut constat ex locis adductis dubio præcedenti. Nam in examine *cap. 2. §. 2.* assignatur hoc impedimentum sub illis verbis, *homicidium aliquo tempore perpetrasse*: sub quibus etiam verbis apponitur *in constit. p. 1. cap. 3. §. 4.* vbi in margine *littera C.* additur declaratio ab eodem S. Ignatio, his verbis: *quod ad homicidij impedimentum attingit, nulla (ut nec in aliis) declaratio adhibetur. Num autem sit homicidium, nec ne, si dubitaretur, discernant Præpositi generales; nec se faciles in huiusmodi dubiis exhibeant. Qui cum deliberatione homicidium perpetrari iussisset, si effectus est consequutus, quamuis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus.* Hæc ibi.

Contigit ergo non ita pridem, ut scholasticus quidam in Societate post nouitium, & vota biennij emissa, superioribus manifestaret, quod cum 14. vel 15. annorum esset, & in flumine cum sodalibus nataret, puerum ex iis ob acceptam iniuriam inter natandum summerserat, & suffocauerat. Quæsitum itaque fuit, an credendum ei esset, & dimittendus tanquam inualidè receptus, & quid faciendum in eiusmodi casibus, cum sine probatione fingi possint ad relinquendum statum religio-

sum prætextu impedimenti essentialis. Denique, an possit Societas ante dimissionem punire eos, qui in ingressu, & nouitiatu malitiosè impedimenta tacuerunt, ut per actus studijs exirent.

Respondi ad primum, examinandum, & interrogandum esse diligenter de circumstantiis actionis, an puerum summerserit volendo directè, vel indirectè eius mortem, an sine eiusmodi voluntate etiam indirecta, ut constare possit, an fuerit verum homicidium: impedimentum enim soli vero homicidio alligatur. Quod si ex confessione ipsius constiterit, fuisse verum homicidium, consului omnino dimittendum è Societate, non quidem declarando, illum non fuisse validè admissum, sed quomodo solent alij non Professi iustis de causis dimitti. Ratio est, quia, quamuis non defuerint, qui velint, homicidium occultum non esse impedimentum essentialiale in Societate, sed solum publicum, & notorium, quam sententiam probabilem dicit Castro Palao *tom. 3. tract. 16. disp. 1. puncto 8. §. 7. n. 16. & 17.* omnino tamen puto, non minus impedimentum oriri ex homicidio occulto, ut latè, & optimè probauit P. Suarez *tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 2. cap. 1. num. 2.* nam constitutio generaliter loquitur de homicidio, non distinguens inter publicum, & occultum. Sicut ergo irregularitas ex utroque contrahitur, eo quod lex Ecclesiastica generaliter loquatur, eodem modo Societatis constitutio de utroque debet intelligi.

Quamuis tamen homicidium occultum irritet ingressum Societatis, & idcirco qui illud de se fatetur, non debeat admitti, postquam tamen ingressus est, & votis biennij ligatus fuit, non videtur ei credendum, si tunc se dicat fuisse homicidam, atque idcirco non emisse validè vota religiosa; ut in simili probat Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 14.* de Religioso dicente, & iurante se fuisse professum esse, vel se intra quinquennium nunquam ratificasse Professionem inualidam, cui Prælati credere non potest, nisi attentis circumstantiis prudentissimus quisque iudicare possit, id moraliter certum esse. Et quidem, si sufficeret testimonium Religiosi ipsius fatentis, se olim homicidium perpetrasse, plures sibi id crimen imputarent, ut à Prælati dimitterentur: quare sicut coniugi post celebratum matrimonium non est credendum dicenti, se contraxisse cum impedimento irritanti, nisi illud sufficienter probet; sic nec Religioso post contra-

ctum spirituale vinculum per vota religiosa credi potest testanti de suo præcedenti impedimento, nisi id probet. Ideo ergo dixi, in casu nostro non posse hunc è Societate dimitti, declarando, ipsum nunquam fuisse Religiosum, quia ad hanc declarationem exhibendam non sufficit ipsius confessio de impedimento præcedenti.

Addidi tamen, Generalem Societatis prudenter facturum, ex meo consilio, si eum ex Societate dimitteret, non declarando nullitatem votorum emissorum, sed eo modo, quo iustis de causis solet alios non Professos dimittere iuxta facultates, & constitutiones Societatis. Ratio videtur clara, quia vel ille re vera homicidium asseritum perpetravit, vel non. Si perpetravit, nunquam fuit verè Societatis Religiosus, atque adeo meritò eiicitur, qui Societatis Religiosus nunquam fuit. Nec iniquè fit cum eo, aut conqueri iure potest, eo quod non declaratur simul inualiditas votorum; hoc enim sibi debet imputare, qui non probat sufficienter impedimentum essentialiale homicidij perpetrati: quo non probato, expedit ei saltem pro fori externo habere litteras Generalis dimittentis eum è Societate, sine quibus posset facilè in foro externo tanquam Apostata iudicari, & puniri. Aliunde verò parum ei refert, quod validè, vel inualidè vota emisit; siquidem qui è Societate ante Professionem solemnem dimittuntur, non contrahunt sicut Professi expulsi ab aliis Ordinibus suspensionem aliquam, nec incapaces sunt cuiuslibet beneficij sæcularis, imò nec primarum, & supremarum dignitarum. Bene itaque cum eo agitur, si more solito dimittatur, sicut alij non Professi dimittuntur, etiam si ob homicidium verè perpetratum Religiosus non fuerit.

Si verò falsò sibi homicidium imputauit, adhuc prudenter Generalis illum dimittit, & abdicat à Societate; constat enim, quàm sit à religiosa vocatione alienus, & quàm parum Societati idoneus, qui non veretur fingere, & imputare sibi falsum homicidium, ut fraudibus saltem, & dolosè religiosæ vitæ iugum excutiat. Prudenter ergo, & sine vlllo profus leuitatis periculo Generalis dimittit illum, qui si verax est, nunquam fuit Religiosus; si mendax, non est vlllo modo Societati aptus. Oportet tamen illum diligenter admone- re, ut sciat, si falsò sibi homicidium imponit, non manere se tutum in conscientia, nec dimissionem esse validam, quam per dolum, & fraudem impetrauit, ut expressè fuit



fuit decifum in Congregatione generali feptima, decreto 22. num. 4. vbi difinitum eft, eos, qui è caufis non veris, fraude, ac dolo dimiffionem à Societate obtinuerunt; aut ex caufis quidem veris, & iuftis, grauibufque delictis; fed ea intentione perpetratis, quo facilius dimiffionem extorquerent, nullo modo tutos in confcientia effe: & eiusmodi facultatem in confcientia foro irritam, ac nullam prorfus effe: eosque in eodem foro omnibus fubiacere Apoftatarum cenfuris, ac penis. Debet ergo ipfe, poftquam dimiffus fuit, fi fortè mentitus fuerat, fateri Societati fuum mendacium, & tunc quidem Generalis prudenter faciet ratificando priorem dimiffionem, quia grauiiffima illa, & calumniofa deceptio probat clarè, eum non effe aptum Societati; nifi fortè talia forent pœnitentiæ argumenta, & aded præclaræ dorès, ac indoles alioquin bona, vt fperari poffet Societati utilis, quia fortaffe ex vehementi aliqua, & accidentalitentatione magis, quàm ex deprauatis moribus, aut habituali irreligiofitate mendacium illud meditatus fuiffet.

7 Hinc ergo apparet, idem in aliis fimilibus cafibus cum debita proportione faciendum effe. Si enim, qui eiusmodi impedimenta fubftantialia poft vota biennij emiffa, manifefat, Profeflus non fit, regulariter videtur dimittendus à Generali, vel à Superiore habente dimittendi potestatem, datis ei litteris dimiffionis, ficut dari folent aliis non Profeflis, & abfoluendo eum à votis emiffis; præmiiffa tamen, vt dixi, monitione oretenus, vt fciat, fe non manere tutum in confcientia, fi fortè mentitus fuit. Dixi tamen, regulariter id expedire: quia poffent aded præclara talenta in eiusmodi perfona reperiri; v. gr. fi appareret eum ardentè defiderare in Societate remanere, foloque fcrupulo confcientiæ coactum impedimentum manifeftaffe, vt non fit imprudentia rem occultam retinere, & petere fecretò difpenfationem; & facultatem à Summo Pontifice, vt non obftante impedimento, poffit in Societate retineri. Imò id futurum ex mente S. Ignatij colligi poteft ex duobus locis fuprà citatis. Nam in examine cap. 2. §. 7. poftquam pofta funt quinque impedimenta irritantia, additur ab eodem S. Ignatio declaratio in margine littera D. his verbis: *Ceterum, fi in eo dona aliqua Dei illuftriora cernerentur, ille, qui examinandi munere fungitur, antequam eum dimittat, rem cum fuperiore conferat.* Ad quem autem finem dimiffio differatur, explicat

poftea in constitutionibus r. p. cap. 3. vbi poftquam enumerata funt eadem impedimenta, additur declaratio in margine littera G. his verbis. *In omnibus his impedimentis expedit, vt nec Generalis Præpofitus, nec Societas vniverfa difpenfare poffit: quandoquidem in vnuerfum ita Societati conuenit, vt in huiusmodi non difpenfetur. Sed fi cerneretur aliquod ex his impedimentis in homine, qui talibus Dei donis ornatus effet, vt pro certo haberetur, Societatem ad Dei, & Domini noftri obfequium eius opera admodum iuuari poffe, fi ille Summo Pontifici, vel eius Nuncio, vel Summo Pœnitentiario supplicaret fibi concedi, vt in Societatem non obftantibus constitutionibus admitti poffet, Præpofito Generali non repugnante; poffet idem Præpofitus confenfum ad eum admittendum præftare. Dum tamen ofcium non multis, imò nulli, qui raris (vt dictum) dotibus non fit præditus, aperiatur.* Cum ergo ex mente S. Ignatij ante ipfum ingreffum poffit aliquando difpenfatio peti pro aliquo ob eximia talenta, facilius id fieri poterit, poftquam iam aliquis Societati per vota religiofa incorporatus apparet, & pro Religiofo exiftimatus eft, fi præclara talenta habuerit, ne cum fcandalo, & nota dimittatur,

*Turpius enim eiicitur, quàm non admittitur hospes.*

Præfertim fi bona fide, & fine culpa impedimentum in ingreffu celauit: atque aded maturius confiderandum eft, an expediat tunc eiicere, & dimittere volentem, & defiderantem in Societate manere. Quòd fi iudicetur difpenfatio petenda, oportebit eam etiam petere ad reperenda vota poft aliquot paucos dies nouitiatus: qua obtenta, fecretò coram aliquibus teftibus denuò in Societatem admittetur, & coram eisdem poftea vota emittere, & vtrumque fcriptura confirmetur, cui & fuperior, & teftes, & ipfemet receptus fubfcribant, & difpenfationem obtentam agnofcant, quæ etiam conferuari debet, vt quamuis res fecreta maneat, fi quando tamen impedimentum manifeflum fiat, vel ipfemet fortè leuitate ductus illud in publico manifeflet, & reclamet contra valorem fuorum votorum, vel Profeflionis, Societas habeat probationem legitimam ad eum conuincendum.

8 Si verò ille, qui impedimentum præcedens Prælato manifefat, fit iam Profeflus, non facile ei credi debet, aut poteft, cum de Profefione conftet, & de impedimento non conftet, nifi ex eius

teftimonio.

teftimonio. Cum ergo Societas non poffit Profeflum expellere, nifi in raro aliquo cafu, præfertim poft decretum Urbani VII. facilius poffet Generalis confentire, vt difpenfatio obtineretur ad eum retinendum, fi talenta haberet bona, & ex corde defideraret in Societate manere. Alioquin fuadendum ei effet, vt ad alium Ordinem religiofum transfiret, data ei ad hoc facultate, quatenus opus effet ab ipfo Generali, qui iuxta Societatis priuilegia eam concedere poteft. Si verò nolit manere Religiofus, fed ad sæculum redire, caufa peragenda, & examinanda erit, prout de iure fimiles caufæ nullitatis Profeflionis examinari folent, & quandiu impedimentum non probatur, præfumptio pro valore Profeflionis præualebit.

9 Reftat vltimum punctum, an poffit Societas punire illum, qui impedimentum irritans celauit, & mala fide in Societate permanfit? Ad quod dixi, me non inuenire fundamentum fufficiens ad afferendum, quòd Societas habeat hanc potestatem, cum iurifdictio coactiua exerceri non poffit in non fubditos: hi autem eiusmodi impedimentis ligati nec funt, nec vnquam fuerunt re ipfâ fubditi Societatis, nec Religiofi, ne quidem Nouitij, fed meri sæculares, quorum delicta non fubduntur Prælati Regularibus. Quare ipfamet Societas videtur agnouiffe hunc iurifdictionis defectum in Congregatione feptima generali decreto 43. in hæc verba. *Ad illud verò quo petebatur, confultum ne cenferet Congregatio à Summo Pontifice petere, vt omnis cognitio indaganda veritatis in celatis in Societatis ingreffu impedimentis, malitia nimirum, an ignorantia id contigiffet, penes folam Societatem refideret, atque punitio etiam illorum, qui studio illa celaffent, pro delicti huius, atque aliorum in Societate commifforum qualitate, ad eandem folam pertineret: cenfuit Congregatio ad tollendas difficultates omnes, quæ à variis moueri poffint, vtrumque à fua Sanctitate petendum.* Cum his tamen fiat, quòd licet non per modum punitiois, per modum tamen debitæ reftitutionis poffit obligari, qui malitiofè tacuit impedimentum irritans, ad refarciendas expenfas, quas Societas interim fecit cum illo in nouitiatu, & in ftudijs litterarum, dum eum quali proprium alumnum aluit, ad quas expenfas refarciendas ipfemet in confcientia tenetur, qui culpabilem caufam damni dedit, atque aded in foro etiam externo ad eam reftitutionem poterit obli-

D Io. Card. de Lugo *Respons. mor.*

gari, fi mala fides probari poffit. Sin minus, oneranda faltem erit eius confcientia, vt fuo debito fatisfacere curet.

10 Solùm poffet obftare, quòd inter cafus referuatos, à quibus in Societate Confefarius ordinarius fine speciali Superioris licentia abfoluere non poteft, vnum eft, *impedimentum excludens à Societate, reticiffe in examine, vel in eo mentitum effe, vnde graue aliquod incommodum oriri poffit*, vt habetur in Congregatione quinta generali decreto 51. Supponitur ergo aliqua iurifdictio in illum, cum referuatio ad iurifdictionem pertineat, nec poffit Prælatus referuare peccata non fubditorum.

11 Ad hoc tamen responderi poffet, in ea referuatione duas effe partes. Altera fpectat ad mendacium, vnde graue incommodum oriri poffit: & in hoc nulla eft difficultas, quia mendacium hoc, celando aliquid, Societati quidem perniciofum, fed non irritans ingreffum, vel vota religiofa, non facit, quòd ille non fit verè Religiofus, & fubditus, & cuius peccata referuari poffint, ficut alia fubditorum peccata. Altera pars eft de reticente impedimentum, & quidem fi impedimentum non erat irritans, fed vnum ex impedimentis fecundariis, quæ non irritant; eadem eft ratio, cum illud etiam peccatum fit Religiofi, & fubditi, cuius aliqua peccata referuari poffunt à Congregatione generali, prout de facto referuata funt. Si verò impedimentum erat ex quinque primariis, & irritantibus ingreffum, non video quomodo poffit cum toto rigore referuari, fed folùm improprie, & fecundum quid, quatenus poteft Societas non dare iurifdictionem Confefariis Societatis ad abfoluendum ab illo peccato. Cum enim Confefarij Societatis habeant in Sacramento Pœnitentiæ iurifdictionem à Summo Pontifice communicatam medijs Prælati Societatis; poterunt Prælati communicare hanc iurifdictionem limitatam, ita vt non communicetur in ordine ad tale peccatum, vt fupponit Caftro Palao tom. 3. tractat. 16. difputat. 1. puncto 10. num. 9. vbi tamen non bene adducitur P. Suarez pro ea fententia, nam in illo loco, nempe tom. 4. de Religione, tractat. 8. lib. 2. cap. 17. num. 13. fatetur quidem, quando omnes Religiofi accipiunt per influxum Generalis iurifdictionem ad audiendas confeffiones, prout in Societate fit, poffe Generalem nolle communicare fuis fubditis facultatem ad audiendas confeffiones

S Nouitio

Nouitiorum, & tunc non posse validè eas audire. Non tamen dicit id, quod Castro Palao dixit, nempe posse Generalem data licentia ad audiendam confessionem Nouitij, limitare illam iurisdictionem quoad peccata, communicando iurisdictionem ad aliqua peccata Nouitij, & non communicando quoad alia. Imò contrarium expressè docuit idem Suarez postea *tractatu 10. lib. 9. cap. 2. num. 6.* vbi fatetur, Generalem posse communicare suis subditis iurisdictionem, quæ ex Bullis Pontificum promanat, cum limitatione quoad personas pœnitentium, v. gr. ad confessiones virorum, & non ad confessiones fœminarum; non tamen posse licitè apponere limitationem quoad peccata pœnitentium, quorum peccata non potest propriè sibi referuare, nisi fortè illa peccata sint iam aliunde referuata Pontifici, prout ibi explicat latius idem Suarez, qui nunquam dixit, posse Generalem Societatis referuare peccata Nouitiorum, nisi impropiè, quatenus potest non communicare suis subditis iurisdictionem ad audiendus eorum confessiones. Quidquid tamen de hoc sit, sufficit ad nostrum propositum quòd alij auctores non apponentes illam distinctionem videantur significare, posse Generalem Societatis Confessariis suis subditis limitare iurisdictionem in ordine ad confessiones audiendas non subditorum vtroque modo, nimirum & quoad personas, & quoad peccata; quorum sententiam fortasse amplexa fuit Societas, quando referuauit peccatum reticentis impedimentum essentialè in examine; si illud etiam peccatum comprehendit in illa referuatione, & non peccata sola reticendi, vel mentiendi circa impedimenta non essentialia, quæ quidem peccata omnino, & præcipuè referuare potuit, vt dixi: illud autem aliud non nisi minus præcipuè & referuatione diminuta auferendo ad summum Confessariis Societatis iurisdictionem ad illam absolutionem; certum enim videtur, quòd habens eiusmodi impedimentum essentialè, manet merus sæcularis, atque ideo nullo modo fit à Prælati Societatis punibilis, etiam propter illud peccatum, cum non sit eorum subditus: quare Societas non potest propria auctoritate illum punire, sed quando legitime constat de impedimento, illum dimittere tanquam qui non fuit vquam Religiosus, & petere, si velit, debitam punitionem illius delicti à iudice competenti. Posset etiam petere apud eundem iudicem restitutionem pro expensis

factis in alimentis talis Religiosi putatiui, si probari possit ipsum mala fide in Societatem ingressum, & in illa perseuerasse, & nisi suis laboribus & ministeriis præstitis ipsi Societati sufficientes compensasset valorem sumptuum, & expensarum. Si autem mala fides probari non possit, relinquendum id erit conscientie propriæ, onerando illam, & proposita ei obligatione quam habet. Rarò tamen ad hoc deueniendum erit; quia vel non fuit mala fides, vel obsequia præstita compensabunt expensas, vel expediet id totum condonare. Id denique præ oculis omnino habendum, vt quandiu de impedimento substantiali præcedenti dubitatur, nullo modo admittatur ad Ordines recipiendos, cum nec Prælati Societatis possint dimissorias ad Ordines concedere, nisi sit verus Religiosus, vt constat.

## D V B I V M X V I I .

*De homicidio quodam casuali facto  
in defensionem, an fuerit im-  
pedimentum ad ingressum  
Societatis.*

**D**Ixi dubio præcedenti in principio, homicidium etiam occultum esse vnum ex quinque impedimentis substantialibus irritantibus ingressum vota, & Professions in Societate. Contigit ergo, vt aliquis post ingressum in Societatem manifestauerit, se cum in sæculo miles esset, rixatum fuisse cum nonnullis commilitonibus, & cum ipse alium ex illis verbis contumeliosis affecisset, impatiens ille iniuriæ scoplettum, quod in manu tenebat, in eum direxit, vt eum occideret: sed præuenit, qui contumeliam intulerat, & suo scopletto inuasorem occidit: dubitatur, an censendus esset impedimento essentiali laborare, ne Societatem ingrederetur, nec deerant viri docti, qui affirmarent admittendum, & in Societate retinendum esse.

Ego tamen consului, nec ad vota, nec ad Professions admittendum. Et quidem fateor, occisionem factam in meram defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, non esse impedimentum essentialè in Societate, quia hoc impedimentum semper designatur nomine *homicidij*, vt ex verbis relatis dubio præcedenti constat.

Quo

Quo quidem nomine non comprehenditur occisio iusta, sed illa solùm, quæ contrahit malitiam grauem contra iustitiam: quare iudex legitime damnans reum ad mortem, non dicitur homicida, nec contrahit irregularitatem homicidij, sed aliam leuiorem, & facilius dispensabilem, quæ appellatur *ex defectu lenitatis*, quæ non affert impedimentum irritans in Societate, vt docent Suarez *tom. 4. de Religione, tractat. 10. lib. 2. cap. 1. numer. 7.* & Castro Palao *tom. 3. tract. 16. disput. 1. puncto 6. §. 1. num. 10.* Difficultas ergo est primò, an omne homicidium, etiam casuale, sit tamen impedimentum irritans. Secundò, an in casu nostro occisio fuerit peccaminosa contra iustitiam, an verò licita ob propriam defensionem.

**3** Et quidem, quoad primum Castro Palao loco proxime citato, tractat eam quæstionem, & docet *numer. 13.* homicidium casuale etiam culpabile non esse impedimentum in Societate. Sed hæc sententia in primis non fauet casui nostro; quia ille Auctor, prout ipsemet explicat, nomine *homicidij casualis* intelligit illud solùm, quod non fuit intentum ab occidente, sed præter eius intentionem, quamuis non sine eius graui culpa sequutum est: quare fatetur incurri impedimentum ad Societatem, quando aliquis in rixa repentina occidit, si reuera tunc habuit voluntatem, & intentionem occidendi, quod sufficit ad casum nostrum; in quo occisor habuit proculdubio voluntatem, & intentionem occidendi. Deinde sententia illa etiam de homicidio casuali culpabili non est vera, vt docet Suarez *dicto cap. 1. numer. 9.* qui bene respondet ad argumenta contraria. Ratio autem est, quòd voluntas directæ, & indirectæ regulariter non refundunt malitiam specie diuersam: quare non minus dicitur reus amissionis Missæ in die festo, quo vult dormire præuidens, quòd se exponit periculo morali non audiendi Missam; sicut etiam, qui bibit cum morali periculo ebrietatis, dicitur propriè peccare peccato ebrietatis illa subsequuta, quamuis non velit directè, vel expressè se inebriare, imò vellet potius bibere, & non inebriari, & sic de aliis. Similiter ergo peccabit peccato homicidij qui vult percutere cum periculo morali occidendi, quamuis non velit directè, & expressè occidere, atque ideo

D. Io. Car. de Lugo Respon. mor.

renebitur sequuta occisione ad restitutionem, sicut tenetur homicida: cum ergo omnis homicida excludatur omnino ab ingressu Societatis, excludetur etiam qui absque voluntate directæ, sed solùm cum indirectæ peccaminosa occidit.

Restat ergo secunda dubij pars, an in casu nostro excusari potuerit ille, de quo agitur, à peccato homicidij ex titulo iustæ defensionis, & inculpatæ tutelæ; quæ est quæstio magis facti, quam iuris. Posset autem in eius fauorem afferri doctrina eorum, qui dicunt, eum, qui contumeliis, vel iniuriis alium prouocauit, si tamen ab ipso ad necem inuadatur, posse licitè se defendere, & inuasorem occidere, vt tradunt Bañes, Molina, Salonius, Nauarra, & alij, quos affert & sequitur Diana *parte 5. tract. 4. de homicidio, resolutione 3.* vnde adulter, qui à marito deprehensus fugere non potest, si aliter non potest mortem vitare, potest maritum interficere, vt tradit idem Diana *ibi*, & alij, quos ego attuli *tom. 1. de Iustitia, disputat. 10. sect. 3. numer. 101.* In casu ergo nostro, quamuis miles occasionem dederit verbis contumeliosis, postea tamen inuasus ius habuit se tuendi & occidendi eum, qui iamiam ad ipsum occidendum paratus erat.

In casu tamen nostro difficilè doctrina illa locum habere potest, quia iuxta narrationem facti priùs aduersarius contumeliis laceffitus scopletti clauem strinxit, vt ignem conciperet, & tunc hic alius strinxit clauem sui scopletti ad eundem effectum: quo quidem tempore inutilis erat illa defensio, per quam istum aduersarij non poterat efugere, sed solùm repercutere; melius ergo erat tunc vel fugere, vel istum declinare, si poterat, præsertim cum licet in aliis casibus miles inuasus non teneatur fugere, sed possit se defendere occidendo, quando aliter non potest ab inuasore eripi: quando tamen ipse iniustam causam inuasionis dedit, debeat fugere, nec possit licitè occidere inuasorem, si detur fugæ locus, quia ipse iniuste inuasorem in eas angustias coniecit; quare debet eam indemnem reddere, vt docent Suarez *disputatione 46. de censuris, sect. 1. numer. 10. & 12.* & alij, quos attuli, & approbaui *dicta disputatione 10. numer. 168.* deinde, & à priori ostendi potest difficultas,

S 2

quia

quia negari non potest, quod occisio in casu nostro fuerit culpabilis in causa, prolatis temerè verbis contumeliosis in militem iracundum, & armatum, in quibus circumstantiis prævideri potuit, & debuit periculum occidendi illum, si vellet se vindicare, prout ferè certò timeri poterat, quod sufficit, ut qui causam culpabilem iniuste dedit, reus sit homicidij postea consequuti; quod bene probat Suarez *ubi supra*, num. 10. & alij, quos affert Diana 4. parte, tract. 2. de irregularitate, resolutione 2. qui dicunt, tunc etiam contrahere irregularitatem. Pro quo notandum est, posse contingere, quod aliquis, quando actu occidit, licitè occidat, quia, v. gr. potest licitè se defendere, vel ob aliam causam; ne tamen illa actio in causa sua habuerit malitiam, & quidem malitiam homicidij. Sic enim, qui se inebriat præuidens periculum occidendi in ebrietate, peccat quidem, & contrahit malitiam homicidij, quando se inebriat, quamvis postea in ebrietate non peccet quando actu occidit, quia iam tunc occisio necessariò consequitur ex causa antea posita. Sic ergo, qui verbis contumeliosis irritat aduersarium iracundum, & armatum præuidens, quod ille irruet ad vindictam, & idcirco necessarium fore illum occidere, potest non peccare tunc, quando postea actu occidit se defendendo: tunc tamen peccauit, quando causam iniuste apposuit, ex qua ad illam necessitatem occidendi redigeretur; & quidem tunc contraxit malitiam non solum contumeliæ, sed etiam homicidij, quia iniuste posuit causam, & necessitatem ad occisionem sequentem. Sicut, qui proiicit Breuiarium in mare, non peccat postea, quando non recitat, si iam recitare non potest: peccauit tamen contra præceptum recitandi, quando Breuiarium proiciens reduxit se ad eiusmodi necessitatem non recitandi. Peccauit ergo in casu nostro contra præceptum non occidendi, qui in iustis contumeliis posuit causam; ex qua præuidebatur postea necessitas occidendi, ut se defenderet à volente vindictam accipere ob illatas contumelias: atque adeò sequito postea effectu, & occisione, etiamsi iam tunc esset actu licita, & necessaria, censetur homicida malitia extrinseca proueniente ex causa culpabili, in qua præcessit malitia homicidij præuisi.

6 Nec mirum videri debet, quod eadem actio in se ipsa sit licita, & honesta; & tamen in sua causa sit vitiosa, atque adeò

ratione suæ causæ afferat aliquam obligationem, vel impedimentum nouum. Ad quod deseruire potest exemplum, quod adduxi tom. 1. de Iustitia, disput. 16. sect. 7. num. 178. & sequentibus, de fure, qui, si non potest aliter succurrere proximo indigenti, nisi ex re, vel pecunia furtiua, quam apud se habet; potest, & aliquando tenetur ex ea subuenire proximo, & contrahit obligationem eam postea dominio restituendi, quia sua iniuria causa fuit, ut res in eo loco, & circumstantiis reperiretur, in quo proximo indigenti dari deberet, quod damnum dominus non sensisset; si furtum non præcederet, ex quo furto obligatio nascitur satisfaciendi domino pro damnis omnibus, quæ domino ea causa proueniunt. Ecce fur licitè, & aliquando ex obligatione dat rem illam indigenti; & tamen contrahit obligationem soluendi pretium domino, eo quod malitia præcedentis causæ inficit extrinsecè totum effectum consequentem.

Hæc ad minus reddunt casum nostrum 7 dubium, in quo dubio consului, non esse admittendum occisorem in Societatem: quia sanctus Ignatius in constit. 1. p. cap. 3. §. 4. in margine littera C. declarat suam mentem his verbis: *Quod ad homicidij impedimentum attinet, nulla, (ut nec in aliis.) declaratio adhibetur. Num autem sit homicidium, nec ne; si dubitaretur, discernant Præpositi generales, nec se faciles in huiusmodi dubiis exhibeant.* in re ergo adeò dubia non oportet Generalem illum ab homicidij impedimento liberum declarare, præsertim cum circumstantiæ tales fuerint, ut vix poterit moraliter ab homicidij culpa excusari.

#### DUBIUM XVIII.

*An Professio non lecta ex scripto, sed memoriter recitata, valida sit.*

Difficultas oritur ex verbis constitutionis Societatis: nam parte 5. cap. 3. §. 2. ubi ponitur ritus emittendi Professionem solemnem, nempe quod celebrante Missam eo, qui Professionem acceperat, post suam communionem, & antequam communionem professuro tribuat, voce alta *votum suum scriptum*, (quod aliquot ante dies considerauerit oportet) *leget, cuius formula hæc est: Ego N. &c. Postea verò in margine*

*gine littera A. S. Ignatius id declarat his verbis: Particularia, quæ hic, & inferius attinguntur, decet quidem, & cum fieri potest, obseruanda sunt: non tamen ut necessaria. Fieri enim posset, ut Sacerdos non esset, vel Missam celebrare non posset; qui ex ordinatione Præpositi Generalis Professionem admittit: illud autem essentialia est, ut publicè votum legatur coram iis de Societate, & externis, qui adfuerint, atque ut tamquam solemnè & emittatur & admittatur.* in quibus verbis videtur inter essentialia numerari, quod Professio legatur. Vnde P. Suarez tom. 3. de Religione, lib. 6. de professione, c. 12. num. 3. dubitauit de valore talis Professionis, quam dicit non carere scrupulo nullitatis, si aliter fiat, quàm in eo loco præscribitur. quod etiam videtur supponere Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 2. puncto 1. num. 1. & 10.

2 Dixi tamen, Professionem illam fuisse validam, quod etiam re magis consideratà videtur tandem concessisse idem Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. de Professione Societatis, cap. 5. num. 10. Postquam enim de substantialibus requisitis ad valorem Professionis egerat num. 1. & sequentibus, incipit tractare à num. 7. de accidentalibus, seu pertinentibus ad quamdam illius actionis solemnitatem, inter quæ num. 10. constituit tertio loco quod Professio ex scripto legatur: & ibi in margine notatur, & dicitur *tertia solemnitatis etiam non de essentia*, quem secundum locum Suarij, Castro Palao *ubi supra*, qui eum pro contraria sententia attulit, videtur vel non vidisse, vel certè non meminisse.

3 Probari autem potest; quia incredibile est, quod si aliquis Sacerdos post vota biennij emissa per 15. vel 20. annos in Societate laudabiliter vixit, & omnino probatus, & approbatus ad Professionem solemnem fuit, & paulò antè cæcus factus fuerit, ea solum de causa inhabilis ad Professionem reddatur, ac debeat per totam vitam sine Professione perseuerare, ideo, quia eam non potest ex scripto legere, quamvis possit æquè bene memoriter, vel alio suggerente recitare. Hoc certè impedimentum, si essentialia esset ad Professionem in Societate, debuisset inter alia impedimenta essentialia numerari, cum certum sit, de iure communi vel in alijs Religionibus id essentialiter non requiri, ut fatentur Suarez, & Castro Palao *locis citatis supra*.

4 Adde, non leuem occasionem dari scitu-  
D. Io. Card. de Lugo Responf. mor.

pulis, si id de substantia esset, ut formidare multi possent de valore suæ Professionis. Quid enim, si dum Professionem legebat, & ad verba substantialia vota exprimentia peruenit, casu oculos aliò conuertit, & tamen verba profectus est, quæ iam antea mente tenebat? Numquid ideo Professio irrita erit, quia oculi-linguam indiuidua, ac perpetua assistentia non sunt comitati: id quidem de sanctissimo, & prudentissimo legislatore præsumi non potest. Debet ergo verbum *legat*, in latiori significatione vsurpari, ut idem sit, ac *recitet*: sicut communiter dicitur Sacerdos legere Missam de feria, vel de tali Sancto, hoc est, recitare: continget enim, Sacerdotem maiori ex parte, vel ferè totam illam Missam mente tenere. Sic etiam Magister dicitur in schola legere, & ideo appellatur Lector, licet doctrinam suam non ex scripto, sed memoriter, vel ex mente auditoribus tradat. Vnde in Dictionario Calepini obseruatur in verbo *lego*, deductum esse à Græco nomine λέγω, quod est *dictio*, & quidem, λέγω, apud Græcos idem est, quod *dico* apud Latinos: quare non improprie legere dicitur, qui formulam recitat, siue ex scripto, siue ex mente. Hunc autem fuisse S. Ignatij sensum, nec voluisse alligare valorem Professionis ad solam recitationem ex scripto oculis tunc perlustrato, constare videtur ex cap. 4. examinis §. 41. in fine, ubi quod in illo alio loco dicitur, *votum legatur*; ibi dicitur, *vota solemniter emittant, utrumque* nimirum pro eodem vsurpando. Quamuis autem legislatur desiderauerit, & nominauerit lectionem ex scripto; ne in re tanti momenti ob memoriæ lapsus erraretur, aliquod omittendo: non est tamen putandum, hanc etiam circumstantiam esse essentialem, quando in æquiuolenti id torum habetur fideli, & integra recitatione posita nam mutatio etiam in forma Sacramentorum non præiudicat valori, si apponuntur verba æquiuolentia, ut constat in consecratione calicis, quæ validè fit; siue dicatur, *hic est sanguis meus*, siue dicatur, *hic est Calix sanguinis mei*, siue dicatur, *hic Calix nouum Testamentum est in meo sanguine, &c.* Quamuis certum sit, Christum vno modo solum verba protulisse, & idem fatendum est de verbis formulæ Professionis à S. Ignatio propositæ: nam, si non eadem, sed æquipollentia proferantur; utique Professio erit valida, ut si non dicat, *Promitto perpetuam paupertatem, &c.* sed dicat, *Votum facio paupertatis, &c.*



hæc enim est regula generalis, ut quæcumque etiam pro forma præscripta sunt, sufficiat in æquipollenti poni. Cùm ergo legere Professionem ex scripto, vel eam fideliter recitare, habendo præsertim scripturam in manibus, omnino æquipolleant, non est, cui ea de causa Professio in dubium reuocetur, quòd Professus non eam legerit ex scripto, sed memoriter recitauit, habendo eandem in manibus scriptam.

## D V B I V M XIX.

*An concedi debeat secundum examen ei, qui in primo non fuit approbatus ad Professionem.*

Qui in Societate admittendus est ad Professionem solemnem quatuor votorum, supponendus est antea examini, in quo quatuor examinatores designati debent cum iuramento testificari, an habeat doctrinam ad eum gradum requisitam, hoc est, quæ sufficiat ad publicè docendam Philosophiam, & Theologiam in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum, ac disputantium concursus. Solent autem aliquando ij, qui in examine minùs apti reperiuntur, petere, ut iterum examinentur, & non, nisi rarò, & ob peculiare circumstantias id exigentes, solet à Generali concedi. quod proculdubio facere ipse potest, ut colligitur ex verbis S. Ignatii in *const. parte 5. cap. 2. §. 2.* ubi post præscriptam formam examinis faciendi, addit hæc verba: *Quòd si doctrina ea præditi esse, quæ satis sit, non inuenientur, conducibilis erit, ut donec eam consequantur, expectent; ut illos etiam expectare oportebit, qui in abnegatione sui ipsorum, & virtutibus Religiosæ dignis, testimonium, quod par esset, nondum omnino haberent.* ubi constat, ficut ad spirituales profectus defectum supplendum tempus prorogari conceditur à Generali, ita concedi ad supplendum defectum doctrinæ. Vnde in ordinationibus Generalium *cap. 18.* quod est de promovendis ad gradus *num. 3. in fine* monentur Provinciales, ut in fine quarti anni Theologiæ singuli examinentur, & statim examinatorum iudicia ad Generalem mittantur. *Hæc enim notitia* (inquit) *plurimum postea auanabit, cum de cuiusque gradu statuerendum erit; & si is, qui examinatur, non plenè satisfecerit, commodius videbit Præpositus Generalis, an ulterius progredien-*

*dum sit in litteris, iuxta eandem constitutionem.* alludit nimirum ad locum constitutionis suprà relatum.

Hinc tamen orta est dubitatio, & quæsitum, cùm constitutio æquè concedat, & statuatur, prorogandum tempus ad profectum in spiritu, vel in doctrina comparandum, qui deesse inuenitur, cur in praxi non ita fiat, sed ad defectum spiritus supplendum, tempus quidem ulterius, & ulterius prorogari solet; ad doctrinam verò supplendam non, nisi rarissimè, prorogentur, aut secundum examen concedatur. Vnde in *septima Congregatione generali, decreto 32.* commendatur Præposito Generali, ut ad secundum examen non admittat, nisi rariùs, & cùm dubium aliquod de aptitudine intercesserit.

Respondi, Generalem quidem æqualem ad vtrumque potestatem habere: de facto tamen non æquè ad vtrumque eam usurpare; sed defectu reperto circa spirituales profectus, differri solere Professionem, & interim admoneri subditus circa defectus in eo animaduertos, ut emendetur, & tempore sequenti morum emendatione satisfaciatur: quando verò defectus circa doctrinam examinatorum iudicio reperitur, iubetur assumere alium gradum inferiorem, nimirum vel Professum trium votorum, vel Coadiutoris formati spiritualis, ad quos gradus sufficit doctrina minor, nec solet, nisi rarissimè, prorogari tempus, vel secundum examen concedi. Rationes autem huius diuersitatis in praxi multæ sunt, quæ illam iustificanti. Prima esse potest, quia faciliùs sperari potest mutatio, & melioratio quoad mores, quàm quoad doctrinam: potest enim subditus de suis moralibus defectibus, quos antea fortasse non cognoscebat, vel non tanti faciebat, admonitus, mores suos corrigere, & breui tempore in melius mutari, cùm id totum ab eius sola voluntate cum Dei gratia, quæ nemini deest, dependeat; & ita experientia comprobatur, intra annum, vel biennium, reddi eiusmodi homines aptos ad Professionem: quoad doctrinam verò, non, nisi rarò, sperari potest eiusmodi mutatio in melius, sed communiter timeri potest in peius; solent enim examinari in fine quarti anni cursus theologiæ, postquam septennium Philosophiæ, & Theologiæ studiis, ac frequentibus disputationibus attenderunt, arque aded magis promptas habent scholasticas species, quæ tempore subsequenti, succeden-

## D V B I V M XX.

*Quid dicendum de suffragio examinatoris dicentis illum vix, aut agrè posse docere.*

Suppono ex dubio præcedenti, ante Professionem quatuor votorum in Societate debere præcedere examen circa doctrinam professuri, & quatuor examinatores debere sub iuramento secreti, & veritatis dicendæ, testificari, an sit aptus ad docendam Philosophiam, & Theologiam cum satisfactione. Poterat autem Generalis ante octauam Congregationem Generalem, stante approbatione duorum examinatorum, admittere ad Professionem: quid verò mutatum sit per octauam Congregationem, postea dicemus. Hoc supposito, quæsitum fuit, quid sentiendum, aut quomodo interpretanda essent suffragia aliquorum examinatorum, quæ ad Generalem mittebantur, sub his verbis, *Iuro, & testor, Patrem N. agrè posse docere Philosophiam, & Theologiam, vel vix posse, vel utcumque posse; an hæc suffragia sint pro examinato, vel contra ipsum, vel dubia.*

Dixi, primò reprehendendum examinatore, quia in suo suffragio non obseruat verba formulæ transmissæ ad Provincias mense Julio anno 1623, ut sine vlla perplexitate responderent, & cogendum, ut iuxta eam formulam respondeat, an possit cum satisfactione docere.

Dixi secundò, si examinatus dixisset, *posse, agrè, vix, utcumque cum satisfactione docere; suffragium video esse pro examinato, & in eius approbationem, quia hæc omnes dictiones non negant potentiam, sed determinant infimum gradum, & minimum potentia; sic enim dicitur, *in ista vix saluabitur; & solemus dicere, hæc opinio est utcumque probabilis; per quæ verba admittimus illam intra terminos probabilitatis. nam, ut Grammatici obseruant, vix idem est, ac cum difficultate, & labore; qui ergo vix potest, potest quidem, sed cum labore & difficultate. Sic etiam utcumque idem est, ac quocumque modo. Si ergo aliquo modo potest cum satisfactione docere, iam simpliciter, & absolute potest. Denique idem est de adverbio agrè, quod nihil aliqd denotat, quàm difficultatem magnam. Sic Cæsar in *Bell. Gall. agrèrimè confecerant, ut flumen transirent.* Transferant tamen, sed cum magna difficultate. Hæc**

succedentibus aliis occupationibus, & ministeriis, ac cessantibus scholasticis exercitiis, mirum est quantum emoriantur, vel consopiantur. Prudenter ergo iudicatur, eum, qui in ipso adhuc scholastico pulvere inuenitur minùs aptus ad scholasticam palæstram, non eo pollere ingenio, ut aptus postea sit futurus ad eas facultates publicè in solempni Gymnasio cum satisfactione tradendas: ided iudicium de eo statim absque alia prorogatione ferri solet; quia tamen à fine studiorum, & facto examine solet communiter quadriennium ad minùs transire, antequam sit tempus emitendi Professionem, vel suscipiendi alium gradum inferiorem; si tempore illo appareret doctrina talis, qualis antea non apparebat, (quæ certè tanto tempore occultari non potest, si reuera sit,) Generalis concedet, ut repetito examine iterum iudicium fiat; quæ tamen mutatio, quia rarissimè accidit, ided rarissimè secundum examen conceditur.

Secunda ratio eiusdem diuersitatis in praxi esse potest, quia quando defectus quoad mores apparet prorogatio temporis, videtur esse, quasi ex ipsa rei natura necessaria, quæ necessitas non est, quando defectus est ex parte doctrinæ: tunc enim potest assignari ei alius gradus inferior, ad quem tanta doctrina necessaria non sit; & fieri potest vel Professus trium votorum, vel Coadiutor spiritualis, ut iam non sit ampliùs in probatione, sicut sunt alij omnes, qui Professus, vel Coadiutores formati non sunt. Si verò defectus sit in moribus, debet necessariò, (si manet in Societate, & defectus tales non sint, ut iudicetur ob eos à Societate dimittendus,) debet, inquam, manere adhuc in probatione. Neque enim cum iis defectibus moralibus debet fieri Professus trium votorum, vel Coadiutor formatus, donec debita emendatione satisfaciatur. Necessè ergo omnino est, quod tempus prorogetur ad correctionem experiendam, cùm non possit, durante eo defectu, in vilo alio gradu inferiori incorporari, sicut potest cum solo defectu doctrinæ. Non est ergo mirum, si Generalis, (ad quem solum prærogationis concessio spectat, ut constat ex *dicto cap. 18. ordinariòrum*,) frequenter præroget tempus, ut postea de moribus iudicium non moueatur; non verò, nisi rarissimè, id proroget ad nouum iudicium. Insuper etiam circa doctrinam, si ob non satis faciendam, vel ob alios causas, quæ præterea manent, super utilitate iudicium

ergo omnia non negant potentiam docendi cum satisfactione, sed significant difficultatem, & debilitatem potentiae.

4. Dixi tertio, si examinatoris iudicium non potest iterum exquiri, ut vel sensum sui suffragij explicet, vel absolute, & clare sententiam proferat, posset quidem P. Generalis prudenter tanquam reprobatum iudicare eum, de quo agitur. Si enim ex quatuor examinatorebus duo clare illum reprobant, unus vero, vel alij duo non sine obscuritate, & ambiguitate approbant, plus habet intentio, (ut ita dicam,) de reprobatione, quam de approbatione, cum, si non à pluribus, plus tamen à duobus reproberetur, quam approberetur ab aliis duobus. nulla ergo ei fit iniuria, si magis iudicetur reprobatus, quam approbatus.

5. Dixi quarto, si non potest examinator consuli, ut sese explicet, vel clarius loquatur, probabile videtur, quod loquendo de iure antiquo, posset P. Generalis ad Professionem illum, de quo agitur, promovere: maxime si habeat talenta ad gubernandum, vel concionandum, quamvis non eximia in eo gradu, quo à Congregatione 7. decreto 3. exiguntur. Ratio est, quia, qui simpliciter, & absolute docere potest, censetur posse cum satisfactione docere: qui enim non potest id cum satisfactione prestare, non dicitur simpliciter, & absolute posse cum hac satisfactione, & cum vituperio omnes possunt docere. Quamvis ergo examinator non explicuerit, quod posset cum satisfactione docere, prout explicare debuisset, iuxta formulam: dicendum tamen, posse agere, vix, vel utcumque docere, sensus videtur esse, quod posset agere, vix, vel utcumque cum satisfactione docere: de hac enim potentia agebatur, & interrogabatur, & in eodem sensu respondere praesumitur. Confirmarique potest, quia certum est, examinatorem vidisse, & considerasse decretum illud septimae Congregationis, in quo iudicium examinatoris inquiri praecipitur: et ca hoc solum punctum, an possit cum satisfactione docere: quare, dum in executionem illius decernit respondere, & dicit, posse agere, vel utcumque docere, praesumitur respondere in sensu illius decreti, de potentia scilicet docendi cum satisfactione. Alioquin omnino extra propositum, & ad petita respondisset.

6. Dixi tamen, id de iure antiquo fieri potuisse: postea enim nouissime aliqua mutata video in hac vltima & octava Congregatione generali decreto 37. ubi inter

alia aufertur arbitrium, in paritate votorum, & ut approbatus censeatur, exigitur quoddam ex quatuor examinatorebus tres saltem per suffragia clara, & minime dubia eum approbauerint. Quare, si hoc tempore casus noster contingeret, proculdubio ille omnino reprobatus censeatur, nec posset ad Professionem quatuor votorum promoueri, nisi eximia & praecleara talenta haberet ad gubernandum, vel concionandum arbitrio Generalis, cum supponatur habuisse duo suffragia contraria, & ex approbantibus vnum non fuisse omnino clarum, sed cum aliqua obscuritate, & formidine.

#### D V B I V M X X I.

*An sit valida Professio in Societate facta ante solitam aetatem, et iura antiquitatis debeantur à die Professionis computari, an vero à die aetatis completae.*

Suppono, non solere aliquem, nisi raro, Sex dispensatione Generalis ob specialissimas causas, admitti ad Professionem quatuor votorum, nisi post 33. aetatis annum completum: quamvis enim S. Ignatius solum exigat 25. annum completum, & ex causa velit Generalem posse dispensare in huius aetatis defectu, ut constat ex 1. parte constit. cap. 2. §. 12. & cap. 3. §. 15. in margine littera K. Praxis tamen à multis annis est, ut non, nisi post 33. annum completum, ad eam Professionem admittantur, quam praxim P. Claudius Generalis, & eius successor P. Mutius obseruarunt, nisi cum speciales circumstantiae id tempus anteueri in aliquo raro casu suaderent.

Contigit ergo, aliquem ex errore ante eam aetatem ad Professionem quatuor votorum promoueri, existimante P. Mutio Generali, illum iam aetatis annum excessisse, siue quia professurus de hoc non interrogatus tacuit, siue quia interrogatus tergiversatione defectum dissimulauit. Re itaque postea cognita, dubitatum fuit primo, an Professio fuisset valida. Secundo, an deberentur ei iura antiquitatis Professorum à die factae Professionis, an solum à die debitae aetatis completae.

Ad primum dixi, Professiones proculdubio fuisse validas. Primo, quia non defuit consensus requisitus tam ex parte profitentis,

fitentis, quam ex parte acceptantis Professionem: error autem, quem Generalis habuit circa aetatem, non irritat Professionem, quia nec fuit error circa personam, nec circa substantiam, sed circa quoddam accidens extrinsecum, quod scilicet nec in matrimonio, ita nec in Professione religiosa irritat valorem actus: aequiparantur enim quoad hoc matrimonium, & Professio, ut late probat Thomas Sanchez lib. 10. de matrimonio disp. 9. num. 20. & multis relatis idem de omnibus impedimentis non irritantibus etiam per dolum negatis, idem probat lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 57.

4. Secundo hoc ipsum probatur, quia multo magis requiritur aetas 25. annorum ad Sacerdotium, quam aetas 33. annorum ad Professionem in Societate, cum illa requiratur à Concilio Tridentino, haec vero solum sit ex voluntate Generalis, qui, quamuis id faciat sine aliqua lege vniuersali, non tamen solet ante illam aetatem ad Professionem admittere: & tamen, quamuis ordinandus Episcopum decipiat, & fingat, se habere aetatem, quam non habet, Ordo valide suscipitur. Atque idem est, quamuis aliquis fingat, se iam esse Diaconum, cum non sit, & Episcopus deceptus conferat Sacerdotium, quod quidem valide accipitur: ergo à fortiori valebit Professio, etiam si detur ex errore, quo Professus mentitus est circa aetatem, quam nondum habebat.

5. Tertio probatur, quia magis necessario requiritur in Societate puritas sanguinis non infecti, quam aetas 33. annorum ad Professionem, ut constat ex quinta Congregatione generali decreto 52. & tamen, si aliquis etiam dolum cum ea macula Societatem ingrediatur, quamvis quocumque tempore ante Professionem solemnem defectus detegitur, dimittendus sit; si tamen detegatur post Professionem, dimitti non potest, ut constat ex verbis eiusdem decreti: quia nimirum supponitur adhuc valide Professus: à fortiori ergo idem dicendum est de decipiente circa aetatem ad Professionem, quae nulla Societatis lege praescribitur, nisi 25. annorum, & haec dispensabilis à Generali, cum tamen defectus puritatis sanguinis sit omnino indispensable à Generali, ut habetur dicto decreto 52. & iterum decreto 53.

6. Vltimo probari hoc ipsum potest, quia ille, qui in examine tacet, vel negat impedimentum aliquod excludens à Societate: quod tamen non sit ex illis quinque, quae sunt essentialia, & irritant Professio-

nem, posset quidem postea à Societate expelli, dummodo Professionem non emisisset; secus post emissam Professionem, ut docet idem Sanchez dicto cap. 4. ubi supra; Professionis ergo valor non dependet à carentia impedimenti cuiuslibet, nisi sit ex illis quinque determinatis. Hoc autem, quod circa valorem illius Professionis anno 1641. responderam, approbauit postea Congregatio octava generalis decreto 36. anno 1646. declarans, ex eo defectu Professionem non reddi irritam, quamuis usum non admittendi ante eam aetatem ad Professionem laudauerit, & P. Generali in futurum commendauerit.

Ad secundum dubium de antiquitate illius Professi, à quo tempore computanda esset, dixi, computandam à die factae Professionis: quod videtur tacite approbasse dicta Congregatio generalis octava, quae dum validam esse Professionem decernit, & nihil addit de suspendendo initio antiquitatis ad diem aetatis impletae; eo ipso tacite vult, non aliter ac ceteros Professos, censendum esse, quam doctrinam in simili tradit Thomas Sanchez lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 16. ubi dicit, Monachalem, quae ante finem nouitatus in articulo mortis Professionem facit, iuxta priuilegium à Pio V. concessum, ita esse reputandam vere Professam, ut si ante finem anni nouitatus moriatur, non succedant ei venientes ab intestato, sed Monasterium, sicut omnibus aliis Professis; quia, quamuis per accidens ante tempus debitum profectatur, verè tamen Professa manet, nec indiget, si conualuerit, alia Professione, sed fruitur omnibus Professionis priuilegiis: Gaudebit ergo iure antiquitatis à die factae Professionis, & non à fine anni nouitatus, atque adeo, (quidquid sit de veritate illius exempli, quod sacra Congregatio Concilij non recipit,) in casu tamen nostro, in quo vera solemnis Professio emissa est, debet computari antiquitas à die factae professionis, cum sit verè, & valide Professus, & per consequens frui debeat omnibus iuribus, quae Professionem consequuntur. Nec enim constitutiones vocantes Professos Societatis ad Congregationes, & habilitantes eos ad aliqua munera, ad quae non Professi habiles non sunt, quidquam aliud requirunt, nisi quod sint Professi, vel quod à longiori tempore Professi sint, quod totum in casu nostro verificatur.

Confirmarique potest, quia, si forte per errorem substantialem in Professione commi-

commissum, vel propter dolum, aut malitiam illius, qui Professionem acceptaturus erat, Professio fieret ab aliquo inualidè eo tempore, quo de iure debebat fieri, vel dilata fuisset per fraudem ad alium diem, vel mensem; antiquitas Professionis non curreret à die, quo inualidè facta fuit, vel à die, qua fieri debebat, sed à die, qua postea de facto validè facta fuit; antea enim non erat verè Professus: quare non potest esse Professus senior aliis, qui iam tunc erant verè Professi; cum ergo contrariorum eadem sit ratio, dicendum erit, antiquitatem currere à die Professionis factæ, quamvis ante tempus debitum per errorem, vel malitiam anticipata fuerit: quia iam tunc est verè Professus, quâdo alij Professi adhuc non sunt, atque idè præcedit Professio eius tempore Professiones aliorum, quod est esse antiquiorè Professione.

9 Obiicit aliquis, eo saltem casu, quo Professus dolosè Superiores decipit, fingens ætatem 33. annorum, quam non habebat, debere ex iustitia priuare se ipsum iure antiquitatis; qui enim per vim, vel dolum aliis præiudicat, debet ex iustitia reddere eos indemnes, & resarcire damna, quæ iis iniuste intulit: hic autem dolo suo præiudicium intulit aliis, qui ætatem habentes debuissent ante illum profiteri; debet ergo, ex iustitia renuntiare, & cedere in eorum fauorem iure suæ antiquitatis, vt eos reddat indemnes à damno, quod ipsius culpa patientur.

10 Respondetur tamen, ipsum nec debere, nec posse renuntiare, aut cedere iure antiquitatis, & functionibus, quæ ipsam iuxta constitutionem consequi debent; ea enim non sunt concessa personæ, sed statui, cui persona priuata præiudicare non potest. Quando enim constitutio præcipit, v. g. vt antiquiores Professi ad Congregationes Prouinciales veniant, & suffragium habeant; huic iuri non potest Professus particularis renuntiare, quia non est datum in fauorem Professi, sed in fauorem Societatis. Atque ita definitum fuit in sexta Congregatione generali decreto 35. num. 2. his verbis: *Professos omnes quatuor votorum adesse Congregationi oportere, qui iuxta Canones conuenire debent propter Societatis bonum; quare non est hoc libera illorum voluntati relinquendum, cum Societatis intersit, atque expediat illos adesse. Potest enim quisque iuri suo cedere, si venire nolit; at non iuri Societatis, quæ illius opera indiget in Congregatione.* quod idem est de aliis functionibus, quæ antiquioribus Pro-

fessis in Societate destinantur, quibus Professus Societatis renuntiare non potest, quidquid sit in aliis Religionibus.

#### D V B I V M XXII.

*Quæ verba sufficiant ad peccatum reseruatam contra votum obedientiæ: & quid, quando non dicuntur ipsi Superiori immediate, sed per alium.*

SUPpono, inter peccata reseruata in Societate vnum esse inobedientiam expressam, qua quis asserit, se nolle parere, vt habetur in Congregatione quinta generali decreto 51. Postea verò in Congregatione generali 7. decreto 45. declaratum est, esse reseruatam, si quis fratrum diceret Ministro aliquid iubenti, licet non præcepto, *nolo facere*; quod quidem iam antea declarauerat P. Claudius Generalis: quomodo autem illud sit peccatum mortale inobedientiæ, præsertim cum Minister nec præcipiat, nec præcipere possit in virtute sanctæ Obedientiæ, explicui latius in *tomo de Pœnitentia disp. 20. sect. 4. à num. 48.*

Hoc supposito dubitatum fuit. Primò, quid sentiendum de aliis verborum formulis, vt cum Prælato aliquid iubenti subditus aliis verbis respondet, v. gr. dicendo: *che m'ha da commandare V. R. item: che ho io da fare con V. R. item; che mi curo io di V. R. item, Non la riconosco in questo per mio Superiore. item: Ho altro da fare adesso. item, lauada à commandare ad altri. item: la mi lasci in pace.* Quid, inquam, sentiendum de subdito his, & similibus verbis respondente, quando cum contemptu dicuntur, & voluntatem non parendi significant. Secundò dubitatum est, quid dicendum, quando Superior per internuntium aliquid subdito iubet, & subditus internuntio responderet, *nolo facere.* An in his casibus censeatur admissum peccatum cum reseruatione, an verò sine illa.

Ad primum dubium dixi, casum reseruatam inobedientiæ in Societate esse, quando subditus dicit, se nolle parere, & quidem, meo iudicio, idem erit, si dicat, se nolle facere quod iubetur; quia nolle id facere, est omninò nolle parere, cum parere nihil aliud sit, quàm exsequi quod iubetur; verba itaque, & formulæ respondendi suprâ relatæ, tunc erunt peccata reseruata, quando in his circumstantiis significant

sufficienter voluntatem non parendi. Quòd enim id dicatur his, vel illis verbis, parum refert, si reuerà idem significetur, vt videtur in quæsito supponi. Secus verò dicendum erit, quando in his circumstantiis eam voluntatem non omninò significant; prout reuerà aliquando non significant, sed solam repugnantiam, & tergiuersationem. Nam qui dicit, *Ho altro di fare adesso*, magis videtur significare impotentiam, ob quam se excusat: & quamvis hæc friuola excusatio impotentiae aliquando coram Deo æstimetur voluntas non obediendi; sed tamen coram hominibus non est idem dicere, *non possum*, ac dicere, *nolo*: nec æquè grauius contemnitur Prælatus ab excusante se ob impotentiam, ac à resistente, & proteruè nolente. Idem est de illis verbis: *vadat, & iubeat alijs*, vel de illis: *relinquat me in pace*; possunt enim significare solam petitionem, qua videtur subditus conscius suæ debilitatis velle præuenire, vt Prælatus non pergat, & vrgeat exponens eum periculo prorumpendi in verba inobedientiæ. Item verba illa, *Non la riconosco in questo per mio Superiore*: possunt significare dubium de potestate Superioris ad præcipiendum saltem in tali materia. quod dubium aliquando potest fundamentum habere: & quamvis fundamentum non sit solidum, sed prætextus fortasse; ipsa tamen verba de se non videntur exprimere semper voluntatem non parendi in sensu composito, vt ita dicam, sed in sensu diuiso, quatenus non interuenit iussio Superioris legitimi, atque adèd non important semper eundem contemptum obedientiæ, quæ important illa verba, *nolo parere*, quæ idèd reseruata fuerunt ob specialem grauitatem contemptus magis expressi. Totum ergo hoc pendet ex circumstantiis, ex quarum consideratione colligi potest, an hic, & nunc verba illa æquiualeant illis, *nolo parere*, quoad significandam voluntatem non parendi.

4 Ad secundum quæsitum de illo, qui internuntio à Superiore misso responderet, *nolo facere*, an incurrat casum reseruatam? respondi, distinguendum esse. Nam potest id respondere subditus internuntio vt internuntio, hoc est, respondendo eius intimationi: & tunc credo, regulariter esse peccatum reseruatam; quia perinde est, ac si ipsi Superiori id diceret: nam sicut Superior non immediatè ei loquitur, sed mediatè per alium, & tamen propriè dicitur iubere; qui enim mediatè, & per alium

tibi loquitur, & mandat, propriè tibi loquitur, & mandat: ita respondens subditus internuntio, responderet, & loquitur mediatè, & per alium Superiori, atque idèd propriè loquitur, & responderet Superiori, & ei dicit, se nolle parere. Dixi tamen, *regulariter* esse reseruatam, quia aliquando potest ea de causa non contrahi culpa mortalis, & consequenter nulla reseruatio. Suppono enim, Superiorem non præcipere in virtute sanctæ Obedientiæ, sed per simplicem ordinationem: quo casu omittere ipsam rem præceptam non esset peccatum mortale; dicere tamen, se nolle parere, est peccatum mortale, propter contemptum, & irreuerentiam grauem, quam verba illa continent contra obedientiam, & contra personam Superioris, vt Superior est, vt latius ex Patribus, & Doctoribus probavi loco citato de pœnitentia. Potest ergo contingere, vt hæc irreuerentia grauis, & contemptus desit magna ex parte, ex eo quòd subditus non coram ipso Superiore, sed in eius absentia ea verba proferat, quæ ipso præsentem proferre non audeat, quia tunc longè maior audacia, & imprudentia appareret, & grauiorem indignationis causam Superiori præberet. Væ enim Superioribus, & subditis, si illi audirent omnia, quæ hi contra ipsos absentes dicere audent. Possent ergo aliquando ex hoc capite adèd minui irreuerentia, & contemptus, vt non attingeret culpam mortalem, ac per consequens non esset peccatum reseruatam.

Quando verò verba illa à subdito dicerentur internuntio, non vt internuntio, nec vt mandato respondeat, sed vt amico, cui subditus manifestat, se nolle exsequi quod Superior sine præcepto obedientiæ iniungit, non video, vnde sit peccatum reseruatam. Potest enim subditus sine peccato graui rem illam non facere, cum absque villo præcepto obedientiæ imponatur. Potest etiam hunc suum animum amico manifestare, & id passim fit absque villo scrupulo peccati mortalis. Sicut etiam aliquis potest amico dicere se nolle abstinere à carnibus in die ieiunij, neque ea de causa incurrit nouum peccatum mortale secluso scandalo, & occasione peccandi, quam amico aliquando dabit. Facilius ergo poterit subditus amico dicere se non facturum quod Superior absque præcepto graui iubet. Quòd si hoc potest alteri amico dicere, cur non & ipsi internuntio, non vt internuntio, & vt responsum deferat, sed vt amico priuato, cui suum animum no-



tum faciat? Fateor tamen, frequentius, & communiter verba illa cenferi dicta internuntio vt internuntio, & quasi respondendo mandato ex parte Superioris intimato, atque adeò communiter continebunt malitiam grauem inobedientiae referuatæ, nisi cesset malitia grauis ex eo quod in absentia Superioris proferantur, vt paulò antè explicatum est.

## D V B I V M XXIII.

*An possit Generalis Societatis dimittere aliquem sub conditione reuincidendi in obligationem votorum, si ad talem locum redierit.*

**S**ermo est de non Professo, sed ligato votis emissis in fine nouitiatus, quem post aliquot annos Generalis è Societate dimittit ob delicta, vel culpas aliquas; quia tamen expediebat, ne vnquam ad locum delicti rediret cum scandalo, sed potius in longinqua prouincia degeret, dubitatum fuit, an possit sub ea conditione expressè dimitti, vt nunquam ad talem locum redeat, alioquin eo ipso cenferetur votis suis non solutus, sed ligatus, sicut antequam dimitteretur. Non tamen quærebatur, an posset Generalis ante dimissionem iudicialiter, & formato legitimo processu procedere ad sententiam, qua propter delicta eum condemnaret ad exilium perpetuum ab eo loco: quæ sententia non solum illum obligaret ante dimissionem à Societate, (de quo dubitari non potest, cum maneat subditus ipsius Generalis,) sed etiam videretur post dimissionem manere ligatus eadem sententiâ, cum fuisset prolata à legitimo iudice; sicut si fuisset ab eodem Generali excommunicatus ante dimissionem, & postea dimitteretur è Societate; adhuc maneret excommunicatus. Ad quod facere potest id, quod in casu difficili docet Bonacina, quem affert, & sequitur Diana *part. 3. tract. 1. resolut. 34.* nempe, postquam Nouitius egressus est è Religione, & rediit ad sæculum, posse puniri iudicialiter à Prælato Regulari ob delicta commissa, quando erat adhuc Nouitius, etiam si ante egressum è Religione non fuisset accusatus, aut denunciatus de illis delictis. quod etiam docet Lezana *tom. 3. verb. Clericus, num. 22. & tom. 4. verb. Prælatus Regularis, num. 9.* qui alios affe-

runt. A fortiori ergo poterit Prælatus sua sententia ligare Nouitium, antequam è nouitiatu egrediatur, cum tunc sit eius legitimus iudex: & idem à fortiori dicendum erit de Religioso Societatis non Professo, qui tamen iam est verus Religiosus, & ligatus votis substantialibus religiosis: hunc enim Generalis Societatis ante dimissionem poterit tanquam eius legitimus iudex qualibet sententia ob delicta in Societate commissa punire, & sicut posset ad triremes, sic etiam ad exilium perpetuum condemnare illum poterit.

Dubium itaque non procedebat in hoc sensu: sed an in ipsamet dimissione è Societate posset Generalis imponere, ne ad talem locum vnquam redeat; alioquin illo redeunte, dimissionis valor cesset, & votorum obligatio reuiuifcat. Ad quod respondi breuiter, id nullo modo fieri posse: non possunt enim vota religiosa quoad suum valorem manere in suspenso dependenter à futura conditione. Nam, quamuis posset aliquis emittre Professionem sub conditione de futuro, ita vt adueniente conditione, incipiat valere Professio, quæ ante aduentum conditionis nondum erat valida, imò poterat reuocari consensus, itaut, quamuis postea poneretur conditio, Professio non subsisteret, vt latius probaui *tom. 2. de Iustitia, & iure, disp. 22. sect. 14. num. 388. & disp. 13. de Pœnitentia, sect. 5.* non tamen posset hoc dependere à sola voluntate alterius, prout dependeret in casu nostro à sola voluntate Prælati. Ratio autem est clara: quia illo tempore intermedio, antequam dimissus redeat ad locum prohibitum, vel ille est adhuc Religiosus, vel est sæcularis. Si est sæcularis, non potest iterum fieri de nouo Religiosus, sine eius consensu, quem etiam si antea præstitisset sub conditione; potest tamen semper validè consensum reuocare, quo ante impletam conditionem reuocato, non potest fieri validè de nouo Religiosus. Adde, quòd, si rediens ad locum prohibitum fieret de nouo Religiosus, fieret quidem Nouitius: neque enim potest sæcularis transire à statu sæculari ad statum religiosum, nisi per nouitium, & quidem in Societate deberet manere Nouitius per integrum biennium, quo probaretur à Religione, & ipse etiam Religionem probaret; nec potest Generalis in hoc biennio dispensare, nec ipse Nouitius potest cedere huic iuri, & tempori probationis. Denique, si illo tempore intermedio, antequam redeat ad locum prohibitum,

non

non est Religiosus, poterit validè ducere uxorem, si non habeat Ordinem sacrum, arque adeò, etiam si redeat ad locum prohibitum, non fiet Religiosus, cum hoc sit impedimentum irritans in Societate; sicut, si eo tēpore etiam intermedio homicidium perpetrasset. Si verò dicas, ipsum manere adhuc Religiosum toto illo tempore intermedio; falsò ergo supponitur dimissus è Societate, manet enim propriè Religiosus Societatis, & subditus eius Prælatis, sicut antea, & ita manebit vsque ad mortē, cum non possit ante mortem verificari, quòd nunquam ad locum prohibitum redierit. Repugnat ergo omninò, quòd verè dimittatur è Societate, & tamen reuincidat in vota, & in statum religiosum, si vnquam postea rediret ad locum sibi prohibitum.

**3** Dices, posse statū manere in suspenso aliquo modo toto illo tempore, itaut, si dimissus nunquam rediturus sit ad eum locum, verè fuerit ab initio dimissus, & sæcularis; si verò rediturus sit aliquando, nunquam fuerit ab initio dimissus, & liber à votis, sed semper manserit Religiosus. Hoc tamen intelligi non potest, quia, quāuis in vltimis voluntatibus introducta fuerit Mutiana cautio, vt si legantur centum, v.g. Titio sub conditione negatiua, quæ ante mortem impleri non potest, vt puta, si nunquam ascenderit Capitolium; tunc, inquam, dētur statim centū, præstita cautione, vt si vnquam Capitolium ascendat, restituantur hæredi: id tamen ad contractus inter viuos non extenditur, sed expectanda est mors, vt tunc, si nunquam ascendit, soluantur 100. sub ea conditione promissa, vt dixi *tom. 2. de Iust. disp. 22. sect. 13. n. 375.* Quare in casu nostro, si iuxta regulas aliorum contractuum inter viuos conditio esset interpretanda, sensus esset, vt si vsque ad mortem abstinisset à reditu in locum prohibitum, tunc, & non antea, à votis absolutus cenferetur: quod ridiculum esset, cum iam votorum solutione non indigeret, quæ mors ipsa omnino solueret; durante autem vita, votis semper ligatus mansisset, pendente adhuc conditione, sub qua à votis soluebatur. Si verò velis, quod in hoc casu obseruanda sit regula vltimarum voluntatum, tunc manere deberet ex nunc votis solutus, præstita cautione, vt si conditionem vnquam violaret, in votorum obligationem reuinceret: quod tamen probaui fieri non posse, quia semel factus sæcularis, non potest iterum fieri Religiosus sine noua admissione, & probatione per biennij nouitium in Societate præscriptum, & quia posset me-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

dio illo tempore matrimonium contrahere, vel aliud impedimentum incurrere, quo inhabilis redderetur ad votorum obligationem validè contrahendam.

## D V B I V M XXIV.

*De formula Congregationis Prouincialis non obseruata, an reddiderit inuvalidam electionem subsequutam.*

**S**uppono, in singulis Societatis Prouincialis intra Europam cogendam esse singulis trienniis Congregationem Prouincialē, ad quam vocandi sunt Præpositi omnes, & Rectores locales, & insuper Professi quatuor votorum antiquiores vsque ad numerum 40. ex omnibus congregatis complendum. Si qui autem ex iis, qui vocandi sunt, essent impediti, debet Prouincialis ante tempus Congregationis decernere de impedimentis, an sit legitima, ad quod decretum vocari debent Consultores Prouincialis, & alij omnes, qui suffragium in eadem Congregatione habituri sunt, & præfentes fuerint tunc in eo loco; quorum omnium suffragiis de impedimentis allegatis decernitur pro maiori parte suffragiorū, an sint acceptanda, vel reiicienda, vt habetur in formula Cōgregationis Prouincialis approbata à Congregatione quarta generali, vbi *c. 3. n. 7.* hæc omnia expressè traduntur.

Contigit ergo, vt Prouincialis ante diē, & tempus Cōgregationis Prouincialis decernere volens de impedimentis adductis ab aliquibus, qui se excusabant, vocaret solos suos Cōsultores ordinarios, & non alios omnes præfentes, qui ius suffragij in futura Congregatione habituri erant, sine quorū, & cum solis Consultorum suffragiis impedimenta aliquorum acceptata sunt vt legitima. Postea verò subsequuta fuit suo tempore Congregatio Prouincialis, & celebrata more solito electio vnus Procuratoris, qui nomine Prouinciæ Romam mittitur ad informandum Generalem de rebus suæ Prouinciæ, & ad decernendum cum aliis Procuratoribus aliarum Prouinciarum, an conuocada sit Congregatio generalis. Nec enim in Cōgregatione Prouinciali eligitur Prælatus vllus, nec leges vllæ statuuntur, sed solū eligitur Procurator ad prædictum finem. Dubitatum ergo fuit de valore electionis, & Congregationis Prouincialis ob absentias eorum, qui suffragium aliunde in ea habebant, & quorum excusationes acceptatæ fuerant prius à Prouinciali, & eius

T

Consul

Consultoribus, non vocatis aliis, qui interesse debuerant ad iudicium ferendum de impedimentis, an essent legitima.

3 Respondi, electionem subsequentem, & Congregationem Prouincialem validam fuisse, non obstante defectu illo præcedenti. Primò, quia Congregatio Prouincialis, vbi primum congregatur, in prima sessione supplere solet omnes defectus præcedentes, & habet auctoritatem eos supplendi, si congregati excedat duas tertias partes congregandorum, vt constat ex formula Congregationis Prouincialis cap. 4. §. 17. Quod multò magis procedere videtur de defectu inculpabiliter commisso, qualis proculdubio fuit hic defectus, qui ortum fortasse habuit ex errore Typographi in editione Romana anni 1616. vbi in formula Congregationis Prouincialis d. c. 3. §. 10. habetur: *de quorum impedimentis ante Congregationem, quo ei loco, & tempore opportunius videbitur, iudicabit ad plura suffragia Prouincialis cum suis Consultoribus, qui in Congregatione ius suffragij habent; cum legi debuisset: cum suis Consultoribus, qui adierunt, & ceteris omnibus presentibus, qui in Congregatione ius suffragij habent; sic enim habetur in Congregatione quarta Generali, ex qua formula illa defumpra est. Quare non mirum, si Prouincialis deceptus fuit, qui formulam Romæ typis editam legit, & sequutus fuit. Hoc autem multò clariùs remanet, si Prouincialis ( prout verisimile est fecisse, ) in prima sessione retulit Congregationi non solum impedimenta absentium, sed etiam quomodo Consultores de illis iudicauerint; iam enim tunc Congregatio ignorare non posset, Consultores solos vocatos fuisse ad iudicium illud, atque ad eam Congregatio approbat impedimenta, (quod solum sufficeret,) & supplet etiam defectum commissum in non vocandis aliis qui vocari debuissent ad iudiciũ illud ferendum.*

4 Secundò, idẽ probari potest, quia etiam si impedimenta absentium non fuerint legitime approbata ante initium Congregationis, ob defectum eorum, ad quos approbatio spectabat, & qui ad id. vocari debuerant: postquam tamen aduenit dies Congregationi inchoandæ præfixus, & adfunt duæ tertie partes congregandorum, Congregatio legitime inchoatur: illi autem duo, vel tres, qui ordine Professionis subsequuntur, & intrant loco absentium, legitime etiam intrant. Nam, quidquid sit, an impedimẽta fuissent legitima: tunc tamen legitima iam sunt, præsertim ipsa electionis die, in qua non possunt iam illi ex longinquo

venire, vt adfint electioni. Quare locum habet iam tunc id, quod in eadem formula Congregationis Prouincialis c. 3. §. 11. & 12. dicitur, quòd si quis, etiam inchoata Congregatione, legitime impeditus sit, ne electioni adesse possit, subrogetur alius, nempe is, qui ordine Professionis proximus est, ex iis, qui in eo loco sunt, vt die præfixa electioni possint interuenire. In nostro ergo casu certum est, quòd die ipsa electionis iam tunc venire non poterant ij, qui se antè excusauerant, & longè aberant. Iam ergo tunc ius suffragij omnino spectabat ad eos, qui proximiores erant ordine Professionis. Sicut si pridie ante electionem aliquis in itinere ægrotasset, & peruenire non posset, pertinere proculdubio ius suffragij ad proximiorẽ ordine Professionis: sic ergo in casu nostro vocati quidem fuerunt ij, ad quos pertinebat, si ipsi se excusauerunt; excusatio non fuit approbata à legitimis iudicibus, qui casu fortuito vocati non fuerunt. Re tamen vera, vnde cumque id prouenerit, iam illi sunt omnino impediti die ipsa electionis, nec tempestiue vocari possunt. Debet ergo de illis iudicari, sicut de alio quocumque naturaliter impedito, & subintrare debent loco illorum alij proximiores, ad quos iam tunc legitime omnino ius suffragij deuoluitur.

Denique addidi, quòd ad tollendum omne dubium, vel scrupulum, posset postea Romæ in Congregatione omnium Procuratorum, qui ex omnibus Prouinciis mittuntur, referri defectus hic illius Congregationis Prouincialis, vt in illa Congregatione Procuratorum suppleatur. Nam, sicut Congregatio Prouincialis supplere potest, vt diximus, defectus, si qui fortè præcesserunt: ita Congregatio subsequens omnium Procuratorum ab omnibus Congregationibus Prouincialibus electorum, quando primum Romæ conueniunt, potest in prima sessione decernere de defectibus, si qui fuerunt in Congregationibus Prouincialibus, vt habetur in formula Congregationis Procuratorum c. 1. §. 4. quod tamen ad maiorem securitatem, & ad tollendum omnino scrupulum, vel dubium, dictum sit.

#### DUBIUM XXV.

*An incurrat pœnas ambitus, qui ambit pro persona incerta.*

**A**Ntequam discedamus à Congregatione Prouinciali, respondere possumus breuiter ad hoc dubium. Pro quo sciendum

sciendum est, prohiberi grauissimè in Societate, ne quis in Congregatione Prouinciali procuret electionem sui, vel alterius, aut eam impediatur, vt habetur in formula Congregationis Prouincialis c. 4. §. 22. & seqq. his verbis: *Illud præcipuè cauendum est, ne ullus per se, vel per alium, ne indirectè quidem se, vel alium eligi, vel non eligi suadeat; etiam cum de deputatorum, ac Secretarij electione agitur: sed fiant electiones sincerè, & candidè ex ijs, qua Spiritus sanctus dignabitur suggerere, & ex informationibus cognita fuerint. Hoc verò, quod de ijs dicitur, qui ambitiosè agunt, & per se, vel per alios directè, vel indirectè suadent, vt se, vel certum aliquem eligant, vel excludant; ita extenditur, vt à die indictæ Congregationis, vsque ad electionem intelligatur, &c. Si quis autem (quod auertat Deus) ad sui, vel alterius electionem, vel exclusionem ambitiosè agere deprehensus fuerit, idque sufficienter probabitur, actiua, vel passiuè, vel vtrâque voce priuetur in Congregatione tantum, & aliis pœnis (si id merebitur) subiiciatur iuxta delicti grauitatem, & probationis certitudinem. Quo supposito, dubitatum fuit, an eadem pœnas incurreret, qui non procurauit electionem personæ certæ, vel eam impediuit, sed personarum incertarum, v. gr. ambitiosè suadendo electoribus, ne aliquis ex Rectoribus eligeretur, sed potius ex iis, qui Rectores non erant.*

2 Respondi, id ex circumstantiis pendere. Poterant enim circumstantiæ tales esse, vt per illum modum generalem loquendi, & suadendi significaretur sufficienter animus includendi, vel excludendi aliquam certam personam, de cuius electione ageretur, v. gr. si cum timeres eligendum Titium, qui Rector est, tu, ne deprehendaris reus, nolis eum nominatim excludere, sed petas in genere, ac suadeas, ne eligatur aliquis Rectorum (ex quorum numero Titius est,) quod quidem eo animo à te fieri omnes interpretetur, vt Titium excludas: hoc quidem est saltem indirectè Titium ambitiosè excludere. Similiter, si extra Rectores vnus Seius esset, qui eligi posset, & quem tu eligi desideras, atque ideo suadeas ambitiosè, vt eligatur aliquis extra numerum Rectorum, quod facillè intelligitur à te eo fine peti, vt Seius eligatur: hoc etiam est ambitiosè procurare, vt eligatur Seius. Cum ergo sub illis pœnis prohibeatur non solum directè, sed etiam indirectè ambitio pro aliquo certo eligendo, vel excludendo, fatendum est, in prædicto casu pœnas incurri ob indirectam saltem

*D. lo. Card. de Lugo Resp. mor.*

procuracionem, vel exclusionem, siquidem in verbis relatis ambientes etiam indirectè eidem pœnis subiiciuntur.

Pro quo recolenda sunt, quæ in simili de indirecta ambitione Prælatuæ docet Th. Sanch. lib. 6. in Decal. c. 18. n. 20. & 24. & nos latè explicuimus, & probauimus tom. 2. de Iust. & iure, disp. 36. sect. 9. n. 135. & seqq. vbi dixi, quando prohibetur aliquid fieri etiam indirectè, operationem indirectam, prout distinguitur à directâ, esse, quando verba, vel actio non tendit directè, & immediatè ad talem personam, v. gr. sed ad alios: in iis tamen circumstantiis, quæ ostendunt, & significant, id fieri ex fine, & intentione agendi circa talem personam, vt multis exemplis adductis explicui loco citato. Ex qua doctrina idem videtur in casu nostro dicendum, si circumstantiæ tales sint, vt qui procurat exclusionem omnium Rectorum, intelligatur id facere ex fine excludendi Titium: tunc enim quamuis verba non expriment, nec significant Titium, sed genus commune Rectorum, & ideo non censetur directè excludere Titium: circumstantiæ tamen ostendunt, intentionem esse excludendi indirectè, & per circuitum Titium, dum excluduntur omnes Rectores ex fine excludendi solum Titium, quæ est exclusio indirecta prohibita certæ, & determinatæ personæ.

Si autem circumstantiæ non sint tales, vt significant animum excludendi Titium, vel quia re vera non erat specialis ab illo auersio, sed in genere à Rectoribus in communi, vel certè, quia etsi propter Titium fieret exclusio; ea tamen intentio occulta erat, nec poterat signo illo deprehendi: tunc non credò incurri pœnas, nec hunc actum prohibitum esse verbis illius; verba enim legis supra relata expressè loquuntur de iis, qui per se, vel per alios directè, vel indirectè suadent, vt se, vel certum aliquem eligant, vel excludant. quod non verificatur in casu nostro; qui enim suadet, ne eligatur vllus Rector, non suadet, vt certus aliquis eligatur, vel excludatur, sed vt excludatur generalis Rectorum, quæ exclusio licet aliunde possit esse vitiosa, & perniciofa; non tamen prohibetur illis verbis: Vnde, quando legislator vult illam etiam comprehendere, exprimit eam aliis verbis, prout fecit Gregorius XV. in sua Bulla de electione Summi Pontificis, in §. de pactionibus, promissionibus, &c. vbi prohibentur eiusmodi obligationes, pactiones, conuentiones, &c. tam respectu inclusionis, quam exclusionis, tam vnus personæ, quam plurimum,

plurium, aut certi generis, veluti creaturatum, aut huiusmodi, &c. quod etiam in eadem Societate factum est, quando agitur de electione Generalis facienda, vt habetur in formula Congregationis generalis cap. 2. §. 21. vbi excommunicantur, qui egerint, aut tractauerint, vel litteras, aut fauorem Prælatorum, Principum, aut aliorum procurauerint, ad quamvis nationem, vel particularem personam promouendam ad generalatum, vel excludendam. Quare cum in formula Congregationis Prouincialis eiusmodi extensio omiffa fuerit, & solum de inclusione, vel exclusione certæ personæ sermo sit, constat, non sine causa id fieri, sed quia in electione leuiori non putabatur necessarius tantus rigor, quantus in electione grauiori Præpositi Generalis.

5 Addiditamen vltimò, si ex verbis illis suadentibus exclusionem Rectorum non omnino constare possit euidenter animus excludendi, vel includendi personam certam, & determinatam: probetur tamen semiplenè, vel oriatur vehemens suspicio de tali animo: quamuis non possit tunc procedi ad pœnam ordinariam, quæ imponi non potest, nisi delicto plenè probato: pro delicto tamen semiplenè probato posse reum puniri pœna extraordinaria minori, & arbitraria, pro qualitate delicti, & probationum, vt expressè habetur in instructione de modo procedendi iudicialiter confessio pro Superioribus Societatis c. 5. ante finem, & nos cum aliis probauimus tom. 2. de Iustitia, & iure, disp. 37. sect. 12. num. 142. & seqq.

#### D V B I V M XXVI.

*Utrum Professus legitimè carceratus, sit ad Congregationem Prouincialem vocandus, vel possit in ea eligi.*

1 **R**atio dubitandi est, quia Prouincialis Societatis non posset impedire, nec occupare aliquem ex iis, qui habent ius suffragij in Congregatione Prouinciali, ita vt ad illam venire non possit, vt habetur expressè in formula Congregationis Prouincialis cap. 3. n. 13. quod prudentissimè statutum est, ne detur Prouinciali facultas excludendi indirectè eos, qui fortasse in Congregatione eius sententiæ non assentirentur. Non poterit ergo sub prætextu carcerationis impediri, qui aliunde ius suffragij in Congregatione haberet.

In contrarium verò esse videtur regula generalis, quam aliqui tradunt, quòd Religiosi carcerati, eo ipso, voce actiua, & passiuam priuantur. quam regulam supponere videtur Eman. Roder. tom. 2. quest. Regul. quest. 9. art. 6. in principio: ergo eo ipso, quòd Professus aliquis Societatis carceratus esset, careret suffragij iure in Congregatione Prouinciali, atque adedò ad illam vocandus non erit. Hoc tamen argumentum (vt verum fatear,) non videtur satis solidum: neque enim regulam illam ita generalem inuenio, nec Eman. Roder. loco citato, illam generaliter tradit, imò indicat satis apertè, non esse generaliter veram. Verba illius Auctoris hæc sunt: *Respondeo dicendo, quòd licet carcer in Religionibus sit pœna delicti, cum incarcerati priuentur voce actiua, & passiuam, prout infra in questione de correctione fratrum quoad carcerem dicitur; possunt iudices Regularium, &c. Locus autem, ad quem se remittit, est quest. 17. vbi art. 4. probat, Religiosum non esse carcerandum sine præcedenti informatione summaria delictorum, propter infamiam, quam carceratio infert. Reddit autem rationem his verbis: quod in captura Monachorum magis patet, cum ultra clericatus gradum sint Religiosi, quo incarcerati habitu Monachali priuantur, & ipso iure, secundum statuta aliquarum Religionum, voce actiua, & passiuam spoliantur, ideòque summaria informatio præcedere debet. Vbi clarè fatetur, id non procedere de iure communi, sed secundum statuta particularia aliquarum Religionum. Sicut nec commune est omnibus Religionibus, quòd carcerati habitu religioso spoliarentur; nec in Societate, si quando ad carcerationem in casu rarissimo peruenitur, habitu communi religioso spoliarentur, imò nec in loco carceri destinato, sed in cubiculo recluduntur. Quare de hoc carceris genere idem Auctor cod. art. 4. ante finem, fatetur apertè, non afferre fecum priuationem vocis actiua, & passiuam; sic enim ait: *Et si verisimiliter fuga Rei timeatur, licet concedant Doctores communiter, Clericum posse deprehendi, cum sepe numero perpensa qualitate criminis, & delinquentis, & attentis circumstantijs plurimum circa capturam Presbyterorum deferendum sit iudicis arbitrio: ego verò circa capturam Monachorum non plurimum illis deferrem, sine magna praua consultatione, cum iudices regulares de more Religionum possint Monachos delinquentes recludere in aliqua secura cellula, Domo pœnitentiæ vocata, in qua licet recludantur, & detineantur, non tamen**

tamen habitu regulari exuuntur, nec voce actiua, & passiuam priuantur. Vides, hunc Auctorem apertè negare priuationem vocis actiua, & passiuam, quoties Religiosus retento habitu recluditur solum ad custodiam in cellula aliqua secura, qui modus solus in Societate obseruatur, si quando in casu rarissimo necessitas vrget ad Religiosum aliquem recludendum.

3 Vnde infero, si reclusus esset in eadem domo, vel Collegio, in quo sit Congregatio Prouincialis, debere illum habere suffragium actiuum in electionibus, sicut illud habent infirmi, à quibus, etiam si non sint præsentibus in Congregatione, si tamè ægrotent in eadem domo, exquiruntur suffragia, vt habetur in formula Congregationis Prouincialis c. 5. §. 30. prout etiam exquiruntur à Cardinalibus ægrotantibus intra conclauem ad electionem Summi Pontificis: cum enim in Societate non priueretur voce actiua, & passiuam ratione præcisè carcerationis; non est, cur eius suffragium non sit exquirendum, quod multò magis procedit, si habet totam domum, vel Collegium pro carcere: tunc enim ad ipsum etiam locum Congregationis venire potest, & debet, cum nullum habeat impedimentum physicum, vel legale. Si autem reclusus est in aliquo cubiculo, debet ab eo suffragium ad electiones exquiri, sicut exquiruntur ab infirmis.

4 Difficulus est, quando aliquis legitimè carceratus est in alia domo, vel Collegio diuerso, siue id sit in eadem ciuitate, vel in alia: & siue reclusus sit intra aliquod cubiculum, siue habeat domum, vel Collegium pro carcere. Et quidem eo casu, si carceratio legitima sit, puto, quòd non sit carceratus ad Congregationem vocandus, sed habendus sit pro legitimè impedito: quia Prælati vtitur iure suo, detinendo eum in carcere, nec debet eum ad hunc finem liberare: sicut, non obstante Ecclesiæ præcepto, non tenetur dare illi semper licentiam exeundi ad audiendam Missam in die festiuo.

5 Solum posset obstare id, quod habetur in eadem formula Congregationis Prouincialis c. 3. §. 13. vbi dicitur, Prouincialè non posse impedire aliquem, qui ius ad Congregationem haberet, ita vt non possit ad Congregationem venire. Hoc tamen non videtur obstare. Primò, quia ibi solus Prouincialis prohibetur, ne impediatur eos, qui iure suo debent ad Congregationem venire: posset autè Professus ille carceratus existere non à Prouinciali, sed à Generali, vel Visitatore, cum quibus prohibitio illa non loquitur. Secundò, quia ibi solum agitur de iis, qui

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

antea impediti non essent, vt constat ex verbis illis formulæ: *nullo tamen modo potest, aut debet quemquã impedire, qui antea impeditus non esset, & ius ad Congregationem haberet.*

Quare, si ante indictam Congregationem iam ille carceratus fuisset à Prouinciali, nihil fieret contra illud decretum. Tertio, quia ibi solum videtur agi de impedimento per occupationem, aut missionem in alium locum, ex quo venire non posset ad Congregationem, nam apponitur exemplum, ne Professus illum manere iubeat in aliquo Collegio loco Rectoris ad Congregationem venientis. Quare non videtur sermo ibi esse de impedimento canonico. Quid enim, si Professus ille legitimè denuntiatus, vel inquisitus, & conuictus damnandus esset ad priuationem vocis actiua, & passiuam: deberet ne Prouincialis abstinere interim à iusta sententia proferenda, ne impediret reum à suffragio in futura Congregatione? Quid, si damnandus esset ad exilium, vel etiam ad triremes? Quid, si Rector alicuius Collegij non Professus deberet à Societate dimitti, deberet ne Prouincialis alioquin potestatem dimittendi habens, eum retinere, donec Congregatio facta esset, ne eum à suffragio ferendo impediret? Hæc certè absurdissima essent, nec de hoc impedimenti genere videtur decretum illud intelligendum, quod idem de carceratione dicendum videtur. Quid enim, si Professus eo tempore homicidium patrasset, aut fugam, & Apostasiam meditaretur? Nonne posset, & deberet carcerari? An verò facultas ei concedenda esset, non obstante carceratione, iter agendi, vt iret ad locum Congregationis? Nemo hoc dicet; quare ille omnino vt legitimè impeditus iudicandus est.

Dicit aliquis, hoc modo dari viam, quia Prouincialis indirectè possit suffragia ad futuram Congregationem pro suo arbitrio disponere, carcerando nimirum eos variis prætextibus, quorum suffragia sibi non placerent. Respondetur, grauiora timeri posse damna, si possent Professi eo tempore impunè delinquere absque metu carcerationis, vel punitiois. Adde, periculo illi occurrere sufficienter posse: nam ante Congregationem, vt supra vidimus, Prouincialis cum Consultoribus, & omnibus, qui præsentibus sunt, & suffragium habent in futura Congregatione, iudicant, & decernunt ad plura suffragia de impedimentis eorum, qui alioquin ad Congregationem vocandi essent: quare tunc examinari poterit, an carceratio iusta sit, an solum

T 3 quæstio



quæsito colore facta ad impedimentum apponendum; non ergo poterit solus Prouincialis hac via Professum impedire, cum tot aliorum iudicia ad causæ approbationem requirantur, apud quos reus poterit, si velit, de Prouincialis dolo, vel malitia legitime conqueri.

Hinc autem infero. Primò, carcerationem in prædicto casu non solum impedire per accidens, ut diximus, à suffragio actiuo, sed etiam impedire posse per accidens à suffragio passiuo, ne Professor ille eligatur in Procuratorem, vel electorem ad futuram Congregationem Romæ habendam: non quidem directe, quia carceratio in Societate, ut supra vidimus, non affert priuationem vocis passiuæ, sed indirectè, quatenus reddit eum legitime impeditum, ne possit iter arripere, ut Romam petat.

Infero secundò, non pertinere ad Congregationem Prouincialem examinare de iustitia carcerationis, & an Professor sit legitime impeditus, ut non possit ad Congregationem venire, si ante ipsam Congregationem inchoatam Prouincialis cum suis Consultoribus, & aliis, qui tunc eo loco aderant ex iis, qui ius suffragij habent in Congregatione Prouinciali futura. Ad maiorem suffragiorum partem approbarent impedimentum tanquam legitimum, formula enim Congregationis Prouincialis non committit eidem Congregationi examen, aut iudicium de legitimitate impedimentorum, nisi quando Prouincialis cum suis Consultoribus, & aliis prædictis ante diem Congregationis de impedimentis non iudicarunt, ut constat ex eadem formula *cap. 5. n. 10. & 13.* vbi prohibetur expressè Congregationi iudicium Prouincialis, & aliorum dictorum antea factum reuocare, vel in nouum examen reducere.

#### D V B I V M X X V I I .

*Vtrum Prouinciales Societatis in India debeant, aut possint venire ad Congregationem generalem.*

Sciendum est, toto tempore præcedenti nunquam Prouinciales ex vtraque India, tam Occidentali, quam Orientali, vocatos fuisse, nec venisse ad vllam Congregationem generalem, nec de hoc fuisse vnquam dubitatum; cum enim in Societate non esset tempus certum, & determinatum celebrandi Congregationes generales, sed fierent, vel mortuo Generali

ad eligendum successorem, vel quando Generali cum Assistentibus, & Procuratoribus, qui singulis trienniis Romæ ex Prouinciis conueniunt, videbatur conuocanda Congregatio generalis, non poterant Prouinciales Indiarum vocari, cum non possent tempestiuè venire; nec etiam ipsi poterant venire non vocati, cum non possent scire, an esset, vel non esset cogenda Congregatio generalis. Dubium tamen exortum est occasione Breuis Sanctissimi D. N. Innocentij X. qui anno 1645. iustis de causis præcepit, ut deinceps nono semper anno post vltimam cogeretur Generalis Congregatio in Societate; hoc enim decreto posito, cessare videtur ratio contraria, cum possint, & opportunè, vocari Prouinciales Indiæ, & ipsi etiam non vocati possint venire, ut tempore illo anni noni Romæ adsint, quo tempore certum iam est, Congregationem generalem cogendam esse.

Possunt ergo, & debent nunc in singulis Indiarum Prouinciis eligi in Congregatione Prouinciali duo Patres Professi, qui simul cum Prouinciali veniant, & suffragium habeant in Congregatione generali, sicut fit in reliquis Societatis Prouinciis, quæ sunt per vniuersam Europam.

Dixi tamen, etiam nunc post decretum illud Pontificium non debere, nec posse venire Prouinciales Indiarum cum duobus sociis Professis ad Congregationem generalem, sed quoad ipsos retinendum omnino esse morem antiquum. Quod tribus potissimum rationibus probari potest. Prima, & à priori fit, quia ad hoc, ut venire possent, & ius suffragij in Congregatione generali habere, oporteret, quòd habuissent aliquando ex aliquo iure communi, vel speciali ius illud suffragij in Congregatione generali, quod ius antea impeditum fuisset, nunc verò ablato iam impedimento reuiuisceret: nemo enim ius suffragij in electione habere potest, nisi ex lege aliqua ius illud tribuente. Nulla autem lex generalis, vel specialis est, quæ ius illud suffragij in Congregatione generali Prouincialibus Indiæ, & eorum sociis in Societate tribuerit. Nec enim lex aliqua, aut constitutio Societatis tribuit hoc ius omnibus Prouinciis, vel omnibus Prouincialibus Societatis in vniuersum, sed solis Prouinciis, & Prouincialibus Europæ nominatim. quod in primis constat ex *constitut. part. 2. cap. 3.* cuius capituli titulus est, *Qui debeant congregari.* vbi §. 1. loquendo de iis, qui non sunt conuocandi, additur exceptio

exceptio eorum, qui in India sunt, his verbis: *Non itaque infirmi, ac valetudinarij, nec qui in regionibus remotissimis agunt, ut in Indiis, &c.* Non ergo habent ius aliquod ex vi constitutionis, in qua S. Ignatius non solum eos non includit, sed positiuè excludit.

Hoc idem manifestè constat ex formula Congregationis Prouincialis *cap. 1. in fine*, vbi enumeratis casibus, in quibus Congregationes Prouinciales fieri debent, siue ut eligantur ij, qui ad Congregationem generalem ire debent, siue ut eligatur Procurator singulis trienniis ex Prouinciis singulis Romam mittendus; subditur exceptio Indiarum Prouinciarum his verbis: *Hac verò omnia in solis Europæ Prouinciis locum habere intelligenda sunt. Nam cetera extra Europam, neque more aliarum ad electionem Generalis conuenire possunt, neque tertio quoque anno Procuratores mittere tenentur.* Constat ergo, quoties de conuocandis ad Congregationem generalem agitur, non solum verbis generalibus non includi Prouinciales Indiæ, sed semper specialiter, & positiuè excludi: ex nulla ergo lege vel generali, vel speciali, habent in Societate ius ad Congregationem generalem. Quare si posito nouissimo decreto Pontificio iudicaretur expediens, quòd illis etiam daretur ius suffragij in Congregatione generali, oporteret prius lege aliqua, vel decreto Congregationis ius hoc illis concedere, cum illud antea non habuerint, nec possit reuiuiscere ius, quod nunquam habuerunt, etiamsi impedimentum cessasset.

Re tamen vera impedimentum non cessauit, & hæc potest esse secunda ratio principalis, & probari potest, quia etiam stante decreto nouissimo Sanctissimi D. N. Innocentij X. non credo posse Prouinciales Europæ conuocare ad Congregationem Prouincialem pro eligendis iis, qui mittendi sunt ad Congregationem generalem anno nono, nisi moniti sint, & conuocati à Patre generali, quia cum ob varias causas differri possit generalis Congregatio, approbante illas Summo Pontifice, non possunt ipsi certò scire, quòd re ipsa tempore à lege præfixo celebranda sit Congregatio. Quantò minùs Prouinciales Indiarum conuocare possunt Congregationem Prouincialem pro eisdem sociis eligendis, in tanta rerum incertitudine, & in tali, ac tanta locorum distantia?

cogendam anno 6. vel 7. vel ante annum nonum. Tertio si idem Generalis cum Assistentibus ob causas emergentes Congregationem indixerint ante nonum annum, in quibus, & similibus casibus, si Prouinciales Indiarum huius anticipationis ignari velint ex India anno septimo, vel octauo proficisci, ut anno nono Congregationi generali intersint, inuenient iam factam Congregationem, à qua computandi erunt alij nouem anni ad subsequentem, atque ad eò se operam, & expensas sine vllò fructu perdidisse: non possunt ergo ex suis Prouinciis exire, nisi sciant certò, Congregationem generalem non fuisse anticipatam, quod quidem impossibile est illos scire tempestiuè, ut possint ad certam Congregationem venire.

Confirmatur, quia, quamuis tempus Congregationis generalis non anticipetur, potest tamen contingere, quòd protrahatur: occurrunt enim sæpè impedimenta ex bellis inter Principes Christianos, ex peste, & aliis similibus accidentibus, quæ commercium perturbant, & itinera omnino impediunt, & experti sumus annis præteritis, non rarò Capitula generalia aliorum Ordinum, etiam quæ ad electionem generalis conuocanda erant, fuisse per aliquot annos ob similes causas dilata. Et in Societate ipsa Congregatio etiam triennis Procuratorum Prouinciarum dilata fuit in annum sequentem. Hæc autem impedimenta præuidere non possunt Prouinciales Indiarum, atque ideo ex hoc etiam capite ignorare debent tempus futuræ Congregationis generalis. Imò (ut hoc obiter dicam) ob hanc eandem rationem, stante etiam dicto decreto Sanctissimi D. N. Innocentij X. non credo posse Prouinciales Europæ conuocare ad Congregationem Prouincialem pro eligendis iis, qui mittendi sunt ad Congregationem generalem anno nono, nisi moniti sint, & conuocati à Patre generali, quia cum ob varias causas differri possit generalis Congregatio, approbante illas Summo Pontifice, non possunt ipsi certò scire, quòd re ipsa tempore à lege præfixo celebranda sit Congregatio. Quantò minùs Prouinciales Indiarum conuocare possunt Congregationem Prouincialem pro eisdem sociis eligendis, in tanta rerum incertitudine, & in tali, ac tanta locorum distantia?

Tertia & vltima ratio esse potest, quia quando S. Ignatius in loco citato constituit, excludit Prouinciales Indiarum, ne vocarentur ad Congregationem generalem ob

locorum distantiam non attendit solum, quod non possent post conuocationem expectari ob loci distantiam, nec id expressit, sed credendum est, quod attendit etiam ad hoc, quod si ex Indiarum Prouinciis venturi essent Prouincialis, & duo alij Professores, qui communiter eligi solent ex Rectoribus præcipuorum Collegiorum, necesse esset, quod ab omnibus illis Prouinciis abessent Prouinciales, & duo alij præcipui Patres ex singulis per tres, vel plures fortasse annos, quod sine maximo illarum Prouinciarum dispendio fieri non posset; imò illi toto sui triennij tempore absentes, nec sua munera exercentes, fuissent Prouinciales, vel Rectores solum titulares, cum suas Prouincias, vel Collegia regere nunquam potuissent. quæ ratio, & quidem grauissima nunc etiam æquè vrget, atque adeò non est verum, quod nunc cessauerit ratio ob quam exclusi fuerunt à Congregationibus generalibus. Concludo itaque, etiam post decretum illud Innocentij non debere, nec posse, more Prouinciarum Europæ, ex Prouinciis Indiarum conuocari, aut venire Prouinciales cum duobus sociis ad Congregationem generalem, nec expedire, quod in posterum aliquid circa hoc innouetur, quia nunquam ius habuerunt in communi, vel in particulari, vt ad Congregationem venirent, nec, si illud vquam habuissent, cessauit causa, ob quam fuit vsque adhuc impeditum; sed hodie etiam maiori ex parte eadem rationes vrgerent. Sufficit ergo, quod eo modo, quo possunt, concurrant Prouinciæ Indiarum ad Congregationem generalem, nempe modo statuto in formula Congregationis Prouincialis cap. 5. §. 40. nimirum vt Procurator, qui à Prouincia singulis trienniis, vel sexenniis electus Romam mittitur, eo ipso possit interuenire cum suffragio non solum in Congregatione Procuratorum, si eo tempore fieri contigerit, sed etiam quando Procurator Professus fuerit quatuor votorum, & cum hac potestate à sua Prouincia electus fuerit, possit cum iure suffragij, etiam ad electionem Generalis concurrere in Congregatione generali, si antequam ad suam Prouinciam reuertatur, quacumque ex causa fieri contigerit, vt ibi magis explicatur, quo pacto non remanent omnino exclusæ Prouinciæ illæ à Congregatione generali, imò in hac octaua Congregatione Procuratores ex sex, vel septem Indiarum Prouinciis, si benè meminimus, reperiuntur.

## D V B I V M XXVIII.

*An Præpositus, vel Rector possit eligere sibi Confessarium, à quo absoluat à reseruat.*

**H**Oc dubium propositum mihi fuit anno 642. contendebant enim aliqui, Superiores locales Societatis habere hanc facultatem. quod in primis probari poterat ex doctrina generali, quam attuli latè in tom. de Pœnit. disputat. 20. sect. 5. num. 57. & sequentibus, quod scilicet Prælati potest sibi et applicare facultates, quas potest suis subditis concedere. Si ergo Prælati localis Societatis potest per se, vel per alium Confessarium absoluere suos subditos à peccatis reseruat; poterit ipse etiam absolui per Confessarium à se ad hoc deputatum, ne ipse solus deterioris conditionis maneat, & excludatur à communi beneficio, quo omnes eius subditi frui possunt.

In contrarium autem est vsus in Societate seruatus, vt Superiores locales, si forte (quod absit) in aliquod peccatum reseruatatum incidere, debeant vel per se, vel per alium recurrere ad Prouincialem: Prouincialis verò ad Generalem: quod fieri omnino debere declarauit P. Claudius Aquauia Generalis, vt habetur in ordinationibus Generalium cap. 5. §. 6. his verbis. *Idem autem quoad obligationem sistendi, seruandum est Confessariis Rectorum, & aliorum Superiorum localium, quando ij (quod Deus auertat) in aliquem casum reseruatatum inciderent, & non esset presens Prouincialis, cui talia reseruantur. Idem quoque ipsorum Prouincialium Confessariis, cum presens non esset is, qui ad eum finem à Generali esset destinatus.* Vnde P. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 19. num. 17. & 17. supponit, Prouinciales debere recurrere ad Generalem, vel ad illum, quem Generalis ad hunc finem designauerit.

Hæc tamen doctrina nonnullis difficilis visa est, quia Congregatio quinta generalis decreto 51. vbi catalogum instituit casuum reseruatorum, eos omnes reseruaui Superiori locali domus, vel Collegij, cuius solius licentia ibi exigitur, vt absolutio impendi possit: quare nunquam videtur necessaria licentia Prouincialis, vel Generalis. Quamuis autem P. Claudius in dicta Instructione dixerit, ad absolutionem Rectorum localium, vel Prouincialium requiri facultatem Prouincialis, vel Generalis

illis respectiue: illa tamen instructio non reperitur confirmata ab vlla Congregatione generali: imò in Congregatione generali septima decreto 81 declaratur, ordinationes Generalium anteriores nullam habere vim à Congregatione generali, sed solum quantam à Generali potuerunt accipere. Certum autem est, ex decreto Clementis VII. nullum Superiorem regularem, nec ipsum Generalem posse reseruare aliquod peccatum, nisi id fiat in Capitulo Prouinciali pro tota Prouincia, vel in Capitulo generali pro toto Ordine. Si ergo Congregatio generalis non magis peccata in Societate reseruauit, quam vt Superioris localis facultas ad absolutionem exigetur: non potuit P. Claudius strictiorem reseruacionem facere pro Rectorum, & Prouincialium peccatis, ita vt ad horum absolutiones necessaria sit facultas Prouincialis, vel Generalis; hoc enim esset reseruacionem nouam, & maiorem illorum peccatorum inducere, quam Congregatio generalis non imposuerat.

4 Respondi tamen tunc, rem hanc difficilem esse, & quæ declarationem aliquam in Congregatione generali futura exigeret; interim verò expedire omnino, quod Prouinciales designarent singulis superioribus localibus Confessarium aliquem in suis domibus, vel Collegiis, & Generalis designaret Prouinciali eius socium, ad quem occurrente casu, possent & ipsi Prouinciales, & Superiores locales respectiue recurrere pro absolutione à reseruat, si (quod absit) indigerent. quod quidem Generalis respectu Prouincialium plerumque facere solebat, & supponere videtur P. Claudius Generalis loco citato; declarat enim obligationem Prouincialis in eo casu, cum presens non esset is, qui ad eum finem à Generali esset destinatus. Supponit ergo, aliquem destinari debuisse. quod est etiam maxime iuxta mentem Clementis VII. qui in decreto de casibus reseruatatis satis significat, quod singuli Regulares debent habere aliquem, ad quem recurrant pro absolutione à reseruatatis præter Superiorem, ad quem etiam recurrere possint, si velint.

5 Non tamen ausus fui approbare, quod Superiores Societatis possent propria auctoritate facere se absoluere à suo Confessario à reseruat, nisi ad hoc esset ab eorum Superiore respectiue designatus; id enim est contra praxim, & sensum Societatis, quæ ita semper reseruacionem casuum intellexit, vt ipsos etiam Superiores comprehenderet, quem sensum benè nouerat

P. Claudius Generalis, quando id pro comperto supposuit, non quidem faciendò nouam reseruacionem, quam ipse, vt vidimus, facere non poterat: sed declarando mentem quintæ Congregationis generalis, cui ipse interfuerat, & præfuerat, & in qua casuum reseruatio facta, & promulgata fuerat.

6 Porro eam fuisse Congregationis mentem probari, & colligi potest, non solum ex communi sensu, sed etiam, quia reseruatio illorum peccatorum facta fuit, vt in grauioribus morbis spiritualibus, melius, & tutius possent subditi curari à suis Superioribus, ad quos per se, vel per alios debent pro absolutione obtinenda recurrere. Hoc autem remedium adhibendum erat omnibus, qui intra Societatem Superiorem habent, prout illum de facto habent Rectores, & Superiores locales, & ipsimet Prouinciales: qui omnes, non minus, quam eorum subditi, debent iuxta Societatis regulas singuli suis Superioribus propriam conscientiam manifestare, vt ab iis in via spiritali dirigi possint. Quare multò magis debent in grauioribus necessitatibus spiritualibus, & in grauioribus tentationibus ad eosdem recurrere, vt ab iis opportuna remedia possint accipere. Sicut ergo nunquam Societas eximit Superiores locales, vel Prouinciales à debito manifestandi suam conscientiam suis Superioribus, imò Rectores eam manifestare debent Prouinciali, quando Collegium illud visitat, & Prouincialis Visitatori Prouinciæ, si adsit, vel ipsi Generali, si ibi adesset: non videtur verisimile, quod eosdem voluerit eximere ab obligatione recurrenti ad suos Superiores in grauioribus tentationibus, & necessitatibus spiritualibus, in quibus maiora, & grauiora remedia requiruntur.

7 Confirmarique rursus hic idem Societatis sensus potest, quia non solum Superiores locales, & Prouinciales carent in Societate Superiore locali, sed alij etiam: nam in primis socij eiusdem Prouincialis nulli Superiori locali propriè subiacent, cum sint in perpetuo motu, vt Prouincialem in Prouinciæ visitatione comitentur. Rursus ille, quem Prouincialis vocauit à Collegio, in quo erat, illuc non reuersurum, eo ipso, quod discedit ab illo Collegio, iam non est subditus illius Rectoris, sed neque vllius alterius, quia Prouincialis nondum statuit de loco, ad quem esset illum missurus. Certe si illo medio tempore, dum Prouincialis deliberat, incidat in casum reseruatatum,

uarum, absolui non potest de licentia solius Rectoris illius loci, in quo per solam hebdomadam commoratur, sine onere comparandi postea coram suo Superiore, ut habetur in dicto cap. 6. de casibus reseruatibus §. 6. & aliunde fortasse per annum non applicabitur alicui Collegio, quia ire debet interim ad suam patriam, vel ad Missionem in loco, in quo non sit Collegium; hos ergo omnes, & alios similes, qui Superiorem localem non habent, Congregatio certè non voluit eximere à casuum reservatione. Debent ergo data occasione, per se, vel per alium ad Prouincialem recurrere, qui solus est communis Superior immediatus. Idem ergo voluit Congregatio quod facerent Rectores, qui alium Superiorem immediatum non habent, nisi Prouincialem.

Quando ergo Congregatio quinta generalis reseruauit casus illos, ita ut nemo sine speciali licentia Superioris localis posset ab illis absolui, noluit ipsum Superiorem localem à reservatione eximere: sed fuit potius quædam benigna concessio pro subditis. Aliquando enim ita reseruantur aliqua Regularium peccata, ut debeant ad Prouincialem pro absolutione recurrere, nec possit Superior localis ab illis absolueri, ut habetur in regula S. Francisci cap. 7. ubi sic dicitur: *Si quis fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur predicti fratres ad eos recurrere, quanto citius potuerint sine mora.* & quidem in statutis illius Ordinis multa peccata reseruantur Prouinciali, ut testatur P. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 8. cap. 5. num. 6. Noluit ergo Societas tantum onus subditis imponere, sed concessit benignè recursum ad Superiorem immediatum. Loquitur ergo de subditis solis illius Superioris, non de illis, qui non habent Superiorem localem, quales sunt Rectoris, Socij Prouincialis, & alij supra enumerati, quos non intendit Congregatio excipere à reservatione casuum communi pro omnibus Societatis personis.

Hæc, ut dixi, responderam anno 1642. Postea vero anno 1645. Congregatio generalis octava conuocata ad electionem noui Præpositi Generalis, eodem dubio in consultationem adducto, in eandem ferè sententiam respondit decreto 25. ubi supposita ut vera reservatione, & obligatione recurrendi pro reseruatibus in ipsis Rectoribus, & Prouincialibus, cogitatum fuit de

remedio adhibendo his verbis: *Quod in ordinationibus dicitur, idem esse seruandum Confessariis Superiorum localium, si quando, (quod Deus auertat,) in aliquem casum reseruatum incidere: videri magnum onus, nec satis eiusmodi Superioribus esse prouisum, aut sigillo; si Prouinciali se sistere teneantur, siue per se, siue per alium, & fortasse magis expedire, ut hoc onus differatur in tempus, quo Superior loco mouebitur. His in consultationem adductis, diuque agitatis, magis placuit Congregationi liberam potestatem absoluendi Superiores locales à reseruatibus committi à Prouinciali vni ex Confessariis Collegij, aut domus, quem ipse designauerit. Id quoque, quod eodem loco dicitur, idem seruandum esse Confessariis Prouincialium, cum præsens non esset is, qui ad eundem finem à Generali esset destinatus, vix videri in praxim reduci posse, sine periculo violandi sigillum, aut sine maximo onere Prouincialis, si Generali, per se, vel per alium, sistere se teneatur, ideoque tutius fore, facultatem absoluendi Prouincialem à reseruatibus, socio ipsius absolute concedere. Quod quidem Deputatorum iudicium Congregatio sua auctoritate sancit. Vnde res hæc extra omnem controuersiam iam remanet, cum Congregatio generalis tacite comprehenderit Prouinciales, & Superiores locales in casuum reservatione, iisque omnibus sufficienter de remedio prouiderit.*

#### DUBIUM XXIX.

*Circa sensum regulæ prohibentis omnibus Societatis personis officia exequutoris testamenti, & Procuratoris.*

In parte 6. constituit Societatis c. 3. §. 7. sic habetur. *Vt plenius possit Societas rebus spiritualibus iuxta suum Institutum vacare, quoad eius fieri poterit, à negotiis secularibus absteat, (qualia sunt testamentarium, vel exequutorum, vel Procuratorum rerum civilium, aut id genus officia,) nec ea ullis precibus adducti, obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant.* In declaratione autem in margine littera D. additur. *Hoc obseruetur, quoad eius fieri poterit: Superiori tamen ad casum aliquem necessitatis, vel maioris momenti, ad finem diuini seruitij præfixum, facultas dispensandi ad tempus relinquatur. Hic autem Superior, Præpositus Generalis erit, vel qui ab eo facultatem ad hoc acceperit.*

Circa

Circa sensum itaque huius constitutionis dubia aliquot proposita mihi fuerunt, pro quorum solutione, suppono in primis, in dicta constitutione tria potissimum Societatis personis prohiberi. Primum est suscipere ea officia ad comparandum in iudicio, vel in ordine ad lites. Secundum est suscipere ea officia etiam ad actus extraiudiciales. Tertium est occupari in iis rebus, & negotiis secularibus. De primo non est dubium, cum id de iure etiam communi sit prohibitum Religiosis, nisi de licentia Prælati, & cum certis conditionibus, de quo latè Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 11. & ego dixi tom. 2. de Iustit. disp. 22. sect. 16. num. 325. & rursus in Societate id ipsum prohiberi peculiariter ex regula supra adducta, quæ addit, eiusmodi licentiam à solo Generali posse concedi; de Procuratoris verò munere iam dixi etiam extraiudicialiter esse prohibitum.

Quartum dubium erat, ad quas ex iis functionibus licentiam dare possit Generalis Societatis? Respondi, ad eas non posse, quæ absolute prohibita sunt Religiosis de iure communi. v. gr. ut Religiosus sit Procurator in causis non concessis: ad alias verò, in quibus requiritur solum licentia Prælati, ut fiant, posse quidem à Generali licentiam concedi: v. gr. ut sit executor testamenti; item ut sit Procurator etiam in iudicio in utilitatem Societatis: item in aliis casibus, quos enumerat Thomas Sanchez dicto cap. 13. num. 19. & sequentibus.

Quintum dubium erat, in quibus casibus, & ad quæ ex prædictis non sufficiat licentia Prælati localis in Societate? Respondi, in primis videri necessariam licentiam Generalis, ut aliquis acceptet munus executoris testamentarij propter grauitatem materiæ, & magnam distractionem, quam secum affert. Item ut aliquis sit Procurator in iudicio. Item, ut sit Procurator extraiudicialis ad negotia, quæ longum tempus, & magnam occupationem exigunt. Ad meram verò directionem, & curam extrinsecam breuem, & non magnæ occupationis, credo sufficere licentiam Prouincialis, vel Rectoris, aut Præpositi localis; imò idem credo esse de procuratione extraiudiciali ad actum transeuntem, & breuem, ut ad recipiendum, vel soluendum debitum pro amico absenti, ad acceptandum beneficium, & similia: quod (ni fallor) praxis ipsa testatur; quia in his leuioribus difficile recurri posset semper ad Generalem. Colligi autem videtur ex verbis ipsis regulæ, à negotiis secularibus absteant, & p. 9. constituit. cap. 6. negotiis secularibus implicari non debent. nam, ut notauit Nigronius in regulas communes, regula 41. num. 2. nomine negotij intelligitur id, quod multum temporis, laboris, ac molestiarum requirit;

Tertium dubium erat, an regula prohibeat procuracionem, & executionem etiam extraiudicialem. Respondi, officium executionis testamenti, si verum titulum iudicum habeat, esse prohibitum de iure communi omnibus Religiosis sine licentia Prælati, ut ex cap. 2. de testam. lib. 6. & Clement. unica, eodem tit. probat Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 11. & ego dixi tom. 2. de Iustit. disp. 22. sect. 16. num. 325. & rursus in Societate id ipsum prohiberi peculiariter ex regula supra adducta, quæ addit, eiusmodi licentiam à solo Generali posse concedi; de Procuratoris verò munere iam dixi etiam extraiudicialiter esse prohibitum.

Quartum dubium erat, ad quas ex iis functionibus licentiam dare possit Generalis Societatis? Respondi, ad eas non posse, quæ absolute prohibita sunt Religiosis de iure communi. v. gr. ut Religiosus sit Procurator in causis non concessis: ad alias verò, in quibus requiritur solum licentia Prælati, ut fiant, posse quidem à Generali licentiam concedi: v. gr. ut sit executor testamenti; item ut sit Procurator etiam in iudicio in utilitatem Societatis: item in aliis casibus, quos enumerat Thomas Sanchez dicto cap. 13. num. 19. & sequentibus.

Quintum dubium erat, in quibus casibus, & ad quæ ex prædictis non sufficiat licentia Prælati localis in Societate? Respondi, in primis videri necessariam licentiam Generalis, ut aliquis acceptet munus executoris testamentarij propter grauitatem materiæ, & magnam distractionem, quam secum affert. Item ut aliquis sit Procurator in iudicio. Item, ut sit Procurator extraiudicialis ad negotia, quæ longum tempus, & magnam occupationem exigunt. Ad meram verò directionem, & curam extrinsecam breuem, & non magnæ occupationis, credo sufficere licentiam Prouincialis, vel Rectoris, aut Præpositi localis; imò idem credo esse de procuratione extraiudiciali ad actum transeuntem, & breuem, ut ad recipiendum, vel soluendum debitum pro amico absenti, ad acceptandum beneficium, & similia: quod (ni fallor) praxis ipsa testatur; quia in his leuioribus difficile recurri posset semper ad Generalem. Colligi autem videtur ex verbis ipsis regulæ, à negotiis secularibus absteant, & p. 9. constituit. cap. 6. negotiis secularibus implicari non debent. nam, ut notauit Nigronius in regulas communes, regula 41. num. 2. nomine negotij intelligitur id, quod multum temporis, laboris, ac molestiarum requirit;



quirit, ut expediatur. Vnde Nauarrus, & alij apud Sanchez dicto cap. 13. num. 33. dicunt, non esse contra prohibitionem Ecclesiæ, si clericus aduocaret, quando modica esset occupatio. hanc tamen actionem aduocandi credo propter materiæ grauitatem non licere in Societate sine licentia Generalis, etiam in casibus iure permissis.

7 Sextum dubium erat, quale peccatum sit facere absque licentia prædicta negotia? Respondi, si sermo sit de iis, quæ iure communi prohibentur absolutè Religiosis, esse peccatum graue ex genere suo, ut docet Sanchez ubi supra, cap. 11. num. 18. Aliqui tamen, quos affert cap. 13. num. 33. putant, leuitatem materiæ esse, si in vnica causa id faciat; si verò loquamur de iis, quæ solum prohibentur per regulam Societatis, & non de iure communi, in iis sola regulæ violatio interueniet. Difficultas est de iis, quæ iure communi prohibentur, fieri à Religioso sine licentia Prælati, ut esse executorem testamenti, & similia. de quibus Sanchez dicto cap. 11. num. 18. & cap. 13. num. 10. docet esse peccatum mortale, si in Societate fierent sine licentia Generalis, vel cum sola licentia Rectoris, vel Prouincialis; quia in Societate nemo, præter Generalem, potest dare eiusmodi licentiam, nisi Generalis id specialiter alicui Superiori concedat. Ego tamen in 2. tom. de Inst. & iure, dicta disp. 24. loco supra citato dixi, futurum quidem id contra regulam, non tamen contra legem Ecclesiæ, quæ solum prohibet, ne fiat sine licentia Prælati saltem immediati. Regula autem prohibet specialiter personis Societatis ea officia, & reseruat Generali potestatem dispensandi in hac constitutione; non quidem dispensandi in iure communi: in hoc enim non dispensat, sed obseruat illud, quando dat licentiam; quia ius commune prohibet solum, ne id fiat sine licentia Prælati: in Societate autem Generalis dispensat in prohibitione, ut significatur verbis illis constitutionis supra adductis, Superiori, nempe Generali soli, facultas dispensandi relinquatur. Tota ergo dispensatio Generalis est circa solam regulam, non circa legem Ecclesiasticam, quæ id non prohibet, sed exigit licentiam Prælati: regula autem Societatis non obligat sub peccato. Videantur quæ dixi latius loco citato, ad hoc ipsum comprobandum.

8 Septimum dubium erat, an prohibitio huius regulæ procedat, quando causæ pertinent ad eos, quorum interesse redundat aliquo modo in ipsam Societatem. Re-

spondi, aliquos id asserere; sed tamen Thomas Sanchez dicto cap. 13. num. 17. cum aliis multis, meritò id concedit licitum, si magna interueniat Collegij indigentia, vel magnum damnum sentiret Societas non annuendo votis, & precibus amici vtilissimi. Semper tamen requiritur licentia Superioris; ad actus quidem iudiciales licentia Præpositi Generalis, ad extraiudiciales verò aliquando eiusdem Generalis, aliquando Superioris inferioris, iuxta regulas supra positas.

Octauum dubium erat, an hæc prohibitio procedat in negotiis etiam pertinentibus ad causas pias? Respondi, prohibitionem de iure communi, quoad ea, quæ prohibet, procedere etiam eo casu, ut fatetur Sanchez dicto cap. 13. num. 21. nisi sit pro miserabilibus personis præsidio destitutis tuendis, ut docet idem Auctor num. 23. quo tamen casu requiritur etiam licentia Prælati, iuxta doctrinam traditam. Loquendo autem de prohibitione procedente ex regula Societatis, hæc clarè comprehendit etiam negotia, & causas pias, ut constat ex eius verbis part. 9. constit. cap. 6. §. 4. eos, qui de Societate sunt, negotiis secularibus, licet pia alioqui essent, implicari non debere. vbi tamen in margine littera B. facultas datur Generali in hoc dispensandi.

Nonum dubium erat, an prohibitio procedat in causis priorum parentum, vel aliorum, quorum causæ videri possint propriæ? Respondi, omnino procedere, nisi personæ illæ, miserabiles sint, ut proximè diximus: & ita cum communi responderet Sanchez dicto cap. 13. num. 24. & quidem ad hoc potissimum vitandum facta est prohibitio Ecclesiastica, & regula etiam Societatis; est enim maximè indecorum, & religiosæ disciplinæ perniciosum, quòd Societatis Religiosi his consanguineorum negotiis, & curis sine clarissima, & vrgenti necessitate implicentur.

#### D V B I V M XXX.

*An possit Generalis Societatis applicare Missas suorum subditorum, loco illarum, quas Collegium aliquod ex testamento debebat.*

Collegium quoddam Societatis fuit Chæres cum onere designandi Capellanos amouibiles, per quos fiant tot sacra singulis hebdomadis pro anima testatoris. Prætermiſſa

Prætermiſſa fuit hæc cura per obliuionem, vel inconsiderantiam vno anno. Quæsitum fuit, an posset licitè hic defectus suppleri, applicante Generali tot Missas suorum subditorum; quod facilè, & subitò ipse præstare poterat, nam singuli Societatis Sacerdotes singulis hebdomadis Missam vnã offerunt pro intentione Præpositi Generalis, quas omnes Missas ipse Generalis applicat secundum necessitates occurrentes, prout iudicat expedire.

2 Difficultas tota oritur ex peculiari instituto Societatis, quæ iuxta proprias constitutiones non potest stipèdium vllum accipere pro Missarum celebratione, ut expressè habetur in examine c. 1. & in constitutionibus part. 4. c. 7. §. 3. & c. 15. in fine. & part. 6. c. 2. §. 7. cū declaratione littera G & part. 10. §. 5. & explicat latè Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. de votis Societatis, cap. 7. n. 8. & seqq. Thom. Sanch. lib. 7. in Decalog. c. 28. per totum, & nos aliquid diximus disp. 21. de Euchar. sect. 1. n. 15. & quidem nec ipse Generalis potest in hoc dispensare, ut habetur in Congregatione Generali quinta can. 1. & obseruat Sanchez ubi supra, n. 1 & 7.

3 In casu tamen proposito aliqui dixerunt, posse id fieri, quibus fauere videbatur id, quod dixit Sanchez dicto cap. 28. n. 18. nempe posse Sacerdotes Societatis facere Sacra gratis, quæ in testamento facienda relicta sunt, etiam si testator iuberet eleemosynam consuetam dari, & similiter Sacra, ad quæ Capellani ratione Capellaniarum tenentur quotannis facienda ob annuos redditus illis cū eo onere relictos, quamuis hæredes, & Capellani illi; & loca pia pecunias illas in hoc expendendas sibi retineant. Rationem autè reddit, quia hæredes illi, Capellani, & loca pia non acquirunt dominium illius pecuniæ ratione horum Sacrorum, sed ratione tituli hæreditarij, legatarij, aut Capellaniæ, & solum virtute eorum Sacrorum eximuntur onere illis titulis annexo faciendi ea Sacra, & sic merè gratis ea fiunt, quamuis per accidens alij eximantur obligatione pecunias expendendi, ut illa fiant.

4 Confirmat autem Sanchez hanc doctrinam, quia Religiosi Societatis possunt concionari, quamuis concionibus illis sit destinata eleemosyna à testatoribus, vel ab alijs, qui festa aliqua cū concione habenda instituerunt; dummodo Religiosi stipèdium illud non capiant, quod passim in Societate fit. Idem ergo dicendum est de sacris, cū non minùs interdictum sit pro concionibus, quàm pro Sacris stipèdium accipere. Nec obstat, testatorem iussisse dari stipen-

D Io. Card. de Lugo Respons. mor.

dium, siue solitum, siue solito maius, pro illis concionibus, aut Sacris; quia re vera, prima, & per se testatoris intentio est, ut Sacra illa, vel conciones fiant; & accessoria, & per accidens est iussio retributionis stipèdij, siue ordinarij, siue maioris. Quare inuento gratis facienti Sacra, vel conciones, eximuntur ab ea eleemosyna danda tanquam accessoria, & onere iniuncto principali obligationi. Huc vsque Sanchez ex sua, & aliorum sententia: ex quibus idem videbatur dicendum in casu nostro, in quo Collegium est hæres, vel legatarius cum onere dandi eleemosynam pro Missis celebrandis, quæ si aliunde celebrentur, iam Collegium per accidens manebit liberum ab onere dandi stipèdiū pro Missis, nec illud stipèdium retinebit pro Missis, sed titulo hæreditatis, vel legati, cui onus illud adiunctum fuerat.

Pro eadem doctrina afferri etiam posset Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 11. n. 7. & 8. vbi, cū supponat, Religiosos Societatis peccare contra votum paupertatis, & non solum contra regulam, si stipèdium pro Missis accipiant; fatetur tamen, non esse contra votum, si se ad Missas obligent eo pacto, ut stipèdiū suo consanguineo detur: vel si Titio Sacerdoti, qui stipèdio accepto ad Missas offerendas obligatus est, Religiosus Societatis Missas totidem offerat, ut Titius ab ea obligatione liberet, & Titius possit sibi stipèdium acceptum retinere; contendit enim prædictus Auctor, hoc solum in Societate prohiberi, si eius Sacerdotes stipèdium sibi accipiant pro Missis, quas celebrant. Cū ergo in nostro casu non accipiat stipèdiū pro Missis, sed legatum, vel hæreditas, cū obligatione faciendi Missas celebrari, non sit contra votum paupertatis, vel contra prædictam Societatis regulam.

Cæterum his non obstantibus, in casu proposito dixi, id esse contra Societatis constitutionem, atque aded nullo modo introducendum, vel permittendum; quod primò potest à posteriori probari, quia si id facere liceret pro præteritis, non apparet, cur non posset etiam fieri pro futuris: quare possent singulis annis distribui Missæ illæ inter Sacerdotes Societatis eiusdem Collegij, omiſſis Sacerdotibus secularibus, qui illas stipèdio accepto celebrarent; semper enim haberet locum eadem ratio, & dici posset, quòd pecunia illa non retinetur pro stipèdio, sed titulo hæreditatis, vel legati: oneri autem Missarum adiuncto, & debito satisfit per Missas à personis Societatis celebratis, & Collegium indirectè liberatur ab onere dandi stipèdium Sacerdotibus

V secula

secularibus. Vnde consequenter posset Societas acceptare in suis Ecclesiis Capellanas, & legata cum eiusmodi oneribus Missarum, quibus postea satisfaceret per suos Sacerdotes, & retineret sibi fructus, vel legata integra. quod quidem apertè esset in fraudem constitutionum, & meritò diceretur Societas decipere per simulationem, & hypocrisim, dum dicit, se gratis exercere functiones spirituales, ac sine vllò stipendio; cum tamen re vera indirectè perciperet æquale stipendium pro singulis functionibus, & parum referret, quòd testator iniungeret Missas celebrandas à Religiosis Societatis, vel ab externis, si tamen personæ Societatis possunt suis Missis eiusmodi oneribus satisfacere; hac enim via non minores redditus haberet Societas ex suis Missis, quàm alij Regulares ex stipendio quotidiano, vel ex Capellaniis in eorum Ecclesiis fundatis, & anniuersariis ab iisdem Religiosis celebrandis. quæ omnia apertissimè sunt contra mentem S. Ignatii, & redderent ferè inutilem eius constitutionem.

7 Secundò ergo, & à priori ratio reddi potest, quia quidquid sit de veritate exemplorum, ex Sanchez, & Castro Palao supra adductorum, in casu tamen proposito, Societas non celebraret gratis Missas illas, sed ipsamet Societas lucraretur sibi illas Missas celebrando. Supponitur enim Collegium habere obligationem adhibendi Capellanos amouibiles, qui singulis hebdomadis tot Missas celebrent, eisque stipendia soluendi. hanc obligationem, quæ quidem pretio æstimabilis est, redimit Collegium celebrando totidem Missas per suos Religiosos: lucratur ergo celebrando illas Missas quanti æstimari potest redemptio illius obligationis: & hoc quidem non prouenit aliis externis per accidens, ut dicebatur in illis exemplis; sed Societas ipsa sibi hoc lucrum acquirit, quæ eadem obligationem, & onus illud antea patiebatur. Nam antea Societas non dicebatur in rigore habere in suis bonis fructus integros illius legati, vel hæreditatis, sed id solum, quod supererat solutis stipendiis Capellanorum: id enim solum dicimur in bonis nostris habere, iuxta vulgarem iuris regulam, quòd deductis debitis habemus; celebratis verò totidem Missis per suos Religiosos. Collegium habet sibi integros fructus hæreditatis, vel legati: fit ergo locupletius illa Missarum celebratione, quàm esset ante illam. Hoc autem repugnat omnino Societatis constitutioni, quæ vult ut Missæ gratis omnino celebrentur: sic enim

habetur in part. 6. cap. 2. §. 7. sub his verbis: *Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminert, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt. & part. 10. §. 3. excludit etiam redditus eo titulo habendos: Nullos (inquit) redditus, vel possessiones, vel stipendia pro verbi Dei prædicatione, aut lectione, aut Missis, aut administratione Sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet spiritualibus admittendo.* Si autem in casu nostro liceret Missis propriis oneri præcepto satisfacere, admitterentur proculdubio redditus pro Missarum celebratione saltem sub disunctione; quia obligatio à testatore imposita, & à Collegio cum legato annuo suscepta, deberet ita explicari, ut teneretur Societas, vel per alienos Sacerdotes, vel saltem per proprios tot Missas singulis hebdomadis celebrare: quod quidem pactum disunctionum æquualet conditionato, hoc est, ad celebrandas Missas illas per proprios Sacerdotes, si non vtantur operâ externorum. Quare posita conditione non vocandi Sacerdotes externos, remanet obligatio absoluta celebrandi per proprios ob redditus annuos perceptos. Quamuis autem sola intercederet obligatio conditionata, certum est, illum, cui aliquis contractus prohibetur, non posse illum etiam sub conditione celebrare, ut constat in matrimonio, & in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, & aliis. Si ergo Societas non potest accipere redditus cum obligatione celebrandi Missas per suos Sacerdotes, nec poterit eam obligationem suscipere etiam sub conditione, si externos non vocauerit.

Vnde iam constat ad exempla in contrarium adducta nam, quidquid sit de eorum veritate, differentia est clara; nam in illis Societas, vel eius Sacerdotes nihil accipiunt pro Missarum celebratione, atque adeò gratis celebrant. In nostro autem casu Societas percipit emolumentum, & retinet fructus legati integros, ac se liberat onere soluendi stipendia; quod totum lucratur ob Missas à suis Sacerdotibus celebratas. Vnde retorqueri potest, quia ipsemet Sanchez dicto c. 28 n. 23. & 25: tunc solum concedit, posse aliquem Sacerdotem Societatis suis, vel aliorum Sacerdotum eiusdem Societatis Missis satisfacere obligationi, quam ex stipendiis antea acceptis contraxit, quando non potest aliter satisfacere soluendo stipendia externis Sacerdotibus. Secus si possit aliis stipendia erogare, prout in casu nostro poterat Collegium solutis stipendiis alios Sacerdotes vocare. Inq. illo num. 18. vbi pro contraria sententia

ria afferebatur, quatenus dicit, posse Sacerdotes Societatis facere sacra gratis, quæ in testamento facienda relicta sunt, etiam si hæredes, vel Capellani lucrum inde reportent retinendo sibi pecunias, quas in ea stipendia deberent expendere: addidit tamen limitationem hanc, *dummodo Religiosi hi nullum stipendium pro his sacris recipiant, nec paciscantur, ut aliis detur.* Si ergo ipsimet Religiosi Societatis lucrum, & emolumentum ex Missis celebratis sentiunt, prout re vera sentiunt in casu nostro, non intellexit vnquam ille Auctor, quòd possint propriis Missis se ab illo onere liberare.

#### DUBIUM XXXI.

*Utrum possit Generalis Societatis acceptare legatum rei immobilis alicui Collegio relictum cum animo alienandi.*

1 **D**ixi, alicui Collegio relictum, quia, si relictum fuisset Domui professæ, quæ non est capax retinendi redditus, & bona immobilia, non posset acceptare legatum illud, nisi cum animo alienandi, cum ex proprio instituto obligetur ad alienandum, quamprimum commodè possit, ut vidimus in superioribus. Dubium ergo procedit, quando legatum relinquatur alicui Collegio, quod quidem redditus annuos perpetuos, & bona immobilia possidere potest; quia tamen bona illa immobilia vtilius venderentur, quàm retinerentur, dubitatum fuit, an posset Generalis acceptare legatum, sed ea limitatione addita, ut posset liberè rem illam alienare sine facultate Sedis Apostolicæ, ne cogeretur postea facultatem petere, de cuius impetratione poterat dubitari.

2 Videbatur aliquibus, posse id fieri, quia sine Generalis consensu non potest acceptari hoc legatum: ipse autem potest suam acceptationem limitare, & acceptare, vel sine, vel cum aliqua limitatione. Sicut testator posset legare Collegio fundum, vel domum, addita libertate, vel etiam obligatione alienandi, quo casu Collegium posset, vel etiam deberet, rem illam immobilem sine alia licentia alienare.

3 Dixi tamen primò, mihi non apparere, cur sit necessaria acceptatio solius Generalis, aut cur non posset Prouincialis, vel Superior localis acceptare legatum, quod sine vllò onere relinquatur, sicut possunt acceptare eleemosynas, cuiuscumque sum-

*D Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

mæ sint, & donationes à secularibus factas, cum legatum ferè non differat à donatione, nisi quatenus non fortitur efficaciam, & effectum, nisi post mortem testatoris.

Dixi secundò, potuisse quidem testatorem obligare ad alienandam rem legatam, quo casu non esset necessaria facultas Sedis Apostolicæ ad alienandum, cum ad id faciendum præcedat obligatio, ut cum aliis dixi supra lib. 3. dub. 9. Secus tamen dicendum esset, si testator non obligauit, sed dedit facultatem vendendi, & alienandi rem legatam: tunc enim necessaria esset noua licentia Sedis Apostolicæ ad alienandum, ut cum aliis obseruauit in his terminis Fillicucius in *Appendice tract. 44. c. 4. n. 29.* Ratio autem est, quia testatoris licentia non dispensat in lege Ecclesiastica non alienandi, nec facit, quòd domus legata; v. gr. non sit in pleno dominio Collegij, sicut sunt alia bona habita titulo emptionis. Cum ergo prohibitio Ecclesiæ comprehendat bona omnia, quæ sunt in dominio Ecclesiarum, non minùs comprehendit domum illam legato acquisitam. Quæ ratio non procedit, quando testator ipse obligat ad alienandum: tunc enim res illa non ponitur sub pleno, & libero dominio Ecclesiæ, sed cum limitatione, & grauamine alienationis futuræ: sicut si relicta fuisset grauata censu vitalitio, vel perpetuo. Potest ergo alienari postea, quia alienatur, non tum ab ipso Collegio, quàm à testatore, qui iussit alienari. Quando verò testator non obligat, sed dat licentiam alienandi, nihil diminuit de pleno domus dominio Collegio acquirendo, ille enim est plenè dominus, qui potest rem pro libito retinere, vel distrahere: quam potestatem legatarius tunc habet, cum testator ex parte sua concefferit facultatem ad retinendum, vel alienandum. Non ergo magis potest sine facultate Sedis Apostolicæ alienari, quàm res aliæ immobiles, quæ sunt in pleno dominio Collegij. Alioquin, si licentia testatoris ad alienandum sufficeret, possent etiam alienari sine alia licentia bona cætera immobilia, quæ Collegium emptionis titulo possidet. Nam venditores etiam, quando ea bona vendiderunt, & tradiderunt Collegio, dederunt ei quantum est ex parte sua, facultatem retinendi, vel alienandi postea bona illa; nec maiorem facultatem dat testator, quàm venditor, cum vterque & possit, & velit æqualem facultatem legatario, aut emptori concedere.

Vnde dixi tertio, in casu nostro non posse Generalem, vel Societatem alienare rem illam immobilem legato acquisitam

*V 2 sine*

sine noua licentia Sedis Apostolicæ. Ratio autem est quia non potest à Societate alienari, nisi prius sit sub dominio Societatis; nemo enim vendere potest id, quod suum non est. Debet ergo prius Societas acceptare legatum, atque aded acquirere dominium rei legatæ, vt postea possit dominium illud in alium transferre. Eo autem ipso, quod bona illa sint semel in dominio Societatis, comprehenduntur, & afficiuntur lege Ecclesiastica, prohibente alienationem bonorum omnium immobilium Ecclesiæ. Requiritur ergo licentia Sedis Apostolicæ, sicut ad alia bona immobilia alienanda, nam licentia sola testatoris non sufficit, vt vidimus, si testator voluit, quod plenè, & absque vilo onere, acquirerentur Ecclesiæ, prout de facto voluit, dum non obligauit ad alienandum, sed hoc totum reliquit in Societatis arbitrio: nam licentia illa testatoris, sistendo intra limites meræ licentiæ, aufert solum impedimentum, quod esse poterat ex parte ipsius; potuisset enim testator, si voluisset, obligare Societatem ad non alienandum. quo casu non sufficeret ad alienandum licentia ordinaria Sedis Apostolicæ, sed oporteret specialiter derogare voluntati, & prohibitioni testatoris, quod difficilius & non nisi ob vrgentissimas causas fieri, & concedi solet à Summo Pontifice, qui difficillimè mouetur ad derogandum voluntati expressæ testatoris. Huic ergo difficultati occurrere voluit testator, protestans, se, quantum erat ex parte sua, non prohibere, sed permittere Religiosis alienare bona illa, si id utile ab ipsis iudicaretur. Semper tamen subintellegitur consensus eius, qui consentire de iure debet, qualis est consensus Sedis Apostolicæ ad alienanda bona immobilia locorum regularium.

6 Confirmari denique, & explicari potest, quia si testator expressisset, se legare Collegio Societatis domum suam magni valoris cum facultate, vt possent Religiosi, quandocumque vellent, illam domum gratis donare, cui ipsis placeret: nemo diceret, quod post decem annos possent licitè pro suo libito domum illam gratis donare cuidam consanguineo Prouincialis, vel Rectoris, hoc enim esset contra votum paupertatis, cui opponuntur sumptus, & donationes superflue, & excessiue, qualis illa esset. Peccarent etiam contra iustitiam dilapidando bona Collegij, quorum ipsi non sunt domini liberi, sed administratores, & quasi usufructuarij. Quare licentia data à testatore interpretanda esset ita so-

lùm, vt talis donatio non inferret iniuriam ipsi testatori, non tamen, vt fieri posset sine peccato contra religiosam paupertatem, vel contra iustitiam, in quibus testator dispensare non poterat, licet posset subtrahere materiam peccati obligando Religiosos ad donandum post decennium; quo casu licitè, & necessariò donarent domum, quia ex iustitia ad donandum tenebantur. Similiter ergo in casu nostro licentia testatoris ad alienandum interpretanda est in eodem sensu, cum ipse tam non possit dispensare in lege Ecclesiastica non alienandi, quam in paupertate religiosa, vel in obligatione iustitiæ, licet posset, vt diximus, subtrahere materiam peccati, obligando Religiosos ad alienandam domum legatam.

#### D V B I V M X X X I I .

*Quid faciendum sit de pecunia donata, et legata ad fundationem Collegij, quando Episcopus non consentit fundationi.*

**T**ertius, qui voto se obligauerat ad expendendam certam summam in erectione alicuius operis pij, vt voto satisfaceret, donauit inter viuos viginti millia aureorum ad fundandum vnum Collegium Societatis in regione quadam suæ ciuitatis, cum iam Societas in alia eiusdem vrbs regione Collegium aliud haberet. Addidit autem, si noui Collegij erectio executioni non mandaretur, velle se donationem, & cessionem illam bonorum esse irritam, referuareque sibi dispositionem illorum bonorum; interim donator moritur, & testamento suo grauauit hæredes alijs legatis pijs, atque etiam ad tradenda bona illa ad fundationem noui Collegij. Mortuo Titio, dum de fundatione noui Collegij agitur, Episcopus loci sese opponit, & negat consensum ad nouam fundationem requisitum ex decretis Pontificiis, quæ habentur apud Lezanam tom. 1. c. 1. n. 34. & seqq. & tom. 4. verb. *Monasteria regularium*. Cum ergo diutius insisteretur in procurando Episcopi consensu, & res in longum abiret, dubitatum fuit primò, an Generalis Societatis posset virtute suorum priuilegiorum commutare voluntatem testatoris, ita vt legatum cederet in augmentum antiqui Collegij. Secundò, an censeretur iam defecisse conditio posita à testatore erectionis noui Collegij; an verò amplius adhuc expectandum esset, vt iterum tentaretur de erectione

erectione procuranda. Tertio, an deficiente conditione nouæ fundationis, maneret liber hæres ab eo legato soluendo. Quarto, quis, & quomodo disponere deberet de illo legato.

2 Ad primum quæsitum aliqui nolebant, posse Generalem commutationem illam facere ex priuilegio concessò minoribus, quod habetur in *compendio priuilegiorum Societatis verb. commutatio*. §. 4. Sed reuera priuilegia, quorum ibi fit mentio, fuerunt viue vocis Oracula, vt constat ex *compendio Minorum, verb. commutatio*, §. 1. & ex Roderic. in *Bullario Regularium in Oraculis Sixti IV. n. 1* & in *Oraculis Leonis X. n. 68* & quamuis vtraque illa concessio dicatur haberi per Bullam Bonifacij IX. facta Patribus Dominicanis, quam Bullam dicunt referri in priuilegijs eorumdem Patrum authenticis, quæ asseruantur in Conuentu Patrum Prædicatorum Eborensi in Lusitania, Romæ tamen Bulla illa, vel priuilegiū Bonifacij inueniri non potuit: vnde merito de tali facultate dubitat Lezana tom. 1. c. 18. n. 94. & tom. 2. c. 19 n. 47. Et quidem, quamuis priuilegia illa extarēt, & permanerent, parum deseruirent ad casum præsentem: in illis enim additur limitatio, dummodo id fiat sine scandalo eorum, ad quos solutio talium legatorum pertinet. quod in præfenti casu vitari non posset, imò statim ab hærede impugnaretur commutatio illa, cum prætendat, deficiente fundatione Collegij, se liberum manere à solutione legati, vt videbimus. Quare Generalis alioquin alienus omnino à commutatione voluntatis testatoris nullo modo sese ingeret, nec vsurparet sibi potestatem aded dubiam, & quæ in foro externo nunquã approbaretur.

3 Ad secundū ergo quæsitū dixi, non videri adhuc verificatū sufficenter defectū conditionis, sed adhuc aliquid amplius ad hoc requiri, vt legatū cederet caducum; quare ex hoc capite hæres non potest prætere retentionē legati. Quod probari potest,

4 Primò, quia tempus assignandum ad hunc effectum debet esse proportionatum operi, quod à testatore iubetur: multum autem temporis requiritur ad facilitandam, & obtinendam licentiam Episcopi, & aliorum ad fundationem noui loci religiosi.

5 Secundò, quia videtur necessariò requiri, vt præcedat non solum monitio, sed etiam sententia Iudicis declarans conditionis tempus præterisse, vt in simili de hærede non exequente iussa testatoris, docent Gregor. Lopez, Couarr. Matienzo, Nouarra, & alij, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez, lib. 4. *consil. cap. 1. dub. 56. num. 3. & 8.*

*D. Io. Card. de Lugo Respon. mor.*

Tertio, quia testator solum dixit, cessante erectione Collegij, donationem irritadam: nõ videtur autem cessare erectio, quamdiu de ea agitur, & intentatur, & nõdum apparuit, an Collegium erigendum sit, vel non.

Quarto denique, quia etiam si elapsum esset tempus, non ideo legatum cederet hæredi, sed deuolueretur ad Episcopum, ad quem spectaret commutare in aliud opus pium, vt statim dicemus.

Ad tertium ergo dubiū dixi, etiam si constaret erectionē noui Collegij fieri non posse, atque aded defecisse omnino conditionem legati; adhuc illud non cedere hæredi, sed couertendum esse in alios vsus pios.

Primò, quia hæc est regula generalis in legatis pijs, vt quoties non possunt in eadem specie impleri, conuertantur in alium vsu pium, vt docent communiter Doctores, quos afferunt, & sequuntur Thomas Sanchez lib. 4. *consil. cap. 2. dub. 4. & alij*, cum quibus idem probaui tom. 2. *de iust. disp. 24. sect. 13. n. 305. & colligitur ex Trid. sess. 25. cap. 8. de reformat. & ratio est, quia iam testator in bonum animæ suæ voluit hæredem tota ea summa priuari; quare adueniente illa impossibilitate, censetur testator adhuc magis amare bonum animæ suæ, quam hæredem. Quamuis autem ab hac communi regula excipi soleat, quando testator expressit, vt adueniente impossibilitate conditionis exsequendæ, legatum redeat ad hæredem, vt cum alijs fatetur Sanchez dicto dub. 4. n. 6. id tamen in nostro casu non expressit in testamento, sed in prima donatione, & assignatione bonorum, voluit, si Collegium non erigeretur, donationem illam irritam esse, sibi que referuauit bonorum illorum liberam dispositionem: in testamento autem postea non apposuit in fauorem hæredis similem clausulam, nec illi referuauit dispositionem illorum bonorum, sed absolutè hæredem grauauit ad ea bona consignanda, sicut ad cætera legata pia. Referuatio itaque illa non deseruit hæredi, sed soli donatori viuenti; post eius verò mortem potius retorqueretur contra hæredem, quia, si donator dispositionem eorum bonorum referuauit sibi; ergo nunc expendenda sunt ea bona, non iuxta hæredis voluntatem, sed iuxta præsumptam voluntatem testatoris, qui in iis casibus, vt diximus, semper præsumitur magis amare animam suam, quam hæredem, nisi contrarium expresserit.*

Secundò, & clariùs hoc ipsum probatur, quia hoc non fuit vtcumque legatum pium, sed ad soluendam summam illam debitam



debitam ex voto, quo se obligauerat testator ad eam summam expendendam in aliquo opere pio in genere: quare, si in hoc opere expendi non potest, debet expendi in alio opere pio, ut satisfiat voto; quoties enim de voto facto constat, (prout in casu posito constabat ex confessione testatoris,) hæres cogi potest, & debet ad illud soluendum, ut cum communi docet Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 15. num. 21. & seqq.* qui cum aliis obseruat *num. 28.* id verum esse, etiamsi testator nihil iniunxisset hæredi, imò, licet eum expressè absolueret à tali obligatione; quia, sicut non potest cum absoluere ab obligatione soluendi alia debita realia, sic nec à solutione debiti ex voto reali. Cùm ergo in casu nostro testator deberet ex voto summam illam expendere in aliquo opere pio, ad id etiam tenebatur hæres, qui eius personam repræsentat, etiamsi testator id non expressisset.

**I** Restat solum quartum quæsitum, quis, & quomodo de illo legato disponere possit, & debeat. Ad quod dixi primò, non solum Summum Pontificem, sed etiam Episcopum posse de illo legato in aliud opus pium disponere, quando fieri non posset Collegij erectio. Requiritur tamen iuxta aliquorum sententiam consensus hæredis, & legatarij circa electionem operis pij, quos refert Sanchez *lib. 4. consil. c. 2. dub. 5.* Alij veriùs solum exigunt consensus Episcopi, & exequutorum testamenti, ut Molina *tom. 1. de Iust. disp. 149.* Si autem partes non concordent, arbitrio iudicis concordandæ sunt, ut notat Sanchez *ibi.* Vide quæ dixi *disput. 24. de Iustit. sect. 13. num. 306. & 307.* vbi cum veriori sententia dixi, non posse Episcopum ad libitum eligere opus pium, sed debere illud eligere quod magis accedit ad voluntatem testatoris, ut colligitur ex *l. legatum ff. de usu, & usufruct. legato*, vbi gloss. idem obseruat, & ex Trident. *vbi supra dicto c. 8.* vbi dicitur, debere conuerti in alium usum pium, qui primæ institutioni proximior sit. Ratio autem est clara, quia de iure naturæ est, ut voluntas testatoris impleatur eo modo, quo potest: si ergo non potest in propria specie, debet impleri in causa magis simili, quæ magis accedat ad mentem testatoris. Cùm ergo mens testatoris fuerit, ut fieret Collegium Societatis in tali loco illius ciuitatis, si in eo loco fieri non potest, fieri debet in alio eiusdem vrbs loco, vel certè Collegium aliud contiguum Collegio antiquo, vel si ne hoc fieri possit, debet accrescere Collegio antiquo indigenti, ut ibi

alantur plures operarij, qui ad illam aliam ciuitatis regionem excurrere possint ad ministeria sua spiritualia ibi exercenda: ut cum aliis notat Sanchez *dicto cap. 2. dub. 7. num. 4.* dicens, si testator fieri iubeat Monasterium nouum in aliqua ciuitate, in qua sunt alia, quæ indigent reparatione, & non est, vnde iis subueniatur, posse auctoritate Episcopi conuerti in eorum vtilitatem. quod saltem in casu nostro locum habebit, quando id, quod testator voluit, mandari non potest exsequutioni.

### D V B I V M XXXIII.

*An conuictores Seminarij reputentur ut familiares Societatis in ordine ad recipienda Sacramenta.*

**S** Vpponitur, Societatem, sicut & plures alios Ordines religiosos, habere nonnulla priuilegia pro suis familiaribus, inter quæ vnum est, quod possit familiaribus suis, saltem intra Collegiorum, seu domorum septa commorantibus, ministrare Ecclesiastica Sacramenta, quoties opportunum fuerit: ut constat ex *compend. priuilegiorum Societatis, verb. familiares §. 1.* & habetur per communicationem concessionis factæ Monachis S. Benedicti à Martino V. per Bullam, ut refertur in *compendio Minorum, verb. familiares.* & idem concessit per Bullam Carmelitanis Alexander IV. ut refertur Lezana *tom. 2. cap. 15. num. 4.* & idem concessit eidem Sixtus IV. ut habet idem Lezana *ibi n. 9.* in quo alia aliorum Pontificum similes concessionem videri possunt. Vnde aliquis fortasse dicet, conuictores seminarij posse virtute horum priuilegiorum accipere Extremam-vnctionem, & cõmunionem tam Paschalem, quàm in articulo mortis per modum viatici à Patribus Societatis, qui Seminarij curam habent, & cum quibus habitant. Aliquando enim omnes cohabitantes, & commensales nomine *familiarium* intelligi solent, ut refert Eman. Roder. *tom. 2. quæst. regul. q. 67. art. 1. in fine,* & Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 4. n. 14.* ipse tamen aduertit, in prædictis, & similibus indultis intelligi solum famulos inseruientes, & intra septa Monasterij habitantes, ut declarauit Concil. Trident. *sess. 24. c. 11 de reformat.* Conuictores autem illi non inseruiunt Patribus, sed potius ipsi inseruiunt in spiritualibus, & temporalibus. Magis posset dubitari de famulis

lis Seminarij, præsertim de illis, qui non inseruiunt immediatè solis conuictoribus, sed communi tertoti Seminario, ut coquus, & qui curam habet triclinij, & similes, qui videntur famuli etiam ipsorum Patrum, quamuis non solum illis inseruiant, sed etiam conuictoribus: verum nec de iis caret difficultate, quòd dicto priuilegio fruantur, ut mox videbimus.

**2** Magis ergo apparenter fundari posset facultas illa in alio priuilegio, quòd alij Auctores moderni referunt concessum ab Eugenio IV. fratribus Minoribus obseruantibus, ut eorum Prælati possint omnes, & singulos fratres Professos, Conuersos, Nouitios, nec non donatos, seu oblatos, presentes, & futuros, & quoscumque pro tempore familiares, seruitores, officiales, & continuè commensales Cœuentuum, Domorum, seu Eremitiorum ab omnibus peccatis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, &c. absoluere, & sique Eucharistia Sacramentum, & Extrema Vnctionis, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare toties, quoties necessarium fuerit. quod refertur apud Mirandam *tom. 1. quæst. 49. art. 1.* & ab aliis Recentioribus. qui tamen debuissent aduertere, in primis concessionem illam Eugenij IV. fuisse per viux vocis oraculum, quod refertur integrum in Bullario regular. Eman. Roder. & est nonum inter Oracula Eugenij IV. atque adeò post reuocationem factam à Gregorio XV. & Urbano VIII. non subsistere. Deinde nomine commensalium, ibi non intelligi eos, qui vtcumque in eadem mensa comedunt de mensa, seu expensis Regularium, qui ideo dicuntur eorum commensales, quia participant de eorum mensa, ut explicat Eman. Roder. *2. tom. quæst. regular. dicta quæst. 67. art. 1.* & colligi potest ex *cap. vlt. de verb. signif. lib. 6.* vbi nominantur commensales, qui continuò expensis domini sui viuunt.

**3** Adhuc tamen extat priuilegium aliud concessum Monachis Benedictinis Hispanis peculiari diplomate, cuius concessio quamuis referatur tanquam viux vocis oraculo facta in *compendio Minorum, verb. Vnctio extrema;* sed re vera facta fuit per litteras à Nicolao Franco Nuncio cum potestate Legati à latero in regnis Castellæ, & Legionis, & refertur ad literam apud Eman. Roder. in Bullario regular. sub titulo *Bulle,* quæ est 42. ibi inter Bullas Sixti IV. vbi *num. 4.* conceditur illis Monachis ministrare Extremam Vnctionem absque alia Parochi, vel Episcopi licentia, iis, qui intra septa Monasteriorum suorum infirmati

fuerint. Cùm ergo facultas hæc per communicationem comperat Societati, & nominatim referatur in cõpendio priuilegiorum Societatis, *verb. Extrema Vnctio,* videtur, quòd virtute illius possint cõuictoribus Sacramenta ministrari etiam in mortis articulo de licentia Superiorum Societatis.

Sed in primis in hoc indulto non fit mentio de Eucharistia, sed de sola Extrema Vnctio: neque in eiusmodi indultis fieri potest extensio ad alia præter contenta in concessione, licet in illis eadem ratio militet, quia intentio Pontificis determinatur ad ea, quæ concedit. Quare non video, quomodo virtute huius indulti possit dari viaticum, & multo minùs Communio in Paschate, quæ à Parocho solo, vel de eius licentia accipi debet.

Posset fortasse responderi, vtrumque Sacramentum concedi in alio indulto concessio à Pio V. Clericis Regularibus, qui vulgò Theatini appellantur, quod habetur in Bulla incipiente, *Ad immarcescibilem,* & est 31. inter Bullas Pij V. in 2. tom. Bullarij, communis Laërtij Cherubini, in qua §. 17. conceditur illis Patribus, ut Eucharistia etiam pro viatico, ac etiam constitutis in articulo mortis, ac Extrema Vnctionis ceteris Clericis, & fratribus Congregationis huiusmodi, ac etiam Mercenarijs famulis, operarijs, & seruis eorundem Congregationis, ac quibusuis hospitibus etiam secularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis huiusmodi tunc reperiri contigerit, etiam Diæcesanorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum ciuitatibus, & Diæcesibus, ac Ecclesijs Parochis respectiuè, Ecclesia, & loca ipsorum Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum, quorumcumque licentia minime requisita, nec obtenta; & in casum, quo non daretur spatium petendi talem licentiam propter repentinam necessitatem, etiam quibuscumque alijs personis, quæ in huiusmodi necessitate intra Ecclesias, Collegia, domos, & habitationes Congregationis reperiri contigerit, ac extra illa alijs quibuscumque infirmis, etiam in mortis articulo constitutis, ubique in causa necessitatis supradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis concessa licentia cuiusuis Sacerdotis curati, Pœnitentia Sacramenta Ecclesiastica ministrare possint. Verum neque hoc indultum videtur extendi ad conuictores, cùm solum loquatur de famulis, & hospitibus: nec enim in rigore conuictores dici possunt hospites, nam hospes commoratur transeunter in domo aliena: conuictores autem sunt in Seminario

nario permanentem, ut in domo propria, cum Seminarium non minus sit domus Seminaristarum, quam Patrum eorum curam habentium. Et quidem in verbis relatis videtur distinctio fieri inter hospites, & alios; siquidem post datam licentiam pro hospitibus absque limitatione, extenditur licentia pro *quibuscumque alijs personis*, quas in prædictis locis reperiri contigerit, cum limitatione tamen ad casum necessitatis, & quo peti non possit licentia à proprio Parocho: non ergo intelliguntur *hospitum* nomine omnes, qui in prædictis locis reperiuntur.

3 Ego in hoc casu distinguerem circa Seminarium, hæc enim aliquando ita fieri possunt, ut Patres Societatis habeant domum, vel Collegium proprium, in quo postea educationis gratia iuvenes aliquos recipiant, quos litteris, & bonis moribus instruant, concurrentibus eorum parentibus ad filiorum expensas, quod quidem non esset alienum ab instituto Societatis, sed proprium illius, ut notavit Suar. *d. lib. 9. c. 4. n. 16.* & constat ex *4. p. constit. Societatis c. 3. §. 3. in constitutionibus littera B. & cap. 9. littera A.* Porro domum illam ad Societatem pertinere, & non ad conuictores, constabit ex eo, quod si conuictores discesserint, & alij non succedant, adhuc Patres Societatis manebunt in eadem domo, ut in Collegio proprio, in quo externos quasi in hospitio ad tempus recipiebant. Aliter verò contingere potest, ut locus ille non pertineat directè, & immediatè ad Societatem, sed erectus sit primariò in Seminarium, vel ex testamento, vel opera Episcoporum, iuxta decretum Conc. Trid. ut iuvenes aliquot ibi educantur, quorum cura demandetur Patribus Societatis, qui ad hunc finem illuc transferuntur, & ibi degunt; non tamen acquirit Societas dominium illius loci; imò potest aliquando Episcopus iustis de causis Societatem ab illa cura liberare, & alijs vel religiosis, vel sæcularibus eam committere, nisi in foundatione fortè testator aliter disposuisset. Hoc sanè modo Romæ Seminarium Cleri Romani commissum est curæ, & regimini Patrum Societatis, sicut etiam Collegia, & Seminarium Germanicum, Anglicum, Scoticum, Maronitarum & Græcorum: in quibus omnibus Societas non degit tanquam dominium habens illorum locorum, sed gubernationem, & curam ex commissione Summi Pontificis: quare, si ea cura Societati auferretur, loca illa manerent pro iisdem Seminaribus, ad quæ directè & imme-

diatè pertinent, non ad Societatem; sicut & aliquando curam Collegij Græci dimisit Societas, & discessit ab eo loco, succedentibus alijs, qui illud gubernarent, quamuis postea iubente Gregor. X V. redierit. Sic etiam curam Collegij de propaganda fide habuerunt per aliquot annos Patres Theatini, qui anno præterito à loco discesserunt, succedentibus Rectoribus, & Magistris sæcularibus.

Hac ergo distinctione supposita, dicere, si conuictores, vel alumni sint prioris generis, posse illis egrotantibus Extremam Vnctionem ministrari de consensu Superiorum Societatis; tunc enim locum videtur habere priuilegium supra relatum Benedictinis concessum, ut fatetur Suar. *dicto n. 16.* quia illi re vera ægrotant intra septa Collegij, vel domus Societatis: de Viatico autem dubitarem, & consulere, ut facultas ab Ordinario, vel Parocho peteretur, quia facultas illa à Pio V. Patribus Theatinis concessa de solis hospitibus loquitur, ut vidimus: conuictores autem in rigore non appellantur hospites, sed inquilini; & ipse Suar. *d. num. 16.* condistinguit illos ab hospitibus, dicens, facultatem illam dandi Vnctionem Extremam iis, qui intra septa Monasterij infirmantur, deseruire posse non solum pro famulis, sed etiam quando contingat aliquem sæcularem ibi ægrotare, *vel occasione hospitij, vel si contingat aliquos sæculares intra Monasterium, vel Collegium studij causa, vel per aliam similem occasionem diutius commorari.* quos noluit Suarez sub *hospitum* nomine intelligere.

Si verò conuictores sint posterioris generis, ita ut non tam ipsi in domo Patrum Societatis, quam Patres in eorum domo sint; non credo posse tutò illis ministrare Viaticum, & Extremam Vnctionem sine generali, vel speciali licentia Ordinarij, vel Parochi: atque ita obseruari audio in Seminario Romano, ubi pro communione Paschali etiam petitur facultas, ut in ipso Seminario fiat. Ratio autem ex dictis videtur esse, quia illi re vera non sunt intra septa Collegij Societatis, sed Patres sunt intra domum ipsorum. Nec credo in eo Seminario clausuram religiosam rigorosè obligare, ita ut sceminae ingredientibus censuram incurrant; quamuis enim communiter ob decentiam non admittantur, aliquoties tamen vidi, dum aliqua spiritualis tragœdia recitaretur, admissas fuisse plures nobiles Matronas etiam in aulam superiorem; imò, quamuis in Collegiis Germanico, Anglorum, Græcorum, &

& Maronitarum in Vrbe sint etiam Ecclesiæ; Religiosi tamen Societatis ibi degentes, quando moriuntur, non ibi sepeliuntur, quia non reputantur Ecclesiæ Societatis, sed deferuntur ad Ecclesiam Collegij Romani: & quidem Collegij Germanici alumni impetrarunt à Patre Generali, ut cadauer Patris Bernardini Castorij, Rectoris illius Collegij, ob præclara illius erga ipsos merita, apud eorum Ecclesiam remaneret, quæ est Ecclesia celebris in Vrbe, & Parochialis, atque adeò habet semper Parochum sæcularem, qui Parochianis Sacramenta ministret. Quare non est sine restrictione accipiendum, quod quidam recentior Auctor nuper generaliter scripsit, Ecclesias horum Seminariorum esse Ecclesias Societatis, & gaudere omnibus indulgentiis concessis visitantibus Ecclesias Societatis, id enim ad summum locum habere potest in iis Collegiis, quæ vel Societas erexit, vel fundatores ipsi pro Societate erexerunt, ut Societas dominium loci illius haberet, & ita ut deficientibus alumni, adhuc locus ille penes Societatem maneat, ut supra dictum est. Secus verò dicendum erit de Ecclesiis illis, in quibus Societas, tanquam in alienis ministrat, quales sunt, quas Romæ dari diximus.

9 Addo denique, etiam si Ecclesiæ, & domus illæ sint propriè domus, & Ecclesiæ Societatis, & ideo conuictoribus, vel alumni ibi ægrotantibus possit à Patribus Societatis Extrema Vnctio ministrari, ex facultate supra relata, Monachis Benedictinis concessa: non video tamen, qua facultate possit illis viaticum, vel communio Paschalis dari, sine licentia Parochi, vel Ordinarij, cum illi nec sint famuli, nec hospites, pro quibus solis eiusmodi priuilegia concessa fuisse vidimus.

## D V B I V M XXXIV.

*Quousque possint Magistri Societatis tradere in scholis materias iuris Canonici.*

1 SUppono, Religiosis prohibitum esse sub excommunicatione audire in scholis lectiones iuris civilis, ex *cap. fin. ne Clerici, vel Monachi, & videri possunt Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 9. & Lezana tom. 1. cap. 9. num. 3.* quoad ius verò Canonicum nulla est prohibitio; sed pos-

sunt Religiosi æquè ac sæculares eiusmodi studio attendere, quippe quod est merè Ecclesiasticum, & Ecclesiasticas personas magnopere decet.

In Societate tamen restringitur facultas hæc quoad Præceptores, quibus non permittitur in scholis omnia tradere, quæ in iure Canonico continentur. Nam *in constitut. part. 4. cap. 12. §. 1.* inter illa, quæ Præceptores tractare debent in scholis, dicitur: *ac etiam expositiua, qua ad hunc finem nobis præfixum conueniunt, (non attingendo tamen eam partem canonum, qua foro contentioso inseruit) pertractabunt.* præmiserat enim, finem harum lectionum esse *proximos ad cognitionem, & amorem Dei, & salutem suarum animarum iuuare.* quò etiam alludere videtur constitutio eadem *part. 4. cap. 14. littera C.* ubi dicitur assumendam esse materiam *ex aliqua parte iuris Canonici*, quasi non omnes partes, sed aliquas solum explanare deceat. Hoc ergo supposito, dubitatum fuit, quæ, & quales materiæ, aut partes iuris Canonici à Magistris Societatis in scholis discipulis tradendæ, & explanandæ sint.

Respondi, mentem constitutionis esse, 3 ut Societatis Magistri, sicut ipsi Aduocati esse non possunt, ita nec in scholis formare debeant Aduocatos, vel iudices in iis, quæ eorum propria sunt, qualia sunt omnia, quæ ad forum contentiosum spectant; sed potiùs docere curent ea solum, quæ ad forum internum pertinent, & quæ necessaria sunt Parochis, Confessariis, & illis, quibus incumbit conscientias instruere, & informare. Seligendæ ergo sunt in iure Canonico materiæ illæ, quæ ad hunc finem deseruiunt, & è contra reiiciendæ sunt, quæ pertinent ad forum contentiosum. Ut tamen magis in particulari scire possint prædicti Magistri materias, quæ ad ipsos pertinent, vel non pertinent, distinximus illas omnes in tres classes. In prima classe constitui possunt materiæ spectantes ad forum conscientiarum, atque adeò ad scholas Societatis iuxta ipsius constitutiones. Hæ autem sunt de Sacramentis in genere, & in specie, de Sacramentalibus, de consecratione Ecclesiæ, de ordinandis, & Ordinum collatione, de vsu pallij, de Apostatis, de censuris in communi, & in particulari, de irregularitate, de Ecclesiis, & Capellis, de celebratione Missarum, de sponsalibus, & matrimonio, & de eius impedimentis, ut de consanguinitate, affinitate, &c. de residentiâ Prælatorum, & de clerico non residenti, de pœnis omnibus, &

Spiritualibus pro foro conscientiae, de constitutionibus, legibus, & consuetudine, de decimis, de diuortis, de feriis, de homicidio, & immunitate Ecclesiarum, de infidelibus, de haereticis, & schismaticis, de delictis clericorum, de ieiunio, de Pœnitentiis, & remissionibus, de rebus Ecclesiae non alienandis, de Regularibus, de conuersione coniugatorum, de reliquiis, & ueneratione Sanctorum, de Simonia, de sacrilegiis, de translatione Episcopi, de voto, de uita, & honestate clericorum, de uisuris, de furtis, de iuramento, de priuilegiis. Hæc omnia ex professo possunt in prædictis scholis applicari.

4. Secunda classis esse potest earum materiarum iuris Canonici, quæ quia forum contentiosum spectant, non debent à prædictis Magistris tractari, sed ad summum obiter, & quatenus ad forum conscientiae possunt conducere, attingi. Eiusmodi autem esse possunt de foro competenti, de accusationibus, de appellationibus, de arbitris, de calumniatoribus, de causa possessionis, de collusionibus, de crimine falsi, de dilationibus, de dolo, & contumacia, de exceptionibus, de missione in possessionem, de feudis, de fide instrumentorum, de electionibus, de institutionibus, de iurapatronatus, de in integrum restitutione, de iudiciis, de libelli oblatione, de liris contestatione, de mutuis petitionibus, de noui operis nuntiatione, de officio iudicis ordinarij, & delegati, & vicarij, & aliorum, de quorum officiis in iure Canonico tractatur, de ordine cognitionum, de plus petitionibus, de postulando, de præsumptionibus, de probationibus, de iuramento calumniae, de procuratoribus, de purgatione canonica, de regulis iuris, de uerborum significatione magna ex parte, de rescriptis, de restitutione spoliatorum, de sequestratione, de supplenda negligentia Prælatorum, de syndico, & actore, de reftibus, de ordine in lite seruando, nempe ut lite non contestata, &c. & ut lite pendente, &c. de successione ab intestato, de transactione, de testamentis, de Parochis.

5. Tertia denique classis potest esse mixta, in qua constituuntur materiae aliquæ, quæ possunt ex professo tractari quoad aliquam earum partem, quæ forum conscientiae concernit, non uero quoad magnam etiam earum partem, quæ spectat ad forum contentiosum. Eiusmodi esse possunt, de mutuo, de donationibus, de emptione, & uenditione, de beneficiis, de pactis, de iniuriis, de fideiussione, de pi-

gnoribus, & aliis contractibus, de præscriptione, de renuntiatione, de dolo, & metu, & similia, quæ mixta sunt, & ad utrumque forum pertinere possunt.

Hæc autem diuisio intelligenda est de doctrina, ut dixi, in scholis tradenda, de quibus solis constitutio illa Societatis loquitur, nam extra scholas possunt quidem Patres Societatis de iis omnibus agere; sic enim Thomas Sanchez, Ludouicus Molina, & alij Societatis Doctores in suis libris ex professo agunt de materiis etiam secundæ classis, quia librorum materia latius patet, quam scholarum, de quibus solum scholis loquitur prædicta constitutio. Sicut etiam non prohiberetur aliquis ex Societate libros edere de materiis iuris ciuilibus, uel medicinae, si eas facultates bene calleret, quamuis in schola non posset eas docere, ut expressè prohibetur in d. part. 4. constit. cap. 12. §. 4. Sic etiam contingit, aliquos ex Societate libros edere de floribus, de agricultura, & similibus, quæ tamen in Societatis scholis tradi non consueuerunt.

#### D V B I V M X X X V.

##### De suffragio dubio in Congregatione Prouinciali.

Singulis trienniis in Societate fit Congregatio Prouincialis in qualibet Prouincia, in qua eligitur Professor aliquis, qui ut Procurator eius Prouinciæ Romam ire debet, tum ad informandum plenè Generalem de statu totius Prouinciæ, tum ut cum ipso Generali, & Assistentibus, & cum Procuratoribus aliarum Prouinciarum, qui simul die præscripta conuenire debent, decernatur per suffragia secreta, an sit cogenda Congregatio generalis. Antea tamen in ipsâ Congregatione Prouinciali de hoc ipso agitur, & per suffragia publica decernitur, an petenda sit Congregatio generalis: quæ quidem petitio non habet vim decisiuam, sed quasi consultiuam, ut singulæ Prouinciæ aperiant suam mentem circa hoc punctum: in quo postea, ut dixi, Generalis, & Assistentes, & Procuratores Prouinciarum habent uotum decisiuum per suffragia secreta, & statur maiori parti circa cogendam, uel non cogendam Congregationem generalem.

Hoc supposito, contingit, ut in quadam Congregatione Prouinciali, dum de hoc articulo

articulo ageretur, vnus ex Congregatis suam sententiam explicuerit, his uerbis: *Ego quidem per principia intrinseca iudico, cogendam Congregationem generalem: quia tamen in contrarium proposita sunt plures rationes, remitto me iudicio Patris Procuratoris electi, qui Romæ, uisus, & auditus omnibus, iudicabit, quod magis expediat.* Hoc itaque suffragio tanquam pro neutra parte decernente, non computato, apparuit maior uocalium pars censere, non esse Congregationem generalem cogendam, atque ita in actis notatum fuit. Sed antequam sessio dissolueretur, aliqui obmurmurare cœperunt, dicentes, non esse benè computata suffragia, nam circa illam dubiam sententiam debebat eius auctor interrogari, ut mentem, & sensum suum declararet. Si enim ipse diceret, se magis sentire cum petentibus Congregationem generalem, iam non esset maior pars nolentium, quam uolentium Congregationem, sed uel minor, uel æqualis. Fine tamen sessioni per Prouincialem imposito, omnes discesserunt, sed postera die aliqui reclamauerunt clarè, & petierunt, ut sensus suffragij dubij ab eius auctore exquireretur: quorum petitioni Congregatio consensit, & Pater ille declarauit, se cum illis sentire, qui Congregationem generalem petebant. Dubitatum ergo fuit, quæ, & qualis æstimanda sit legitima illius Congregationis mens, an pro cogenda, an pro non cogenda Congregatione generali?

3. Pro utrâque parte rationes erant non contemnendæ: quod enim Congregatio illa peteret Congregationem Prouincialem, probari potest primò, quia quando uerba sunt dubia, sensus ab eorum potissimum Auctore petendus est: ipse autem hoc casu explicuit, se cum illis sentire, qui Congregationem generalem petebant, debuit ergo interpretatio uerborum dubiorum acceptari. Secundò, quia debuit saltem, antequam aliquid statueretur, peti ab ipso auctore sensus suorum uerborum, præsertim cum aliqui ante finem sessionis obmurmurarent, & uellent id fieri ante finem sessionis. Tertio, quia die sequenti hoc ipsum aliquibus clarè protestantibus, Congregatio censuit, ita faciendum prouefactum est: quare uidetur auctoritate eiusdem Congregationis firmatum fuisse defectum præcedentis decreti, ob quem retractari debebat, & implicite uidetur retractatum, cum interrogatus de sensu suorum uerborum Pater ille suam sententiam pro parte affirmatiua clarè explicuerit.

Congregatio enim Prouincialis uidetur habere potestatem declarandi dubia, quæ concurrunt, ut colligitur ex formula Congregationis Prouincialis cap. 4. §. 17. Quare, si aliquid dubij erat circa illa uerba, uel circa eorum auctorem interrogandum, potuit Congregatio de hoc dubio legitime iudicare, & eius iudicio standum omnino erat.

Cæterum pro contraria etiam parte non leuia erant argumenta, ob quæ primum decretum sustineri debebat, nec poterat die sequenti mutari, uel alterari. Primò, quia falsò uidetur supponi, sensum illorum uerborum fuisse dubium, & indignissime interpretatione posteriori; sensus enim clarus uidetur, nempe, si ego sola motiua intrinseca haberem, iudicarem cogi debere Congregationem generalem. Nunc tamen, quia alias rationes audiui, nihil uolo ex me iudicare, sed id totum remitto iudicio Procuratoris, qui Romæ melius iudicare poterit. quorum uerborum sensus clarissimus est, & ex illis constat, Patrem illum non iudicasse absolute, cogendam Congregationem, sed dixisse solum, se id fuisse iudicaturum, si motiua sola intrinseca haberet, qua conditione deficiente, prout de facto deficiebat, cum alia motiua audisset, noluit pro alterutra parte iudicare, sed remisit se iudicio à Procuratore Romæ faciendo: quare suffragium illud pro neutra parte debebat computari, nec eius interpretatio exquirenda erat, cum satis de sensu Auctoris constaret.

Secundò, quia non obstat, quod Auctor postera die aliter suam mentem explicauerit: tum, quia magis standum est uerbis, quæ quando clara sunt, non possunt aliter ab Auctore explicari in præiudicium prioris suffragij: alioquin nulla electio, aut decretum maneret firmum, sed semper suffragatores potuissent postea declarare mentem suam in alio sensu: tum etiam, quia declaratio illa facta fuit post tempus legitimum: nam decretum factum die præcedenti, non poterat die subsequenti alterari, ut constat ex formula Congregationis Prouincialis cap. 6. num. 49. ubi sic dicitur: *Rerum tractandarum determinationes ad plura suffragia simpliciter definiantur: quæ nullo modo secreta esse debent, siue de negotiis aliis agatur, siue queratur, cogenda ne sit Congregatio, nec ne; ob multa, ea quæ graua incommoda, quæ præter nouitatem sequerentur. Neque in eis intercessio permittatur, ut citius expediri possent, cum præsertim de eo tantum agendum sit, num proponenda*



*penda videantur Congregationi, aut Præposito generali, & quam sit de iis plurimum sententia: licet autem cuique aliis auditis mutare sententiam, antequam res omnino concludatur. Porro quæ transigentur in actione una, in sequenti à Secretario legantur, ut Congregatio intelligat, sint ne omnia rectè excepta, & explicata, an non.* Ex quibus verbis constat, non licere variare sententiam, nisi eadem die, & antequam res concludatur, cuius duplex ratio ibi insinuat: nempe ut citius res expediatur, & quia tota illa tractatio non est decisiva, sed solum consultiva, & ut constet Generali Præposito, vel Congregationi generali, quis sit sensus ut in plurimum Societatis.

6. Vnde probari potest tertio hæc pars, quia, etiam si suffragium illud fuisset dubium, adhuc ad finem Congregationis illius non erat necesse querere sollicitè ab Auctore eius interpretationem. Cum enim tota illa discussio tenderet solum ad instruendum Generalem, & Procuratores Romæ congregandos de sententiis in Congregationibus provincialibus prolatis; id totum præstari abundè poterat absque aliâ interpretatione eorum verborum; poterat enim referri, quomodo, & quibus verbis Pater ille suam sententiam dixerat, & quid etiam alij dixissent: quod satis erat ad simplicem relationem, & instructionem offerendam, quibus habitis Generalis, & Procuratores interpretari, & iudicare poterant, quo loco sententia illa habenda esset, & an maior, vel minor pars sensisset, cogendam esse Congregationem generalem, & Congregatio Provincialis suo debito satisfecisset, narrando ad litteram, & referendo verba singulorum. Neque enim, ut dixi, ad Congregationem Provinciale spectat de hoc puncto discernere, sed referre fideliter, quid singuli Patres interrogati de re illa responderint.

7. Nec obstat, quod postera die aliqui Patres intercesserint, ut Pater ille interrogaretur de sensu sui suffragij. Vocatur autem ibi *intercessio*, quando aliqui se se opponunt decreto maioris partis, & petunt ut iterum de eadem re sententiæ exquirantur. Respondetur enim eiusmodi intercessionem, licet in Congregatione generali admittantur, intra triduum una, vel in aliquo casu duæ, ut habetur in formula Congregationis generalis cap. 7. §. 7. in Congregatione tamen Provinciali nulla prorsus intercessio admittenda esset, ut constat ex verbis formulæ supra relatis.

Nec etiam obstat, quod in eadem sessione, antequam ab eo loco recederetur, aliqui reclamasse dicuntur, petentes, ut sensus suffragij ab eius Auctore pereretur; illa enim non potuit dici reclamatio, quippe quam nec Provincialis, nec Secretarius Congregationis, nec maior eius pars audivit: sed fuit potius obmurmuratio, qua aliqui cum suis vicinis tacita querela susurrabant. Nec reclamare dicitur, quem maior pars non percipit. Imò, etiam si maior pars audisset, eo tamen ipso quod tacuit, videtur tacite querelam illam reiecit, & iudicasse, non oportere Auctorem interrogare de sensu, qui in verbis ipsis clarus apparebat. Aliud esset, si Auctor ipse reclamasset; tunc enim agere posset de nullitate, eò quod non fuisset exauditus, cum durante adhuc eadem sessione, potuisset licite, & valide sententiam mutare, ut constat ex verbis formulæ supra relatis.

Nec denique obstat, quod die sequenti 8. proposito dubio, Patres decreuerunt, interrogandum esse Auctorem suffragij de sua mente, & iuxta illam iudicandum. Responderi enim potest, Patres fortasse non potuisse die sequenti id facere, quia decretum una die factum non potest die sequenti ob intercessionem rescindi, ut ex formula supra vidimus. Neque etiam poterunt per modum declarationis procedere auctoritate Congregationi concessa ad declaranda dubia, quæ occurrunt: sciendum enim est, eiusmodi facultatem non esse generalem, sed limitatam, ut constat ex eadem formula Congregationis Provincialis cap. 4. §. 17. ubi ea facultas Congregationi Provinciali conceditur, his verbis: *Possunt enim Patres legitime congregati (si modo duas tertias partes excedant,) ad presentem praxim dubia omnia terminare, quorum explicatio Congregationi perficienda opportuna videbitur; quoties ea ex constitutionibus, decretisve, aut Generalium responsis colligi non poterit.* quæ conditiones deficere videbantur in casu presenti; nam ex decretis, & formulis habebatur, non posse sententiam in una actione dictam die sequenti alterari. Deinde, si quid ibi dubij remanebat, explicatio certe illius dubij non erat necessaria ad Congregationem perficiendam. Cum enim in ordine ad conuocandam Congregationem generalem non habeat Congregatio provincialis votum definitiuum, ut vidimus, sed solum consultiuum, ut proponat Præposito generali, & Procuratoribus Romæ congregandis sensum Congregationis provincialis,

*An possit Professor Societatis sine præcepto Summi Pontificis assistere loco Ordinarij in Tribunali sancti Officij.*

Suppono, omnes Professos Societatis. I post factam Professionem solemnem, emittere in loco separato aliqua vota simplicia, quorum vnum est, nunquam securaturos, prætenfurisve extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem, nec consensuros in sui electionem, quantum in ipsis fuerit, nisi coactos obedientiæ eius, qui eis præcipere potest sub pœna peccati. Suppono item, Inquisitorem non posse sine Episcopo, vel eius vicem gerente procedere, ad sententiam condemnatiuam, vel ad torturam, sed debere Episcopum requirere, & cum eo processum communicare, ut vel ipse Episcopus interueniat, vel alium loco sui mittat, quem saltem per octo dies expectare debet, post quos dies potest Inquisitor solus procedere, ut tradunt communiter Doctores, quos congerit, & sequitur Carena tract. de officio sanctæ Inquisitionis. part. 1. tit. 4. §. 2. per totum. Ad quod munus solebant aliqui Episcopi in locis, in quibus non resident, & ubi resident Inquisitores, delegare suas vices alicui Patri Societatis, qui Episcopi loco interueniat in eiusmodi causarum expeditione. Vnde dubitatum fuit, an Professor Societatis possit eiusmodi delegationem acceptare sine præcepto potentis ad id sub peccato obligare.

In hoc puncto duo possent dubitari. Primum est, an votum non procurandi, nec acceptandi, extendatur etiam ad eiusmodi officia, seu delegationes. Secundum verò est, an ad hæc officia acceptanda requiratur præceptum Summi Pontificis, an verò sufficiat præceptum Præpositi generalis, vel alicuius alterius. Quoad primum dubium, ego in eam partem semper propendo, quod prædictum votum comprehendat etiam eiusmodi officia. Ratio est, quia verba voti generalia sunt non procurandi, nec acceptandi dignitatem ullam, vel Prælationem extra Societatem sine præcepto obligante sub peccato. Nomine autem Prælationis intelligi videntur munera omnia, quæ secum afferunt iurisdictionem spiritualem, & Ecclesiasticam in foro externo, ut explicant Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10.

cialis, & rationes vtrimque productas, id totum poterat optimè fieri non interrogato denuò auctore suffragij; poterat enim referri, tot Patres iudicasse cogendam Congregationem, tot verò iudicasse non cogendam: ac denique vnum talibus verbis sententiam dixisse, ac se demum remisisse sententiæ à Procuratore Provinciae ex informationibus Romæ habitis ibi proferendæ, quo pacto integrè, & fideliter referebatur quidquid à Patribus in copuncto dictum, factumve fuerat, & Congregatio Provincialis suo muneri abundè satisfaciebat. Non ergo necessaria erat explicatio illius dubij ad Congregationem Provinciale conficiendam, atque adeò non erat ex iis dubiis, ad quorum explanationem potestatem habet Congregatio Provincialis.

9. Hæc itaque rationes pro vtraque parte erant: cum verò de re iam præterita ageretur, & de qua parum referebat scire, an ritè peracta esset, cum ad finem Congregationis provincialis satis esset scire, quid, & quomodo factum sit, qualecumque illud fuerit: dixi videri mihi, magis iuxta formulam futurum fuisse, si res prout facta fuerat in prima sessione, reducta fuisset in acta, & verba suffragij, de quibus postea dubitatum fuit. Nec dandam fuisse liberam facultatem auctori suffragij explicandi die sequenti suum suffragium, cum eo ipso esset periculum mutandi sententiam, (quod die sequenti non permittitur;) quando verò iam interpretari permissus est suam mentem, non debuisse interpretationem illam pro suffragio legitimo, & certo computari, nec iuxta illam numeranda esse suffragia petentium Congregationem generalem, quasi iam maior pars, addito illo suffragio id sentiret: sed narrandum solum fuisse in actis, quid postera die contigisset, & quomodo Pater ille suam sententiam explicauerit; hoc enim sufficebat, & requirebatur, ut postea Romæ Congregatio Procuratorum scire posset, quid de sensu illius Congregationis provincialis æstimandum esset, cum hæc sola notitia ad meram informationem Præpositi generalis, & Procuratorum requiratur, absque eo quod Congregatio provincialis se ingereret in discernendo, an Pater ille potuisset validè die sequenti suam sententiam interpretari in alio sensu ab eo, in quo die præcedenti acceptata fuerat.

tract. 10 lib. 6. cap. 7. num. 13. & Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 5. punct. 6. num. 3. ubi inter Prælationes in voto comprehensas numerat Vicariatum Episcopi. Imò Suarez ubi supra num. 15. putant sub nomine *Prælationis* intra Societatem, quam eius Professi ex voto peculiari procurare non possunt, comprehendere etiam munus electorum, qui ad hoc eliguntur, ut in Congregatione generali eligere possint Præpositum generalem; quia ij iam videntur deputari ad aliquam iurisdictionem exercendam in ipsa Congregatione generali, atque idèd faciet contra votum, qui procuraret fieri vnum ex prædictis electoribus. A fortiori ergo idem diceret de eo, qui procurat habere vices Episcopi in Tribunali sancti Officij. Ratio autem esse videtur, quia munus illud affert secum iurisdictionem non solum pro vno, vel alio actu transeunti, sed permanentem, & habitualement pro vniuersitate causarum ad illud Tribunal spectantium, atque adèd videtur esse species aliqua Prælatuæ, cum tamen nulla sine præcepto cogente possit ab eiusmodi Professis procurari, vel acceptari.

3 Denique quoad hoc non videtur remanere dubium post declarationem factam à felic. record. Urbano VIII. qui speciali decreto facto die 25. Ianuarij anno 1632. declauit, & decreuit in dicto voto Professorum Societatis, nomine *dignitatis, seu Prælationis extra Societatem*, comprehendendi dignitates, seu Prælationes sæculares, & quacumque officia, quorum officiales iurisdictionem Ecclesiasticam, vel laicalem, de iure, vsu, vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent. Porro dubitari non potest, quod Vicarius Episcopi ad causas sancti Officij iurisdictionem habeat, & exercent ecclesiasticam, pertinentem ad forum externum in illo Tribunali, atque adèd quòd nomine *dignitatis, seu Prælationis* iuxta declarationem illam Urbani debeat intelligi.

4 Restat ergo secundum punctum, quis possit hoc præceptum Professo Societatis imponere, ut illud munus acceptet. Posset enim in primis aliquis contendere, posse Generalem Præpositum id præcipere, quia, quamuis ipse non possit Professo præcipere acceptationem Episcopatus, Cardinalatus, vel alterius similis Prælatuæ, ut vidimus lib. præcedenti dubio 4. id tamen idèd non potest, quia per eiusmodi acceptationem Professus eo ipso extrahitur,

& eximitur ab obedientia Præpositi generalis: quare non potest subdito præcipere, ut id acceptet, hoc enim esset præcipere subdito, ne sit subditus. In casu autem nostro officium illud non extrahit subditum ab obedientia Societatis, sed remanet adhuc subiectus regulæ, & disciplinæ regulari, ac suorum Prælatorum correctioni, cum nec ipsimet Inquisitores exempti maneant à suis Prælati, sed ab iis corrigi possint, saltem in iis, quæ non pertinent ad sua officia, & quando poena non impediret, vel retardaret sui officij executionem, ut tradunt communiter Doctores, quos affert, & sequitur Diana part. 4. tractat. 8. resolut. 53. quod magis habet locum in casu nostro, in quo Professus deputatus ab Episcopo, ut sui loco assistat in Tribunali S. Officij, manet sub eadem disciplina regulari, & non minùs liberè à Prælati Regularibus regitur, & corrigitur, quàm alij omnes Religiosi eiusdem domus, vel Collegij; non ergo apparet, cur Prælati Regularis non possit subdito præcipere, ut eiusmodi munus acceptet, sicut potest ei præcipere, ut Confessarius sit, vel Concionator alicuius Principis, vel Prælati.

Supposita tamen resolutione puncti præcedentis, consequenter dicendum videtur, nullum Prælatum Societatis, neque etiam ipsum Generalem posse id præcipere. Ratio autem est, quia votum obedientiæ Regularis solum obligat ad obediendum in iis, quæ sunt iuxta regulam: vnde Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 2. numer. 49. probat, non posse Prælatum regularem præcipere subdito, ut acceptet Episcopatum, quia Episcopatus non est secundum regulam, nec pertinet ad statum, aut bonum Religionis, sed ad bonum commune Ecclesiæ, & num. 30. addit ob eandem causam, non posse illi præcipere, ut Parochi munus exercent, nisi sit beneficium regulare eiusdem Religionis. quod etiam ob eandem rationem docet Castro Palao tom. 3. tract. 16. disp. 4. puncto 5. num. 3. ubi alios refert. Prædictum autem officium nec est secundum regulam, nec pertinet ad statum Societatis, sed ad bonum commune Ecclesiæ, & in rigore est pars officij Vicariatus Generalis Episcopi; quare, sicut non pertinet ad Prælatos Regulares imponere suis subditis, ut sint Vicarij Episcoporum, ita nec possunt illis præcipere, ut sint eorum Vicarij in ordine ad causas Tribunalis sancti Officij, ob easdem rationes.

Maiores

6 Maior posset esse difficultas, an Inquisitores ipsi possint præcipere Religioso Societatis, ut eiusmodi delegationem, & officium acceptet, & exercent, quando ab Episcopo nominatur: id enim probari posset primò ex doctrina generali, quòd Inquisitores possunt cogere ad acceptandum officium Consultoris in Sancto Officio, ut constat ex cap. *ut commissi*, § *aduocandi, de hæreticis in 6.* & tenent Doctores communiter, quos affert, & sequitur Carena tract. de officio Inquisitionis part. 1. tit. 6. §. 1. num. 1.

7 Secundò magis specialiter posset idem probari ex iure speciali ipsius Societatis, quæ, cum haberet à Summis Pontificibus priuilegium exemptionis, ut non possent Religiosi Societatis obligari ad acceptanda officia Sanctæ Inquisitionis, vel exercitium etiam in aliorum defectum, absque expresso sui Superioris consensu, ac etiam mandato, ut habetur in compendio priuilegiorum Societatis, verb. *exemptio*. §. 3. ipsa tamen Societas in quinta Congregatione generali, decreto 21. ad instantiam Philippi II. Regis Catholici huic exemptioni renuntiauit, & sese obedientiæ Tribunalis Sancti Officij, quoad hæc in Hispaniæ Regnis omninò submisit, ubi non fuit sermo de solis officiis Consultorum, aut Qualificatorum, sed de quouis munere, officio, vel exercitio; quare videtur Societas agnouisse potestatem Inquisitorum ad cogendum præcepto suos Religiosos, ut hæc munera acceptarent.

8 Aliunde tamen videtur, non potuisse prædictum officium ex præcepto Inquisitorum acceptari. Primò, quia in dicto cap. *ut commissi*, sermo solum est de munere Consultorum, de quibus etiam, & de Qualificatoribus agebatur, quando Societas in quinta Congregatione exemptioni suæ renuntiauit. Querelæ namque omnes Inquisitorum, de quibus ibi mentio fit, erant solum circa officia Consultorum, & Qualificatorum, quos Inquisitores eligere volebant liberè ex Societate, sicut ex aliis Religionibus: quam libertatem concessit eis Societas in prædicto decreto, nec videtur tunc cogitarum fuisse de officiis Inquisitorum, aut habentibus iurisdictionem ordinariam, vel delegatam. quæ Societatis mens colligi potest primò ex decreto subsequenti 28. in quo, ne ex cessione illa exemptionis iam facta daretur ambitionis occasio, prohibitum fuit sub excommunicatione, ne vllus ex Societate officia Consultoris, vel Qua-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

lificatoris in Inquisitionibus Hispanis ambiret, vel procuraret; de illis ergo solis officiis cogitauerat, quando subiecit se Inquisitoribus in acceptandis officiis illius Tribunalis. Secundò, quia priuilegium, cui cessit Societas, erat, ne cogentur acceptare ex officio, sine consensu, ac mandato Superiorum: Superiores autem Societatis non poterant subditos cogere præcepto ad acceptanda officia habentia iurisdictionem Ecclesiasticam, quia hæc comprehenduntur nomine *Prælationis extra Societatem*, ut vidimus; ergo tam in ipsa exemptione, quàm in illius cessione non erat sermo de officiis habentibus iurisdictionem, quale est illud, de quo agimus, sed de aliis merè ministerialibus.

Ex alio etiam capite cessio illa non videtur potuisse comprehendere hoc officium; quia cessio illa solum fuit in gratiam Inquisitorum, ut ex contextu patet, & ut Hispani Inquisitores possent liberè vti opera Religiosorum Societatis; debet ergo intelligi circa officia, quæ ab ipsis Inquisitoribus imponuntur, & ab eis dependent: quale non est munus interueniendi Tribunali loco Episcopi; hoc enim munus non dependet ab Inquisitoribus, nec ab iis imponitur, sed à solo Episcopo, qui pro suo libito eligit aliquem Vicarium loco sui, cui suas vices delegat: non renuntiauit ergo Societas quoad hoc officium, suam exemptionem, atque adèd non potest ab Episcopi præcepto aliquis ex Societate obligari ad hoc munus acceptandum: quare cum aliunde Prælati Regulares non possint hoc præcipere, ut vidimus, restat quòd solus Summus Pontifex id possit præcipere.

Sed, quidquid de his sit, sublata est iam omnis difficultas, & omne dubium in hoc puncto, stante proprio moru, seu decreto felic. record. Urbani VIII. edito 26. Februarij anno 1643. ubi ad tollenda omnia dubia declarauit, & decreuit, Religiosos illos, qui iuxta suas constitutiones peculiare votum emittunt non procurandi, nec acceptandi dignitatem aliquam, seu Prælationem extra Religionem, nisi coacti sint, vel adstricti præcepto eius, qui sibi præcipere potest; hos, inquam, non posse acceptare dignitatem, vel Prælationem eiusmodi ex præcepto cuiuscumque Prælati, vel Superioris, quicumque ille sit, nisi solius Summi Pontificis, ubi omnes alij etiam Legati à latere, & quacumque nota digni excluduntur à pote-

state id præcipiendi, vel dispensandi in eo voto. Vnde etiam si Episcopi, vel Inquisitores potuissent hoc munus alicui ex Societate imponere, & præcepto cogere ad acceptandum: nunc tamen proculdubio non possunt, cum ex vno capite Pontifex ibi sibi vni, & suis successoribus reseruauerit facultatem cogendi præcepto ad quamlibet Prælationem extra suum Ordinem Religiosos, qui ex suo instituto eiusmodi vota emittunt, non acceptandi Prælationes extra suum Ordinem: & ex alio capite idem Pontifex alio Breui, vt supra vidimus, declarauerit, nomine Prælationis in eiusmodi votis intelligi quæcumque officia, quorum officiales de iure, vel consuetudine habent, vel exercent iurisdictionem aliquam Ecclesiasticam, vel laicalem, qualem Ecclesiasticam iurisdictionem etiam in foro externo habent, & exercent, qui loco Episcopi interueniunt Tribunali Sanctæ Inquisitionis.

## D V B I V M XXXVII.

## Quid iudicandum sit de Professo Societatis fugitio.

**P**rofessus quidam Societatis, cum suo Prouinciali non obediret, timuit, ne fortasse ea de causa in suo cubiculo carceraretur, & fuga arrepta, habitu tamen retento, per plures dies non comparuit, animo tamen redeundi, cum primum nouus Prouincialis succederet. Multa ergo in hoc casu, qui in Societate insolitus erat, quæsitæ sunt.

Primò, quærebatur, an censendus esset Apostata? Respondi, non deesse, qui id concedant. Nam in primis, quando non retinetur habitus, etiam si sit animus redeundi, si tamen sit animus absentiae longæ, reputari Apostasiam, docent aliqui, quos affert, & sequitur Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. num. 21. qui num. 24. addit, idem procedere, licet Religiosus fugitiuus non dimittat habitum, quod etiam repetit cap. 2. num. 14. pro qua sententia afferantur etiam Antoninus, Tabiena, & Armilla, quamuis non omninò clarè loquantur apud Castro Palaum tom. 3. tract. 6. disp. 4. punct. 16. num. 3. Addit autem Suarez dicto cap. 1. numer. 35. longitudinem temporis sufficientem ad Apostasiam iudicari debere arbitrio pru-

dentis; sufficere tamen animum ab initio illius longæ moræ, quamuis postea à Prælati deprehensus, vel mutato consilio, redeat breui ad obedientiam regularem.

Communis tamen sententia ad veram, & propriam Apostasiam requirit habitus dimissionem cum animo non redeundi. ita tradunt communiter Doctores, quos congerunt, & sequuntur Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 2. Castro Palaus ubi supra num. 2. & 4. & Lezana tom. 1. cap. 16. num. 7. Cum ergo hæc sententia ad minus sit probabilissima, non debemus in casu nostro Professum illum tanquam Apostatam damnare; potuit enim se communi ferè omnium sententia defendere, iuxta quam absolendus potius est à pœnis Apostasie.

Secundò itaque quæsitum fuit, an saltem ob fugam incurreret aliquam excommunicationem? Respondi, de iure communi excommunicationem impositam esse Religioso fugitio, dimisso habitu, non verò si habitum retineat, vt ex Bullis Pauli IV. & Pij IV. probant Doctores, & videri possunt Suarez ubi supra dicto cap. 2. à num. 10. & Sanchez ubi supra num. 11. De iure autem speciali Societatis nulla reperitur excommunicatio lata contra fugitios, si non sint Apostatæ: imò aduertit idem Sanchez ibi num. 7. in Societate non dari propriè habitus dimissionem, cum Societas non habeat habitum sibi proprium: in nostro autem casu neque hunc qualitercumque proprium, seu vſitatum Societas habitum fugitiuus dimisit; quare nullam ex hoc capite excommunicationem incurrit.

Tertiò quæsitum fuit, quibus pœnis ob fugam puniri posset? Respondi, pœnis arbitrariis, attenda qualitate personæ, delicti, & aliis circumstantiis, vt colligi potest ex Tridentino sess. 25. cap. 4. de Regularibus, vbi eiusmodi Regulares fugitiui ab Ordinario, seu Episcopo puniri præcipitur, non determinando pœnam imponendam. Potest ergo puniri carcere, ieiuniis, & aliis pœnitentiis ad tempus, pro maiori, vel minori culpa, quam in hoc casu contraxisse reperietur.

Quartò quæsitum fuit de aliis ex Societate, si qui fortè deprehendantur, cooperati ad illius fugam, vel saltem non impediuisse, cum ex officio tenerentur impedire: an ij incurrerint pœnas contentas in compendio priuilegiorum Societatis verb. Apostata, §. 3. & 4. Respondi, pœnas

## D V B I V M XXXVIII.

## Continens quæsitæ aliqua circa iudices Conseruatores Societatis.

**S**pponendum est, potestatem, & iurisdictionem iudicum Conseruatorum, quos Regulares eligebant, & facultatem eorundem Regularium ad eos eligendos, multò ampliorem antea fuisse, quam hodie sit post constitutionem Gregorij XV. editam anno 1621. quæ habetur in 4. tom. Bullarj communis, & est nona inter Bullas eiusdem Pontificis. Quare in hac materia standum omninò est decretis in prædicta Bulla contentis, & declarationibus sacre Congregationis Cardinalium Tridentini Interpretum postea emanantis, quas congerit Lezana tom. 2. c. 10. per quæ decreta, & declarationes imminuta magna ex parte sunt priuilegia tum aliarum Religionum, tum etiam, quæ Societas amplissima habebat ex Bulla Gregorij XIII. & quæ enumerantur in compendio priuilegiorum Societatis, verb. Conseruator. Post prædictam verò Bullam Gregorij XV. Conseruatores in primis eligi non possunt, nisi sint in dignitate Ecclesiastica constituti, vel Personatum obtinentes, vel Ecclesiæ Cathedralis Canonici; sed neque hæc deficiunt, nisi sint in Conciliis Prouincialibus, aut Diocesanis designati, vt eligi possint: in quibus Synodis debent plures personæ ad hoc munus designari, ex quibus, si aliquis interim obierit, designare debet interim Ordinarius loci cum consilio Capituli alium eius loco vsque ad futuram Synodum. Quod etiam loci habere, quando aliquis illorum per longum tempus absit, atque ita responsum fuisse à S. Congregatione, docet cum aliis Lezan. ubi sup. n. 56. deinde Regulares debuerunt intra Italiam infra duos menses, extra Italiã verò infra sex menses à die publicationis dictæ Bullæ in Vrbe inchoados, eligere sibi Conseruatores, & eiusmodi electionis documentum penes acta Curie Ordinariorum dimittere, alioquin poterunt coram Ordinariis conueniri: Conseruatorem verò semel electum non possunt durante quinquennio amouere, nisi ex causa legitima à Sede Apostolica, vel ab Ordinario approbata. Postea tamen responsum esse à S. Congregatione, vt Religiosi, qui intra tempus designatum non deputarunt Conseruatores, possint quandoque eis liberit, eos eligere, refert ex Barb. in Collect. Bullarj, verb. Regulares 1. Lez. ubi sup. n. 58.

pœnas ibi contentas imponi cooperantibus Apostatæ, vel saltem recedenti à Societate, vt fatetur Castro Palaus ubi supra punct. 18. num. 7. Qui tamen amplecteretur sententiam Suarj supra adductam, consequenter deberet dicere, quòd, si fuga durauit longo tempore, vel ab initio fuit animus differendi redditum per longum tempus, quorum quodlibet in illa sententia sufficit ad incurrendas pœnas Apostasie; cooperantes etiam incurrerint pœnas in dictis locis impositas illis, qui cooperantur Apostatis, vel recedentibus à Societate.

7 Vltimò quæsitum fuit, quo peccati genere peccauerint eiusmodi cooperantes: an non solum contra iustitiam, quatenus Societatis in suos subditos ius læserunt; sed etiam contra Religionem, sicut & ipse fugitiuus peccauit etiam contra Religionem, & quibus pœnis puniendi sint. Respondi, peccasse quidem grauissimè, & quidem in multorum sententia peccato iniustitiæ contra iura Societatis, vt docet Suarez ubi supra cap. 3. num. 3. Castro Palaus d. puncto 18. & alij, quos retuli tom. 1. de Iustitia disp. 9. sect. 3. num. 42. vbi tamen probabilius esse dixi cum aliis, non esse peccatum iniustitiæ, quando non intercedit vis, vel fraus ex parte cooperantis, atque ideò in ipso non esse obligationem restituendi pro damnis aliis subsequutis Religionem. Peccant tamen cooperantes illi peccato grauissimè contra Religionem, contra quam directè peccat ipse Professus fugitiuus, alij autem cooperantes peccant indirectè. Quare peccatum cooperantium non videtur esse eiusdem speciei cum peccato ipsius fugitiui, quia regulariter in aliis materiis præter materiam iustitiæ, malitia consulenti, vel cooperantis non est eiusdem speciei, sed indirectè opponitur eidem virtuti, contra quam principalis peccat directè. Quod latius explicui, & probaui disp. 16. de Pœnitentiis, sect. 4. num. 156. & sequentibus. Vnde possunt eiusmodi cooperatores cum proportione puniri pœnis, & pœnitentiis debitis; leuioribus quidem, quam ipse fugitiuus, sed grauius, iuxta delicti qualitatem, & attentis circumstantiis, & excusationibus, quas fortasse afferre possunt ad excusandum, vel ad diminuendum suum peccatum.

\* \* \*

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.



2. Addidit Gregorius, non posse Regulares ut actores trahere alios coram suo Conseruatore. Nec posse Conseruatores procedere contra quoscumque extra ciuitatem, aut Diocesim, in quibus fuerint deputati. Controuersia autem orta inter Conseruatores, & Ordinarium super iurisdictione, in causa non procedendum, donec per arbitros in forma iuris electos fuerit super iurisdictionis competentia iudicatum. Denique additæ sunt pœnæ contra inobedientes, aut excedentes limites in hac Bulla præscriptos.

3. Hinc ergo orta sunt aliquot dubia. Primò quærebatur, an hodie possint Conseruatores cognoscere de aliis causis præter casum manifestæ iniuriæ, & violentiæ. Ratio dubitandi oriebatur ex constitutione Bonifacij VIII. quæ habetur in cap. finali, de officio, & potestate iudicis delegati in 6. ubi dicitur, eiusmodi Conseruatores dari ad manifestas iniurias arcendas; iuxta cuius constitutionis terminos, & non aliter, Congregatio Concilij Tridentini respondit, posse procedere Conseruatores, cuius decisionem postea adducemus. Vnde Lezana ubi supra num. 62. pro comperto supponit, hodie post constitutionem Greg. X V. Conseruatores Regularium non posse procedere siue in ciuilibus, siue in criminalibus, siue quando Regulares sunt Rei, siue quando sunt Actores, nisi in manifestis iniuriis, & violentiis: atque ad eam antequam procedere incipiat, oportere, quòd appareat, iniuriam, seu violentiam fuisse manifestam, & notoriam: ubicumque enim iurisdicção committitur alicui respectu certæ qualitatis, debet ei ante omnia de qualitate illa constare. Si tamen Conseruator dubitet de illa notorij qualitate, vel de ea clarè non appareat, poterit ante omnia summariè examinare, an violentia, seu iniuria notoria sit, & super eam probationes assumere ad fundandam suam iurisdictionem, itaut si inueniant eam notoriam, procedat, aliàs se incompetentem pronuntiet. Hæc Lezana ibi.

4. Cæterùm, quidquid sit de mente huius Auctoris, omninò videtur dicendum, quando Regulares non sunt actores, sed rei, posse, & debere conueniri ipsos coram suo iudice Conseruatore, non solum in criminalibus, sed etiam in causis ciuilibus, & debitis pecuniariis: prout alij Dòctores supponunt, & notat P. Thefaurus in praxi ecclesiastica part. 2. verb. Conseruatores, cap. 1. num. 3. dicens, in hoc etiam puncto limitata fuisse priuilegia Regula-

rium à Gregorio X V. Nam Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de reformatione, dum prohibuit, ne aliquis apud suum iudicem Conseruatores in causis ciuilibus alios ut actor traheret, exclusit expressè ab ea prohibitionem loca religiosa, relinquens illis sua priuilegia, quæcumque essent, integra, quæ tamen hac in parte abstulit Gregorius in dicto decreto, statuens, ne Regulares, quando sunt actores, possint alios ad suum iudicem Conseruatores trahere. Constat autem ex verbis ipsis, quòd quando non sunt actores, sed rei, possint, imò & debeant coram suo iudice Conseruatore conueniri in omnibus causis. Verba enim decreti Gregorij sunt hæc. *Ad hæc statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac persona suprascripta conueniri quidem, aut trahi debeant, sed aliàs conuenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij (scilicet quorum Conseruatores sunt) actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint.* ubi vniuersaliter Conseruatori datur iurisdicção ad omnes causas, in quibus Regulares tanquam rei conueniuntur.

Hoc autem efficaciter confirmari potest, quia manifestè constat, Gregorium discrimen assignasse inter causas in quibus Religiosi sunt actores, & illas, in quibus sunt rei. Certum est autem, quòd etiam quando sunt actores, possunt coram suo conseruatore se tueri contra inferentes manifestas, aut notorias iniurias, & violentias. Ita enim respondit, & declarauit sacra Congregatio anno 1624. ut habetur post dictam constitutionem Gregorij in dicto 3. tomo Bullarj, his verbis: *in constitutione de Conseruatoribus edita à S. memoria Gregorio XV. inter cætera statutum est, ut coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant, sed aliàs conuenire, aut trahere non possint, &c. Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus detracuntur, & propriis bonis uti, & frui impediuntur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, eiusmodi verbis minimè sublata fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis; dummodo obseruent formam præscriptam constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis in cap. 1.*

&amp;

& finali, de off. delegati in 6. Si ergo Gregorius X V. non prohibuit, quin Regulares possint coram suo Conseruatore tanquam actores ad iudicium trahere alios in manifestis iniuriis, & violentiis, & tamen voluit, quòd non possint ut actores conuenire alios coram eodem Conseruatore in eo causarum genere, in quo possunt, & debent coram eo conuenire, ut rei; consequens est, ut etiam extra manifestas iniurias, & in omnibus causis possint coram eo ut rei conueniri. quo argumento conuictus idem Lezana paulò antè, nempe num. 61. id clarè concessit, etiam in causis ciuilibus, quoties Regulares sunt rei; nec video quomodo num. sequenti id potuerit negare, nisi ex Typographi errore addita sint ibi verba illa, quando Regulares sunt rei; quæ videntur opponi iis, quæ num. precedenti rectè docuerat: imò idem auctor tom. 3. verb. causa iudicialis, num. 4. expressè fatetur, posse Regulares, quando sunt rei, conueniri in causis ciuilibus coram suo Conseruatore, prout ex Pauli V. & Gregorij X V. declarationibus aperte colligitur.

6. Secundò ergo quærebatur, an hodie Ordinarius, coram quo ex constitutione illa Gregorij X V. conueniri possunt Regulares, qui non elegerunt debito tempore Conseruatores, habeat iurisdictionem in Regulares in omnibus causis ciuilibus; & quidem qui dicebant, iudicem Conseruatores hodie non posse cognoscere de ciuilibus etiam, quando Regulares sunt rei, nisi in manifestis iniuriis, & violentiis, consequenter dicere debebant, & aliqui dixerunt, Ordinarium non posse de ciuilibus cognoscere, nisi in iisdem iniuriis manifestis, & violentiis; quia Ordinarius hodie subrogatur in locum Conseruatoris: subrogatum autem sapit naturam, & conditiones eius, in cuius locum subrogatur, ut constat ex allegatis per Euerardum in loco, *de vi subrogationis* 122. Quare, cum Conseruator nunc non habeat iurisdictionem in omnibus causis, sed tantum in manifestis iniuriis, & violentiis, consequens est, quòd Ordinarius, qui in eius locum subrogatur, maiorem iurisdictionem non habeat.

7. Cæterùm, quod dixerimus, Conseruatores hodie habere iurisdictionem in omnibus causis etiam ciuilibus, quoties Regulares sunt rei; consequenter dicendum est, eandem iurisdictionem competere Ordinario, quando non fuit Conseruator electus, cum Ordinarius in locum Conseruatoris subrogetur. Imò hinc potest rursus confirmari, & probari, quod dixerimus, iudi-

cem Conseruatores habere hæc iurisdictionem ad causas etiam ciuiles, quando Regulares sunt rei; quia nimirum Ordinarius, qui in locum Conseruatoris subrogatur, iurisdictionem hanc habet etiam quando non agitur de manifestis iniuriis, & violentiis. quod videtur manifestè colligi ex verbis Gregorij X V. in prædicta constitutione. §. 7. ubi dicitur, *Alioquin eo termino elapso, quandiu Conseruatores secundum formam præsentis constitutionis non elegerint, coram iisdem ordinariis conueniantur.* & §. 4. contra transgressores addita fuerat pœna carendi Conseruatore ad annum. *Carent, inquit, Conseruatore ad annum, ita ut illorum cause interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac diffiniri debeant.* quæ verba manifestè vniuersalia sunt, & ad omnes causas etiam ciuiles extenduntur.

Nec obstat supradictis textus in cap. 1. & in cap. fin. de officio, & potestate iudicis delegati in 6. in quibus dicitur, non posse iudicem Conseruatores cognoscere, quoties opus est iudiciali indagine, sed solum de manifestis iniuriis, & violentiis. Nam ibi sermo est de Conseruatoribus datis sine speciali clausula, & facultate cognoscendi de omnibus causis, qualem clausulam ex speciali priuilegio habent ferè omnes Regulares, præsertim Mendicantes; quare in illis non habet locum illa restrictio, ut notauit glossa 1. in dicto cap. 1. his verbis: *Sed quid, si iniuria non sit manifesta, sed requirit plenam causa cognitionem, utrum Conseruator possit se impedire? Respondeo, quòd non, sed pro hoc est recurrendum ad Ordinarium. Et ista vera sunt, nisi in priuilegijs istorum Religiosorum, vel aliorum, quibus dati sunt Conseruatores, aliud diceretur, videlicet, ut possent cognoscere de iniuriis, & aliis causis, etiamsi requirerent iudicalem indaginem. Et communiter in priuilegijs apponitur illa clausula, quod etiam adductis priuilegiorum verbis probat cum alijs, quos affert, Lezana tom. 2. cap. 10. num. 23. & 24. Quare hodie stare debemus, ut dixi, declarationibus, & constitutionibus solum, ac restrictionibus modernorum Pontificum, quos supra adduximus.*

Tertio, & magis specialiter quærebatur, an possit coram iudice Conseruatore Societatis conueniri scholaris eiusdem Societatis, qui post vota biennij retinet adhuc dominium suorum bonorum, super quibus inrentatur ei lis à secularibus. Ratio dubitandi erat, quia illa non sunt bona Societatis, sed illius personæ priuatæ; quare

non videtur Conseruator datus ad illa bona tuenda.

10 Dixi tamē, posse proculdubio Conseruatorem Domus, vel Collegij Societatis, in quo Religiosus ille degit, cognoscere de eā causa, quādo Religiosus est reus, vel in manifesta iniūria, & violentia, etiam si Religiosus non sit reus, sed actor, quod videtur manifestē, constāre ex verbis Bullæ Greg. XIII. data anno 1572. quæ incipit, *Æquum reputamus*, & habetur in Bullario eiusdē Societatis, in qua iudices Conseruatores ab eadem Societate eligendi deputantur ad causas Societatis, & singularum illius personarū.

Quamuis ergo bona, de quibus controvertitur, non sint bona Societatis, sufficit tamen, quod persona, quæ conuenitur, sit propriè persona Societatis, vt ad eam extendatur iurisdicō iudicis Conseruatoris; idē enim fortasse postea in eadē Bulla iungitur prædictis Conseruatoribus impedire molestias, & grauamina inferri circa bona, & res ad dictam Societatem communitè, vel diuisim spectantes: hoc est, vel ad corpus Societatis, vel ad singula eius membra. Cū ergo hæc bona sint sub dominio vnius membri, & personæ Societatis, debent esse sub tutela iudicis Conseruatoris.

11 Cōfirmarique potest primò satis efficaciter, quia in eadem Bulla extenditur iurisdicō iudicis Conseruatoris nō solum ad causas Societatis, & singularum eius personarum, sed etiā ad causas familiarium eiusdē Societatis clericali caractere insignitorū. Certum autem est, quod bona familiarium eiusmodi, super quibus lites possent cōsurgere, non essent bona Societatis: quanto ergo magis spectabit causa ad iudicem Conseruatorē, quando agitur de bonis cuiusdā Religiosi Societatis, quæ aliquo modo pertinent ad Societatem, cū non possit Religiosus de illis bonis disponere sine licentia Prælatorū Societatis, propter votū paupertatis religiosæ, quo supponitur adstrictus.

12 Cōfirmari potest secundò, quia, quamuis concedamus, bona illa nō esse bona Societatis: Conseruator tamen non solum datur ad tuenda bona Societatis, sed etiā ad tuendas eius personas, & priuilegia, vt constat ex verbis præfatæ Bullæ. Vnum autē ex præcipuis Societatis priuilegiis est exemptio, qua Societas, & singulæ eius personæ, & eorū bona eximuntur in primis à iurisdicōne Ordinariorū, vt constat ex Bulla Pauli III. data 15 Kal. Nou. anno 1549. & incipit, *Libet debitum*. Quod etiam nominatim cōfirmavit de iis, qui emiserūt voto simplicia post biennij nouitiatū, in Bulla illa, quæ in-

Gregor.  
XIII.

cipit, *Ascēdente Domino*, data 8. Kal. Iun. anno 1584. vbi eos ab omnium aliorum iudicū iurisdicōne exemptos esse declarat. Hoc ergo præcipuum Societatis priuilegiū manifestē læderetur, si Religiosus ille ratione suorum bonorum conueniretur coram iudice non suo, cū reus semper conueniri debeat corā suo iudice, non corā eo, à cuius iurisdicōne non dependet. Pertinet ergo ad iudicē Conseruatorem inhibere quemcumque alium iudicē, qui sese vellent ingerere, saltem eo titulo, ne priuilegia, & exemptiones Societatis per contrariā iurisdicōnis vsurpationem manifestē læderentur.

Cōfirmatur tertio, quia minùs pertinet ad Religionem Nouitius, & eius bona, quam Religiosus Societatis expleto nouitiatu ligatus votis religiosi, & eius bona: & tamen Nouitius, & eius bona gaudent omnimoda exemptione, vt cum aliis docet Lez. tom. 1. c. 24. n. 4. & multis relatis Diana 1. p. 17. de immunit. Eccl. ref. (iuxta primam editionem.)

40. quare, licet illa non sint bona Religionis; non tamen possunt ex illis exigi gabel læ, quia eorum dominus gaudet exemptione religiosa. Minùs ergo poterit trahi ad forum iudicis sæcularis Religiosus nō Nouitius, sed Religioni iam incorporatus per vota religiosæ; debet enim conueniri coram suo iudice, cuius forum sortitur ob exemptionē religiosam, quā omnino participat.

Hæc ergo occasione quarto deinde quærebatur, an possit eo casu Religiosus eligere sibi specialem iudicem Conseruatorem diuersū ab eo, qui est iudex Conseruator illius Collegij, in quo ipse degit. Ratio dubitandi sumi poterat ex verbis Bullæ Greg. XIII. supra relatæ, in qua conceditur facultas Societati, & singulis illius personis eligendi sibi iudicem Conseruatorem, &c. Dixi tamen, hodie id fieri non posse, sed debere recurri ad iudicem Conseruatorem Collegij, aut Domus, ad quam pertinet ille Religiosus. Nā, quidquid sit de iure antiquo, Greg. XV. in relata constitutione, & abrogatis omnibus priuilegiis, præscripsit formā nouā, sine qua Conseruator nō sit legitimus. Inter alias autem cōditiones vna est, quod vnus ex iudicibus Synodalibus in Synodo nominatis eligatur à Regularibus, vtique à Conuentu ipso, nam additur, huius electionem debere statim penes acta Curie Ordinariorū legitimo documento exhiberi, & dimitti, nec variari intra quinquenniū sine legitima causa à Sede Apostolica, vel ab Ordinario approbanda. Non ergo potest alius eligi ad specialem causam vnius particularis personæ; ille enim, qui electus fuit à Conuentu, videtur electus,

electus, & deputatus ad causas omnes intra illam Diocesim agitandas, vt colligitur ex decreto S. Congregationis Concilij, vel declaratione, quam refert Barbosa in *Collectan Bullar. verb. Conseruator*, vbi habetur, debere Regulares eligere Conseruatores, in singulis Diocesibus, in quibus Monasteria, Conuentus, seu Domos regulares habent. Adde, iuxta eandem constitutionem Gregorij XV. debere Regulares, quoties rei sunt, conueniri coram huiusmodi Conseruatore sic electo: ille ergo est iudex vniuersalis ad omnes eorum causas, nec potest ab alio impediri. Denique hanc esse mentem Sedis Apostolicæ, colligi potest ex Bulla Clementis VII. quam refert Casarubius in *compend. priuileg. Mendicant. verb. Procuratores fratrum*, Eman. Roder. tom. 3. quæst. regular. q. 39. art. 4. & Lezana dicto tomo 2. cap. 10. num. 66. in qua Pontifex concedit Procuratori, & Syndico fratrum Minorum, vt non possint conueniri, nisi coram iudice Conseruatore eorūdem fratrum, quem vocat Conseruatorem domus illius, cuius fuerint Procuratores, vel Syndici. Supponit ergo, Conseruatores non debere esse plures pro numero illorum, qui conseruantur, sed eundem pro tota Domo, vel Conuentu, coram quo debeant omnes, & singuli iudicialiter conueniri.

15 Quærebatur quinto, an prædictus Religiosus Societatis possit cogere actorem, vt eum potius conueniat coram Conseruatore, an verò ipse actor possit pro libito adstringere Religiosum, vt coram alio iudice respondeat.

16 Dixi, electionem semper esse penes actorem, qui incipit litem, atque idē potest agere coram quocumque iudice, qui tamen sit iudex competens ipsius rei. In nostro ergo casu potest actor litem mouere Religioso in primis coram eius Prælatō Regulari, qui proculdubio est eius iudex legitimus, vel coram Legato à latere, vel Nuntio Apostolico (si habeat iurisdicōnem supra exemptos,) vel coram iudicē Conseruatore illius Collegij, vel domus, ad quam Religiosus ille spectat, vel denique potest petere ab Auditore Cameræ Apostolicæ iudicem specialem ad cognoscendum de illa causa.

17 Quærebatur sexto, in quo loco possit actor agere contra illum Religiosum, an vbi est ipse Religiosus, an vbi sunt bona stabilia, quæ petuntur. Dixi, regulam generalem esse, quod actor agere possit in altero ex illis locis, vbi actor voluerit, vt post

alios obseruat Baptista Fragosus de *regimine Reipublicæ Christianæ* p. 1. lib. 4. disp. 10. §. 1. num. 107. In casu tamen nostro videtur fallere, nec posse recurri ad Prælatum Regularem, vel ad Conseruatorem illius loci, in quo sunt bona; non quidem ad Prælatum, quia ille non est Prælatus illius Religiosi, nec vllam in eum habet potestatem, cū non magis reus subdatur illi Prælatō, quàm Prælatō alterius Religionis. Nec etiam habet iurisdicōnem ratione territorij, in quo sunt bona, cū Prælatus regularis non habeat territorium, sed solum sit Superior domus, vel Collegij, & Prælatus illarum personarum: non ergo apparet, vnde habeat titulum ad illam causam cognoscendam, & iudicandam. Sed neque ad iudicem Conseruatorem illius loci, in quo sunt bona, pertinere potest iudicium; quia in Bulla relata Gregorij XV. prohibetur, vt vidimus, ne iudex Conseruator possit citare, aut trahere ad suum forum eos, qui sunt extra Diocesim, in qua deputatus est Conseruator. Frustrā ergo recurreretur ad ipsum contra Religiosum alibi commorantem, quem ille iudex Conseruator non possit ad respondendum citare, aut compellere. Alia ergo remedia accipienda sunt, recurrendo ad Prouincialem proprium illius Religiosi, vel ad Legatum, aut Nuntium (si possit iudicare de exemptis,) vel ad iudicem delegatum ab Auditore Cameræ Apostolicæ, vt diximus.

#### D V B I V M XXXIX.

*An Prouincialis Societatis, & Rectores Seminariorum possint benedicere sacra ornamenta.*

Societas, quamuis viuæ vocis Oraculo shabuerit facultatem aliquam quoad hoc; nihil tamen habet sibi specialiter concessum per litteras, sed solum per communicationem priuilegiorum aliarum Religionum potest frui facultatibus illis concessis. Inueniuntur autem plures concessiones illis per litteras Apostolicas factæ: & præcipua est, quæ habetur in Bulla Leonis X. edita die 3. Februarij antio 1514. quam affert Eman. Roder. in *Bullario Regularium*, & est ibi Bulla 6. eiusdem Leonis, in qua conceditur Generali, Prouincialibus, Custodibus, & Guardianis fratrum minorum, vt possint benedicere ornamenta, & paramenta, & alia quæcumque ad diuinum

diuinum cultum necessaria, in quibus christiana non interuenit, pro usu proprio tantum. Cum qua moderatione Societas hac facultate utitur, ut constat ex compendio priuilegiorum Societatis *verb. benedicere*, quamuis ibi prædicta Bulla non referatur, quia fortasse à Collectore visa non fuerat. Circa usum ergo huius facultatis quaesitum fuit, an non solum Præpositi locales, & Rectores Collegiorum Societatis benedicere possent eiusmodi ornamenta, sed etiam Prouinciales, atque etiam Rectores Seminariorum, in quibus seculares alumni sub cura, & regimine Societatis educantur, quale est Seminarium Romanum, Collegium Germanicum, Anglicum, Græcum, & alia similia. Ratio autem dubitandi est, quia in prædicto compendio priuilegiorum Societatis non fieri videtur mentio de illis, sed de Generali, & de Præpositis, ac Rectoribus localibus Societatis, quales non videntur esse Rectores Seminariorum, qui quidem non videntur esse Superiores Societatis, sed seculares, qui ibi reguntur, & educantur: & idcirco in Congregationibus Prouincialibus, in quibus Præpositi omnes, & Rectores congregantur; Rectores tamen Seminariorum non conueniunt, ut habetur in quinta Congregatione Generali, decreto 81. & in 6. Congregatione, decreto 25. §. 1. ubi aduerte, hos Rectores Seminariorum condistingui in dicto decreto 81. ab aliis, qui Societatis domicilia administrant: hi autem non dicuntur Societatis domicilia administrare, sed Seminariorum curam habere.

Duplex poterat esse in hoc puncto difficultas. Prima, an potuerit Generalis eiusmodi facultatem benedicendi vestes sacras communicare Prouincialibus, & Rectoribus Seminariorum. Secunda, an de facto eam illis communicasse censeatur. Circa primam partem dixi, probabile mihi esse, priuilegia, quibus Societas per communicationem fruitur, ad has etiam personas extendi. Et quidem, quod attinet ad Prouinciales, res videtur esse extra controuersiam; quia Bulla Leonis X. supra adducta, loquitur expressè de Prouincialibus fratrum Minorum: & in compendio priuilegiorum Societatis, *verb. benedicere*, post §. 3. P. Generalis communicat illam facultatem omnibus Præpositis domorum, ac Rectoribus, & aliis Superioribus, quibus Prouinciales communicandam duxerint. A fortiori ergo Prouinciales eam facultatem habent, cum possint ipsi eam aliis communicare. Præsertim, cum & ipsi sint Præpo-

siti singularum domorum illius Prouinciæ, ita enim appellantur Præpositi Prouinciales; quare nihil prorsus competit Præposito, vel Rectori locali in sua domo, vel Collegio, quod non competat multò magis Prouinciali in eadem domo, vel Collegio, & in singulis aliis suæ Prouinciæ.

Difficilius videri posset, quod attinet ad Rectores Seminariorum: sed ij etiam si simul cum Conuictoribus, vel Seminaristis secularibus, subditos habeant aliquos ex Societatis, videntur posse in dicta facultate comprehendere nomine *Rectorum*, atque ita olim interrogatus respondit P. Ioannes de Salas. Ratio autem esse potest, quia, quando eiusmodi Rectores habent sub se subditos ex Societate, quos gubernant, sicut alij omnes Rectores, & ipsi nulli alij Præposito, aut Rectori locali subduntur, sed soli Prouinciali immediatè (de huiusmodi enim Rectoribus loquimur, qui soli Prouinciali immediatè subiacent,) iis, inquam, nihil videtur deesse, ut in toto rigore sint veri Superiores, & Rectores, ac Prælati Regulares Societatis. Non sunt quidem Prælati Regulares respectu Conuictorum, & subditorum secularium, quos habent; quia Prælatus Regularis habet relationem necessariam ad subditos Regulares: sed tamen respectu subditorum Regularium, quos habet, non video cur non sit verus Prælatus Regularis, cum in eos habeat iurisdictionem ordinariam permanentem, & circa illos possit, & exerceat, quidquid possunt, & exercent circa suos subditos alij Prælati Regulares, & nulli alteri Prælato locali subordinetur, sed soli Prouinciali.

Nec obstat, quod maior pars subditorum sint seculares: sufficit enim, quod sint etiam alij Religiosi, qui cum suo Rectore possint facere Collegium constans ex ministris, & officialibus religiosis, quales ultra Rectorem sunt Minister, Subminister, Consultores, Admonitor, Confessarij Religiosorum, & omnes, qui in aliis Collegiis reperiuntur. Regula namque generalis est, quod vtile per inutile non vitiatur, & communitas Religiosa non perdit suam naturam ex eo, quod habeat sibi adiunctam aliam communitatem secularem. Nec Moniales desinunt habere verum Monasterium regulare, quamuis habeant intra suam clausuram puellas multas seculares ad educationem, quas eadem Abbatissa gubernat. Imò olim Monachi pueros multos seculares ad similem educationem secum habebant, nec idè minus censebatur Monasterium regulare, sub Abbate proprio

prio Regulari. Similiter ergo in eiusmodi Seminaristis, vbi sunt plures ex Societate, reperitur verum Collegium regulare constans ex Rectore, & Religiosis Societatis, quamuis idem sit Rector seculares, cum quibus componit aliam communitatem secularem.

5 Magis videtur posse obstare, quod domus, seu locus ille non sit verè locus Societatis, nec ad eius dominium pertineat, sed ad communitatem illam secularem, ad quam vocantur Religiosi Societatis quasi hospites, & administratores, possuntque ex causis expelli, & vocari eorum loco alij Religiosi, vel seculares, qui curam loci, & alumnorum habeant, & non semel ita factum est, dimissis, & iterum reuocatis Patribus Societatis: non est ergo Collegium Societatis, sed seculare, in quo Religiosi ob iustas causas hospitantur. Vnde diximus supra *dub. 3.* Ecclesias illorum Seminariorum non esse propriè Ecclesias Societatis, neque in iis locis prohibitum esse ingressum secularem, sicut in domibus Regularium, quia non tam alumni illi sunt in domo Societatis, quam Religiosi Societatis sint in domo alumnorum, ut eorum curam habeant.

6 Propter hæc itaque fatendum videtur, loca illa non esse, in toto rigore, & strictè loquendo, Collegia Societatis, quando nimirum Religiosi Societatis, vocati solum sunt ad curam loci, & alumnorum habendam, & dominium manet penes communitatem alumnorum. quod confirmari potest ex verbis constitutionum Societatis *p. 4. cap. 2. §. 3.* & Congregationis quartæ Generalis *decreto 23. & 27.* ubi prohibetur Generalis dissoluere, vel relinquere Collegia semel acceptata, nisi accedat consensus Societatis in Congregatione generali, vel, si urgeat necessitas, saltem per suffragia Prouincialium, & Assistentium, & duorum antiquissimorum Professorum ex singulis Prouinciis Europæ. Et tamen certum est, posse saltem Generalem relinquere Seminarium, cuius curam Societas susceperat, & iubere, ut Societatis Patres ab eo recedant. Non ergo comprehenduntur eiusmodi Seminaristis nomine Collegiorum, quando interpretatio stricta faciendâ est; quia tamen nunc non versamur in odiosis, sed in materia fauorabili, qualis est facultas benedicendi vestes sacras, probabile videtur, quod nomine Superiorum localium comprehendantur Rectores horum Seminariorum, qui respectu subditorum Regularium sunt veri Prælati

Regulares locales, atque ideo videntur comprehendere in facultate concessa omnibus Prælatis localibus benedicendi ea ornamenta sacra; sunt enim veri Superiores locales affixi tali loco, & exercentes eandem & plenam iurisdictionem in suos subditos Regulares, quam exercent alij omnes Præpositi, & Rectores domorum, & Collegiorum Societatis.

Nec obstat facilior dissolubilitas huiusmodi Collegiorum, aut quod illa non sit domus propria Societatis, sed alumnorum seculares, quia id etiam ferè reperitur in Pœnitentiaria S. Petri in Vrbe, & Lauretana, in quibus Sacerdotes Societatis habitant in domibus deputatis Pœnitentiariis illarum Ecclesiarum, quandiu Societas illarum curam ex commissione Sedis Apostolicæ exercet; & posset Generalis iustis de causis curam illam dimittere, & petere à Summo Pontifice, ut alios Pœnitentiarios seculares, vel Regulares introduceret. Imò Societas in iis locis non habet Ecclesiam propriam, sed sicut in Ecclesia S. Petri, vel Lauretana confessiones audiunt, ita ibidem Pœnitentiarij celebrant. Et tamen, quandiu ibi sunt, habent suum Rectorem, & sub eius obedientia viuunt, sicut in cæteris Collegiis; nec vllus dubitauit, an Rector ille possit benedicere vestes sacras, sicut alij Rectores, à quibus quoad usum omnium facultatum nullo modo differt: differt quidem Rector Pœnitentiariæ à Rectoribus Seminariorum, quod hi habent etiam subditos seculares, quos illa non habet, sed solos Regulares; & idè fortasse Rector Pœnitentiariæ locum habet in Congregatione Prouinciali cum aliis Rectoribus, quod non conceditur Rectoribus Seminariorum, quia Rector Pœnitentiariæ per se, & primariò constituitur Superior Regularium; Rectores verò Seminariorum ex primaria intentione videntur deputari ad regendos subditos seculares: & per accidens habet subditos religiosos, quorum opera indiget ad regimen seculares. Hoc tamen discrimen videtur esse extrinsecum, & pertinens ad causam finalem: intrinsecè verò non minùs est Superior ordinarius suorum subditorum Regularium, quàm sit Rector Pœnitentiariæ, & aliquando plures habebit subditos Religiosos Rector alicuius Seminarij, quàm Rector Pœnitentiariæ. Vnde quamuis in Congregatione generali quinta, decreto 81. exclusi fuerint Rectores Seminariorum à Congregatione Prouinciali, ne nimium cresceret numerus congregandorum: in Congregatione



*Congregatione tamen quarta in formula Congregationis Prouincialis, cap. 3. §. 5. admissi fuerant, quoties Rectores illi immediatè Prouinciali suberant, & nouem è Societate in Seminario communiter habitant: quia in iis casibus nihil videbantur à cæteris Rectoribus differre.*

8 Magis obstare posset differentia alia supra insinuata, quatenus Pœnitentiarij, & eorum Rector videntur magis esse in domo, seu loco Societatis, quia, licet domus illa non sit verè sub dominio Societatis, sicut sunt alia loca, & Collegia, sed solum Patres habitent ibi ex concessione Sedis Apostolicæ, quoad munus Pœnitentiarie exercent; id tamen sufficit, vt pro tunc domus illa Societatis dicatur. nam, sicut dicitur domus mea, quam ego ex conductio- ne habito, licet non sit mea quoad domini- um proprietatis: ita potest dici domus Societatis, quam Societas ex concessione Sedis Apostolicæ habitat; parum enim re- fert, quod ex mercede, & pretio annuo, vel quod gratis habitet Societas, vt eius do- mus interim dicatur. In Seminariis autem non ita propriè dicuntur loca illa loca So- cietatis, quia, licet Rector, & alij Religiosi Societatis ibi habitent, etiam ex concessio- ne Sedis Apostolicæ, vel eorum, ad quos ea loca pertinet, quoad Societas conui- ctorum, vel Alumnorum curam gerit: non sunt tamen ipsi Patres Societatis primarij inquilini, vt ita dicam, illorum locorum, sed ipsi alumni, in quorum gratiam con- structum est; Patres verò inducuntur quasi principales officiales Alumnorum: quare magis dicitur locus ille domus Alumno- rum, quàm Societatis; & idè etiam minùs strictè obligat ibi, vt supra dixi, clausura regularis, ne ingredi possint scemina, quàm in domo Pœnitentiarie, quæ propriè est domus Regularis. Vnde fatendum est, Re- ctorem Pœnitentiarie magis propriè esse Rectorem Societatis, quàm Rectorem Se- minarij, quia ille est Prælati localis in lo- co Societatis, quod in toto rigore non ha- bet Rector Seminarij.

9 Cæterum, quamuis quoad locum sit hæc differentia; quoad communitatem ta- men religiosam, quam vterque Rector gu- bernat, nulla videtur esse differentia: qua- re, cum Rector magis sit Rector subdito- rum, quàm loci, non videtur Rector Semi- narij excludendus à nomine Rectoris, & Prælati localis Societatis. Nam Prælati localis non solum est, qui habet ius in lo- cum, sed etiam qui in certo loco determi- nato habet ius in personas degentes ibi,

cum vtroque modo verum sit, restrictam esse eius iurisdictionem ad certum locum. Adde, licet locus ipse non sit ita propriè locus Societatis, sicut alia Collegia, vel sicut domus Pœnitentiarie: in aliquo ta- men sensu posse dici locum Societatis, & Societatem habere ius aliquod in locum ipsum, non quidem dominium, vt constar, sed vsum, & habitationem quoad proprias personas ex concessione domini, à quo vo- cantur Patres, vt habeant curam illius loci, & vt ibi habitent, ac per consequens ha- bent ex voluntate domini ius ibi habitan- di, non soli, sed cum alumnis; quæ concessio proculdubio dat Patribus aliquod ius, non quidem contra Sedem Apostolicam, sed contra alios omnes, & contra ipsos Alumnos, à quibus non possunt sine mani- festa iniuria expelli, quia id fieret contra ius acquisitum ex concessione potentis ta- le ius concedere: quod multò magis pro- cedit in Seminariis illis, in quibus Socie- tas curam, & regimen immediatum habet ex testamento fundatoris, vt in Seminario Hibernorum Romæ erecto, vel ex Bullis Summorum Pontificum, qui in perpetuum curam illorum locorum à Sede Apo- stolica erectorum Societati commiserunt. Ex huiusmodi enim testamentis, vel Bullis Pontificiis non leue ius Societas comparat ad loca illa regenda, & habitanda, & me- ritò censetur fixum, & stabile, quod ex testamento, vel Bulla Pontificia firma- tum est; atque idè in catalogo, qui ali- quando typis vulgari solet, Prouinciarum, & Collegiorum Societatis, non minùs eiusmodi Collegia, & Seminaria enume- rantur, quàm cætera omnia: non ergo im- meritò Collegia Societatis dici possunt, & eorum Rectores in materia fauorabili, qualis est ista, possunt intelligi sub nomi- ne Rectorum localium Societatis.

Vnde facillè iam responderi potest ad id, quod secundo loco proponebatur, an Præ- positus Generalis habuerit intentionem communicandi hanc facultatem Rectoribus Seminariorum: quamuis enim priui- legia à Sede Apostolica concessa ad eos etiam Rectores extenderetur, id satis non erat, si Generalis illis hanc facultatem non communicaret, à quo vno debent facul- tates, & priuilegia omnia singulis Socie- tatis personis positiuè communicari, vt lici- tè, & validè illis prodesse possint. Inten- tio ergo Generalis colligenda erit ex ver- bis, quibus eam facultatem communicat in compendio priuilegiorum Societatis, verb. *Benedicere*, vbi postquam in §. 4. dictum

dictum fuerat posse in Societate om- nes Præpositos domorum, & Recto- res ea ornamenta benedicere, additur postea nomine Præpositi Generalis: *Hæc facultas conceditur omnibus in ea com- prehensis, & aliis Superioribus, quibus Prouinciales communicandam duxerint.* in quibus verbis videtur Generalis requi- rere ad minùs iudicium Prouincialis, vt alij Superiores præter Præpositos, & Rectores Collegiorum ea facultate vti possint. Non apparet autem, qui sint alij Superiores, nisi Rectores Semina- riorum: nam, licet in singulis domi- bus, & Collegiis, præter Præpositum, & Rectorem, sit etiam minister, qui est quasi instrumentum Præpositi, vel Rectoris, & in aliis Ordinibus appel- lari solet Subprior, vel Vicarius, & in Societate censetur Superior, quam- uis non possit præcipere in virtute san- ctæ Obedientiæ: hi tamen Ministri non possunt in casu nostro intelligi nomi- ne aliorum Superiorum, quia hæc fa- cultas benedicendi ornamenta non com- petit Societati, vt diximus, nisi ex communicatione priuilegiorum aliorum Ordinum. Nullibi autem reperitur con- cessa hæc facultas aliis Ordinibus pro Subprioribus, vel Vicariis Prælati lo- calis: non potest ergo communicari Mi- nistris in Societate, nisi quando ob ab- sentiam, vel mortem Rectoris, Mi- nister remaneret Vicerector, & habe- ret plene gubernium totius Collegij; quo casu non indiget peculiari commu- nicatione, qua Prouincialis ei com- municet facultatem hanc benedicendi. Nam in præmio dicti compendij priui- legiorum Societatis expressè declara- tur, omnes facultates concessas Præ- positis, vel Rectoribus, intelligi con- cessas eiusmodi Vicepræpositis, vel Vi- cerectoribus, quando nullus alius est Præpositus, vel Rector, vel adè lon- gè abest, vt pro rei exigentia non sa- tis commodè consuli possit. Restat er- go, quod nomine aliorum Superiorum, quibus non nisi de consensu Prouincia- lis, hæc facultas communicari cense- tur, intelligi debeant Superiores, seu Rectores horum Seminariorum, qui- bus non nisi per manus, & nutum Prouincialium hæc facultas communi- catur.

11 Mihi ergo certum videtur, voluisse Generalem Rectoribus Seminari- orum eiusmodi communicare hanc facul-  
D. lo. Card. de Lugo Respons. mor.

tatem, interueniente saltem consensu Prouincialis, hoc enim ad minus præ- dicta communicationis verba probare videntur; quare optimè faciènt eiusmodi Rectores, si petant hanc communi- cationem à suis Prouincialibus, & scio, aliquos eorum Romæ illam à Generali petere: idque magis tutum erit, vt am- biguitas prædictorum verborum omni- nõ tollatur. Probabile tamen videtur, quod intentio Patris Generalis absolu- tè feratur ad eiusmodi Rectores sine ne- cessitate noui consensu obtinendi à Prou- inciali; quia in fauorabilibus, qualis est communicatio facultatis, & vbi aliunde non colligitur eorum exclusio, ipsi intelligi videntur nomine *Rectorum*, at- que ita ab omnibus appellantur Recto- res. Nec obstant verba illa, quibus Generalis dicit posse communicari eam- dem facultatem *aliis Superioribus*, qui- bus Prouinciales communicandam du- xerint, quia verba illa possunt commo- dè intelligi de Superioribus Residentia- rum, quæ non sunt Collegia, sed lo- ca aliqua, in quibus aliqui è Socie- tate sub vno Superiore habitant, vt ibi Societatis ministeria exerceant interim, dum opportunitas erigendi Collegium speratur. hi non appellantur Recto- res, sed Superiores talis, vel talis re- sidentie.

Porro hanc esse interpretationem, 12 & sensum illorum verborum, probari potest ex verbis aliis præfationis oppo- sitæ ante illud compendium priuilegio- rum Societatis, vbi pro intelligentia om- nium priuilegiorum, & facultatum sub- sequentium, explicatur, & declaratur qui sint intelligendi nomine *Superio- rum*, quando postea Generalis dicitur aliquam facultatem communicare Su- perioribus; declaratio autem est hæc: *Denique nomine Prouincialium, Præpo- sitorum, & Rectorum, quorum non raro in compendio fit mentio, subintelligendi quoque sunt Viceprouinciales, Vicepræposi- ti, ac Vicerectores, quando nimirum nul- lus est Prouincialis, Præpositus, aut Re- ctor, vel adè longè abest, vt pro rei exi- gentia consuli non satis commodè possit: qui omnes etiam nomine Superiorum in hoc compendio significantur. Nam reliquis residentiarum, & missionum Superiori- bus, eorum Superiores, à quibus vel mit- tuntur, vel sub quorum cura, & direc- tione viuunt, eas ex sibi concessis facultat- es iuxta constitutiones communicare poterunt.*

tunt, quas pro ratione locorum, temporum, & personarum communicandas iudicauerint. In quibus verbis obseruo, duas solum classes Superiorum in Societate distingui quoad usum privilegiorum, & facultatum. In prima sunt Prouinciales, Præpositi, Rectores, Viceprouinciales, Vicepræpositi, & Vicerectores, & hi omnes intelliguntur nomine Superiorum, quoties communicatur aliqua facultas omnibus Superioribus. In secunda classe ponuntur soli Superiores residentiarum, & missionum: & his debent communicari facultates à suis Superioribus immediatis. Quando ergo postea in casu nostro communicatur absolute facultas benedicendi ornamenta omnibus Præpositis, & Rectoribus, & deinde dicitur, quod Prouincialis poterit discernere, an sit aliis Superioribus communicanda; ij soli debent ibi intelligi nomine aliorum Superiorum, qui supra in præfatione nominati, fuerant distincti à Præpositis, & Rectoribus, nimirum Superiores residentiarum, & missionum, solum sub conditione, si Prouincialis communicandam iudicaret. Dixi tamen, intentionem hanc habuisse quantum de se erat; quia fortasse aliqui erunt Superiores residentiarum, vel missionum, quibus iuxta Societatis privilegia supra adducta, ea facultas communicari non possit, eo quod non habent condiciones requisitas, ut possint absolute censerì Prælati locales. v. gr. si missio fiat ad tempus in aliquo loco, vel si duo, vel tres à Societate habitent etiam permanenter in aliquo, ut curam habeant bonorum temporalium, quæ ibi sunt, & pertinent ad aliquod Collegium principale: tunc enim qui ibi Superior appellaretur, non esset Prælati localis regularis simpliciter, & absolute, sed esset quasi minister Rectoris Collegij principalis, ad quod bona illa spectant. Non video autem privilegium alicuius Religionis datum per Bullam, ex vi cuius possint eiusmodi Superiores subordinati, & qui non sint absolute Prælati locales, benedicere vestes sacras. Et hæc de his sufficiat retigisse.

## D V B I V M X L.

*An possit erigi Congregatio sodalium B. Virginis in loco, qui non sit sub dominio Societatis.*

Suppono, ex Bullis Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. quæ habentur in Bullario Societatis, posse erigi in omnibus domibus, Collegiis, & residentiis Societatis, sodalitates, vel Congregationes scholarium, vel quorumcumque aliorum, qui iuxta regulas à generali præscriptas, ibi conueniunt ad frequentiam Sacramentorum, & alias pias exercitationes obeundas: quæ omnes Congregationes aggregantur Congregationi primariæ erectæ in Collegio Romano Societatis, & eo ipso fruuntur omnibus gratiis, & indulgentiis eidem primariæ Congregationi concessis.

Hoc supposito, quæsitum fuit, utrum ad hoc, ut Congregatio, seu sodalitas aliqua B. Virginis alicubi à Patribus Societatis erigenda primariæ Congregationi aggregari, eiusque indulgentiis, ac gratiis frui possit, requiratur quod sodales conueniant, & sua spiritualia exercitia consueta peragant in loco, qui propriè ad Societatem pertineat: an verò sufficiat, si locus ille Societati quoad usum suorum ministeriorum, ac functionum à vero eius domino concessus sit.

Hoc vltimum sufficere, probari videbatur. Primò ex mente Gregorij XIII. & Sixti V. qui, licet in prædictis suis Bullis concedentes erectionem, & aggregationem aliarum Congregationum, utantur illis verbis, in quibuscumque Collegiis, domibus Ecclesiis Societatis IESV: non tamen videntur voluisse verba illa usurpare in eo rigore, ut complecterentur solas domos, Ecclesias, &c. quæ verè, & quoad proprietatem, seu dominium sint eiusdem Societatis, sed potiùs ut complecterentur etiam eas, quæ saltem quoad usum suarum functionum sunt eiusdem Societatis ex liberali accommodatione, & concessione verorù dominorum; partim, quia concessio hæc erigendi, & propagandi Congregationes est fauorabilis, atque adeò extendenda, quantum sine verborù violentia extendi potest. Partim etiam, quia Societas plerumque in aliquibus locis per plures annos commoratur, suasque exercet functiones, (inter quas non est postrema harum Congregationum institutio,) antequam habeat propriam domum, vel saltem Ecclesiam, seu Capellam, vel Oratorium. Non videtur autem

credibile,

credibile, dictos Pontifices tantopere laudantes in suis Bullis eiusmodi Congregationes, earumque spiritualia exercitia, & animarum fructus, voluisse fideles in illis locis priuare hoc fructu cum spirituali eorum iactura.

3 Secundò probatur, quia ad tollendum hunc scrupulum, seu hanc verborum ambiguitatem, Clemens VIII. in sua Bulla data die 30. Augusti anno 1602. quando facultatem à Gregorio XIII. & Sixto concessam extendere voluit etiam ad residentias, videtur de industria mutasse verba: nec enim dixit eiusmodi Congregationes erigendas in domibus, Collegiis, &c. prout eius Prædecessores dixerunt, sed dixit erigendas apud residentias, domos, Collegia, Ecclesias Societatis, &c. imò dixit apud quascumque residentias Presbyterorum Societatis; qui tamen plerumque residentiam habere solent sine Ecclesia propria, & degunt in domo aliena; quare ad eum etiam locum, & casum facultas illa extensa omninò videtur, ne falsa sit locutio illa vniuersalis Clementis, apud quascumque residentias posse erigi eiusmodi Congregationes.

4 Tertio probatur, quia ex aliquorum sententiâ Indulgentiæ Ecclesiis Societatis concessæ locum etiam habent, & obtineri possunt in eo Templo, quo Societas propria Ecclesia adhuc carens, ita ad suas functiones in eo exercendas uti potest, & solet, ut communiter ab omnibus ibi haberi, dicique soleat templum Societatis. Poterit ergo ibidem erigi sodalitas sub regimine Societatis, quæ primariæ Congregationi Romanæ aggregatur, & eiusdem indulgentiis, & gratiis fruatur.

5 Denique vsus videtur huic sententiæ fauere. nam in primis de facto in variis Conuictoriis, & Collegiis, seu Seminariis alumnorum secularium Societatis curæ commissis proprietate, & dominio loci ad alios, & non ad Societatem pertinente, Congregationes eiusmodi multæ sunt erectæ, & primariæ Congregationi aggregatæ, nec dubium fuit de earum erectionum valore, & quod sodales gratiis, ac Indulgentiis primariæ Congregationis fruuntur; quod idem dici potest de aliis non paucis Congregationibus, quæ, licet in Collegiis erectæ videantur; earum tamen sodales ad sua exercitia conueniunt extra Collegia in Sacellis, vel Oratoriis vsui sodalitates ad suas functiones concessis, dominio ad alios spectante:

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

quæ tamen Congregationes non minùs solent primariæ Congregationi Romanæ aggregari, & eiusdem gratiis, ac indulgentiis potiri, nec de iis vnquam dubitarunt.

Pro contraria tamen sententiâ, & contra legitimum valorem huiusmodi sodalitarum videbantur esse in primis verba Summorum Pontificum in prædictis Bullis, in quibus solum conceditur facultas erigendi eiusmodi sodalitates in Collegiis, Ecclesiis, domibus, & residentiis Societatis, seu apud ea loca, in qua voce nullum videtur inesse Mysterium, cum ipse Clemens VIII. referens concessionem à Gregorio, & Sixto factam, utatur ea voce apud, quamuis illi non dixissent apud, sed in Ecclesiis, Collegiis, &c. Quare non videtur aliud intendisse Clemens, dicens, apud Collegia, &c. quàm quod eius Prædecessores intenderant, dicentes in Collegiis, &c. Accedebant deinde responsa Præpositorum Generalium Societatis. Nam P. Claudius Aquauia in litteris datis anno 1584. ad Prouinciam Neapolitanam, & anno 1600. ad Prouinciam Austriæ, respondit, Congregationum, quæ sunt extra domum, vel Collegium, non esse suscipiendam aliam curam, quàm ut habendis exhortationibus, priuatisque colloquiis sodales ad pia opera excitentur. Similiter anno 1610. die 7. Augusti Prouinciæ Poloniæ respondit: Congregatio haberi non potest in domo vicina nostra, quia Congregationes haberi debent in domibus nostris, nec aggregatio ad primariam dabitur, nisi cum locus idoneus domi nostræ paratus fuerit. Item P. Mutius Vitelleschus Generalis, litteris suis datis 10. Iulij anno 1621. ad Prouinciam Flandriæ respondit: Congregationes extra domicilia Societatis institui, aut instituta ad nostras aggregari non possunt. Item 19. Augusti anno 1631. Germaniæ superiori respondit, Oratorium Congregationis non potest alibi edificari, quàm in fundo Societatis: si enim ita sciunctum sit, ut pars Collegij censerì nequeat, non poterunt, qui in illo sunt, frui indulgentiis. Denique idem 3. Martij anno 1640. Prouinciæ Poloniæ respondit: Congregationes domi nostra non erectæ, nec à Societate administrari, nec aggregari iis, quas administramus, nec harum privilegiis, ac indulgentiis donari possunt.

Vides rationes pro vtraque parte. Ego 7 quidem die 26. Iulij anno 1642. cum iterum apud eundem P. Mutium de hoc quæreretur, ita respondi. Seclusis respon-

quod Societas habet virtute præfati priuilegij, ne Professus ad alium ordinem translatus possit inde postea ad alium Ordinem laxiorem transire. Et quidem certum est, non obstante illo priuilegio, posse Summum Pontificem, si velit, & adsit causa iusta, concedere illum secundum transitum etiam inuita Societate: neque de hoc vllum dubium esse potest. Solum potest dubitari, an ad valorem huius dispensationis, & ne sit subreptitia, debuerit narrari Summo Pontifici, quod ille fuerit antea Professus Societatis, atque idem impedimentum aliud habeat ad transitum in Religionem laxiorem; videtur enim debuisse referri priuilegium prædictum, quo diximus frui Societatem, ne eius Professor, qui cum facultate debita transeunt ad alium Ordinem, possint ex illo postea ad alium laxiorem transire.

6 Vtrum P. Suarez tom. 4. de Religione, tractat. 8. lib. 3. cap. 12. num. 31. & 32. cum mentionem huius priuilegij Societatis fecisset, & concessisset communicari virtute illius nouam, & extraordinariam potestatem supra personam illius, qui iam non est amplius subditus Societatis, sed alterius Ordinis, ad quem transferat, & in quo Professus fuerat: idque merito concedi, ne forte prior transitus ex Societate fiat cum fraude, eo quod ex secunda Religione facilius sit transitus ad alium laxiorem: addit tamen, non habere locum hoc priuilegium, nec Prælatos Societatis posse procedere contra illum Professum, nisi quando postea ille ad tertium Ordinem laxiorem transtulit se sine dispensatione; secus, si hanc obtinuit, etiamsi à Prælati Societatis consensum non petiisset, quem consensum ipse Suarez non reputat necessarium, vt dispensatio subreptitia non sit. Nec enim eiusmodi necessitas ex verbis, aut tenore priuilegij colligi potest. quæ interpretatio mihi etiam satis probabilis videtur, & magis consona verbis priuilegij, quæ loquuntur solum de iis, qui post licentiam obtentam ad aliam Religionem transeundi, ex ea post Professionem emissam recesserint, & ad seculum redierint, vel ad aliam laxiorem transferint. vbi eodem modo loquitur de transitu ad laxiorem, & de reditu ad seculum; qui tamen reditus supponitur proculdubio fieri sine dispensatione debita; quare videtur sermo esse de simili transitu ad laxiorem sine dispensatione necessaria.

7 Magis tamen potest ex alio capite du-

bitari de valore huius dispensationis, nisi saltem Pontifici narretur, Oratorem iam antea ex dispensatione transisse ex Societate I E S V ad aliam Religionem. quæ necessitas fundari videtur in regula illa generali, quod in secunda dispensatione obtinenda facienda est mentio primæ dispensationis obtentæ, ne secunda censeatur subreptitia. quam regulam veram esse, quando saltem ex vtraque dispensatione simul sumpta dispensatio circa eandem materiam fit maior, atque aded exigit maiorem causam, vt concedi possit, docent ij, quos afferunt, & sequuntur Sanchez lib. 8. de matrimonio, disputat. 22. Basilius Legionensis de matrimonio, lib. 8. cap. 17. Castro Palao tom. 1. tract. 3. disput. 6. punct. 6. §. 4. num. 5. & alij communiter. Et quidem in casu nostro id maximè locum habere videtur, cum agatur de dispensatione voti solemnisi facti in Professione, quæ Professio licet maneat quoad substantiam vitæ religiosæ; dispensatur tamen magna ex parte quoad obseruantiam, cum re vera per vtramque illam dispensationem simul sumptam reducatur obligatio obseruantia debita in Societate ad obseruantiam, quam potest habere clericus regularis Ordinis S. Ioannis, qui maiori ex parte domi suæ in sæculo degit. Quamuis ergo potuerit subesse causa, vt Professio Societatis commutata sit in Professionem alterius Ordinis mendicantis: non ita tamen facile suberit causa, vt eadem Professio Societatis commutetur in Professionem solam, & obseruantiam illius Ordinis S. Ioannis; quare ne sit subreptitia posterior dispensatio, videtur necessariò facienda Pontifici mentio prioris, vt sciat id totum, in quo dispensatur prima Professio facta in Societate.

Video, posse in contrarium afferri sententiam multorum, qui dicunt, quando votum reseruatam, v. gr. castitatis, vel Religionis commutatum est à Summo Pontifice in alia opera pia, vt in ieiunia, vel orationes, &c. obligationem ad hæc alia opera non esse reseruatam, atque aded posse ab alio inferiori commutari, vel etiam ex causa posse in iis ex parte dispensari: quod docent Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 8. num. 20. & lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 46. Suarez lib. 6. de voto cap. 20. num. 25. Basilius Legionensis lib. 8. de matrim. cap. 8. §. 2. num. 24. Lessius, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao tom. 3. tract. 15. disput. 2. punct. 11. num. 5. quia nimirum reseruatio prioris voti iam est ablata, & perinde

inde est, ac si opera illa pia subrogata deberentur ex voto peculiari ad ipsa terminato, quod quidem non esset reseruatam. Similiter ergo in casu nostro, cum Professio Societatis iam sit legitimè extincta, & commutata in Professionem secundæ Religionis, iudicandum erit de hac secunda Professione, ac si ipsa fuisset prima, nec debet difficilior reddi eius dispensatio, aut commutatio ex eo, quod fuerit subrogata in locum alterius Professionis præcedentis.

9 Cæterum doctrinam illam, (vt verum fatear,) quamuis ego etiam probabilem existimem, puto tamen sano modo esse intelligendam, quem modum eius auctores non negant, sed fortasse illum supponunt; neque enim ij auctores dicunt, satisfacere eum, cuius votum castitatis commutatum fuit in ieiunia, & orationes. v. gr. si postea solum dicat, Ego ex voto debeo ieiunia, & orationes, & perat huius voti commutationem, vel dispensationem, imò credo, mala fide procedere, si hoc solum dicat, & non explicet, quod hæc debeat propter votum castitatis, quod in illa opera pia commutatum fuit, vt hoc modo possit Confessarius iudicare, an subsit causa talis, quæ sufficeret ab initio, vt votum castitatis reduceretur ad hæc pauciora opera, in quæ nunc vult totum debitum reduci. Fateor, & concedo, posse inferiorem commutare, & dispensare cum causa super materia non reseruata, in quam votum reseruatam commutatum fuit à Summo Pontifice. Credo tamen, debere ad hanc secundam commutationem, vel dispensationem narrari ei, qui dispensaturus, vel commutaturus est, quomodo materia illa, & eius debitum oriatur ex obligatione voti antea commutati. Alioquin enim eluderetur paulatim, & successiue obligatio prioris voti, quod supponimus ex causa fuisse partim dispensatum, & partim commutatum in aliam materiam. Si autem hæc alia materia postea commutaretur ex causa in aliam minorem, & rursus hæc postea in aliam minorem, & sic deinceps, nunquam facta mentione præcedentium commutationum; reduceretur aliquando votum castitatis, vel Religionis ad materiam minimam, & omnino improporcionatam, v. gr. ad tria, vel quatuor ieiunia pro vna vice, quod esset omninò eludere obligationem primi voti; neque eiusmodi intentio præsumi potest de mente dispensantis, vel commutantis. Neque id dicunt auctores illius sententiæ, sed solum quod

possit inferior dispensare, vel commutare materiam subrogatam à Superiore, quæ quidem non retinet reseruationem prioris voti. Id tamen intelligitur suppositis terminis habilibus, & narratis narrandis, ita vt commutanti, vel dispensanti narretur id, quod oportet, vt sciat, quantum relaxetur de prima obligatione. Constat autem hæc esse illorum auctorum mens ex variis exemplis, quæ afferunt alijs agentes de necessitate explicandi primam dispensationem obtentam, quando impetratur. Secunda dispensatio. v. gr. quando obtinuit dispensationem ad percipiendos fructus, & non residendum per quinquennium; quo elapso, petis dispensationem ad aliud quinquennium. Debet tunc manifestari prior dispensatio; quia causa quæ sufficit ad dispensandum per quinquennium, non sufficit ad dispensandum per decennium. Idem ergo dicendum erit in casu nostro; quia causa, quæ sufficit ad commutandam secundam Professionem in tertiam laxiorem, non sufficeret fortasse ad commutandam primam in hanc tertiam; oportebit ergo Pontifici narrare dispensationem priorem obtentam, cuius taciturnitas posset merito ingerere scrupulum, & dubium de subreptione. Non tamen oportet require ad hunc secundum transitum licentiam, aut consensum Generalis Societatis, sed sufficit dicere Pontifici, quod olim cum debita facultate post Professionem in Societate factam transit ad hunc alium Ordinem, ex quo nunc vellet transire ad Clericos Regulares sancti Ioannis Hierosolymitani ob talem, vel talem causam, de cuius causæ sufficientia ipse Summus Pontifex iudicabit.

#### D V B I V M XLII.

*Vtrum Generalis Societatis possit subdelegare Prouinciali facultatem concedendi licentiam ad legendos libros prohibitos.*

SUppono, à felic. record. Urbano VIII. ablatas esse omnes facultates antea concessas quibuslibet personis ad retinendos, aut legendos libros prohibitos. Vnde Generalis Societatis, qui antea ex suis priuilegiis poterat suis subditis eam licentiam concedere, obtinuit de nouo facultatem ad plures libros, quorum Catalogum exhibuit, quam licentiam obtinuit pro se, &



pro *Patribus sibi bene visis*, ad tempus tamen limitatum, quo transacto oportet licentiam illam renouare, & cum certis aliis conditionibus, quæ in rescripto continentur.

2 Hoc supposito, dubitatum fuit, an possit Generalis hanc nouam facultatem communicare alicui Prouinciali, vt sine recurſu ad Generalem possit ipse Prouincialis Patribus sibi bene visis suæ Prouinciæ concedere licentiam ad legendos libros in eiusmodi catalogo contentos.

3 Respondi, in primis fortasse Generalem non posse communicare Prouinciali facultatem, qualem ipse habet, quia quamuis delegatus supremi Principis, qualis videtur esse Generalis in hoc casu, possit causam subdelegare, vt multis relatis probat Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 3 1. num. 1. 10. & 31.* dubitari tamen potest in primis, an hæc facultas concessa sit Generali immediatè à Summo Pontifice, an verò à Congregatione Cardinalium, quorum nomine aliquæ eiusmodi facultates concedi solent. Deinde obſtare videntur verba illa, *Patribus sibi bene visis*, in quibus videtur requiri industria personæ, vt Generalis ipse iudicet de qualitate personarum, & postea licentiam illis communicet.

4 Addidi tamen, posse Generalem, non quidem fortasse, vt dixi, communicare Prouinciali potestatem dandi licentiam, sed dare nomine suo immediatè eam licentiam illis, quos Prouinciali dixerit, & designauerit idoneos. quod probari potest in primis, quia verbis illis, *Patribus sibi bene visis*, sufficienter videtur satisfieri, si Generalis ex Prouincialis testimonio credat, & sciat illos tales esse idoneos, vt possint eam licentiam accipere. Hoc autem Generalis facit, quando communicat talem licentiam iis, quos Prouincialis iudicauerit idoneos: nimirum committit Prouinciali examen extraiudiciale de idoneitate, & iis, qui idonei reperiuntur, & quos eo ipso Generalis iudicat idoneos, communicat ex nunc eiusmodi licentiam. Ad quod deferuire potest id, quod in simili ferè casu notauit Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 26. num. 6.* vbi supponit, ex concessione Pij V. posse Religiosos in India Occidentali assistere matrimonio Indorum in locis, in quibus Parochi munus exercent, & in locis, per quæ tranſeunt, si in iis sine proprio Parocho habitant: debere tamen hos Religiosos deputari ad hoc munus à suis Prælati in Capi-

tulis Prouincialibus. Addit verò Sanchez, non requiri, quòd Religiosi personaliter præſententur, vel nominatim designentur à Capitulo, sed sufficere, quòd Capitulum Prouinciale decernat, vt omnes fratres, quos designauerit Prouincialis, vel Prior, vel Vicarius, &c. ex tunc sint designati ab ipso Capitulo Prouinciali, quia hoc non est delegare potestatem assignandi fratres, & conferendi illis facultatem ministrandi Sacramenta: sed re vera ipsum Capitulum assignat, & dat prædictam licentiam; quod idem reperit, & confirmat postea *disp. 3 1. num. 18.* vbi dicit, delegatum, licet non possit subdelegare, atque idè, licet Parochus delegatus ad vniuersitatem causarum non possit subdelegare facultatem iterum delegandi, nec possit dicere alteri Sacerdoti: Ego do tibi facultatem, vt possis alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi matrimonio; posse tamen dicere, ego ex nunc do licentiam assistendi matrimonio Sacerdoti, quem tu designaueris, quia nimirum tunc delegatus non facit gradum, nec ipse censetur delegare, vel dare iurisdictionem, sed solùm designat personam, cui Parochus immediatè concedit eam licentiam. Hoc autem ipsum diximus fieri posse in casu nostro, in quo Generalis non debet dare Prouinciali facultatem, quia ipse possit concedere subditis licentiam ad libros prohibitos, sed ipse Generalis debet eam licentiam immediatè communicare illis personis, quas Prouincialis iudicauerit, & designauerit vt idoneas: nec tunc Prouincialis faciet gradum, sed designat merè personam, cui Generalis immediatè licentiam communicari censetur.

Vnde obiter inferre aliquis posset, mortuo Generali, non posse amplius Prouinciale designare personas, quibus ea licentia communicetur: nam, licet regulariter facultates, & licentiæ concessæ à Generali non expirent eius morte, donec à successore reuocentur, atque idè ij, quibus viuente Generali ea licentia communicata fuerat, possint Generali mortuo eadem facultate vti. Prouinciali tamen non fuerat delegata potestas dandi eas licentias; sed fuerat commissa mera designatio personarum, quibus toties, quoties Generalis ipse immediatè censetur licentiam communicare. Cùm ergo Generalis mortuus non possit amplius eas licentias communicare; frustra Prouincialis designabit deinceps personas, quibus iam Generalis non potest amplius licentiam communicare.

Verum

6 Verum hæc illatio, vt verum fatear, nimis scrupulosa videtur; hinc enim fieret, quòd subditi à Prouinciali designati non possent tuta conscientia vti illa licentia, donec certificarentur de vita Generalis durante tunc, quando ipsi à Prouinciali designati fuerant. Quid enim, si Generalis iam senio confectus Prouinciali apud Indos commoranti id per litteras commisit datas ante biennium, quo elapso non facile creditur Generalis adhuc viuere? Deberet ergo subditus abſtinere ab vsu licentiæ, donec constet, quòd Generalis viuerebat tempore designationis à Prouinciali factæ. Adde, exemplum illud, quo ex Thomas Sanchez vsi sumus, contrarium probare: nam Capitulum Prouinciale, in quo Prouinciali, vel Priori committitur designatio Religiosorum, re vera non existit, quando postea Prælati illi Religiosos designant. Imò, quando Capitulum dissoluitur, tunc moritur, & adhuc postea Religiosi à Prouinciali designati, censentur deputari ab ipso Capitulo, vt vidimus. Fatendum ergo est, accedente postea designatione à Prouinciali facta, certificari deputationem illius personæ factam antea à Capitulo, quando deputauit Religiosos postea à suis Prælati designandos: quem sensum videtur apertè significasse idem Sanchez *dicta disp. 3 1. num. 18.* dicens, Parochum delegatum posse rursus delegare, dicendo, *ex nunc ego de facultatem assistendi matrimonio Sacerdoti, quem tu designaueris.* quam formulam postea approbati dicit apud Paulum *in cap. is cui, de officio delegati, in 6.* & apud Dominicum *ibidem in fine.* Debet ergo delegans *ex nunc* dare licentiam, vel potestatem personæ postea designandæ: atque ita censetur facere Generalis communicando ex nunc eam licentiam personis postea à Prouinciali designandis, & hoc modo nihil obſtat mors Generalis subsequuta, cùm ipse adhuc viuens licentiam hanc ex tunc huic personæ, quæ postea designatur, communicare voluerit.

#### D. V. B. I. V. M. XLIII.

*De Professione data ex errore commissa à Secretario, qui litteras Generalis scripsit.*

1 Cùm Pater N. in examine doctrinæ ad Professionem quatuor votorum in Societate præmittendo examinatorebus

non satisfecisset, atque idè non fuisset ab illis ad eiusmodi Professionem approbatus, nec postea Romæ à Patribus Assistentibus, sed potius numeratus, & sepositus in eo numero, qui ad Professionem solemnem promoueri non debebant: ex errore tamen Secretarij, seu scriptoris litterarum, appositus fuit cum aliis ad Professionem promouendis in litteris Generalis ad Prouincialem, quibus litteris idem Generalis, errore non obseruato, subscripsit: quibus acceptis, Prouincialis eum cum aliis ad Professionem admisit; cùm tamen, vt *suprà dub. 13.* diximus, in Societate nemo, nisi solus Generalis, vel de ipsius licentia, possit validè Professionem solemnem acceptare.

Duo poterant in hoc casu dubitari. Primum, an Professio fuerit valida. Secundum, an, dato, quòd à principio non fuisset valida, possit Generalis postea validè, & licitè eam ratam habere. Incipiendo autem ab hoc secundo, dixi, posse validè, & licitè ratam haberi à Generali, quandiu Professus ille voluntatem profitendi non reuocauit. Defectus enim doctrinæ in examine deprehensus non obſtat, cùm non sit impedimentum essenziale, sed est defectus cuiusdam requisiti, quod à constitutionibus Societatis exigitur, in quibus Generalis ex iusta causa potest interdum dispensare; cùm in ipso resideat tota, & plena auctoritas, & facultas, qualis, & quanta residet in tota Societate, quoties non est ei specialiter prohibitum, prout in aliquibus expressè prohibetur dispensare: ita docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. de ingressu in Societatem, cap. 4. n. 10.* & Thomas Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 20. post medium;* & colligitur ex ipsis constitutionibus *part. 9. cap. 3. §. 1. & 8.* vbi expressè dicitur, ad Generalem pertinere dispensare in constitutionibus, vbi dispensatione opus est, habita ratione personarum, locorum, temporum, & aliarum circumstantiarum, quod munus præstabit finem earumdem constitutionum intuen- do, qui alius non est, quàm maius Dei obsequium, & bonum subditorum. *Idque tam de experimentis eorum, qui in probationibus versantur, quàm de alijs rebus, in quibus eam fuisse mentem eorum, qui constitutiones con- siderunt ad gloriam Dei iudicabitur, dictum sit.* Ita habetur *dicto §. 8.* vbi in declaratione littera D. additur. *Et intelligendum est, dispensare posse, vbi eam esse mentem constitutionum, vt dictum est, consideratis circumstantiis particularibus, & non aliter in Do- mino*

*mino iudicant.* Certum autem est, quod Societas posset in hoc defectu dispensare, prout de facto dispensauit generaliter cum habentibus notitiam linguarum Indicarum, & cum viris eminentibus in litteris humanioribus, quamuis vtrique careant gradu illo doctrinæ theologicæ, qui in constitutionibus ad Professionem quatuor votorum requiritur. Ergo & Generalis in casu particulari dispensare poterit, occurrente necessitate, vel ratione, ob quam id necessarium iudicetur ad bonum subditorum. Quæ autem, aut qualis ratio magis vrgens desiderari potest, quam necessitas casus præsentis, in quo ex epistola eiusdem Generalis data est Professio publicè, & de qua ad minus dubitari potest, an fuerit valida, nec sine magna turbatione potest hoc dubium manifestari, & examinari? Porro Generalem posse ratam habere, & acceptare Professionem ab alio suo nomine inualidè acceptam, dummodo Professor in eadem voluntate perseueret, probauit cum communi Doctorem dicto *dubio* 13.

3 Maior difficultas esse potest, quoad primum dubium suprâ indicatum, an Professio illa fuerit valida; potuit enim in rigore Generalis validè acceptare Professionem, non obstante defectu doctrinæ ab examinatore deprehenso. Nam æquè exigitur in constitutionibus probitas morum, ac requiritur doctrina ad Professionem. Certum autem est, validam fore Professionem, quam Generalis acciperet ab homine improbo, siue ignoranter, siue scienter id faceret: idem ergo erit si admittat ad Professionem hominem indoctum.

4 Tota ergo difficultas est, an Generalis habuerit intentionem & voluntatem acceptandi Professionem huius Patris, quem examinatores reprobauerant. Et quidem, si Generalis aliunde cognoscebat illum Patrem, & antequam subscriberet litteras, in quibus eius nomen simul cum aliis professuris continebatur, eas legit, & tamen subscripsit, quamuis id fecerit, vel oblitus reprobationis, vel deceptus ab aliis, & putans, illum fuisse approbatum; credo fuisse validam Professionem, quia non fuit error, & deceptio circa personam, sed solùm circa qualitatem doctrinæ. Hoc autem est proprium matrimonij, & Professionis Religiosæ, vt error solus circa substantiam, & circa personam irritet actum; non verò error circa qualitatem, excepta conditione seruili ignorata, quæ irritat matrimonium, vt cum aliis probat latè Sanchez *lib. 7. de*

*matrim. disp. 18. num. 18. & seqq. & lib. 10. disp. 9. num. 20.* Ratio autem est, quia habet Generalis voluntatem vltimam absolutam circa personam determinatam, prout talis est in individuo. Et quamuis ea voluntas procedat ex errore, quo putauit, examinatores eam approbasse; ille tamen error versatur circa solam qualitatem. Videatur idem Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 4. num. 57.* Exemplum autem optimum esse potest in Episcopo conferente Sacerdotium Titio, quem falsò ei dicunt, fuisse ab examinatore approbatum. Certè Titius Ordinem validè recipit; quia Episcopus habet intentionem, & voluntatem vltimam eum ordinandi, quæ voluntas oritur quidem ex errore, sed ex errore, qui non versatur circa substantiam, sed circa qualitatem, qui non sufficit ad irritandum eiusmodi actum, quamuis relinquat Titium obnoxium pœnis, & censuris in iure latis contra surreptitiè sacros Ordines suscipientes.

Rursus, si Generalis non cognoscebat aliunde illam personam, sed commisit Assistentibus, vt examinarent informationes, & alia necessaria pro promouendis, & Assistentes visis informationibus, hunc Patrem ob defectum doctrinæ excluderunt, quem tamen Secretarius ex errore inclusit in epistola, quam siue lectam, siue non lectam, Generalis subscripsit; præsumptio videtur esse quòd habuerit voluntatem sufficientem circa Professionem illorum omnium, nisi constet de voluntate contraria. Duplex enim voluntas potuit esse in Generali subscribente. Prima esset: *Volo quòd promoueantur ad Professionem illi, quos Assistentes approbarunt; & hæc voluntas non includeret illum, quia ipse non fuerat ab Assistentibus approbatus.* Secunda voluntas esse potuit: *Volo vt promoueantur omnes hic scripti, quia hi sunt approbati ab Assistentibus;* & eiusmodi voluntas includit hunc, quia erat ibi scriptus, licet procedat ex errore qualitatis, scilicet, quòd fuisset ab Assistentibus approbatus. Videtur autem in dubio præsumi hæc secunda voluntas, nisi constet fuisse solam primam; quia Generalis subscribens, ostendit se sufficienter informatum circa qualitatem eorum, qui ibi scripti sunt, atque adèd se velle eorum promotionem, quia informatus est de illorum qualitibus. Et quidem in rigore iam est sufficienter informatus, cum sufficiat Secretarium testari, illos omnes approbatos fuisse ab Assistentibus, vt Generalis censeatur esse sufficienter

ficienter informatus de qualitibus eorum, qui ibi continentur. Sicut Episcopus non aliter est informatus de idoneitate illorum, quibus confert sacros Ordines, nisi quatenus Secretarius testatur, eos omnes fuisse ab examinatore, & à Vicario Generali approbatos.

6 Denique, si Generalis ipse affuit consultationi præcedenti, & ipsemet exclusit à Professione illū Patrem N. ob insufficientiam doctrinæ ab examinatore testificatam, & postea vel non legit epistolam, vel eā lectā, quia non cognoscebat aliunde personam, putauit hunc esse vnum ex inclusis, & non ex antea exclusis: tunc error videtur esse circa personam, atque adèd deesse voluntatem sufficientem, quia videtur alligasse intentionem ad illos, quos ipse destinauerat, & quos in mente habebat, ex quorum numero putauit hunc esse, cum non sit. Sicut si Petrus volens contrahere matrimonium per Procuratorem cum Maria, cuius qualitates examinauerat, subscriberet mandatum Procuratori mittendum, in quo loco Mariæ scripta esset alia, proculdubio matrimonium cum illa alia non esset validum ob defectum intentionis, quia Petrus ad solam intentionem præsumitur ordinasse.

7 Tota ergo hæc difficultas circa valorem primæ Professionis videtur solùm deseruire in casu nostro ad discernendum, an debeat computari antiquitas à die factæ olim Professionis; an verò à die, quo à Generali ratificatur: quoad reliqua enim res ponitur in tuto ratificata Professione à Generali, dum Professor supponitur in eadem voluntate perseuerare. Quare, si Generalis non nouerat aliunde personam, & ipse non affuit consultationi, sed commisit Assistentibus, vt viderent informationes, nec constat de voluntate contraria, qua alligauerit intentionem ad eos solos, quos Assistentes approbauerint; præsumi potest in dubio voluntas promouendi eos, qui scripti erant in epistola, quam subscripsit iuxta suprâ dicta, atque adèd poterit relinqui cum sua antiquitate à die factæ Professionis, quamuis ad maiorem cautelam ratificetur postea Professio à Generali. Si verò Generalis affuit consultationi, & ob defectum doctrinæ exclusit à Professione illum Patrem N. præsumi potest defectus intentionis sufficientis ad valorem Professionis, atque adèd moneri debet Professor, vt non computet antiquitatem, nisi à die ratificatæ Professionis. Quare, (quod non facile continget,) eueniret, quòd intuitu Professionis

prioris, vocetur ad Congregationem in præiudicium alterius Professi, qui Professionem fecit medio illo tempore antè ratificationem, excuset se aliquo alio prætextu, & moneat secretò Prouincialem de suo impedimento, vt sub alia specie declaret illum esse legitime impeditum, iuxta regulam, quam tradit Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 68.* Ratificationem denique dixi fieri debere à Generali coram testibus, vt sit acceptatio externa, & possit eam probari, ad quem finem oportet quòd maneat in scriptis, & expediet eam ipsi Professo intimari, & ab eodem recognosci, ne vllò vnquam tempore velit fortasse reclamare de nullitate prioris Professionis.

#### D V B I V M XLIV.

*An testator excludens Professum ab aliquo legato, censeatur excludere eum, qui emisit vota simplicia in Societate.*

**T**estator in suo testamento reliquerat summam magnam pecuniæ, vt eius redditus distribuenter semper inter ipsius posteros æquali portione per singula capita, ita vt omnes, & singuli æquè participarent plus, vel minus pro minori, vel maiori eorum numero: ab hac autem participatione exclusit eos, qui essent Religiosi Professi. Cum ergo vnus ex iis Societatem Iesu ingressus esset, & post biennij nouitium vota simplicia Societatis emisisset, prætendebant cæteri consanguinei non posse ipsum ampliùs in prædicta distributione locum habere, sed eius portionem debere cæteris accrescere, quippe qui Religiosus esset votis ligatus, quæ non minùs constituunt in vero statu religioso, quàm vota solemnia aliarum Religionum: atque adèd quoad hunc effectum comprehensum intelligi sub exclusione Religiosorum Professorum, sicut etiam quoad incapacitatem contrahendi validè matrimonium, & ad alios similes.

Dixi tamen, proculdubio Religiosum illum, quandiu manet in eo statu, & Professionem solemnem adhuc non facit, participare debere ex distributione illorum reddituum, & qua verbis testatoris exclusus non est; excluduntur enim soli Religiosi Professi: & certum est, hunc nondum esse Professum, sed esse in via adhuc, & quasi

quasi in probatione ad Professionem, in quo statu quamvis sit ligatus votis simplicibus, quibus votis Summi Pontifices communicarunt plures effectus Professionis solemnibus, quos expressè & nominatim declararunt, quibus postea Gregor. XIII. addidit etiam inhabilitatem ad matrimonium validè contrahendum; iidem tamen Pontifices in suis Bullis expressè declararunt, eiusmodi Religiosos, durante eo statu, nondum esse Professos, ut expressè habetur in Bulla Iulij III. quæ incipit, *Exposcit debitum*, edita anno 1550. & in Bulla Gregorij XII. quæ incipit, *Quanto fructuosius*, & aliis, quæ habentur in Bullario eiusdem Societatis. Nominatim verò quoad capacitatem reddituum, imò & dominium bonorum temporalium retinendum, & successionem hæreditariam, vel legatorum acquisitionem, non esse Professis adæquandos, sed ab iis omninò distinguendos, decernunt iidem Pontifices, & tradunt communiter Doctores Societatis, & externi, & nouissimè firmavit Rota in quadam *Bononiensi successione de Zanis*, sub *Bicchio* anno 1641. nec de hoc puncto dubitari potest.

3 Difficultas solùm esse poterat, an in casu nostro, exclusis Professis cuiuscumque Ordinis à participatione illorum reddituum, deberet per ampliacionem extendi nomen *Professi* ad eos, qui votis simplicibus Societatis ligantur, quæ sunt verè vota substantialia religiosa, quamvis in rigore non sint Professus. Dixi tamen, non debere eiusmodi ampliacionem admitti, quia, licet eiusmodi Religiosi in fauorabilibus, & priuilegiis, & in odiosis etiam quoad aliquos effectus à Sede Apostolica expressos, æquiparentur Professis; id tamen non procedit in odiosis non expressis, & multò minùs in exclusione à bonis temporalibus, in ordine ad quæ Summi Pontifices decreuerunt, & declararunt semper, quòd debeant omninò à Professis contradistingui. Hanc autem eandem regulam debere in casu nostro obseruari, constabit manifestè comparando casum, & clausulam huius testamenti cum aliis casibus, & clausulis similibus, in quibus agitur vniuersaliter de Professis; & tamen ad eiusmodi Societatis Religiosos, qui votis simplicibus ligantur, non extenduntur.

4 Primum ergo exemplum esse potest ex *cap. beneficiorum, de Regularibus in 6.* vbi traditur beneficia, quæ Nouitius habebat, vacare ipso iure, sequuta Professione. Et tamen in Societate, nisi ipsemet benefi-

cium resignet, non censetur vacare beneficium emissis votis simplicibus post biennij nouitiatum, ut declaratum fuit in prima Congregatione generali Societatis *can. 1.* & quamvis postea in *Congregatione quinta Generali can. 5.* iussum fuerit, ut beneficia resignent, antequam vota simplicia emittant; si tamen de facto ea non resignent, nullo modo vocabunt ante Professionem, ut fatetur Thomas Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 4. num. 7.* Sicut ergo exclusis Religiosis Professis à beneficio retinendo, non intelligitur exclusus Religiosus Societatis, quandiu Professionem solemnem non fecit; ita exclusis Religiosis Professis à participandis redditibus annuis legatis, non debet intelligi exclusus Religiosus Societatis, qui votis solùm simplicibus ligatur; eadem enim ratio in utroque casu procedit.

Secundum exemplum esse potest ex 5 communi regula, quæ tradit, pensiones Ecclesiasticas, quas Nouitius habebat, extinguere Professione religiosa, ut docent Doctores communiter, quos affert, & sequitur Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 8.* & tamen Religiosi Societatis post emissam eiusmodi vota simplicia, & post biennij nouitiatum, adhuc retinent pensiones Ecclesiasticas, quas in sæculo habebant, donec Professionem solemnem faciant, ut docet idem Sanchez *ibi num. 10.* & est praxis frequentissima in Societate, nec vllus difficultatem præfert in iis soluendis, & ego ipse vsque ad meam solemnem Professionem per multos annos recipi ab Archiepiscopis Hispalensibus pensionem annuam absque vlla specie difficultatis, quia videbant sola Professione extinguere pensiones. Idem ergo dicendum erit de legato annuo sæculari, à quo soli Religiosi Professus excluduntur, cum eadem sit ratio, & eadem sint verba in utroque casu, quibus Professus excluduntur.

Tertium exemplum esse potest ex *cap. 6. cum simus, de Regularibus, & ex §. si quis autem, vers. si vero filios, Authent. de Monachis*, ex quibus Doctores communiter colligunt, post Professionem patris statim debere legitimam filiis, ut multis relatis probat Sanchez *dicto lib. 7. in Decalog. cap. 10. num. 3.* & tamen non debetur filiis ea legitima, quando Pater sola vota simplicia post biennij nouitiatum in Societate emisit, ut docet idem Sanchez *ibi num. 6.* quia hæc vota non veniunt nomine Professionis religiosæ.

Quartum exemplum esse potest ex *vsu-7* fructu,

fructu, quem Nouitius habebat in fundo alterius, qui vsusfructus eo ipso extinguitur, & consolidatur cum proprietate statim ac vsusfructuarius proficitur in Religione succedendi incapaci, qualis est ordo Minorum, & Societas I E S V, ut cum communi Doctorum docet idem Sanchez *dicto lib. 7. cap. 13. num. 3.* & tamen non extinguitur vsusfructus, sed perseverat, quando vsusfructuarius emisit sola vota illa simplicia post nouitiatum, donec postea faciat Professionem solemnem, ut fatetur idem Sanchez *ibidem*, & P. Molina *tom. 1. de Iustitia, disp. 9. columna antepenultima,* & alij.

8 Quintum exemplum esse potest de iure nominandi ad emphyteusim, vel de iure reuocandi nominationem antea factam, quæ iura extinguuntur per quamcumque Professionem religiosam, ut docent Molina *tom. 2. de Iustitia, disp. 482. colum. penultima,* & Thomas Sanchez *dicto lib. 7. in Decalog. cap. 14. num. 16.* & tamen non extinguuntur per dicta vota simplicia in Societate, quandiu non fit Professio solemnibus, ut supponit Molina *ibi* initio disputationis, & Sanchez *dicto cap. 14. num. 14.*

9 Sextum denique exemplum esse potest de iure renuntiandi officium publicum, quod Nouitius habebat in Republica, quod ius extinguitur per Professionem, nec potest Professus amplius illud renuntiare, & resignare in fauorem alterius, sed officium ipso iure vacat, ut docet idem Sanchez *ibidem dicto cap. 14. num. 21.* & tamen per vota illa simplicia post biennij nouitiatum non extinguitur, nec amittitur illud ius in Societate, sed potest Religiosus iis votis ligatus, & antequam Professionem emittat, validè renuntiare, & resignare officium illud in fauorem alterius, ut docet idem Sanchez *ibi num. 22.*

10 Ex quibus omnibus exemplis constat manifestè, nomine Professionis in eiusmodi prohibitionibus, aut exclusionibus, præsertim quando agitur de bonis temporalibus, non intelligi vota simplicia Societatis, atque aded testatorem excludentem posteros suos Professos à participatione illius legati annui, non exclusisse emittentem sola vota simplicia Societatis, quandiu Professus non est, sicut in exemplis relatis leges excludentes ab aliquo iure Religiosos omnes Professos, non intelliguntur excludere Religiosos Societatis ligatos votis simplicibus, quandiu

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

Professi non sunt: nec enim excogitari potest ratio aliqua diuersa in hoc casu ab aliis supra adductis.

Possunt autem hæc amplius confirmari in ex iis, quæ tradit Nauarrus *consil. 6. de statu Monachorum.*

#### D V B I V M XLV.

*An sine facultate Sedis Apostolicæ possit Societas ei, quem dimittit, reddere bona immobilia, quæ antea ab ipso per renunciationem acceperat.*

Q Vidam Societatem ingressus postea debito tempore abdicauit se bonis suis, & ex eis aliqua Societati donauit, donatione, inquam, irreuocabili. Post multos verò annos à bono proposito deficiens, & religiosam disciplinam non curans, è Societate, ipsemet petente, dimissus est. Repetere autem volebat bona, quæ Societati donauerat, cum donationes omnes factæ intuitu ingressus in Religionem irritæ sint non sequuta Professione, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 16. de Regularibus* Societas autem opponebat, decretum illud Tridentini locum non habere in Nouitiis, aut Religiosis Societatis; quæ nominatim in eodem decreto excepta fuit verbis illis subsequenter. *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Iesu iuxta pium illorum institutum à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesia inseruare possit.* Vnde Societatem eo in decreto non comprehendendi, docent multi, quos affert, & sequitur Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 1. num. 34. & sequentibus, & cap. 5. num. 9.* & late probat Suarez *tom. 4. de Religionè tractat. 8. lib. 3. cap. 14. num. 22. & tractat. 10. lib. 4. cap. 4. num. 19.* P. Molina *tom. 1. de Iustitia, disp. 139. Castro Palao tom. 3. tractat. 16. disputat. 1. punct. 15. num. 6.* & alij communiter, atque id ita declarasse Patrem Generalem Societatis I E S V anno 1584. nimirum donationes illas non habere conditionem implicitam perseverantiae in Societate, testatur Sanchez *ubi supra, dicto cap. 1. numer. 34.* & colligi potest ex constitutionibus Societatis, vbi in examine *cap. 4. §. 1.* dicitur, hanc renunciationem bonorum fieri debere, à se omnem fiduciam submouendo

Z

do



do eadem vlllo tempore recuperandi. quod vtrique non fieret, si renuntians retineret ius ea bona recuperandi, quoties iustis de causis à Societate dimitteretur, imò hæc spes posset nonnullis occasionem suggerere vacillandi in sua vocatione. Vide alias rationes apud prædictos Auctores.

2 Quia tamen litis exitus dubius erat, & ne bona Societatis existimatio periclitaretur, voluerunt cum donatore transigere, eique partem cedere bonorum immobilium, quæ Societati donauerat. Dubitatum ergo fuit, an Societas posset reddere donatori bona illa immobilia sine facultate Sedis Apostolicæ, quæ de iure requiritur ad quamlibet alienationem bonorum immobilium, vel mobilium pretioforum.

3 Aliqui in ea fuerunt sententia, vt non esset necessaria in hoc casu facultas Sedis Apostolicæ. Primum fundamentum erat; quia cessio illa fiebat iuxta mentem constitutionum Societatis: nam in examine cap. 4. §. 4. in declaratione littera B. dicitur: *si accideret, hunc à Societate dimitti, & Societati quid dedisset, ei restitui debet iuxta declarationem tertij capituli secunde partis.* in illo autem cap. 3. littera B. sic dicitur: *ea, quæ ipsius esse constet, difficile non est statuere, vt secum ferat. Verum in iis, quæ vel expendisset, vel dedisset Societati, vel alioqui, si accidisset, vt ficto animo in domo, vel Collegio ipsius habitasset, prudentia Superioris dimittentis relinquatur, vt habita ratione tum æquitatis, tum adificationis, statuatur, num illi aliquid amplius, quam quod inuenitur, de rebus ipsius dari debeat, nec ne, & si amplius, quantum.* quod idem fuisse de mente Societatis in Congregatione quinta generali, constat ex decreto 8. vbi proposito hoc dubio, & petita interpretatione illius loci constitutionum, Congregatio censuit, praxim Patris Præpositi arbitrio relinquendam Ex quibus locis constare videtur, Societatem non ita acceptare firmiter eiusmodi donationem, vt non habeat animum reddendi totum, vel partem donatori si dimittatur ex Societate: quod & communis praxis testatur; semper enim bona redduntur, magna saltem ex parte, & sæpe omnia, iis, qui ante Professionem dimittuntur. Non ergo facta fuerunt inalienabilia, cum Societas retinuerit sibi facultatem reddendi ea donatorio, atque adeò non acceptauit firmiter eorum dominium.

4 Confirmatur, quia idè Domus pro-

fessa Societatis potest sine licentia Sedis Apostolicæ vendere bona immobilia sibi à testatore relicta (saltem de iure communi, nisi, prout aliqui referunt, necessitatem licentiæ etiam in hoc casu imposuerit sacra Cardinalium Congregatio,) quia nimirum iuxta constitutiones Societatis Domus professa debet eiusmodi bona alienare: idem ergo erit in casu nostro, cum iuxta ipsius Societatis institutum retinenda non sint hæc bona, sed saltem ex parte reddenda.

5 Secundum fundamentum erat, quia aliquando continget necessariam esse omnium bonorum restitutionem: vt si donator ob infirmitatem contractam reddatur omninò ineptus ad vitam religiosam; & idè consentiens ipse permittatur ad sæculum redire, vt curari possit, vel si ob indigentiam suorum parentum dimittatur liber à votis religiosis, vt eis subueniat. In quibus, & similibus casibus impium videretur bona omnia retinere donatore dimisso: non ergo acceptantur illa bona ab initio, nisi retenta potestate restituendi illa, quando expedierit.

6 Tertium fundamentum erat, quia inter alias rationes, ob quas scholares Societatis possunt post votum simplex paupertatis retinere dominium suorum bonorum ad tempus; vna est, vt magis libera maneret Societas ad eos dimittendos, quando expediret, vt testatur etiam Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino.* Hæc autem Societatis intentio magna ex parte fraudaretur, si non posset illis, quando eos dimittit, reddere eorum bona Societati donata; cogeretur enim Societas eos cum suis defectibus tolerare, ne diceretur, quòd bonis suis spoliatos remittit eos, & quòd fortasse eo animo eos acceptat, vt bona retineat, & personas reiiciat: quæ notanti ponderis esset, vt cogeretur Societas cum magno religiosæ disciplinæ dispendio homines inutiles, & noxios retinere, si bona ab iis donata reddere non posset. Fatendum ergo est, quòd Societas non aliter eiusmodi donationes acceptat, nisi retenta sibi libertate eas rescindendi in totum, vel in partem, quoties donatorem dimittendum iudicauerit.

7 Denique huic sententiæ non parum fauere videtur P. Suarez dicto tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 14. num. 2. 3. vbi, postquam latè probauit donationem hanc ex parte donatoris esse absolutam, & irrevocabilem,

cabilem, atque adeò Societatem non obligari ad eam rescindendam, etiam si donatorem dimittat; statim addit: *Quamuis autem Religio ex iustitia non teneatur hæc bona reddere in huiusmodi casibus, ex quadam æquitate, & ad tollendam omnem occasionem offensionis, potest licitè vel omnia, vel aliquam eorum partem priori domino reddere, vel pretium eorum, quia hæc non censetur alienatio simpliciter bonorum Religionis, sed quadam iusta dispensatio necessaria ad conseruandam libertatem, quam talis Religio profitetur, ad dimittendas personas, quæ sibi non congruunt: imò ex praxi, & consuetudine instituto consentanea videntur hæc bona à principio acceptari à Religione cum hac potestate, & libertate, dimittendi etiam illa simul cum persona, si fuerit expediens ad finem Societatis, & ad communem adificationem. In hac tamen æquitate facienda obseruare etiam necesse est, ne nimium grauetur Religio, quæ per multos annos alit personam, quæ postea litteris, & alijs donis instructa dimittitur, & nihilominus integra vult recipere bona, quæ donauerat, quod non potest, non esse graue onus Religionis. Cauendum etiam est, ne facilitas in hac parte generet in subditis certam spem recuperandi bona in simili euentu: nam posset hæc esse occasio licenter viuendi, vt supra dicebamus. Denique præcauendum est etiam, ne hoc sit tam frequens, & tali modo fiat, vt inducatur consuetudo obligationem inducens.* Hæc P. Suarez, in quibus videtur significare, quamuis Societas non teneatur ad reddenda bona, posse tamen ea reddere, quin propter hæc dicatur bona Religionis alienare.

8 Vnde non videtur obstare, quòd donatio facta fuerit absoluta, & irrevocabilis, quia, quamuis fuerit talis ex parte donatoris, potuit Societas non acceptare omninò absolute, sed sub conditione, nisi donator ante Professionem dimittatur; quo casu referuat sibi facultatem non acceptandi in totum, vel ex parte. Nec etiam videtur esse decretum Urbani VII. editum in sacra Congregatione Concilij die 7. Septembris anno 1624. in quo prohibita fuit Religiosis omnis alienatio, reuocatis priuilegiis, & facultatibus, si quas habebant ad alienandum: Dici enim potest, Societatem in hac alienatione non fuisse vsam vlllo priuilegio, sed ex ipsamet forma sui instituti solitam fuisse reddere bona, vel integra, vel partem iis, qui dimittuntur. Hæc ferè afferebant, qui sentiebant, non esse necessariam facultatem

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

Sedis Apostolicæ in hac bonorum restitutione.

Ego tamen dixi, rem hanc non catere difficultate, nec videri mihi solida argumenta supra adducta, si ad debitam examinationis trutinam reducantur. Nec enim apparet quomodo possint stare simul hæc duo, quòd donator nullum prorsus ius retineat in bonis illis, nec possit vlllo casu ea repetere; & tamen Societas debeat, vel possit ea reddere sine facultate Sedis Apostolicæ. Nam, si donator abdicauit omninò à se totum ius ad illa bona, & omnem prorsus spem ea recuperandi: totum ergo illud ius transit in Societatem, atque adeò bona illa sunt sub plenò dominio Societatis. Quid enim est aliud esse plenè dominum huius fundi, nisi posse illum retinere, & de illo disponere sine vllius iniuria? Potest autem Societas sine vlla donatoris iniuria retinere sibi semper bona illa. Alioquin, si id non posset facere sine donatoris iniuria, quando illum dimittit; iam ergo donator retinet ius aliò quod ad bona illa recuperanda, si dimittatur: cuius contrarium supponunt constitutiones Societatis, & Auctores supra adducti, qui volunt, donatorem nullum prorsus ius ad illa bona retinere: nec potest fieri iniuria à Societate contra donatorem, si in donatore non sit ius aliquod, cum iniuria habeat respectum essentialem ad ius alterius. Potest ergo Societas retinere sibi semper ea bona absque vllius iniuria, & per consequens est omninò, & plenè domina illorum bonorum, atque adeò non poterit illa alienare sine facultate Sedis Apostolicæ; lex enim generalis est, qua prohibentur Religiosi alienare quæcumque bona sua immobilia, quorum nempe dominium sit penes Religionem.

Confirmatur, & explicatur amplius hæc ratio; quia non potest Societas velle acquirere bona illa, cum facultate tamen alienandi ea auctoritate propria: hoc enim esset velle duo contraria, nempe, quòd bona illa sint sua, & quòd lex Ecclesiastica loquens de omnibus bonis suis non loquatur, de illis; quod quidem Societas facere non potest: neque enim emere potest sibi fundum aliquem, vel domum, retinendo sibi facultatem illam auctoritate propria alienandi, quando voluerit. Potest quidem id fieri ex vi contractus, quando, v. gr. Petrus venderet Societati domum cum pacto, vt possit ab ipso venditore redimi, quia tunc in

venditore maneret adhuc ius ad redimendam domum, nec Societas haberet plenum omnino, & liberum dominium illius. In casu autem nostro supponitur, nullum profus ius remanere in donatore; quare bona illa sunt sub pleno, & absoluto dominio Societatis, quæ sine ullius iniuria potest illa sibi retinere: non potest ergo cum hoc perfecto, & pleno dominio retinere Societas facultatem alienandi ea bona sine facultate Sedis Apostolicæ.

11 Confirmatur secundò, quia adhuc adueniente casu quo dimittatur donator, non debet Societas etiam iuxta mentem constitutionis reddere omnia bona, sed vel omnia, vel partem, vel nihil, prout in Domino iudicauerit magis expedire. Constat ergo, quòd ab initio constituta sunt omnia sub dominio pleno Societatis. si enim constituta essent solum sub conditione perseverantiæ donatoris, deficiente conditione, non posset Societas etiam partem retinere, cum nulla eorum pars esset sub eius dominio absolute, sed solum sub conditione. Repugnat ergo velle retinere partem bonorum, supponendo donationem fuisse firmam, & independentem à perseverantia donatoris in Societate, & simul velle reddere partem propria auctoritate, eo pretextu, quòd donatio non fuerit omnino firma, sed dependens à futura conditione quoad sui valorem, & firmitatem irrevocabilem.

12 Nec satisfacit dicere, donationem fuisse firmam, & irrevocabilem ex parte donatoris, non tamen fuisse acceptatam absolute ex parte Societatis, sed sub conditione, si donator postea non dimittatur. hoc, inquam, non satisfacit, quia in primis, ut modò dicebamus, si donatio non erat firma ex parte Societatis, eo quòd Societas eam non acceptauerat absolute, sed solum sub conditione; ergo non potest Societas partem bonorum retinere, quia deficiente conditione, deficit acceptatio, atque adeò deficit valor donationis. Vnde impugnari potest secundò illa responsio, quia, si toto illo tempore donatio nondum erat acceptata absolute, sed solum sub conditione; ergo toto illo tempore manebat adhuc ius in donatore ad reuocandam donationem saltem pro casu, quo è Societate dimitteretur. Suppono enim cum communi Doctorum, quos retuli tom. 2. de iustitia, disputat. 23. section. 3. antequam donatarius acceptet donationem, semper posse donatorem illam reuocare. Si ergo Societas nondum acceptauerat donatio-

nem pro casu, quo donator ex illa dimitteretur, poterat semper donator donationem reuocare pro illo casu. Quare biduo antequam è Societate dimittatur, poterit dicere: Ego nolo illa bona Societati donare, si ab ea dimittatur. quæ reuocatio valida erit, cum nondum donatio sit à Societate acceptata pro illo casu: posse autem donatorem hoc facere, non videtur esse de mente illorum Auctorum, nec iuxta constitutiones ipsius Societatis, quæ volunt donatorem abdicasse à se omne ius, & omnem spem recuperandi. Frustrà autem hoc desiderat, si ipsa non acceptante donationem absolute, sed solum sub conditione, non minùs remanet in donante ius ad reuocandam donationem, & recuperanda sua bona, quàm si ipsemet expressè in donatione dixisset, *Dono mea bona Societati, si in illa permansero; secus si ab ea exiero.* Fattendum ergo est, Societatem non acceptare donationem sub conditione, sed absolute, & statim fieri dominam bonorum illorum, quamuis, ut postea dicam, habeat simul animum reddendi omnia, vel partem, si dimisso postea donatore, id expedire videbitur; non enim repugnat hæc intentio cum acceptatione absoluta, & cum absoluto dominio bonorum.

Dicet fortasse aliquis, Societatem ab initio acceptare donationem, non quidem sub conditione, si donator perseverauerit, sed sub alia conditione, nempe, nisi Societati postea visum fuerit donationem reuocare, quod est propriè acceptare, reseruata sibi facultate recedendi ab acceptatione in totum, vel in parte; sed reuera hoc est ludere vocibus: nam conditio illa non impedit plenam, & absolutam acquisitionem dominij, atque adeò quòd bona illa iam sint absolute bona Societatis, & per consequens non possint alienari sine facultate Sedis Apostolicæ; conditio enim illa, etiam si exprimeretur, non redderet acceptationem conditionatam, ut constat quando Petrus donat Ioanni domum, & Ioannes acceptat, certè Ioannes retinet facultatem reddendi postea, si voluerit, eandem domum Petro: & quamuis Ioannes id exprimeret, & diceret, *Accepto domum, sed reseruo mihi facultatem reddendi eam tibi, si voluero;* certè non redderet acceptationem conditionatam, nec aliquid exprimeret, quod non inesset in ipsa natura acceptationis, cum sit de ratione domini posse distrahere pro libito rem suam, nisi lege impediatur. Sicut ergo Ioannes in eo casu esset perfectè dominus illius domus; ita

ita Societas manebit absolute domina bonorum illorum, quamuis reseruet sibi facultatem bona illa reddendi donatori, quæ facultas non impedit absolutam acquisitionem dominij. Cum ergo Societas intendat acceptare, & quòd in donatore nullum maneat ius ad repetenda illa bona, & aliunde habeat animum restituendi omnia, vel partem, si expedierit; restat explicandum, quo sensu animum illum habere possit, ita ut non præiudicet valori acceptationis, nec reddat illam conditionatam, ita ut possit adhuc à donatore reuocari ob defectum acceptationis sufficientis: hinc enim pendere videtur responsio ad ea, quæ in contrarium afferebantur.

14 Primum ergo argumentum desumptum ex verbis constitutionum, & Congregationum Societatis probat sufficienter, Societatis mentem hanc esse, ut, regulariter loquendo, vel omnia, vel pars bonorum acceptorum donatori restituantur, si dimittatur; nullo tamen iure apud donatorem interim remanente ad ea repetenda, cum totum id relinquatur prudentiæ Superiorum, quorum arbitrium frustra requireretur, si donator posset iure suo illa bona repetere. Nulla ergo relinquatur obligatio ex iustitia, sed significatur congruitas magna, & decencia, ut restituantur. Per hoc tamen nullo modo excluduntur quæ necessaria sunt ad eam restitutionem faciendam: nec mirum esse debet, quòd non fiat ibi mentio de facultate à Sede Apostolica petenda ad reddenda bona illa; neque enim semper necessaria est ea facultas, quando nimirum dimittendus donauerat vel pecuniam, vel res mobiles, de quibus potissimum videtur sermo esse in illis locis, supponuntur enim aliqua esse consumpta, pro quibus æquiualeuter aliquid satisfacere aliquando expediet. Quando verò donata fuissent bona immobilia, non dicitur ibi quòd potest Societas ea reddere propria auctoritate, sed quòd in aliquibus casibus expediet ea in totum, vel in partem reddere: suppositis nempe terminis habilibus, & obtenta facultate necessaria, quam quidem ante decretum Urbani VIII. poterat dare Generalis Societatis, postea verò Sedes Apostolica ob iustas causas eam sibi reseruauit. Hic autem sensus ex ipsa materia, de qua agitur, colligi potest; ponamus enim quòd aliquis donauit Societati bona immobilia ad fundandum Collegium nouum, quod iam ex illis bonis erectum fuit; postea verò Prouincialis iustas ob causas eum è Societate dimittit, prout

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

in dicta secunda parte constitutionum c. r. supponitur, posse Prouincialem aliquando inconsulto Generali, aliquos dimittere. Peto ergo, num Prouincialis sine alia facultate possit bona illa dimisso restituere, & Collegium fundatum dissoluere? nam in dicto cap. 3. prudentiæ Superioris dimittentis (quicumque ille sit,) relinquatur, num bona donata restituenda sint ei, qui dimittitur. Quis autem dicat, posse Prouincialem solum Collegium illud dissoluere inconsulto Generali, cum in 4. p. constitut. cap. 2. negetur ipsi Generali eiusmodi potestas dissoluendi Collegium sine consensu Societatis, vel in Congregatione generali præstito, vel saltem per litteras requisito? Sicut ergo, quando ibi relinquatur prudentiæ Prouincialis dimittentis, num bona donata Societati restituenda sint dimisso, subintelligi debet, quòd petatur etiam facultas à Generali, quando bona talia fuerint, ut non possint sine eius facultate alienari: ita quando dicitur expedire, quòd omnia, vel quoad partem restituantur, subintelligi debet, quòd si talia sint bona, quæ sine facultate Sedis Apostolicæ reddi non possunt, ab ea petatur, & obtineatur facultas necessaria. Societas itaque acceptat absolute illa bona, & acquirit plenum, & absolutum eorum dominium; sed simul habet animum reddendi omnia, vel aliqua donatori, si eum ante Professionem dimiserit: hinc enim animus, si nulla intercedat obligatio, aut promissio, non impedit perfectam, & absolutam dominij acquisitionem, ut constat quòd ego emo librum, cum animo donandi illum postea Petro: quo casu non minùs emptio fit absolute, & perfectè dominus libri, quàm si eum animum non haberem. Hoc autem constitutiones Societatis significant, nempe, quamuis nulla sit obligatio reddendi bona donatori; expedire tamen aliquando illa, vel illorum partem reddere. Quomodo autem restitutio illa facienda sit non explicant, sed supponunt fieri debere modo legitimo, ita ut propter bonorum paruitatem sufficiat Rectoris, vel Præpositi localis consensus, non requiratur alius: secus si propter bonorum qualitatem, vel quantitatem requiratur consensus Prouincialis, vel Generalis. Quod idem erit intelligendum, quando propter bonorum qualitatem necessarius erit consensus Sedis Apostolicæ, necessitas enim legitimi consensus requisiti nullo modo excluditur in prædictis locis constitutionum.

Vnde ad confirmationem constat differ- 15  
rentia;

rentia: nam Domus professa iuxta constitutiones non potest retinere bona immobilia sibi legata, atque ideo non mirum, quod non indigeat facultate ad ea alienanda, cum ob suam incapacitatem retinere non possit. At verò in casu nostro Societas in rigore iuris potest ea bona sibi semel donata retinere: si autem aliquando expedit, quod ea restituat, id quidem deseruiet ad iustificandam causam, ut facultas concedatur, non verò, ut id sine debita facultate fiat.

16 Ad secundum argumentum responderi potest, non debere nos nunc examinare singulos casus in particulari, qui euenire possunt. Sufficit regulam generalem assignare, quod si circumstantiæ sint tales, ut Societas non solum possit, sed debeat reddere bona donatori, poterit, imò debet reddere, neque ad id indigebit facultate Sedis Apostolicæ. Si autem circumstantiæ sint tales, ut non debeat, possit tamen, & quidem expedit reddere, hæc erit causa sufficiens, ut facultas concedatur à Sede Apostolica, à qua tamen peti debet, sicut & peti debet quando alienatio cedit in euidentem utilitatem Religionis, & in aliis casibus similibus.

17 Ad tertium dici potest, requiri quidem ad perfectam Societatis libertatem in dimittendis dyscolis, quod possit eis reddere bona ab alijs accepta in totum, vel in partem: ad eandem tamen libertatem requiri etiam, quod Societas non teneatur bona illa reddere, ne fortè metu restitutionis necessariò faciendæ dissimulentur, & tolerantur nimis donatoris vitia, & ne ipsimet donatores certi de bonorum recuperatione faciliùs relaxentur in disciplina regulari, & dimissionem à Societate procurent. Satis ergo prouidetur illi priori periculo, si maneat in arbitrio Societatis, reddere omnia, vel partem bonorum, prout circumstantiæ diuersæ exigunt. quo casu tota illa ratio, & congruitas iustificat facultatem, quæ petenda est à Sede Apostolica, sicut in similibus casibus ob bonum etiam Societatis nomen conseruandum peti, & obtineri solet.

18 Denique eodem modo interpretandum videtur, quod ex P. Suarez afferebatur, qui non est mirum quod restitutionem hanc bonorum dixerit non esse alienationem illicitam, sed prudentem dispensationem; quia solum videtur voluisse, non esse intrinsecè malam, nec dissipationem, sed prudentem distributionem, nec enim tempore illo, quo P. Suarez id dixit, prohibita

erat iure humano, cum posset Generalis Societatis in iis casibus alienare bona immobilia. Nos autem loquimur de iure nouo, quo eiusmodi facultates abrogatæ sunt decreto Urbani VIII. qui non solum prohibuit, ne alienationes fierent prætextu priuilegiorum, sed in vniuersum omnes alienationes de nouo prohibuit, quacumque causa fierent, & Sedis Apostolicæ consensum necessarium esse voluit. Quare, stante hoc strictissimo decreto, difficile mihi est, quod sine eiusmodi Apostolicæ Sedis consensu possit Generalis propria auctoritate bona immobilia semel Societati irrevocabiler donata donatori restituere, & iam si id fiat per transactionem ad vitandas lites, cum transactio in eiusmodi bonis immobilibus enumeretur communiter à Doctoribus inter alienationes, quæ prohibitæ sunt circa bona ecclesiastica, ut alijs relatis, obseruat Filiucius in *Appendice tract. 44. cap. 2. num. 25.*

#### D V B I V M XLVI.

*An ille, qui est iam plenè emendatus, possit in Societate denuntiari Prælato, ut Patri.*

Suppono, in Societate posse ex peculiari eius regula deferri ad Superiores, non ut iudices, sed ut Patres, omnes defectus subditorum cum debito amore, & charitate, ut ipsi pro paterna diligentia possint debito modo consulere bono ipsius delati, & bono etiam Societatis, ad quod maiori cum libertate exsequendum omnibus in ingressu Societatis proponitur distinctè hæc regula, & interrogantur, an ei consentiant, & quatenus opus sit, cedant iure, quod habere possent, ne deferantur eorum defectus ad Superiores, nisi præmissa antea fraterna correctione: quod tamen non intelligitur de iis, quæ vel sub sigillo confessionis, vel etiam consilij petendi causa subditus alicui aperuit, ut latè hæc omnia explicata fuerunt in Congregatione sexta generali *decreto 52.* & eiusdem in Societate praxim latè, & doctè defendunt Thomas Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 18. num. 50. & seqq.* & alij, quos affert latè, & ex professo totam hanc controuersiam tractans P. Petrus Hurtado *disp. 163. de charit. sect. 5.* quam in plures diuidit subsecciones, qui videri possunt.

Hoc supposito, dubitatum fuit, an hæc ampla, & generalis facultas tanta sit, ut etiam si

etiam si subditus sit perfectè emendatus, possit qui eius peccatum, aut defectum nouit, Prælato eum deferre ut Patri, non præmissa fraterna correptione: imò enim fraterna correptio in hoc casu inutilis, & superflua esset; si enim frater supponitur iam omnino emendatus, frustra corripitur, ut emendetur, cum iam finis correptionis habeatur sine correptione. Aliunde verò utile videtur, quod Prælati sciat defectum, aut peccatum præteritum subditi, ut emendatio firmior, & magis diuturna sit, & ut Prælati paterna cura amoueat occasiones, & impediatur periculum relapsus. Quare, cum cessio iuris fuerit vniuersalis, & solum excipiantur casus sigilli sacramentalis, & notitiæ datæ ad petendum consilium; videtur etiam in cessione illa iuris inclusus casus fratris emendati, in quo etiam contentus fuit, ut eius defectus ad maiorem in Spiritu profectum Prælato ut Patri manifestari possent.

3 Dixi tamen, in primis casum esse rarissimum, in quo notitia Prælati non speretur utilis futura ad maiorem securitatem emendationis; vel ad bonum commune Religionis, ut ex multis coniecturis probant Suarez *dicto cap. 9. num. 11. & cap. 10. num. 12.* & Hurtado *ubi supra §. 71. & seqq.* ubi benè aduertit, posse contingere, quod subditus sit emendatus, & doleat de suo lapsu, quantum sufficit, ut possit in Sacramento Pœnitentiæ absolui, & iustificari, & tamen id non sufficiat, ut non possimus prudenter timere reincidentiam, si noua occurrat occasio, quotidie enim proponimus, & citò in proposito deficimus. Ad hoc autem, & ad boni propositi perseuerantiam, & constantiam multum deseruiet notitia Prælati, qui occasiones auertet, & suis monitionibus secretis maiori rigore, & auctoritate subditum continebit, præsertim, cum certi generis peccata eius sint conditionis, ut si semel admittantur, difficilè eorum radices possint omnino extirpari, & verendum communiter sit, ne vel pœnitentiæ ficta sit ad consopendum zelum fratris, cuius denuntiatio timetur; vel certè, si vera sit, non sit futura constans, nisi adhibitis remedijs efficacioribus, quæ Prælati sua paterna cura meliùs, & faciliùs adhibere potest. Est ergo casus rarissimus in Societate, quo aliquis non possit Prælato ut patri deferre subditi defectus, si Prælati talis sit, ut credatur ea notitia non nisi debito modo vsurus, ad finem solum paternæ gubernationis cum debito amore & charitate procurandum.

Demus tamen, de facto casum occurrere, in quo frater, qui errauit, sit omnino, & perfectè emendatus; nec timor iam sit futuræ reincidentiæ, nec ad hunc finem securiùs obtinendum necessariam esse Prælati notitiam, nec ad alios fines procurandi commune bonum Religionis, vel aliquid simile. Data ergo ea hypothese, dixi, non posse etiam in Societate subditi crimen deferri ad Prælatum etiam ut patrem, quod est maximè iuxta sensum eiusdem Societatis, vnde eius Doctores id expressè docuerunt, Thomas Sanchez *dicto cap. 18. num. 49. & 60.* Suarez *dicto lib. 10. cap. 8. num. 11. & cap. 9. n. 8.* & clariùs *num. 17.* vbi dicit, considerandum esse in particulari, an cesset omnino ratio delationis immediatæ ad Prælatum: *Cessare autem poterit, (inquit,) si in aliquo casu particulari contingat, ut pensatis omnibus circumstantiis, prudenter iudicetur, notitiam Superioris nec necessariam, nec utiliore futuram esse ad emendationem fratris, securitatem Religionis, & alios fines honestos, qui per talem denuntiationem intendi possunt, (quod quia rarissimum erit, ideo à lege, seu regula non curatur,) nam tunc abstinendum est à tali denuntiatione, si lapsus sit occultus, & nullum offendiculum alijs præbuerit, nec in futurum timeatur. Tunc enim urget ratio illa charitatis, ut subueniatur proximo in maioribus bonis cum minimo, vel nullo incommodo in bonis inferioris Ordinis, si fieri possit.* Hæc Suarez, qui postea addit, peccatum denuntiantis in tali casu esse ex genere suo mortale: in indiuiduo tamen posse facillè esse solum veniale; quia bona intentio, qua fit denuntiatio, quamuis imprudenter fiat, purgabit tamen, & minuet magna ex parte culpam detractionis. Idem sentit Castro Palao *tom. 1. disput. 1. de charit. punct. 12. num. 4.* Hurtado *dicta disput. 163. §. 221. & seqq.* & alij.

Ratio autem est, quia charitas semper obligat ad subueniendum proximo cum minimo eius damno: si ergo totum damnum, & periculum fratris lapsi, & ipsius etiam communitatis, vitari potest absque villo detrimento famæ, etiam apud Prælatum, charitas videtur obligare ad non adhibendum remedium illud difficilius, ex quo nullus maior fructus in his circumstantiis sperari potest. Nec obstat cessio iuris, & licentia antea ab ipso subdito concessa, ut omnes eius defectus possint Prælato ut patri manifestari; quia, quidquid sit, an licentia illa, & cessio extendatur ad hunc etiam casum, in quo delatio criminis inutilis



inutilis iudicatur; obligatio tamen charitatis semper videtur remanere, quæ dicitur, ne aliis faciamus, quæ nobis fieri nollemus: quare etiam si ob cessionem præcedentem ea manifestatio non esset contra iustitiam, (de quo adhuc dubitari posset,) adhuc esset contra charitatem, quæ semper obligat ad impediendum proximi detrimentum, quoties sine incommodo potest impediri.

6 Dices, hanc etiam obligationem sublatam esse per cessionem præcedentem, per quam videtur cessare non solum obligatio iustitiæ, sed etiam charitatis. Nam, sicut ipsemet poterat ad maiorem suam humiliationem dicere Prælatò sua peccata præterita; ita potest velle, quòd alius ea Prælatò dicat, qua voluntate posita, non videtur esse contra charitatem ea Prælatò dicere; charitas enim non obligat, ut conferes famam fratris apud Prælatum, quando ipsemet non vult, quòd conferatur; quia præceptum præstandi aliis, quod nobis volumus, non habet locum in hoc casu. Imò tunc facies, quod tibi fieri velles: nam, licet semper velis, ne te renuente fama tua lædatur apud Prælatum; non tamen vis, quòd te consentiente, & volente, id non fiat: non ergo obligat charitas ad vitandum illud qualecumque detrimentum famæ tui fratris apud Prælatum, quando frater ipse consentit, & vult illud detrimentum pati ad suum maius bonum spirituale obtinendum. quod videtur significare P. Suarez dicto lib. 10. cap. 9. num. 6. dum loquens de hac renuntiatione iuris, quæ fit in Societate, subdit: *non minoris virtutis est consensus præstitus Religioni, quam qui inter ipsos priuatos Religiosos propria auctoritate præstaretur, ad mutandam materiam, ut iam non sit contra charitatem, hoc est, contra bonum temporale fame, sed potius pro charitate, hoc est, pro bono melioris correctionis prædicta manifestatio.*

7 Hoc tamen non videtur omnino satisfacere: nam quoad hoc propositum, non videtur esse eadem ratio de obligatione iustitiæ, & de obligatione charitatis: nam iustitia solum respicit ius alienum, ne lædatur; & quidem, posita renuntiatione iuris, nullum remanet ius, quod lædatur: nec ille, qui semel omnino renuntiauit suum ius, potest hanc cessionem reuocare, ut repetat ius, quod habebat, & quod à se omnino abdicauit. Sufficit ergo renuntiatio illa semel posita, & à Religione acceptata ad vitandam postea malitiam contra iustitiam in tali manifestatione, si tamen

intentio renuntiantis, ut supra dicebamus, extendebat se ad hunc etiam casum rarum, & extraordinarium, de quo nunc agimus. Charitas verò non respicit ius proximi, sed præcisè id, quod tibi velles fieri. Si ergo velles, ne tibi inuito fama læderetur, hoc debes proximo præstare. Nec obstat, quòd frater tuus olim consenserit manifestationi delicti, quia si iam hodie non consentit, sed potius displicet ei; grauius hæc famæ læsio iam nunc inuitus patitur hoc damnum, & desiderat subleuari. Sicut si quis iratus, vel etiam bono spiritu ductus diuitias suas dissipauit, & postea facti pœnitens paupertate oppressus auxilium à te petat, charitas ei subueniendum dicitur, quia iam nunc malum illud inuitus patitur, in quo statu tu etiam velles tibi ab aliis subueniri. Cessio ergo, & renuntiatio præcedens non tollit motuum charitatis præsens, quoties iam nunc proximus malum illud graue inuitus patitur; in qua circumstantia tu etiam velles ab aliis subleuari.

Nec huic regulæ aduersatur doctrina illa 8 Patris Suarij supra relata: nam, si attentè legatur, non loquitur ibi de obligatione charitatis erga alios, sed erga se ipsum. Præmiserat enim paulò antè, renuntiationem iuris, ad propriam famam ex fine melioris correctionis licitam esse, sine quo finis talis renuntiatio absoluta prodigna foret, atque adeò contra propriam charitatem. In hoc ergo sensu subdit statim, hunc consensum præstitum ob finem melioris correctionis non esse contra charitatem, nempe contra charitatem propriam erga se ipsum, de qua sermo erat, & contra quam esset prodigere propriam famam sine causa. Imò inde retorqueri potest argumentum pro nostra doctrina; si enim P. Suarez docet, ipsummet subditum peccare contra charitatem, si renuntiet ius ad famam sine causa maioris boni; ergo multò magis putabit, peccare contra charitatem quemlibet alium, qui sine tali causa prodigat, & lædat fratris famam, cuius non est ita dominus sicut ille, de cuius fama agitur. Nec de mente Suarij in hoc puncto dubitari potest, quam ipse clarè expressit in aliis pluribus locis, quæ supra retulimus: & hæc de hoc puncto sufficiant; casus enim est rarissimus, & ferè solum locum habere potest in peccatis valde antiquis, in quibus, ut benè ponderat Hurtado dicta disput. 163. num. 224. inutile omnino, & illicitum esset manifestare nunc Prælatò peccata senis octogenarij, quæ in adolescentia commisit, & diurna

turna pœnitentia deleuit, & quorum apud homines memoria non est: quamuis ipsemet posset ad suam maiorem humilitatem ea omnia Prælatò manifestare.

## D V B I V M XLVII.

*An consulens homicidium, ipso sequuto, sit inhabilis ad ingrediendam Societatem.*

1 S Vppono, vnum ex impedimentis substantialibus ad ingrediendam Societatem esse homicidium aliquod perpetrasse, ut habetur in examine, cap. 2. §. 2. & in constitut. part. 1. cap. 3. §. 4. & quidem hoc impedimentum tale esse, ut Professio subsequuta valida non sit, declaratum fuit in Congregatione generali 7. decreto 42. quò supposito, quærebatur, an idem impedimentum haberet, qui non occidit propria manu, sed homicidium consuluit, ex quo consilio homicidium sequutum fuit.

2 Pro parte affirmatiua videtur esse in primis, quòd in dictis constitutionibus dicto cap. 3. in declaratione marginali, (quæ eandem auctoritatem habet, ac ipse textus,) littera C. dicitur: *Qui cum deliberatione homicidium perpetrari insisset, si effectus est consequutus, quamuis manu sua non occiderit, inter homicidas erit existimandus.* Vnde apparet homicidium ibi non accipi in stricta significatione, sed in latiori; alioquin non posset comprehendere mandantes. Si ergo mandantes comprehendere. Deinde probari potest ex doctrina generali Syluestri, Rosellæ, & aliorum, quos affert Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 49. num. 1. qui dicunt, excommunicationem, & pœnam latam in facientes comprehendere etiam mandantes, quòd idem de consulente dicendum videtur, cum vterque concurrat solum ut causa moralis.

3 Respondi tamen, in rigore loquendo, mihi probabilius videri, quòd eiusmodi impedimentum non afficiat consulentem. quam sententiam postea inueni amplexum etiam fuisse Castrum Palao tom. 3. tract. 16. de essentia, & requisitis status religiosi, disp. 1. punct. 8. §. 1. num. 18. Et probari potest ex fundamento contrario; quia communissima sententia est, censuram, aut pœnam latam aduersus facientes non comprehendere mandantes, & consulentes, nisi exprimentur, ut multis relatis probat idem Sanchez dicta disp. 49. num. 2. & lib. 1. in De-

calog. cap. 10. num. 44. vbi ponderat, irregularitatem homicidæ impositam non comprehensuram consulentem, nisi fuisset in iure etiam expressa ea extensio: vnde postea infert consulentem homicidium non esse reputandum irregularem, quando dubitatur, an occisio sequuta fuerit, quia licet homicida in dubio facti, censetur irregularis; textus tamen id statuentes loquuntur solum de homicida, quo nomine in pœnalibus, & odiosis non intelligitur consulens homicidium. Quare is solum reputabitur irregularis, quando constat occisionem sequutam fuisse, & dubitatur, an consilium influxerit ad homicidium; quia tunc præsumptio est contra consulentem, nisi contrarium probetur: secus verò erit, quando dubium est, an homicidium sequutum fuerit. quod in casu simili docet idem Sanchez lib. 2. consil. cap. 1. dub. 104. num. 6. & 30. vbi dicit, censuras à iure impositas simoniacis non incurri à consulentibus, vel mediantibus, nisi quando expressè ad eos in ipsa lege extenduntur. quod de omnibus pœnis latæ sententiæ probat P. Theaurus in praxi Ecclesiastica, part. 1. cap. 10. Idem ergo videtur dicendum in casu nostro de inhabilitate ad Societatem, quæ odiosa est, & ideo sub nomine homicidium perpetrantis, non debet intelligi consulens, qui in rigore non perpetravit homicidium, sed consuluit, quamuis improprie, & tropicè dicatur occidisse, quod verbum etiam ipsum perpetrandi homicidium, quò impedimentum statuitur, maxime significat: nam perpetrare, ut Latinæ linguæ Magistri docent, non est utcumque facere; sed perficere, & ad finem vsque actionem perducere; quæ non conuenit consulenti, sed exsequenti: nam consulens incipit remorè, quod exsequens postea ad finem perducit.

Nec obstat, quòd mandans homicidium 4 eodem ibi impedimento teneri dicatur, imò hinc nostra doctrina magis roboratur; quia enim Legislatores volebat etiam mandantem homicidium, ipso postea subsequuto, ab ingressu Societatis excludere, ideo expressè impedimentum hoc ad mandantem extendit; quia, nisi id explicaret, non excluderetur verbis præcedentibus de homicidium perpetrante. Potuisset autem ad consulentem etiam extendere; & tunc id etiam de consulente explicaret, quod non fecit, nec vsus est verbo aliquo generali, quo omnes cooperantes includeret, sed solum illum nominauit, qui animo deliberato homicidium mandasset; quia

quia nimirum ille videtur auctor principalis, & magis culpabilis, cuius nomine, & auctoritate alius postea operatur, cum homicidium exsequitur. Consulens autem multò minùs influit, ut constat ex iis, quæ dixi tom. 1. de iustit. disp. 19. sect. 4. n. 124. & seqq. ubi cum communi sententia probauimus, mandantem teneri primo loco ad restitutionem etiam ante ipsum exsequentem; consulentem verò non teneri, nisi in defectum restitutionis factæ ab ipso, cui consilium dedit, & qui primo loco tenetur ante consulentem, quia nimirum mandans est causa principalis, cuius nomine mandantarius operatur, ut instrumentum illius: consulens verò est causa accessoria, nec eius nomine operatur, qui consilium accipit, nec vllò modo est instrumentum consulentis, sed causa principalis. Non ergo mirum est, quòd S. Ignatius vltra homicidam proprium, voluerit etiam à Societatis ingressu excludere mandantem, quem solum expressit, non verò consulentem, aut alios similes; imò ex expressione solius mandantis magis probatur, quòd alij non comprehendantur iuxta regulam vulgarem; quòd exceptio firmat regulam in contrarium.

5 Vnde, etiam si daremus, statutum odiosum extendi posse ad casus similes non expressos, quòd factum est, ut in pœnis latæ sententiæ probat Thesaurus dicta part. 1. cap. 9. & in omnibus legibus odiosis probant alij, quos affert, & sequitur Lezana tom. 4. verb. leges Regularium, num. 42. in nostro tamen casu id non procederet, cum casus in lege expressus de mandante non sit similis, sed valde dissimilis consulenti, respectu cuius exsequens non est causa instrumentalis, sed principalis, & principalior, ita ut consulens non teneatur ad damna, nisi in defectum exsequentis, cum tamen mandans, ut vidimus, teneatur primo loco, etiam ante ipsum exsequentem; quare prohibitio facta mandanti non potest vllò modo ob paritatem rationis extendi ad consulentem. Porrò legem hanc non esse fauorabilem, sed potius odiosam, atque ideo non largè, sed strictè interpretandam, constat ex iis, quæ post longam discussionem statuit Suarez lib. 5. de legib. cap. 2. num. 15. ubi, quamuis ipse in toto illo capite magis propendat ad reputandam in dubio quamlibet legem fauorabilem, quam odiosam; fatetur tamen, legem illam odiosam esse censendam, quæ irritat factum aliquod, quòd prohibet directè, vel indirectè, & quæ exorbitans est à iure

communi: quæ omnes conditiones reperiuntur in lege ista, quæ non solum prohibet homicidæ ingressum in Societatem, sed etiam illum irritat, in quo recedit à iure communi, quo tales non prohibentur ab ingressu Religionis, nisi ad summum in certo casu in Bulla Sixti V. & rursus irritat factum, quòd iure communi non irritatur; imò irritationes in casu peculiari à Sixto V. inductas abstulit Clemens VIII. & reduxit ad terminos iuris communis. Ex qua constitutione Sixti V. argumentum efficax desumi potest ad probandum, hanc legem Societatis esse odiosam, & strictè interpretandam; sicut enim lex Societatis inhabiles reddit homicidas ad eam ingrediendam: ita Sixtus V. inhabiles reddidit ad Professionem regularem criminosos, & ære alieno oppressos in certis casibus ibi expressis. Et quamuis illa inhabilitas videretur cedere in bonum status religiosi, ne ab eiusmodi personis occuparetur, sicut lex Societatis videtur cedere in eius bonum: nihilominus Doctores communiter iudicant, constitutionem illam Sixti V. reputandam esse legem odiosam, atque ideo strictè interpretandam, ut cum aliis supponit Thomas Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 19. num. 23. idem ergo dicendum erit de lege Societatis, per quam inhabiles redduntur homicidæ ad eam ingrediendam; debere, inquam, odiosam existimari, atque ideo non latè, sed strictè esse interpretandam.

#### D V B I V M XLVIII.

*Utrum priuilegia Societati concessa pro iis, qui mittuntur ad Indiam, competant iis, qui vel in India nascuntur, vel ibi Societatem ingrediuntur.*

**M**ulta sunt in Societate priuilegia à Summis Pontificibus concessa pro iis, qui ad Indiam à Præposito Generali mittuntur, quibus in illis solum regionibus uti possunt; quia tamen non omnes Sacerdotes, qui Societatis ministeria in India exercent, mittuntur ex Europa, sed aliqui ibi in Societatem recipiuntur, qui antea ob alios fines illuc ex Europa transferant in statu seculari; aliqui etiam ibidem nati sunt ex parentibus Hispanis, qui iam ibi domicilium habebant, & quidem hi origine Hispani sunt, sed patria, & domicilio

micilio Indi; ideo dubitatum fuit, an huiusmodi Sacerdotes uti possint prædictis priuilegiis, cum ipsi non fuerint à Præposito generali ad Indiam missi, & priuilegia iis solis concessa videantur, qui ad Indiam mittuntur à Præposito generali.

2 Dixi tamen, omnes eos Sacerdotes Societatis, qui in India sunt, gaudere proculdubio eisdem priuilegiis; de illis enim omnibus sufficienter verificatur, quòd ad salutem animarum illarum mittuntur; duplex quippe missio intelligi potest, altera localis, qua aliquis corporaliter ab vno loco in alium ex mittentis imperio proficiscitur: altera spiritualis, seu moralis, qua mittentis iussu aliquis destinatur ad munus aliquod circa aliquos exercendum, ad quod non requiritur mutatio loci, sed officij. Et in hoc sensu accipitur communiter *missionis* nomen, quando de Ministris Ecclesiæ sermo est; in hoc enim sensu de Prædicatoribus Euangelij dixit Paulus Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et tamen non omnes Apostoli profecti sunt in alium locum, ut prædicarent: nam Iacobus Apostolus Hierosolymorum Episcopus creatus, ibidem permansit, ut Euangelium prædicaret usque ad mortem, ad quod munus missus dicitur sine vlla loci mutatione. Vnde Ierem. 14. pro eodem accipitur *mitti*, & *destinari*, dum de falsis prophetis dicitur, *Non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Sufficit ergo præcipi alicui, quòd aliquid alteri dicat, ut possit dici ad eum missus; imò & ipsæ diuinæ personæ dicuntur in toto rigore mitti ad nos sine vlla loci mutatione: neque enim Spiritus sanctus locum mutauit, quando die Pentecostes missus fuit ad Apostolos; in quibus ex totius Trinitatis decreto aliquid peculiariter debebat operari, illisque instruere, & specialiter in prædicatione dirigere. Possunt ergo in rigore dici, mitti à suis Prælati ad salutem Indorum illi etiam, qui antea ibi erant, quando præcepto Prælati ad hoc munus denuo designantur, & deputantur.

3 Confirmari potest primò, quia idem videtur esse de nomine *Legati*, & de nomine *Missi*; nam Legatus est Nuntius honorificus vnus Principis ad alium, vnde communiter ij, qui mittuntur à Summo Pontifice, si non sint Cardinales, vocantur Nuntij; si verò sint Cardinales, vocantur Legati: quare semper respectum inuoluunt ad mittentem illos. Et tamen aliquando Legati deputantur illi ipsi, quia iam alia de causa in eodem loco commo-

rabantur. Sic Romæ videmus Oratorem ordinarium Imperatoris apud Pontificem esse vnum ex ipsis Dynastis Romanis, qui ad hoc munus à Cæsare deputantur. Sic etiam aliqui sunt Legati ipsius Pontificis, qui appellantur Legati nati, & ad quos successione perpetua transit Legationis munus cum aliqua dignitate, quam in ea Prouincia obtinent. Sed & ad tempus soliti sunt Pontifices Summi Legatum suum deputare aliquem Antistitem illius eiusdem Prouinciæ, cui tale munus merito fidere possint. Similiter ergo poterunt Missionarium deputare aliquem, qui iam ibidem reperitur; & ita, ut credo, praxis habet, ut sacra Congregatio de propaganda fide deputer aliquem Missionarium suum in Prouinciis Infidelium, & Hæreticorum, qui iam antea piè, ac fructuosè ibidem animarum saluti, & fidei propagationi attendebat. Incipit tamen vocari *Missionarius*, & frui priuilegiis, & facultatibus Missionariis concessis, eo ipso quòd in Missionarium deputatur: tunc enim incipit mitti à Sede Apostolica, quatenus nullum iter eius iussu suscepit. Esse autem Missionarium, & esse Missum idem omnino esse videntur, ut ex ipsis terminis constat.

4 Confirmari potest secundò alio exemplo indulgentiarum, quæ concedi solent confluentibus in festo aliquo ad aliquam Ecclesiam; si enim aliquis ad eam Ecclesiam alia occasione ierit, vel fortè ob debita, vel delicta commissa illuc confugisset; potest adhuc in eadem Ecclesia indulgentiam lucrari, ut obseruauit Ludouicus à Cruce in Bullam Cruciatæ disput. 1. cap. 8. dub. 13. num. 3. & ante eum Nugus in 3. p. tom. 2. tract. de Bulla §. 10. quia nimirum ire ad Ecclesiam exigitur solum præsuppositiue, ut in ea possit orare, quòd solum formaliter desideratur. Sic etiam facultates & priuilegia conceduntur Ministris Euangelij, qui salutem animarum in India procurant, quia tamen communiter hi solent ab Europa mitti, ideo sub ea appellatione nominantur: si tamen itinere non indigeant, quia iam in India reperiuntur, sufficit deputatio ad eundem finem; parum enim curat Pontifex, an nauigatione, vel natiuitate ibi sint, dummodo à Præposito generali ad eadem ministeria ibi exercenda applicentur, & deputentur. Praxis denique perpetua, quæ est optimà legum interpretis, in hoc sensu semper eiusmodi concessionem, & priuilegia intellexit; quare non videtur scrupulus hac occasione denovo iniciendus.

## D V B I V M XLIX.

*An possint Professionem in Societate emissuri examinari ante finem studiorum.*

**I**N Societatis constitutionibus variae conditiones requiruntur, ut quis ad Professionem solennem quatuor votorum admittatur; quarum una est, ut quadriennio Theologiae studeat, & à quatuor deputatis examinatorebus rigorofo examine probetur, & inueniatur in Philosophia, & Theologia profecisse, ut constat ex p. 5. constit. c. 2. §. 2. quem profectum Congregationes generales 7. & 8. eum debere esse declararunt, ut possit eiusmodi facultates cum satisfactione docere, idque examinatores iuramento adhibito testari debent. Ab hoc tamen examine subeundo excipiuntur, qui pro dignitate, & cum satisfactione audientium has facultates professi sunt, aut profitentur: vel qui actum generalem manè, & vespere in Theologia habuerint, si iis Patribus, qui Prouincialis iudicio disputationibus interesse debuerint, satisfecerint, ut habetur in ordinationibus Generalium auctoritate 7. Congregationis contractis c. 18. part. 3. §. 6.

**2** Hoc supposito, dubitatum, & questum fuit, an ille, qui non quarto Theologici cursus anno, (ut fieri solet,) sed tertio anno actum habuit generale Theologiae manè, & vespere, & iudicibus deputatis satisfecit, cogendus sit postea sequenti anno examen subire. Ratio autè dubitandi esse poterat, quia prius examen non videbatur legitimum, utpote non factum tempore legitimo; debet enim fieri, ut appareat quantum profecisset quadriennio Theologici cursus, quod tunc apparere non poterat, cum nondum triennium elapsum esset. Et confirmari potest primò ex verbis constitutionis loco supra citato, ubi sic dicitur: *Et quamuis aliqui breviori tempore non minorem progressum, quam alij longiori, facere possent; nihilominus, ut communis aliqua mensura statuatur, spatium aliquod temporis praescribetur; & hoc erit quadriennium integrum post Artium liberalium, & Philosophiae studia, in Theologia expleuisse. Ut ergo ad Professionem quis admittatur, in ea facultate hoc tempore se exercuisse, & quidem ad gloriam Dei, satis in ea profecisse conuenit; & in profectus huiusmodi testimonium quisque ante Professionem assertiones Logicae, Philosophiae, & Theologiae scholasticae tuebitur, &c.* Et ibidem in declaratione littera B. dicitur, hanc mensuram studij quatuor annorum in sacra Theolo-

gia, (praeter litterarum humaniorum, & Artium studia, & examinationem dictam: ut quem profectum in ea doctrina fecerint, videri possit,) ut plurimum obseruandam, &c. excepto casu speciali vno, vel altero, qui ibi subiicitur: ex quibus colligi videtur necessitas examinis in fine quadriennij.

Quod rursus secundò confirmari potest ex verbis Congregationis generalis septimae decreto 33. §. 3. ubi sic statuitur: *Nemo verò ad quatuor votorum Professionem admittatur, nisi qui sub finem anni quarti deprehensus fuerit tantum eruditionis habere, quantum necessum foret ad Philosophiam, ac Theologiam cum satisfactione docendam, nisi forsitan ad gubernandum, vel ad concionandum illustria talenta haberet, idque iudicio Patris nostri. Examè verò, quod sub finem anni quarti instituitur, sit ut minimum horarum in vnoquoque duarum, in quo varia è primis Philosophia, & Theologia capitibus percurrantur, in quibus verbis examen doctrinae videretur omnino requiri sub finem quadriennij.*

Dixi tamen, omnino sufficere examen factum, vel actum generalem Theologiae habitum anno tertio. Non dico, non requiri quadriennium integrum cursus theologici; hoc enim constitutio supra adducta videtur expressè exigere: sed solum dico, examen anticipatum prodesse posse, & sufficere. quod verba ipsa septimae Congregationis supra relata videntur significare; non enim petunt, quòd in fine quarti anni examinetur professurus, sed quòd nemo ad Professionem promoueat, nisi qui sub finem anni quarti deprehensus fuerit tantum eruditionis habere, quantum necessum foret ad Philosophiam, ac Theologiam cum satisfactione docendam. Qui autè tertio anno publico examine ostendit, se eum gradum eruditionis habere, is proculdubio sub finem quarti anni noscitur talè eruditionè habere; permanet enim adhuc apud omnes notitia examinis, & approbationis praeteritae. Verificatur ergo de illo in toto rigore, quod in fine quarti anni deprehenditur, talè habere eruditionem, qualis ad Professorum gradum requiritur.

Quod rursus confirmari potest verbis illis sequentibus: *Examè verò, quod sub finem anni quarti instituitur, sit ut minimum horarum in vnoquoque duarum, &c.* ubi non dicitur, *Examè, quod tunc institui debet: sed quod tunc instituitur.* quia nimirum tunc, & non antea fieri solet: quibus verbis solum refertur consuetudo, non imponitur necessitas temporis illius, ita ut, si alio tempore fiat, validum non sit.

Porrò non imponi hanc temporis praefixi necessitatem, probari adhuc potest, quia si hoc

hoc esset, sequeretur, non sufficere ad Professionem examen, si non sub finem quarti anni, sed biennio post fieret. Non enim minus, sed magis distat finis biennij sequentis à fine quarti anni, quam annus tertius Theologiae. Si ergo necessariò alligaretur examen ad finem quarti anni Theologiae, non magis validum esset examen biennio post factum, quam anno praecedenti. Consequens autè est manifestè falsum, ut praxis ostendit in multis, qui post duos, vel plures annos à fine cursus Theologici examinentur. quam ultimi examinis, & iudicij dilationè permittere videntur constitutio ipsa supra allegata, ubi post necessitatè examinis praescriptam subditur, *Quod si doctrina ea praediti esse, quae satis sit, non inueniantur, conducibilis erit, ut donec eam consequantur, expectent, &c.* Possunt ergo postea iterum examinari, ut iudicium ultimum de illorum sufficientia fieri possit.

**7** Ratio denique optima, & à priori esse potest, quia examen hoc ad id solum adhibetur, ut Societati constet de doctrinae sufficientia illius, qui Professionem emissurus est. Ad hunc autè finem non minus, sed magis conducit examen tertio anno factum; qui enim tertio anno inuentus est aptus ad docendam Philosophiam, & Theologiam cum satisfactione, multò aptior erit sub finem quarti anni: frustra ergo iterum examinabitur, ut de hac aptitudine Societati constare possit.

**8** Accedit regula generalis, quòd terminus alicui in eius fauorem praefixus non obligat illum ad non anticipandum, imò debitor potest semper anticipare, quando terminus in eius fauorem positus fuit, ut cum communi Doctorum dixi tom. 1. de iust. disp. 20. sect. 9. n. 117. Certum autem est, tempus illud sub finem quadriennij in fauorem examinandi statutum fuisse; duplex quippe fauor in ea temporis determinatione resultat ei, qui examinandus est. Primus est, ne cogi possit antea examinari, quando nondum comparauerat eam doctrinae sufficientiam, nec tantum potuerat profectum in illis facultatibus facere. Secundus fauor est, ne cogi possit ad differendum postea diu examen, quod in magnum eius praerudicium saepius caderet, ut explicatur in ordinationibus Generalium dicto c. 18. de promouendis, part. 1. §. 3. his verbis: *Quoniam verò si examen de sufficientia litterarum ad id tempus differretur, quo quis ad gradum promouendus proponitur, minus commodè succederet, (contingeret enim eos, qui examinandi tunc essent, ante aliquot annos studia absoluisse, & in variis Societatis ministeriis occupatos, ac distractos fuisse, ac proinde scholasticas res, vel certè subtilitates non ita in promptu habere: unde non possent fortè ita satisfacere, ut satisfecissent, si statim absolutis studiis fuissent examinati) Propterea animaduertendum deinceps erit, ut examen iuxta instructionem à nobis missam, fiat postquam quisque studia absoluerit, antequam ad tertium probationis annum mittatur, iuxta constitutiones, &c.* Constat ergo, vnde quaque in fauorem eius, qui examinatur, tempus illud designatum fuisse, ne anticipatio, vel dilatio ipsi noceat, si examini subiiciatur, vel nondum sufficienter edoctus, vel eorum, quae olim didicerat, oblitus. Non potest ergo reici vt minus validum examen, quod quis spontè ante terminum subit, cum terminus in eius gratiam designatus fuerit. Ex quibus constat iam responsio ad rationem dubitandi in contrarium adducta; negamus enim, in constitutione, vel in Congregatione generali, necessitatem illius temporis impositam fuisse, nisi quatenus cedit in fauorem eius, qui examinatur, ne cogi possit ante illud tempus examinari, dum nondum fortasse doctrinam sufficientem comparauit; atque ad exponeretur reprobationis periculo. Si autem anticipato examine dignus comprobatus fuit; iam sufficienter etiam sub finem quadriennij Societati constat ex vi examinis anni praecedentis, eum habere doctrinam, ut ad Professionem quatuor votorum promoueat: quam solam notitiam sub finem quadriennij Congregatio generalis septima postulauit, ut supra obseruatum fuit.

## D V B I V M L.

*Utrum Legatus à latere possit uti privilegiis Societatis circa personas eiusdem Societatis, sicut possunt Praelati Societatis.*

**S**uppono, quauis Regulares ratione suae exemptionis non subdantur Nuntiis, aut aliis Legatis simplicibus; Legatis tamen à latere subiici, siue ex iure communi, ut aliqui volunt, siue ex specialibus clausulis, quae in ipsa delegatione inserti solent, in quibus id specialiter exprimitur, ut cum aliis, quos afferunt, obseruant Thomas Sanchez lib. 6. consil. cap. 9. dub. 1. n. 14. & seqq. & P. Pelizarins in Manuali Regul. tom. 2. tract. 8. c. 6. sect. 1. q. 1. Hinc ergo dubitatum fuit, an eiusmodi Legatus à latere possit circa Religiosos Societatis ea omnia exercere, quae Praelati eiusdem Societatis circa suos subditos respectiue exercere possunt.

Respondi breuiter, ea, quae Praelati Societatis circa suos subditos exercere possunt, esse in duplici differentia; alia enim sunt,



quæ ad meram, & solam iurisdictionem spectant, qualem haberent etiam Episcopi respectu Regularium, si non fuissent ab eorū iurisdictione exempti. Alia verò sunt, quæ competunt Prælati, vel ratione voti obedientiæ, vel ratione priuilegiorum speciali ipsi à Sede Apostolica concessorū. Illa ergo sola quæ pertinent ad primam classem, sunt quæ ad summum competere possunt Legato à latere. Secus verò dicendum videtur de iis, quæ ad secundam classem spectant: nam in primis Legatus à latere non videtur posse ratione voti obedientiæ religiosæ quidquam Religiosis præcipere; ij enim non fecerunt votum obediendi, nisi Prælati regularibus, quibus sese tradiderunt. Potest quidem Summus Pontifex præcipere Regularibus etiam ratione voti obedientiæ regularis, quod sicut fit Generali religionis, ita etiam fit Pape, qui est supremus Generalis omnium, vt cum P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. c. 11. n. 10. Sanchez Lezana & aliis notat idem Pelliz. in dicto Manuali, tom. 1. tr. 4. c. 4. sect. 4. q. 4. Cæteris verò extra Religionem non tenetur Religiosus, ex voto obedientiæ religiosæ obedire, quia eo voto solum intrēdit se obligare ad Prælati regularibus obediendum, vt constat ex eius formula, qua dicit, *Promitto Deo, & tibi*, (hoc est, Generali, vel eius locum tenenti,) *obedientiam*, &c. vt notat idē Pelliz. ibi q. 6. qui addit q. 9. nec etiā Religiosos non exemptos, teneri ex voto obedientiæ religiosæ obedire Episcopis, vel Ordinariis, de quibus posset esse maior controuersia. Hinc autē à fortiori fit, Religiosos exemptos in iis, in quibus de facto subiiciuntur Episcopis, vel Legatis, non subiici, vt obediunt iis ratione voti, sed ratione iurisdictionis, quam in eos habent. Quamuis ergo Prælatus regularis possit subditis præcipere ratione iurisdictionis, & ratione voti, Legatus tamē non potest illis præcipere, nisi ratione iurisdictionis.

Alia etiam sunt, vt dixi, quæ Prælatus regularis potest exercere circa suos subditos ex priuilegiis specialibus eiusmodi Prælati concessis, v. g. in Societate, de qua loquimur, potest Generalis per se, vel per alios dispensare ex causa cū suis subditis circa præcepta ieiunij, recitationis Officij tempore infirmitatis, celebrandi ante auroram, vel post meridiem, & aliis similibus. Imò omnia priuilegia Societati concessa censentur semper ex declaratione Gregor. XIII. concessa immediatē ipsi Generali, & eo mediāte cæteris, itaut nullo ex iis priuilegiis possit gaudere aliquis ex Societate, nisi ei à Generali comunicetur. Hæc ergo dicimus non posse à Legato etiā à latere fieri, nec ipsum posse alicui ex Societate communicare eiusdem

Societatis priuilegia, vel virtute taliū priuilegiorum cum eo dispensare, vel aliquid simile exercere. Ratio autem videtur clara; quia hæc priuilegia soli Generali concessa sunt, & quibus ipse comunicauerit: nec vllibi Legato concessa inueniuntur, sed sola, & mera iurisdictione: non potest ergo Legatus comunicare, aut exercere priuilegia vltra tenorē concessionis eorundē priuilegiorum.

Possumus autem hoc ipsum exēplo declarare, & comprobare; sunt enim aliqui Ordines regulares, in quibus Abbates ex priuilegio vt possunt baculo, & mitra, & exercere Pontificales aliquas functiones, imò & conferre Ordines minores suis subditis. Quis autem dicat, Legatum Pontificis, cui ex peculiari commissione illi religiosi subiicerentur, posse eo ipso, etiam si nec Episcopus, nec Cardinalis esset, vti baculo, & mitra, & exercere Pontificalia, sicut possunt Abbates, & Prælati illius Ordinis? Similiter in Societate possunt Prouinciales in actu visitationis indulgentiam plenariā concedere suis subditis, quā certē Legatus concedere non posset. Ratio autē est, quia hæc sunt priuilegia concessa peculiariter illis Prælati regularibus: quæ ratio procedit æquē de aliis omnibus priuilegiis, & facultatibus, quæ solis Religiosis concessæ reperiuntur. Non ergo potest Legatus ea omnia, quæ Prælati regulares ratione suorū priuilegiorū exercere possunt.

Addere possumus alia multa, quæ Prælati regulares facere possunt, quæ non potest facere Legatus etiam à latere; hic enim non potest admittere aliquē ad habitum religiosum, vel ad Professionem; vt cum aliis, quos affert, notat Pelliz. tom. 1. tr. 3. c. 3. n. 5. quia hi non sunt propriē actus iurisdictionis, nec Prælatus procedit vt iudex, sed potiùs tantū acceptans, vel contrahens: Legatus autē solum est iudex quoad forum contentiosum. Vnde ob eandē rationem Legatus non potest disponere de bonis Regularium, nec ea obligare per contractum in casibus etiā, in quibus Prælati, & Capitulum possunt id facere. Similiter Prælati, & alij vocales habent suffragiū in Capitulo ad electiones, & alia, quæ ibi sunt; quod tamen suffragiū Legatus non habet, quamuis Capitulo adesset, quia nimirū hæc, & similia iura competunt Prælati, & Religiosis, quatenus sunt pars intrinseca illius corporis, & Ordinis religiosi, cuius Legatus non est pars, sed Superior, & iudex extrinsecus pro certis casibus. Idem ergo dicendum erit de priuilegiis, quæ soli Religioni, & eius Prælati intrinsecis concessa sunt, non verò iis, qui extra Religionem sunt, quamuis aliquam superioritatem, & iurisdictionem in eam exercent.



## LIBER QUINTVS

Continens dubia circa Beneficiarios,  
& personas Ecclesiasticas.

## D V B I V M I.

De donatione facta ab Episcopo Regulari agrotante  
in fauorem suis nepotis.

Episcopus Regularis senex 70. annorum grauius agrotans, ex qua infirmitate mortuus est, aliquot diebus, imò & mensibus ante suam mortem nepoti suo, in cuius tunc domo agrotabat, & qui tam de ipso Episcopo, quam de Episcopi parentibus, erat optimē meritis, iteratis vicibus dixit: *Voi siete patrone di tutto quello, che mi trouo: mi rincresce che è poco*; subiungens, se habere aliquam pecuniæ summam. Postea octauo ante obitum die data fuerunt Episcopo litteræ cambij, quas statim tradidit suo nepoti exigendas, prout cum effectu summam illam aureorum 120. exegit, quam cum ministri Cameræ Apostolicæ, mortuo Episcopo, ab illo exigent, ipse se defendit probans, & docens, se totam illam pecuniam in beneficium eiusdem Prælati expendisse. Denique biduo, vel triduo ante mortem Episcopi, dictus nepos ab eius scrinio ex pecuniis, quæ ibi reperiabantur, accepit scuta circiter mille, nullo facto de hoc verbo cū Episcopo, cuius reliquas pecunias, & bona mobilia, ipso mortuo, spoliū nomine acceperunt Cameræ Apostolicæ ministri: qui etiam monitorium publicarunt, & postea etiam excommunicationem contra eos, qui detinerent aliquid ex defuncti Episcopi bonis, & eos, qui detinentes non reuelarent.

Quæsitum fuit primò, an nepos Episcopi potuerit tuta conscientia pecunias illas accipere, & retinere? Secundò, an, si forte non potuit, sufficeret compositionem obtinere in foro conscientiæ per sacram Pœnitentiarum? Et quidem ad hoc secundum facile responsum est, id fieri non posse, quia in eiusmodi compositione sacra Pœ-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

nitentiarum non apponit manus, vt testatur Filliucius, (qui & ipse Pœnitentiarius erat,) in Appendice, tract. 4. de spoliis, cap. 8. n. 3. Sed compositio cum Camera Apostolica facienda est, siue pro foro externo, siue pro foro conscientiæ, tacito nomine debitoris; Tota difficultas est circa primū punctum. Quod enim pecunia illa pertinerit ad Cameram Apostolicam; nec potuerit nepos Episcopi eam sibi vsurpare, & retinere, probari videtur primò, quia verba illa Episcopi dicta sæpius nepoti: *Voi siete patrone di tutto quello, che mi trouo*, &c. vel non significant donationem præsentem, vel certē non significant donationem inter viuos, sed solum donationem causa mortis: neque enim videtur credibile, voluisse Episcopum ita se abdicare bonis omnibus, vt si conualuisset, non posset ea sibi vsurpare: solum ergo intendebat, quod ipso mortuo, nepos sibi ea acciperet. Hoc autem Episcopus validē non poterat facere; quoniam enim testamentum non potest facere, nec donare etiam potest causa mortis: certum est autem Episcopum testari non potuisse sine indulto Summi Pontificis, quod ipse non habebat. quod multò magis locum habet in Episcopo Regulari, qui licet habeat liberam administrationem suorum reddituum; non tamen habet eorum dominium iuxta communiorē sententiam; nec potest de illis in morte disponere, cum eiusmodi dispositio post mortem interdicta sit omnibus Regularibus, etiam si sint Episcopi, vt cum communi sententia probat Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 6. n. 10. & seqq. & tenuit Rota in recent. posth. apud Farinac. tom. 2. decis. 548 num. 2.

Accedit, quòd, etiam si daremus, vt bis illis significari donationem inter viuos, illa tamen non videtur potuisse subsistere quoad

quoad pecunias exactas biduo, vel triduo ante mortem donatoris ex litteris cambij, nam donatio præcedens solum fuit de bonis, quæ tunc habebat donator, non de bonis, quæ postea habiturus erat: nec postea proximus morti poterat iterum donare, cum necesse sit suprauiuere 20. dies ad valorem donationis, vt cum aliis docet Filiucius *dicto tract. 43. c. 8. num. 9.* Quamuis autem Diana *1. parte, tract. de Legib. resolut.* (iuxta primam editionem) 43. cum Ioanne Valerio, quem affert, dicat, hanc suprauiuentiam 20. dierum non esse necessariam in foro conscientiæ, si donatio verè, & irrevocabiliter fiat: in nostro tamen casu nulla eiusmodi donatio apparet pecuniæ posterioris, sed sola commissio ad exigendam illam cum mandato ab Episcopo subscripto.

5. Pro contraria tamen parte, & quòd nepos potuerit cura conscientia accipere, & retinere illos 1000. aureos, non obstante excommunicatione à Collectore Cameræ publicata, afferebantur aliqua non exigui ponderis fundamenta. Et in primis ponderabatur, Episcopum exiguos fructus Ecclesiasticos habuisse, qui non perueniebant ad 400. scuta annua, ultra quæ habebat stipendium à quodam Episcopo magno, cui quasi suffraganeus deserviebat, (non tenebatur ad residendam in proprio Episcopatu,) quod stipendium præsumitur referuasse, & vixisse redditibus Ecclesiasticis. Certum enim est, posse Episcopum viuere de fructibus Ecclesiasticis, & liberè disponere de bonis quasi patrimonialibus, inter quæ computatur stipendium, quod accipit pro labore personali, etiamsi detur ad compensandum laborem positum in functionibus Ecclesiasticis. De huiusmodi autem bonis potest liberè in vita, vel in morte disponere, vt tradunt communiter Doctores, quos retuli, & sequutus sum *tom. 1. de Iustit. disp. 4. sect. 3. num. 23. & sequentibus.* quod multò magis locum habere debebat in casu nostro, in quo bona illa data sunt consanguineo, de ipso Episcopo optimè merito, & quidem consanguineo indigenti, & habenti multos filios, & vnã neptem nubilem, quam honestè non poterat in matrimonio collocare, quam doctrinam locum habere etiam, quando Episcopus vixit de bonis suis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, posseque postea tantumdem sibi compensare ex fructibus Ecclesiasticis, quos referuaret, docent communiter grauissimi Doctores, quorum sententiam am-

plexus sum *dicta disput. 4. sect. 3. num. 44. & sequentibus.*

Hæc tamen, vt verum fateatur, probarent ad summum posse pecuniam illam à nepote retineri, si constaret de animo faciendæ donationis irrevocabilis inter viuos; si enim fuit donatio causa mortis, hæc non magis fieri potest ab Episcopo regulari de bonis quasi patrimonialibus, quam de acquisitis ex fructibus Ecclesiæ, sicut nec potest ab eo fieri testamentum de vllis bonis etiam ad causas pias, vt ex communi Doctorum sententia cum Thoma Sanchez supra retulimus. Tota ergo difficultas dubij præsentis reducitur ad hoc punctum, an ex illis verbis Episcopi, *tutto quello, che mi trouo, è vostro: mi rincresce, che è poco*, colligatur donatio inter viuos eorum bonorum, quæ tunc habebat.

Dixi itaque, probabile fati esse, quòd 7 verba illa contineant donationem factam nepoti. quod primò probari potest ex regula generali, quòd verba in dubio accipienda sunt in suo proprio sensu, & significatione, vt cum aliis docet Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disputat. 18. num. 8.* illa autem verba æquipollent omnino his, *Ego dono tibi id, quod domi meum inuenitur, & vellem, vt plura inuenirentur.* Secundò, quia quando non constat de animo profertentis, vtendum est præsumptionibus, quibus in vtroque foro standum esse, probat benè idem Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 37. num. 12.* præsumptiones autem omnes in casu nostro videntur esse in fauorem donationis. Quamuis enim donatio regulariter in dubio non præsumatur, ex *l. cum de indebito. ff. de probationibus*; ex causa tamen remunerationis, & quando merita præcesserunt, præsumitur donatio, ex *l. si verò non remunerandi. §. inde Papinianus, in fine, ff. mandati.* Mantica *de tacitis, & ambig. conuent. vol. 2. lib. 13. tit. 15. in princip.* Menoch. *de arbitrar. iudicium, casu 66.* Supponitur autem, præcessisse eximia merita ex parte nepotis, in cuius domo Episcopus habitabat, & ex parte etiam parentum illius, qui multa in Episcopi fauorem fecerunt. Quamuis etiam Bald. quem affert Mantica *loco supra allegato, dicto lib. 13. tit. 17. num. 19.* dicat, non præsumi Prælatum donare pecunias consanguineo, sed mutuare: idem tamen Mantica addit, id non procedere, quando consanguineus est pauper, & exemplum affert, vt si filiam habebat nubilem, quam aliter matrimonio honestè collocare non poterat, quæ

quæ omnia in casu nostro concurrebant: habebat enim nepos plures nepotes, quos alere debebat, & non poterat, nec matrimonio collocare neptem nubilem, ad cuius dotem illi 1000. aurei deservire debebant: præsumptio ergo saltem in foro conscientiæ est, quòd verba illa ab Episcopo dicta significauerint animù donationis perfectæ.

8. Porro donationem illam factam fuisse inter viuos & irrevocabiliter, probari potest secundò hac ratione non parum efficaci, quia nimirum in dubio delicta non sunt præsumenda: quare cum Episcopus, præsertim Regularis, non posset licitè donare causa mortis, nec id præsumatur ignorasse hic Episcopus, qui erat vir doctus, præsumendus erat donasse modo licito, qui solus erat donandi inter viuos. Vnde Filiucius in *Appendice, tract. 43. cap. 8. num. 15.* proposito nostro casu in eisdem terminis, sic responder: *Quero decirto quarto, an quibus aliquid à beneficiario donatum est in vltima infirmitate, & dubium est, an causa mortis donauerit, tuti sint in conscientia. Respondeo, si donans mortuus non est infra 20. dies à donatione, donatarius tutus est in conscientia, quia in dubio melior est conditio possidentis; nec debet in donante præsumi delictum, nimirum, quòd voluerit donare tantum causa mortis, (quòd facere non poterat,) nisi illa aperte constet: si autem intra 20. dies mortuus est, tenetur restituere, quia prohibitus est eo tempore donare.* Hæc Filiucius, qui alios affert. Confirmari autem potest ex alia doctrina communi, quòd scilicet in dubio, an aliqua fuerit donatio inter viuos, vel solum causa mortis, interpretatio esse debet pro valore actus, itaut si vno solum ex iis modis valida esse potuit, eo modo facta intelligatur, vt probat Menochius *de præsumptionib. lib. 6. præsumption. 4. n. 22.* quem sequutus Naldus in *summa verb. donatio, num. 7.* & alij. In casu autem nostro Episcopus certè donare non poterat validè, nec licitè causa mortis, cum testari non posset; poterat verò validè, & licitè donare inter viuos: eo igitur modo, & non alio interpretanda est eius donatio. Vnde in foro conscientiæ nepos tutus esse videtur retinendo illos 1000. aureos, quos sibi accepit, cum supponatur Episcopus superuixisse multò plusquam 20. dies, atque ideo, non obstante excommunicatione prolata contra retinentes Episcopi bona, poterit pecuniam illam sibi retinere: nisi fortè sciat, Episcopum, si superuixisset, pecuniam illam esse repetiturum; hoc enim esset argumentum intentionis non donandi irrevocabiliter,

D. Io. Card. de Luzo Respons. mor.

quo casu cessarent præsumptiones aliæ fauorabiles supra adductæ.

Difficultas restare posset de illis 120. 9 scutis, quæ ex mandato Episcopi cum litteris cambij exegit octauo ante obitum Episcopi die, quæ summa non videtur comprehensa in donatione præcedenti, nec constat de donatione subsequenti, sed de mandato ad exigendum; nec Episcopus superuixit 20. diebus. Nepos tamen defendit se à Collectore Cameræ, probans, se summam illam expendisse in Episcopi obsequium: quod si ita se habuit, salua res est; sin minus, adhuc sunt, qui dicant posse retinere, cum Collectores Cameræ acceperint pecunias ferè totidem relictas in illo scrinio, vnde nepos acceperat 1000. scuta: acceperunt etiam bona mobilia apud Episcopum inuenta, quæ omnia ratione præcedentis donationis spectabant ad nepotem, qui ea de causa posset sibi compensare ex pecunia illa denuo exacta, cum aliter non posset illa, quæ ad se verè spectabant, recuperare; id tamen difficultate non caret.

#### D V B I V M II.

*De vnione duarum Ecclesiarum parochialium, an potuerit fieri ab Episcopo post decretum Concilij Tridentini sess. 24. cap. 13.*

IN quodam oppido erant duæ Ecclesiæ parochiales, & quidem ita tenues, vt neutrius Parochus haberet portionem sufficientem ad congruam sustentationem. Episcopus ergo voluit vnã suppressere, & omnium subditorum curam vni ex iis Parochis committere: fructus tamen, & redditus Parochi suppressendi volebat applicare Parocho superstiti, cui oues vtriusque Parochiæ committebat; sed volebat fructus illos applicare aliis beneficiis simplicibus, vel aliis Sacerdotibus inseruientibus in illa Parochia non suppressa, quibus tamen animarum cura non incumberebat, sed ad summum seruitium Ecclesiæ, cum Sacramentorum ministratio ad solum Parochum spectaret. Quæsitum est, an id Episcopus facere posset?

Ratio dubitandi esse poterat, quia Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 5. de reformat.* non solum non restrinxit, sed videtur ampliaste potestatem Episcopi in vnionibus beneficiorum, dicens: *Posint Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolica delegati,*

*iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio ob-  
tinentium, facere vniones perpetuas quarum-  
cumque Ecclesiarum parochialium, & baptis-  
malium, & aliorum beneficiorum curatorum,  
vel non curatorum cum curatis propter eorum  
paupertatem, & in cæteris casibus à iure per-  
missis, etiamsi dicta Ecclesia, vel dicta bene-  
ficia essent generaliter, vel specialiter reser-  
uata, aut qualitercumque affecta.* Quamuis  
autem postea *sess. 24. c. 13. de reformat.* pro-  
hibeatur, ne Ecclesiæ parochiales vniantur  
præbendis, aut beneficiis simplicibus; in  
hoc tamen casu Ecclesia parochialis non  
vnitur beneficio simplici, sed supprimitur,  
& vnitur alteri Ecclesiæ parochiali, vt idem  
Parochus curam habeat vtriusque paro-  
chiæ, & ex duplici Ecclesia parochiali fiat  
vna sola.

3 Dixi tamen, id Episcopum facere non  
posse, quia decretum Tridentini *dicta  
sess. 24. cap. 13. de reformat.* videtur obltare,  
verba Concilij hæc sunt: *Ecclesiæ parochia-  
les Monasteriis quibuscumque, aut Abbatibus,  
seu dignitatibus, siue Præbendis Ecclesiæ Ca-  
thedralis, vel Collegiatis, siue aliis beneficiis  
simplicibus, aut hospitalibus, militis que non  
vniantur, &c.* Ex quibus verbis omnes post  
Tridentinum negant, posse Episcopum  
vnire beneficium curatum alicui beneficio  
non curato, de quo latè Thom. Sanch. *lib. 7.  
in Decalog. c. 29. n. 178. & seqq.* præfertim  
*n. 184.* & alij omnes recentiores. Non po-  
test ergo Episcopus supprimere vnum be-  
neficium curatum, nisi vt redditus illius ad-  
dat alteri beneficio curato indigenti; quod  
tamen in casu nostro facere non vult, sed  
suppresso vno Parocho, alteri Parocho ad-  
dit oues suppressi, redditus verò vnit bene-  
ficiis simplicibus, relicto Parocho cum ma-  
iori onere, & cura, & sine congrua susten-  
tatione, quo nihil magis alienum esse po-  
test à mente Tridentini.

4 Dicitur solum posset, in hoc casu obseruari  
quidem verba Tridentini, quatenus Eccle-  
sia parochialis, quæ supprimitur, vnitur Ec-  
clesiæ parochiali remanenti, cui subduntur  
omnes parochiani Parochiæ suppressæ, &  
ex duobus Parochis fit vnus Parochus, &  
ex duabus Parochiis fit vna Parochia. Sed  
hoc re vera est eludere decretum Concilij,  
cuius mens est, quòd fructus beneficii pa-  
rochialis non vniantur alicui beneficio  
simplici. Certè Concilium non prohibuit,  
ne oues vnus Parochiæ, & earum cura  
vnirentur beneficio simplici; hoc enim  
omnino repugnabat, quod fieret Nam eo  
ipso, quòd ouium cura vniretur beneficio  
simplici, iam beneficium illud mutaret na-

turam, & non esset ampliùs beneficium  
simplex, sed curatum. Potissima ergo Con-  
cilij intentio fuit impedire, ne fructus de-  
stinati habenti curam animarum transfer-  
rentur per eiusmodi vniones ad alios, qui-  
bus non inerat animarum cura, ex quo se-  
quebatur, quòd cura animarum despiceretur,  
& difficile inuenirentur Sacerdotes  
idonei, qui animarum curam debito modo  
haberent, translatis Parochiæ prouentibus  
ad alias personas, quibus animarum cura  
non inerat. Vnde inter decisiones sacræ  
Congregationis Cardinalium Concilij Tri-  
dentini Interpretum, quæ in Codice ma-  
nuscripto apud me habentur, hæc etiam  
inuenitur pro Ecclesia Lancianensi: *Non  
solum vnio Parochialium est prohibita, sed  
etiam aliqua pars fructuum earum vniri non  
potest.* Si Congregatio partem fructuum  
parochialis Ecclesiæ dicit non posse vniri  
beneficio non curato, quanto minùs iudi-  
cabit posse omnes fructus vniri beneficio  
simplici, commissis ouibus Parochi sup-  
pressi alteri Parocho non habenti con-  
gruam sustentationem?

5 Dices, in casu nostro Ecclesiam parochia-  
lem suppressam vniri, non solum quoad  
curam animarum, sed etiam quoad fru-  
ctus, alteri Ecclesiæ parochiali: nam fructus  
Parochiæ suppressæ applicantur alteri Ec-  
clesiæ parochiali remanenti, vt beneficia  
simplicia, quæ in ea sunt, pinguiora rema-  
neant, vel vt noui clerici assumantur, qui  
ad cultum diuinum in Ecclesia deseruiant:  
iam ergo seruat totum, quod Concilium  
vult, nempe quòd Ecclesia parochialis  
non vniantur, nec etiam quoad fructus, nisi  
alteri Ecclesiæ parochiali.

6 Verùm hoc etiam effugium est apertè  
contra mentem Concilij Tridentini, cuius  
intentio fuit prohibere vnionem Ecclesiæ  
parochialis non solum materiale, vt ita  
dicam, sed etiam, & multò magis, forma-  
lem cum beneficio non curato. Nam licet  
in casu nostro beneficium parochiale vnia-  
tur materialiter cum alia Ecclesia paro-  
chiali: quoad fructus tamen non vnitur  
formaliter cum Ecclesia parochiali, sed  
cum beneficiis simplicibus: nam fructus  
Parochiæ suppressæ non applicantur alteri  
Ecclesiæ remanenti, quatenus Parochialis  
est, sed quatenus habet beneficia simplicia,  
& alios clericos nullam habentes curam  
animarum; ipsi verò Parocho habenti ani-  
marum curam, nulli fructus applicantur,  
atque aded nec ipsi Ecclesiæ formaliter,  
quatenus Parochialis est. quæ vnio mate-  
rialis ad Ecclesiam solum, quæ specificati-  
uè;

uè, & materialiter est aliunde Parochialis,  
non sufficit ad intentionem Concilij, quæ  
proculdubio fuit prouidendi, vt boni, &  
idonei Parochi reperirentur, qui curam  
animarum exercerent.

7 Porro hanc fuisse Concilij mentem, col-  
ligi potest primò ex ipsius verbis: neque  
enim Concilium dixit, ne parochiales Ec-  
clesiæ vnirentur Ecclesiis non parochiali-  
bus, sed dixit, non posse vniri beneficiis  
simplicibus. non ergo sufficit, quòd fructus  
beneficij parochialis vniantur Ecclesiæ al-  
teri parochiali, si tamen applicantur, &  
vniantur beneficiis simplicibus Ecclesiæ  
parochialis, quod est expressè prohibitum  
à Concilio nolente, quòd vniantur vllis  
beneficiis simplicibus. Secundò colligitur,  
hoc ipsum ex eodem Concilio *ibidem*, ex-  
plicante, non posse fieri hanc vnionem  
cum præbendis, siue dignitatibus Ecclesiæ Ca-  
thedralis. quo casu vnio dici posset fieri  
cum Ecclesia parochiali, cum ipsamet Ec-  
clesia Cathedralis sit etiam, communiter  
loquendo, Ecclesia parochialis, vnde dici  
posset, quòd Ecclesia parochialis vnitur  
cum alia Ecclesia parochiali; & tamen  
Concilium illam etiam vnionem expressè  
reprobat: ergo vult, quòd fructus Ecclesiæ  
parochialis non possint ab Episcopo appli-  
cari, nisi ad beneficium etiam parochiale,  
ita vt deseruiant ad alendum Parochum il-  
lum, cui oues Parochi suppressi commit-  
tuntur. Non ergo potest Episcopus propria  
auctoritate suppressionem, & vnionem  
fructuum hinc narratam facere, sine licentia  
Sedis Apostolicæ, apud quam rationes, si  
quæ sunt, ad id faciendum, proponi de-  
bent, vt ibi examinentur, & cognita ea-  
rum iustificatione, licentia concedatur.  
Quam tamen, ni fallor, difficile impetra-  
bunt, dum Parochis, cui nouum onus ac-  
crescit, nullum sentit emolumentum, &  
aliunde supponitur non habere congruam  
sustentationem.

#### D V B I V M III.

*An sine læsione Ecclesiastica im-  
munitatis potuerint Clerici cogi  
ad soluendum, quod in utilita-  
tem ipsorum etiam expensum  
fuerat.*

1 Cvm militum copiæ per territorium  
cuiusdam Principis transfirent, ibique  
aliquandiu vellent commorari, idque sibi

licere dicerent ob directum dominium,  
quod suo Principi in eo loco competebar;  
Princeps timuit prudenter damna, & de-  
trimenta grauissima subsequutura, si mili-  
tes ibi moram aliquam traherent, arbo-  
rum cæssiones, prædiorum vastationes, ar-  
mentorum, ac pecorum strages, quæ vt  
opportunè impediret, transfirum, & com-  
morationem exercitus pecunia voluit re-  
dimere, oblatis centum mille aureis, vt il-  
lac non transfirent, quam summam com-  
munitas ciuitatis exsoluit. Postea verò, vt  
datam pecuniam recuperet, actum fuit de  
imponenda gabella soluenda in molendi-  
nis ex singulis tritici mensuris, quæ mo-  
luntur. Reclamarunt Ecclesiastici, quòd,  
salua eorum immunitate, non possent ad  
eam contributionem compelli. Laici ta-  
men sese opponebant, dicentes, agi de ex-  
pensis factis in vtilitatem ipsorum Eccle-  
siasticorum, quorum prædia eidem iacturæ  
subiacuissent, si milites fuissent ad com-  
morandum admissi. quod experientia  
comprobabat viciniorum statuum, in qui-  
bus ab eodem exercitu ibi commorante  
non minus Ecclesiasticorum, quàm laico-  
rum prædia detrimentum sustinuerant.  
Non debere ergo Ecclesiasticos totum  
onus, & expensas redemptæ vexationis in  
laicos solos refundere, vt ipsi alienis ex-  
pensis res suas in tuto habuerint.

In hoc ergo casu, posse Ecclesiasticos  
compelli, aliqui absolutè dicebant, quia,  
quamuis hi non debeant contribuere ad  
ea, quæ mediata, & consequenter cedunt  
in eorum vtilitatem, immediatè verò, &  
directè sunt in vtilitatem publicam com-  
munitatis, cuius Ecclesiastici sunt partes,  
vt quando agitur de reparandis mœnibus,  
pontibus, fontibus, viis publicis, & his simi-  
libus, vt docet communis sententia, quam  
multis relatis probauit, & amplexus sum  
*tom. 2. de iustit. disp. 36 sect. 8. num. 123.* ad  
ea tamen, quæ directè, & immediatè con-  
cernunt vtilitatem ipsorum Clericorum,  
debere contribuere ipsos Clericos, de  
quorum interesse agitur, docent Molina,  
Syluester, & alij innumeri, quos afferunt,  
& sequuntur Thomas Sanchez *lib. 2. consil.  
cap. 4. dub. 55. num. 6. & 7.* & Diana *1. part.  
tract. 2. resolut. 40. & 132.* In casu autem  
nostro damnum vitandum spectabat dire-  
ctè, & immediatè ad ipsos etiam Ecclesia-  
sticos, quorum prædia damnis ab exercitu  
inferendis non minus erant obnoxia, quàm  
prædia laicorum.

In contrarium tamen vrgent facultates  
petitæ, & concessæ in his casibus à Summis



Pontificibus modernis, ut pro illa vice soluerent etiam Ecclesiastici; & quidem non absolute, sed cum limitatione, nempe si prius fiat discussio bonorum laicorum, & constet illa non sufficere, ut laici soli solvere possint. Sic enim Clemens VIII. concessit, ut pro reparatione facienda contra fluuium Arnun, qui agros vicinos Clericorum, & laicorum vastabat, posset Nuncius Apostolicus Florentiae existens cogere Clericos ad contribuendum, si tamen discussione bonorum facta, constaret ipsi Nuncio laicorum bona non sufficere. Et postea Urbanus VIII. concessit, quod Clerici Panormitani contribuerent ad expensas factas tempore pestis; mandauit tamen Archiepiscopo Panormitano, ut examinaret prius, an verum esset, quod narratum fuerat de impotentia laicorum ad eam contributionem sine Ecclesiasticorum concursu. Vnde colligi videtur, non esse mentem Summi Pontificis, quod etiam in iis casibus Ecclesiastici soluant, nisi in defectum facultatum laicorum.

4 Ego in casu proposito dixi, in primis verum esse, in genere loquendo, doctrinam illam in necessitatibus, quae non mediate, & consequenter, sed immediate, & directe tangunt Ecclesiasticos, posse, salua immunitate, ipsos contribuere pro parte sua, atque ideo posse ipsos antecedenter ad hanc contributionem pacto sese obligare. Nam, sicut potest Clericus, qui domum communem habet cum laico, contribuere ad eius reparationem, ne corruat: ita, si Clerici agros habent in territorio communi, in quo sunt etiam agri laicorum, possunt cum laicis concurrere ad auertendum flumen, quod agros illos inundat, & vastat: neque hoc est tributum, sed contributio ad expensas communes, sicut si concurrerent ad expensas pro lite circa hereditatem communem, vel ad quid simile, ut latius dixi tom. 2. de Iustit. disp. 36. sect. 8. num. 129. vbi notauit, debere tunc praecedere consensum omnium illorum, quorum interest, & quorum causa agitur; id enim, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari: nec possunt inuiti cogi ad consentiendum, quia id iam esset tributum, & requireretur consensus Superioris, qui eo casu est solus Summus Pontifex, qui sibi reseruauit hanc tributorum impositionem, ut constat ex cap. aduersus, de immunitate Ecclesiarum, & dixi in eodem loco num. 127. Quare Papa tunc potest quidem cogere Clericos, etiam si laicorum facultates sufficiant: posset tamen eam li-

centiam non dare, nisi constet de laicorum impotentia ad eas expensas faciendas. quam tamen conditionem fortasse Pontifex non adderet, si peteretur solum facultas obligandi eos Clericos, qui interesse immediatum habent in illis communibus expensis, sed eos sua auctoritate obligaret, ut pro rata sui interesse contribuerent. Verum in illis exemplis adductis, ut hoc obiter aduertam, petebatur à Clemente VIII. & ab Urbano VIII. facultas ad tributum generale, quod ab omnibus Ecclesiasticis soluendum erat. Neque enim omnes habebant agros inundationibus expositos, & tamen ab omnibus contributio petebatur. Sicut & à toto clero Panormitano exigebatur contributio pro expensis factis tempore pestis; quae quidem expensae magis videbantur esse ex illarum genere, quae tendunt immediate, & directe in bonum communitatis, mediate verò, & consequenter in bonum Clericorum, quatenus ipsi sunt pars illius communitatis, atque adeò Clerici in rigore non debebant ad eos sumptus contribuere, sicut nec ad reparationem moenium, pontium, viarum, & similia. Merito ergo Pontifices in utroque casu apposuerunt conditionem illam de discussione praemittenda, ut constaret de insufficientia facultatum laicorum, quia in neutro casu debebant soluere illi, à quibus solutio petebatur.

5 Hinc ergo ad casum nostrum praesentem deueniendo, certum videtur, non posse sine facultate Summi Pontificis imponi gabellam illam super molendinis. Primum, quia gabella soluenda esset ab omnibus Ecclesiasticis; cum tamen non omnes, sed pauci habuerint interesse immediatum in redemptione, & expensis factis, ne milites castramentarentur in illo territorio; cum non omnes Ecclesiastici haberent praedia ibi, & possessiones, quae pati possent detrimenta ab exercitu ibi commorante. Secundò, quia ad eas expensas faciendas, non fuerat habitus, nec petitus consensus Clericorum omnium, imò nec eorum, qui poterant habere interesse, & quibus militum transitus immediate nocere poterat: quare non poterant inuiti cogi ad eos sumptus faciendos, nisi à suo legitimo Superiore, qui in hoc casu est solus Papa, ut vidimus. Tertio, quia non satis constat, hunc casum fuisse ex iis, in quibus contributio tendit immediate, & directe in utilitatem Clericorum: neque ad hoc videtur sufficere, quod certum moraliter sit, si milites transirent aliquorum Clericorum

Clericorum possessiones passuras fuisse detrimenta, si tamen non sciatur, quae, & quorum possessiones illae fuissent; quando enim dicimus, aliquas expensas cedere solum mediate in utilitatem Clericorum, non negamus, quod Clerici immediate in se ipsis, & in suis bonis sentiant illud commodum: nam refecto ponte, vel via publica, certum est, Clericos aliquos transeuntes per pontem, vel biberuros ex fonte, commodum aliquod immediate percepturos solum: ergo significare volumus, quod utilitas illa immediate respiciat communitatem; mediante verò ratione communi ciuium, respiciat etiam hos, & illos in particulari, & in confuso, quatenus continentur sub illa ratione generica, & communi, quam solam immediate respicit utilitas, quae intenditur, sic intenditur salus ciuium, qui aegrotabunt, quando communitas dato stipendio conducit Medicum, & quamuis aliqui etiam Clerici aegrotantes gaudeant illo beneficio, non tamen debent soluere gabellam forte impositam ad soluendum stipendium Medico destinatum, quia nimirum finis immediate intentus est salus ciuium in communi, nec attenditur ad hos, vel illos in particulari, nec sciri potest, qui, & quales sint postea aegrotaturi, & Medici operam fruituri. Sic ergo in casu nostro finis immediate intentus in erogatione pecuniae non fuit liberatio Ecclesiasticorum, sed ciuium, quorum praedia detrimentum passura essent, quicumque illi sint: nec enim scitur, quorum, & qualia praedia vastanda, vel deterioranda essent, cum id ex multis circumstantiis dependeat. Non ergo ordinantur immediate illae expensae ad Clericorum utilitatem, sed mediate, quatenus illi etiam continentur sub ratione communi ciuium habentium possessiones, quorum indemnitati in genere consulere voluit ipsa communitas, prauidens in confuso aliquos ciues passuros detrimenta, si exercitus illic commoraretur. Debet ergo omnino facultas exigi à Summo Pontifice, ut Ecclesiastici cogi possint ad contributionem pro expensis factis in publicam utilitatem laicorum, & Ecclesiasticorum.

6 Addidi verò, casu, quo Summus Pontifex obliget Ecclesiasticos ad contributionem illam, vel gabellam soluendam, non posse illos vi coerciuia compelli à iudice, vel Magistratu laico ad soluendum, sed si aliqui non soluant, recurrendum esse ad Superiores Ecclesiasticos, qui eos compellant: laici enim nullam in Clericos exer-

cere possunt iurisdictionem: quare, sicut in aliis creditis conuenire eos debent coram iudice Ecclesiastico, ita in hoc debito gabellae soluendae coram eodem iudice Ecclesiastico conueniri debent, ut cum communi Doctorum, quos retuli, contra nonnullos id negantes, dixi dicta sect. 8. num. 131.

Putabant aliqui, posse Principem eo casu reseruare sibi distributionem aquae necessariae pro molendinis, & singulis molitoribus vendere portionem aquae necessariae, & hoc modo colligere pecuniam necessariam ad refarciendas illas expensas, nihil à Clericis, vel laicis, quorum frumenta moluntur, exigendo, sed solum à molitoribus pro pretio aquae. Vel certe vendere singulis molitoribus facultatem molendini; & in utroque casu ipsi postea maiori pretio frumenta molant, ut refarciant sibi pretium pro aqua, vel pro molendini facultate solum: dummodo tamen in utroque casu non cogantur Clerici in illis molendinis molere suum triticum, sed possint liberè sibi de alia molitura prouidere, vel curare, ut suum frumentum alibi molatur. Haec tamen omnia, ut verum fatear, fierent in fraudem legis Ecclesiasticae, quae censuris punit facientes, non solum directe, sed etiam indirecte, contra immunitatem Ecclesiasticam. Quid enim est facere indirecte, nisi id, quod non potest directe, & immediate à Clericis exigere, extorquere indirecte, & quaerere vias reflexas, ut tandem Clerici non minus contribuant, quam ipsi laici: vide quae dixi dicta disp. 36. sect. 9. num. 136. & seqq. vbi late explicui, quando verificetur laesio immunitatis indirecta, & quando in Principe, vel Magistratu laico praesumatur lex facta ex animo extorquendi indirecte à Clericis, quod directe soluere cogi non poterant; & inuenies, regulas ibi ad hoc positas verificari ad litteram in casu nostro.

## D V B I V M IV.

An possit quis habere animum resignandi beneficium, dum procurat adhuc expeditionem Bullae.

Itius in habitu seculari obtinuit à Summo Pontifice facultatem habendi aliquas pensiones Ecclesiasticas in quocumque

cumque habitu, atque etiam in statu matrimonij. Postea antequam haberet pensiones, mutato consilio, assumpsit habitum Ecclesiasticum, & cum animo permanendi in eo statu obtinuit præbendam, & aliqua beneficia, & supplicatione signata, & registrata, ante expeditionem Bullæ mutavit iterum animum, & habuit intentionem reassumendi habitum secularem, atque aded resignandi beneficia, & præbendam, reservata sibi pensione, quam vigore primæ concessionis poterat in statu seculari habere. Quæsit, an cum hoc animo posset procedere ad expeditionem litterarum prædictæ præbendæ, & beneficiorum.

Et quidem nulla esset dubitatio in hoc puncto, si vera esset doctrina, quam tradunt Lessius lib. 2. de Instit. cap. 34. dub. 26. & Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 45. num. 16. qui dicunt, non esse peccatum mortale accipere beneficium simplex non habens annexam obligationem Ordinis sacri, etiam cum animo dimittendi illud post aliquod tempus, & ducendi uxorem: nisi fortè præbenda data in casu nostro erat ex iis, quæ afferunt obligationem suscipiendi Ordinis sacri. Hæc tamen doctrina rejicitur communiter à scriptoribus modernis, qui viderunt, & ponderarunt Bullam Pauli I. V. editam anno 1557. quæ incipit, *Inter cæteras*, & est 12. in 1. tomo Bullarum Cherubini, in qua Pontifex prohibet, ne quis in Romana Curia beneficium ullum accipiat cum intentione illud resignandi, & ultra alias pœnas, reddit irritam acceptationem talis beneficij. Quare, cum beneficium, seu præbenda in casu nostro in Romana Curia conferatur, locum habebit Bulla prædicta, siue beneficium habeat, siue non habeat curam animarum, vel obligationem annexam Ordinis sacri suscipiendi, ut observavit Filliucius, qui Romæ scripsit, in *Appendice tract. 41. cap. 5. num. 43* & merito credit, Auctores illos non vidisse hanc Bullam, cuius observantia aded in Vrbe procuratur, ut à singulis beneficia quælibet accipientibus exigatur iuramentum, quod ea non accipiant animo dimittendi, ut testatur idem Filliucius *ibi*, & testes sunt omnes, qui in Romana Curia versantur.

3 In casu ergo proposito respondi distinguendo. Vel enim Titius fecerat iam solitum iuramentum, quod non haberet animum resignandi, & postea ante expeditionem Bullæ animum mutavit: vel iuramentum adhuc emittendum est. Et quidem in hoc secundo casu non video, quo-

modo possit licitè iurare, se non habere animum resignandi, cum re vera nunc, quando iurat, cum animum habeat. Nec enim petitur ab ipso, an antea acceperit cum animo non resignandi, sed an nunc talem animum habeat, an verò animum resignandi. Si ergo Bulla non expeditur, nisi præmissis eo iuramento, quod iam ob animum mutatum emittere non potest, manet illi consequenter, & per accidens impedita, & illicita Bullæ expeditio.

Si verò iuramentum illud factum iam fuerat ante animi mutationem, & supplicatio tunc etiam signata fuerat, & registrata, non in forma *Dignum*, seu commissoria, sed in forma *Gratiosa*, cuius effectus non dependeat adhuc ab examine, & approbatione futura; probabile mihi est, quod possit licitè Bullam expedire etiam post propositi mutationem, quia etiam ante Bullæ expeditionem præbendæ, & beneficia sunt iam ipsius, & habet non solum ius ad rem, sed in re, quamvis pro foro externo litterarum expeditio necessaria sit, ut latè probat Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 29. & in propriis terminis Filliucius dicto tract. 41. cap. 3. quest. 5. num. 91. qui cum aliis, quos affert, advertit, non sufficere signaturam solam sine registratione; quia, quamvis per signaturam gratia videatur iam perfecta, non est tamen ius perfectè acquisitum, ut constat experientia, cum sæpe post signaturam, antequam registraretur, soleat lacerari, & conferri alteri ad libitum Papæ sine iniuria primi supplicantis, quod sanè non fieret, si iam esset illi ius acquisitum. Cum autem hoc ius acquisitum censeatur post registrationem, fatendum est, quod iam tunc accipit, & habet beneficium, & per consequens verum erit, quod illud accepit sine animo resignandi, quamvis postea ante Bullæ expeditionem propositum mutaverit. Advertit autem idem Filliucius *ibi* cum Garzia 4 part. cap. 2. num. 28. Cancellariam non censere translatum esse ius in re beneficiaria, nisi litteris expeditis, hoc tamen procedere pro foro externo. Denique advertunt, doctrinam traditam locum habere tunc solum, ut dixi, quando supplicatio est signata in forma *Gratiosa*, non verò quando est in forma *Dignum*, seu commissoria: tunc enim non fit provisio, sed mandatum de providendo, atque ideo non est acquisitum ius in re, sed ad rem quatenus supplicans habet iam ius, ut ei tale beneficium conferatur. Quando verò signaturæ supplicatio in forma *Gratiosa*, & registra-

tur,

tur, acquiritur ius in re, & cum semel acceperit beneficium sine animo resignandi, potest curare expeditionem Bullæ, quæ est testificatio gratiæ iam antea factæ, quamvis iam nunc habeat propositum resignandi cum pensione, quam iuxta indultum antea obtentum retinere potest in habitu seculari.

#### DUBIUM V.

*An debeat recitare Officium divinum, qui cum titulo colorato accepit possessionem beneficij, non tamen pacificam, sed litigiosam.*

1 **S**uppono communem, & probabilem multorum sententiam, qui dicunt, beneficium non teneri ad recitandum Officium à die, quia beneficium ei collatum est, & ab ipso acceptatum, sed à die obtentæ possessionis, dummodo per ipsum non stet, ne possessionem consequatur, sed bona fide illam habere conetur. Ita multis relatis Bonacina de horis canonicis disput. 1. quest. 2. punct. 5. num. 2. à quo afferuntur Parisius, Azorius, Lessius, Filliucius, Naldus, Suarez, Molfesius, Rodriquez, Menochius, Caietanus, Philiarthus, quibus adde Gauantum in rubricis *Breviary* sect. 1. cap. 4. num. 5. qui testatur de praxi, & consuetudine Romanæ Curie, & alios plures, quos affert, & sequitur Diana part. 2. tract. de horis canonicis resolut. 21. nempe Henriquez, Vegam, & Malderum. Dubium ergo est, an sufficiat possessio capta ad hanc obligationem, si tamen litigiosa sit.

2 In eo casu obligari docet Bonacina *ubi supra* punct. 4. num. 26. saltem quando pacificè incepit possidere, quod etiam docet Thomas Sanchez lib. 2. consil. cap. 2. dub. 76. num. 9. & 10. iuncto num. 7. nisi quando fructus omnes sequestrantur, quia beneficium nullum habet servitium, & aliunde non est verisimile pro ipso ferendam esse sententiam, sed lis est in æquilibrio; in hoc enim casu negat eam obligationem. P. verò Suarez 2. tom. de Relig. tract. 4. lib. 4. cap. 19. num. 10. indicat, ad hanc obligationem sufficere titulum, & possessionem, quamvis sit litigiosa. Dicit enim, quod si ex duobus litigantibus super beneficio vnus solus illud possideat, ille solus tenetur pro tunc recitare, quia tenetur ad totam administrationem beneficij, & quia necesse est, ut habeat saltem titulum coloratum, & actu fruatur

beneficio ratione possessionis, & actualis ministerij, & ob illum exteriorem titulum, ut sic dicam, seu speciem veri tituli: ergo non est, cur pro eo tempore alter obligetur, quia omnino est ab administratione remotus, & quia non oportet ut hoc peculiare onus duobus imponatur. Castro Palao tom. 2. tract. 7. disp. 2. punct. 1. §. 2. num. 24. dicit obligari ad recitandum, esto possessionem beneficij litigiosam habeat, si lite non obstante beneficium ministret, & sperat morali certitudine sibi esse fructus applicandos, saltem servitio debitos.

Alij tamen expressè addunt, non obligari beneficiarium ad recitandum Officium ante adeptam pacificam possessionem, nisi per ipsum stet, quod possessio non capiatur. Ita loquitur expressè Bonacina loco citate; Diana dicta resolut. 21. Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 5. num. 159. docens, neminem habere perfectè beneficium nisi habeat eius pacificam possessionem. Idem supponere videtur P. Suarez *ubi supra*, dicto c. 19. num. 7. vbi contra Nauarrum probat solum titulum sine possessione non obligare ad recitandum Officium, quod probat, quia in iure non censetur quis perfectè, & quasi consummatè habere beneficium, donec pacificam eius possessionem habeat, vel saltem per illum stet, quominus habeat. Denique pro eadem sententia Thomas Sanchez dicto lib. 2. consil. cap. 2. dub. 76. num. 2. affert Paludanum, Palacios, & Dominicum Sotum, quos dicit in eo sensu loquutos, ut non sufficiat capta possessio, quando non est pacifica.

Aliqui media via procedunt, & dicunt, quando non obstante possessione, possessor non percipit fructus, quia propter litem sequestrantur, possessorem non teneri quidem ad Officium recitandum, quia non debet obligari ad onus certum propter incertam mercedem, cum propter litem dubium sit, an postea fructus illius temporis sint ipsi applicandi. Cæterum, si postea vincat litem, non potest recipere fructus correspondentes toti illi tempori, quo non recitavit, & ided non fecit fructus suos, sed debet eos dare illis, ad quos spectant fructus beneficiarij non recitantis, nisi fortè velit postea uti Bulla compositionis in iis locis, in quibus vsus illius Bullæ est. Ita docuit P. Ioannes de Salas in *manuscriptis*, tract. de oratione, & horis canonicis dub. 41. qui addit primò, posse ex fructibus deducere expensas litis. Secundò, posse fortassè uti Bulla compositionis, quamvis eius intuitu emiserit recitationem Officij, quia Bulla

Bulla excludens ab eius usu eum, qui ob spem Bullæ accipiendæ omittit recitationem, videtur loqui de omittente culpabiliter, & illicitè recitationem: hic autem omisit absque peccato. Tertio denique addit, doctrinam hanc non habere locum in eo, qui certò sciret, se victurum in lite sine magno incommodo: hic enim teneretur proculdubio sub peccato recitare, siue veller postea fructus suos facere litigando, siue non veller, quia tunc per eum staret, si non perciperet.

Hic tamen modus dicendi singularis est, & non videtur satis consequenter procedere. Primo, quia si ille non peccauit non recitando toto illo tempore; non apparet unde oriatur postea obligatio restituendi fructus; hæc enim obligatio imposita est ut pœna omisissæ recitationis. Quare si aliquis, qui re vera tenetur recitare, bona fide omisisset recitationem, quia aliquis, cui credere poterat, dixit illi, quòd non habebat obligationem recitandi, postea cognito errore, non deberet fructus perceptos restituere, sed haberet se sicut qui obliuione inuincibili omisit aliquo die recitationem Officij. Cum ergo in casu nostro inculpabiliter omisissæ sit recitatio toto tempore litis, non potest esse obligatio, finita lite, restituendi fructus temporis præcedentis.

6. Secundo, quia obligatio saltem restituendi fructus ob recitationem omisissam inducta à Pio V. non incipit nisi post sex menses. Si ergo lis durauit solis sex mensibus, non est obligatio saltem ex Bulla Pij V. ad restituendos illos fructus, etiamsi culpabiliter fuisset omisissæ recitatio, quidquid sit de obligatione alia iuris naturalis, si quæ sit de restituenda aliqua parte pro non adimplera obligatione satisfaciendi proprio muneri. Tertio denique, quia vel tempore litis ille erat verè, & completè beneficiarius, vel non erat: si erat, non debet ab onere recitandi excusari; si verò non erat, non est, cur postea debeat restituere fructus, si non recitauerat, cum præceptum recitandi non obliget, nisi beneficiarios, vel habentes Ordinem sacrum. Nec deest illi titulus percipiendi fructus temporis præcedentis, sicut capta possessione accipit etiam beneficiarius fructus à die collationis, quo tempore ante adeptam possessionem supponimus cum communiori sententia non fuisse obligationem recitandi, nisi per beneficiarium steterit, ne acciperet possessionem.

7. Hac ergo singulari sententia omisissæ, du-

plex potest responsio reddi ad dubium propositum, vtraque probabilis. Prima esse potest, quòd possessio capta cum titulo sufficiat ad inducendam obligationem recitandi Officium diuinum, etiamsi possessio non sit pacifica, sed litibus adhuc supposita. Hanc doctrinam videtur supponere P. Suarez d. cap. 19. num. 10. in verbis supra relatis, & eandem à fortiori tenent, qui dicunt, sufficere solum titulum sine vlla possessione. Et quidem, speculatiuè loquendo, videtur satis apparenter hoc posse probari ab exemplo aliorum onerum beneficij, quæ omnia subire quidem debet beneficiarius, quandiu beneficium possidet, etiamsi alius contra eum litiger. Vnde si beneficium sit habens curam animarum, tenebitur eam exercere, & ministrare Sacramenta: si sit Canonicatus, debet residere, & choro interesse: si sit Capellania, debet Missas in loco assignato celebrare, & sic de aliis. Cum ergo vnum ex oneribus beneficij sit recitatio diuini Officij, non est cur ab hoc solo onere excusetur, & non ab alijs propter litem subortam: ratio autem à priori esse potest, quia eo ipso quòd non obstante lite vult adhuc possidere, & pro beneficiario se gerere; vult suscipere onera beneficii annexa, & exercere munera beneficiarij propter spem pacificæ possessionis futuræ, & fructuum percipiendorum, si fortè nunc propter litem sequestrantur, quam spem tanti æstimat, ut prudenter velit suscipere nunc onera beneficij, ne perdat possessionem, quæ multum confert ad victoriam litis obtinendam. Merito ergo obligatur ad recitationem Officij ille, qui sponte vult suscipere onera omnia beneficij litigiosi, quorum onerum vnum est recitatio Officij diuini.

Quod rursus confirmari potest, quia si accipiens possessionem litigiosam non debet recitare Officium, eo quòd ob litem non sit certus de fructibus recipiendis, aut retinendis; non video, cur debeat recitare Officium ille, qui ab initio pacificè ingressus est possessionem beneficij, quòd per annum, vel biennium pacificè possidet, & postea ei intentatur lis super eodem beneficio: nam re vera hic etiam, suborta lite, non recipit fructus, si sequestrantur, vel certè debet postea eos restituere colliganti, si ei applicentur fructus à die litis contestatæ. Consequens autem videtur contra praxim; nemo enim, qui pacificè possidet beneficium, aut præbendam, iudicat se liberum ab Officij recitatione statim ac aliquis nouam ei litem intentat super

per

per eodem beneficio, sed potius sicut perseuerat exercens alia omnia munera, & iura beneficiarij, donec beneficio priuetur, & à possessione expellatur, ita perseuerat in recitatione Officij diuini; idem ergo dicendum videtur, quamuis lis ab initio mota fuerit, & ideò possessio fuerit ab initio litigiosa, si tamen verè possidet, & exercet reliqua munera beneficiarij, cum ratio sit eadem in vtroque casu. Itaque stando in ratione, & speculatiuè loquendo, hæc pars videtur satis probabilis.

Quia tamen in praxi durum fortasse aliquibus videbitur obligare ad certum onus recitandi Officij ob spem incertam fructuum, de quibus adhuc lite pendente dubitari potest, ad quem debeant pertinere; ideò potest esse secunda responsio distinguendo de possessore. Aliquando enim ita possidet beneficium, ut tamen propter litem pendentem omnes beneficij fructus sequestrantur, ut postea applicentur ei, qui litem vicerit, nec interim ex obuentionibus, aut alijs manualibus seruitiis aliquod emolumentum possessori proueniat, sed solum habeat spem fructuum sibi applicandorum, qualem ex dubia, & ancipiti lite habere potest. Aliquando verò vel spem illam habet moraliter certam, vel saltem interim percipit emolumentum ex obuentionibus, vel seruitiis manualibus, vel aliquo alio modo occasione beneficij, quòd possidet. In primo ergo casu liberari potest ab onere recitandi Officij, quandiu status ille rerum perseuerat, nec per eum stat, quòd non declaretur: in secundo autem casu non videtur ab onere recitandi liberandus. Ita expressè concludit Thomas Sanchez dicto lib. 2. consil. cap. 2. dub. 76. præsertim num. 9. & 19. & probari videtur rationibus aliarum sententiarum; quia durum videtur propter spem dubiam imponere onus certum, & obligare ad recitationem eum, qui non habet titulum certum ad accipiendum stipendium sui laboris. Si ergo pro tunc nullum habet emolumentum ex obuentionibus, aut manualibus, vel alio titulo, nec in futurum habet spem certam recipiendi fructus præsentis, vel saltem futuros ob certam spem vincendi litem, non est facilè obligandus ad onus certum præsens recitationis Officij; secus verò dicendum videtur, quando nunc percipit aliqua emolumenta ex obuentionibus, vel stipendijs manualibus sui laboris, quæ

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

non perciperet nisi titulo beneficij; hæc enim obligant ad recitandum diuinum Officium; idemque est, quando spes est moraliter certa de victoria litis, quia tunc æquiualeat possessioni pacificæ, moraliter loquendo, & debet subire eadem onera.

Contra hanc tamen doctrinam videtur statim stare argumentum adductum pro priori resolutione, seu responsione, quia possessio beneficij etiam litigiosi sufficit, ut possessor obligetur ad reliqua onera beneficij, quæ videtur velle subire, eo ipso quòd vult possidere illud, & gerere se ut beneficiarium; ergo sufficiet etiam, ut obligetur ad recitandum Officium quod est vnum ex oneribus beneficij.

Responderi potest negando consequentiam, quia obligatio recitandi Officium diuinum imposita est solum ab Ecclesia beneficiariis, ut cum alijs probat Suarez dicto lib. 4. cap. 18. num. 15. Ecclesia autem solos beneficiarios obligat; ille verò, qui nondum pacificè possidet, non censetur completè, & perfectè beneficiarius, ut dixit Suarez dicto cap. 19. num. 7. Quare, quamuis velit possidere, non tamen censetur velle sibi imponere pro tunc hoc onus, quòd Ecclesia non imposuit, nisi perfectis, & completis beneficiariis. Aliud est de alijs oneribus, quæ ab intrinseco adhærent ipsi beneficiario, nec possunt ab ipso separari: ad hæc enim videtur velle se obligare possessor beneficij eo ipso, quòd vult, non obstante lite, possidere, & inhærere beneficio, & beneficiarij locum occupare.

Adhuc tamen remanere videtur difficultas ex secunda parte huius posterioris resolutionis; videtur enim sequi, quòd nec teneatur recitare possessor durante lite, etiamsi obuentiones, & alia manualis seruitij emolumenta accipiat, quia si adhuc non est completè, & perfectè beneficiarius, non apparet, unde habeat propter illa emolumenta obligationem recitandi, quæ illis solis ab Ecclesia imposita est, qui sunt perfectè, & completè beneficiarij, qualis iste non est ante adeptam pacificam beneficij possessionem. Vel ergo hic non erit obligatus, vel ille etiam obligari debet.

Ad hoc etiam responderi potest negando sequelam; debet enim possessor recitare durante lite, si percipit obuentiones, vel alia emolumenta: quam quidem obli-

B b gationem



gationem non dicimus prouenire ex eo quod tunc sit perfectè, & consummatè beneficiarius; sufficit enim ad hanc obligationem inducendam, quod pro tunc possideat beneficium illud quasi in commendam; donec adueniente sententia declaratur, ad quem pertineat verus titulus. Etenim Doctores communiter supponunt, illum etiam obligari ad recitandum diuinum Officium, qui fructus accipit beneficij, quod habet in commendam, & hoc non solum quando commenda esset perpetua, sed etiam quando esset amouibilis, & ad beneplacitum, si tamen integrè commendatur quoad totam administrationem, & seruitium, vt aliis multis relictis docent Suarez *dicto lib. 4. cap. 2. n. 14.* Bonacina *dicta disp. 1. de horis Canonicis quest. 2. punct. 4. num. 2.* quia, licet ille non sit beneficiarius, nec possit ordinari ad titulum illius commendæ non perpetuæ; subrogatur tamen loco beneficiarij cum tota eius obligatione. Ob eandem ergo rationem possessor in casu nostro, quamuis ob litem non sit perfectè, & consummatè beneficiarius; subrogatur tamen, & occupat locum beneficiarij quoad totam administrationem, atque adeò subire vult omnes obligationes beneficiarij multo magis, quam si beneficium haberet in commendam non perpetuam, sed amouibiliter, cum in casu nostro adsit titulus, ratione cuius prærenditur inamouibilitas à possessione habita; meritò ergo, dum percipit emolumenta aliqua, obligatur ad recitandum, sicut obligatur Commendatarius amouibilis ob administrationem integram sibi commendatam; quando verò, sequestratis fructibus, nihil percipit etiam ex obuentionibus, vel manualibus seruitiis, non debet obligari ad recitandum ob solam possessionem litigiosam, quia etiam si esset omninò, & perfectè beneficiarius, non obligaretur, si fructibus iniuste priuatur, & creditur nunquam recuperandos, vt cum aliis docet Bonacina *dicta disp. 1. de horis Canonicis quest. 2. punct. 4. num. 25.* & quamuis beneficiarius ille teneretur recitare ob spem fructuum futurorum; non tamen idem dicendum videtur in casu nostro, in quo possessor non obligatur præcisè vt beneficiarius, cum non sit perfectè, & omninò talis, dum cum litigio possidet; quare non debet obligari sicut alij perfecti beneficiarij, qui ob solam spem fructuum futurorum debent recitare, eo quod verè, & in omni rigore sunt beneficiarij, & lex obligat generaliter omnes

beneficiarios ad recitandum, quia lege non comprehenditur directè possessor in casu nostro, sed solum indirectè, quatenus volens possidere cum litigio, vult subrogari, durante lite, loco beneficiarij, & eius onera sustinere. Ex hac autem voluntaria subrogatione id solum probatur, nempe velle obligari etiam ad recitandum eo modo, quo obligaretur pacificus, & perfectus beneficiarius, qui tunc solum obligatur ad recitandum, quando vel percipit emolumenta aliqua præsentia, vel saltem habet spem aliquam fructuum, vel emolumentorum futurorum fundatam in titulo beneficij præsentis certo, & securo: quorum neutrum habet possessor in casu nostro, cum nulla percipiat emolumenta de præsentia, vt supponimus, nec habeat spem fructuum futurorum fundatam in titulo beneficij præsentis certo, & securo, sed in titulo incerto, & litigioso. Subrogatio ergo in locum beneficiarij perfecti non debet operari, quod obligetur ad recitandum pro eo casu, pro quo nec lex Ecclesiastica eum obligat, nec ipsi beneficiarij certi, & perfecti obligantur: quæ sufficienti, vt probabilitatem illius responsionis ostendamus.

Possit tamen vltimò aliquis opponere, quod rationes à nobis adductæ, si quid probant, videntur æquè procedere, siue lis mota fuerit ante obtentam possessionem, siue postea: nam in vtroque casu æquè continget, sequestrari omnes fructus, & non remanere vlla emolumenta ex obuentionibus, aut seruitiis manualibus; quare in vtroque casu non debet reputari perfectè, & consummatè beneficiarius pro eo tempore, quo perseuerat lis, & fructuum sequestratio. Et tamen Doctores videntur aliquando distinguere quoad obligationem recitandi inter eum, qui accepit possessionem litigiosam ab initio, & illum, qui ab initio possedit pacificè beneficium, & postquam per annum, vel biennium fuit in possessione pacifica, incipit perturbari aliqua lite super eodem beneficio.

Ego ingenuè fateor, me nullam inuenire differentiam inter vtrumque casum: nec tamen auderem doctrinam traditam extendere ad eum etiam, qui antea pacificè possederat, & postea noua lite perturbatur, nisi inuenissem id ab aliis etiam concedi, prout expressè concedit Thomas Sanchez *dicto lib. 2. consil. cap. 2. dub. 76. num. 10.* his verbis: *quando lis aduenit post possessionem adeptam, & beneficium nullum habet*

*habet seruitium, vt si est præstimonium, & sic fructus omnes sequestrantur, nulla parte possessori relicta, iudicandum est an hic teneatur recitare, sicut, quando lis aduenit ante possessionem, iuxta dicta in secunda, & tertia conclusione, & videtur de mente Auctorum quos ibi citauimus.* Dixerat autem in secunda conclusione teneri beneficium recitare, quando verisimile est pro ipso ferendam sententiam: in tertia autem conclusione dixerat non teneri recitare, quando non est verisimile pro ipso beneficiario, qui habet collationem, ferendam esse sententiam, sed lis sit in æquilibrio constituta, quia probabiliter est dubius, & in æquilibrio, an beneficium sit suum, & fructibus eius sit potiturus, & in dubio, an percipiet commodum, non est ad onus adstringendus. Hæc Sanchez *ibi*, qui cum postea idem sentiat, quando lis aduenit post obtentam possessionem, clarè sentit, non esse obligandum, quando est in dubio, & æquilibrio, an sententia sit pro ipso ferenda. Eodem modo loqui videtur Petrus Ledesma *tract. 9. cap. 4. conclus. 5. differ. 10.* dicens possessorem beneficij non obligari ad horas Canonicas, dum fructus sequestrati nomine depositi sunt, & lis est super proprietate, quem Bonacina *ubi supra dicto punct. 4. num. 26.* fateretur in ea sententia esse, quam tamen ipse impugnat, & contendit possessorem debere recitare. Hæc sufficiat indicasse, neque enim velim aliquid absolute asserere circa extensionem huius doctrinæ ad eum, qui iam pacificè possidebat, & postea contra ipsum lis intentatur super proprietate eiusdem beneficij, quia fortasse inuenietur maior ratio, vt perseueret in hoc obligatio recitandi, quæ iam inceperat, & video Doctores communiter supponere hanc obligationem in eo casu, à quibus non est facile recedendum.

#### DUBIUM VI.

*Utrum beneficiarius non habens Ordinem sacrum, peccet grauiter non recitando Officium diuinum, cum animo tamen restituendi fructus.*

**R**atio dubitandi erat, quia cum obligatio recitandi Officium fundetur in eo, quod beneficiarius accipiat fructus beneficij in stipendium, & mercedem sui la-

boris, beneficium enim datur propter Officium, & ideò peccat contra iustitiam accipiendo fructus; & non satisfaciendo debito sui Officij, consequens videbatur, quod cessaret culpa, & iniustitia eo ipso quod beneficiarius nihil prorsus vult sibi accipere ex fructibus, aut emolumentis beneficij, sed eos vult integrè expendere in fabrica eiusdem beneficij, vel in vsu pauperum, ad quod solum obligat Pius V. in sua Bulla contra beneficiarios non recitantes Officium.

Respondi, certum mihi esse, quod animus restituendi omnes fructus non impedit peccatum graue omittentis recitationem Officij diuini: nam independenter ab obligatione restituendi fructus, est præceptum Ecclesiæ obligans beneficium ad recitandum Officium, cui præcepto, quod iam antea stabat, accessit aliud præceptum Leonis X. in Concilio Lateranensi, & Pij V. in sua Bulla obligans ad restituendos fructus pro rata Officij omitti. Quamuis ergo beneficiarius nolens retinere fructus beneficij correspondentes illi diei, quo non recitat, non peccet contra secundum præceptum restituendi fructus; non tamen liberatur à transgressione culpabili prioris præcepti, quod obligat antecedenter ad recitandum Officium: quod quidem multis argumentis probari potest.

Primò, quia primis sex mensibus ab adeptæ possessione beneficij, quamuis non sit obligatio ab Ecclesia imposita restituendi fructus ob non recitatum diuinum Officium, (quidquid sit de obligatione iuris naturalis, & quæ est,) habet tamen beneficiarius sub peccato graui obligationem recitandi Officium etiam pro illo primo semestri, vt declarauit Pius V. in prædicta Bulla; ergo obligatio recitandi Officium non dependet ab obligatione restituendi fructus, siquidem sine hac obligatione inuenitur illa. Non ergo minùs perseuerabit eadem obligatio recitandi toto tempore sequenti independenter ab obligatione restituendi fructus.

Secundò, quia ille etiam, qui per accidens non percipit fructus beneficij, atque adeò omittens recitationem Officij non tenetur illos restituere, adhuc tenetur ad recitandum Officium, vt constat in eo, qui habet Canonicatum, cuius fructus non percipit, quia non residet, qui tamen debet recitare, vt cum communi docet Suarez *tom. 2. de Religione lib. 4. de horis Canonicis, cap. 20. num. 12.* Item in eo, qui accipiat beneficium cum onere soluendi

omnes fructus pro pensione ei, qui in eius fauorem resignauit tale beneficium, qui certè non debet quidquam restituere, si non recitat, cum nullos fructus percipiat: & tamen obligatur ad recitandum, vt docet idem Suarez *dicto cap. 20. num. 2.* quod etiam in aliis exemplis inuenitur, quæ clarè ostendunt, obligationem recitandi non pendere ab obligatione restituendi, cum sine hac adhuc perseveret.

Tertio probari potest, quia quamuis beneficiarius non percipiat fructus hoc anno, adhuc obligatur ad recitandum propter spem percipiendi fructus annorum subsequenti, quæ spes est pretio æstimabilis, & cum titulo, & possessione beneficii sufficit, vt obliget ad recitandum Officium, vt docet idem Suarez *d. cap. 20. num. 10. & 11.* quod multò magis habet locum in casu nostro, in quo beneficiarius non solum habet ius ad fructus anni sequentis, sed etiam ad fructus præsentis, quos potest percipere, si vult, & per eum solum stat, si eos non percipit, quia non vult.

Quarto, quia videtur, si res attentè consideretur, inuolui repugnantiam, dum excusatur ab onere recitandi si habet animum restituendi fructus; lex enim Ecclesiastica obligans non recitantes ad restituendos fructus, est lex pœnalis, atque aded obligat eum solum, qui culpabiliter, & illicitè omittit recitationem Officij, non verò eum, qui sine peccato illud omisit, vnde cumque proueniat, quod non interuenit peccatum in omissione Officij diuini, vt cum communi docet idem Suarez *dicto lib. 4. cap. 30. num. 16.* & Thomas Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 86. num. 1.* Ratio autem est, quia restitutio fructuum imposita est ab Ecclesia in pœnam peccati commissi: si ergo absque peccato omissa est recitatio, non apparet, quo titulo Ecclesia obliget de facto ad restitutionem, cum solum expresserit pro titulo culpam commissam, vt ex verbis legis ponderat bene Suar. *loco citato.* Videtur ergo inuolui repugnantia, dum dicitur, non peccare beneficiarium non recitando, si habeat animum restituendi fructus, quia si absque culpa omittit recitare Officium, non est, vnde postea habeat obligationem restituendi fructus, qui non debent restitui, nisi in pœnam recitationis culpabiliter, & cum peccato omissa.

Quinto probari potest hoc ipsum à posteriori, & ab absurdo, quod ex illa licentia sequeretur; si enim beneficiarius satisfacere

in conscientia, cum intentione expendendi fructus beneficii, iuxta præscriptum Pij V. & cum eo animo posset licitè non recitare, posset accipere beneficium pingue, vt ex fructibus aleret fratres, vel dotaret sorores indigentes, vt iuxta statum suum honestè nuberent, atque ita provide- re sufficienter per multos annos toti suæ familiæ, & cognationi sine onere recitandi Officium: nam Pius V. solum obligat non recitantes ad restituendos fructus, vel ad fabricam beneficii, vel ad vsus pauperum; & quidem pauperum nomine comprehenduntur eius consanguinei, si verè indigent, vt omnes fatentur. Satisfaceret ergo huic debito expendendo fructus omnes in alimentis suorum fratrum, vel in dotibus sororum indigentium, & nihil sibi accipiendo, sed viuendo interim ex suis bonis patrimonialibus. Consequens autem apparet ex se satis absurdum, & contra omnium fidelium, & piorum mentem. Fatendum ergo est, Ecclesiam non relinquere beneficiario talem opinionem, sed determinatè imponere illi onus recitandi, & vterius in pœnam peccati imponere illud aliud onus restitutionis faciendæ.

Vnde sextò addere possumus aliud non minus absurdum; si enim ipse beneficiarius aliunde pauper sit, nec habeat, vnde viuere possit, nisi ex fructibus beneficii, quibus sufficienter alitur, posset licitè nunquam recitare Officium, & retinere semper sibi fructus omnes beneficii quibus indiget ad propriam sustentationem. Quando enim Pius V. obligat non recitantes, vt expendant fructus perceptos in vsus pauperum, concedunt Doctores, ipsummet beneficiarium, si pauper sit, posse sibi applicare fructus illos, sicut posset applicare aliis pauperibus, & ita satisfacere præcepto Pontificis, cum non debeat ipse peioris esse conditionis, quam alij pauperes, vt aliis citatis fatetur expressè Thomas Sanchez *dicto cap. 2. dub. 87. num. 3.* Si ergo habet animum sibi eos fructus applicandi vt pauperi, iam habet animum satisfaciendi omnino obligationi sibi à Pio V. impositæ, atque aded cum hoc solo animo poterit licitè nunquam recitare Officium, & viuere de eius fructibus. Quis autem non videat, quàm longè hoc absit à mente Ecclesiæ, & Pontificis, vt Clericus pauper obtinens beneficium congruum ad suam sustentationem, non illud accipiat cum onere recitandi Officium diuinum, sed satisfacere hoc solum, quod velit ex fructibus beneficii sustentari?

Septimò

Septimò denique ratio à priori esse videtur, quod beneficia omnia instituta sunt ad seruitium aliquod Ecclesiæ præstandum, vt omnes supponunt, & ad minus ad seruitium illud, quod in recitatione Officij diuini exhibetur. Vnde qui beneficium retineret, quamuis fructus sibi non acciperet, sed daret omninò pauperibus, si tamen non recitaret, fraudaret Ecclesiam sine primario intento in erectione beneficii, quod in magnum Ecclesiæ detrimentum resuleret, occupato inutiliter loco alterius, qui Ecclesiæ deseruire deberet. Sicut, si habens beneficium parochiale vellet fructus omnes pauperibus erogare; non ided, dum beneficium retinet, posset curam animarum abiicere, quia beneficium illud ad tale seruitium institutum est, & affert secum obligationem intrinsecam, & affixam personæ Parochi, vt obsequium Ecclesiæ debitum non prætermittat, ad quod se obligauit eo ipso, quod acceptauit beneficium. Similiter ergo quodlibet aliud beneficium, saltem nisi tenuitas nimia fructuum excuset, affert secum obligationem intrinsecam, & affixam personæ beneficiarij, vt inseruiant Ecclesiæ saltem in recitatione diuini Officij, quo seruitio illicitè fraudat Ecclesiam, quoties sine legitimo impedimento Officium non recitat, quamuis non semper ad restituendos fructus teneatur, nisi post primum semestre, & quando illos percipit. Nullo ergo modo reputari potest probabile, prout non nemini fortasse videbatur, quod possit absque culpa Officium non recitare beneficiarius, qui habet animum non percipiendi sibi fructus, sed eos vel fabricæ, vel pauperibus applicandi.

#### DUBIUM VII.

*Utrum Officia aliquorum Sanctorum, quæ in quadam ciuitate recitari solebant, et diu omissa, ac interrupta fuerunt, possint sine noua Sedis Apostolica licentia iterum recitari.*

1 **D**esiderabat Clerus cuiusdam ciuitatis in Italia satis nobilis repetere vsus, qui ibi antea fuerat, recitandi Officia propria de aliquibus suis Sanctis, & solum dubitabant, an id liceret, postquam diu fuerat interrupta recitatio illorum Officiorum; quare per non vsus timebant

*D. Io. Card. de Lugo Responf. mor.*

ne perditum iam fuisset ius, seu priuilegium, si quod habuerant ad illa Officia recitanda. Respondi, difficultatem apud me non fundari in mera interruptione præterita. nam, si re vera celebratio natalium illorum Sanctorum, & recitatio Officiorum propriorum facta fuerat aliquando cum facultate, & approbatione Sedis Apostolicæ, interruptio sola, vel non vsus, non poterat impedire reditum ad eadem festa, & Officia celebranda, & recitanda. Ratio autem desumitur ex doctrina generali, quam cum aliis latè tradit, & probat Suarez *de legibus lib. 8. cap. 34.* & alij, quos affert, & sequitur Castr. Palao *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 18. n. 3. & punct. 19. n. 1.* qui dicunt, priuilegia, quæ non sunt in aliorum præiudicium, non perdi per merum non vsus, nec etiam per actus contrarios: nisi interueniat renuntiatio acceptata à concedente priuilegium, vel ab eo, ad quem spectat acceptatio renuntiationis. Cum ergo in casu nostro nulla interueniat renuntiatio, & multo minus acceptatio Sedis Apostolicæ, non potest interruptio illa inducere amissionem facultatis à Sede Apostolica semel concessæ; hoc enim priuilegium, seu hæc facultas ex iis certè erat, quæ in nullius detrimentum vergunt, sed solum in commodum illorum, quibus cõceditur.

Difficultas ergo tota est in eo, an hæc facultas concessa præsumatur à Sede Apostolica, & an subsistere nunc possit, si ab alio, quàm à Sede Apostolica emanauerit. Et quidem, si vera esset doctrina, quam tradit Eman. Roderic. *in questionibus Regular. tom. 1. quest. 42. art. 21.* res esset ferè extra controuersiam, docet enim hic auctor, posse in Religionibus recitari Officia propria Sanctorum illius Ordinis, etiam si hæc Officia non sint à Sede Apostolica approbata, dummodo digna sint vt approbentur, vel Religio eis vtatur animo ea à Sede Apostolica confirmandi; quam doctrinam ex parte videtur approbare Laym. *lib. 4. cap. 5. num. 6.* dicens placere sibi hanc Roderici doctrinam, si *lectiones de Sanctis omni suspitione falsi carentes, antehac in Ecclesia recitari consuetæ fuerant: secus si lectiones de Sanctis nouiter introducantur.* Hoc autem, quod de Religionibus dicitur, à fortiori procedit de Officiis ab Episcopo pro sua Ecclesia approbatis, cum maior sit ad hoc Episcopi auctoritas in sua Ecclesia, quàm Prælati Regularis in suo Ordine. Et fundamentum Roderici non minùs in Episcopo approbante procedit, fundat enim suam doctrinam in ver-

B b 3

bis Rubricæ primæ Breuiarij de officio duplici num. 1. vbi dicitur Officium etiam duplex fieri in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari cum Officijs proprijs à Sede Apostolica approbatis, aut eiusdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis, (seruata tamen forma huius Breuiarij.) alioquin de communi, etiamsi prædicta festa in hoc Calendario non sint descripta. In qua rubrica dictus Auctor verba illa, vel recipiendis, ita intellexit, vt ante approbationem à Sede Apostolica possint Officia illa recitari; si tamen adsit animus faciendi illa à Sede Apostolica approbati, quia rubrica non requirit approbationem præteritam, sed vel præteritam, vel saltem futuram. Et quidem eodem modo loquitur rubrica de Ecclesijs, ac de Religionibus; quare quod potest quoad hoc Prælatus Regularis pro suo Ordine, poterit proculdubio Episcopus pro sua Ecclesia.

3 Sed in hoc grauiter lapsus est Rodericus, nec intellexit sensum verborum illorum, vel recipiendis, qui clarissimus est; voluit enim Pius V. cuius auctoritate rubrica illa facta est, comprehendere Officia propria, non solum quæ iam tunc recitabantur, sed etiam futura, & noua, quæ successu temporis poterant accrescere, & in vtriusque Officijs proprijs voluit, quod haberent approbationem Sedis Apostolicæ, quæ vel antea ea approbasset, vel postea præuio examine approbatura esset. Vnde ex verbis eiusdem rubricæ omnes colligunt, non posse introduci Officium proprium nouum, nisi antea Sedes Apostolica illud approbet. Quinimò, etiamsi lectiones illæ antea recitarentur, post illam tamen Bullam Pij V. necessariam esse Sedis Apostolicæ approbationem, vt retineantur, colligitur clarè ex relatis verbis rubricæ, & notauit Gauantus in rubricis Breuiarij sect. 1. cap. 2. num. 23. & ita de facto Ecclesiæ, & Religiones adduxerunt Officia propria, quæ habebant, & successiue afferunt, quæ de nouo introducunt, vt examinentur, & approbentur à sacra rituum Congregatione. in quo sensu sacra rituum Congregatio die 8. Aprilis anno 1628. decreuit id, quod postea in nouo Breuiario appositum est. Non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam seculares, quam Regulares, addere Calendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani rubricis, vel sacra rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia

conceduntur. ex quibus verbis constat non potuisse Officia illa post Bullam Pij V. introduci cum sola Episcopi approbatione.

Dubium ergo solum esse potest, an, si solita fuissent recitari cum approbatione, & consensu Episcopi ante Bullam Pij V. possent recitari etiam post illam, sine noua approbatione Sedis Apostolicæ; id enim apertè concedere videtur Layman in verbis relatis, quando lectiones sint omni suspicionem falsi carentes, & antea in Ecclesia recitari consuetæ fuerant. quæ verba ex ipso refert, & approbat Antonius de Quintanadueñas tom. 1. singularium tract. 8. singulari 1. num. 6. ipse tamen ita intelligit prædicta verba, vt Layman loquatur solum de Officijs proprijs, quæ iam semel à Sede Apostolica approbata fuerunt pro alio loco, quam approbationem dicit sufficere, vt in alia etiam Ecclesia, vel loco, in quo fit Officium de eodem Sancto, possint eadem lectiones recitari: qui tamen sensus, quidquid sit de illius veritate, longè distat à sensu Layman, qui clarè loquitur de Officijs nunquam à Sede Apostolica approbatis, sed solitis recitari ante Bullam Pij V. & omni falsi suspicionem carentibus.

5 Sed re vera, & attentis verbis Bullæ Pij V. dicendum videtur, post illam non potuisse retineri, & continuari Officia propria peculiarium Ecclesiarum, vel Ordinum, quæ non fuissent à Sede Apostolica approbata, vt probat Gauantus dicto cap. 2. num. 23. quia Pontifex expressè prohibet, ne quidquam addatur, vel tollatur suo Breuiario: illæ autem lectiones nondum approbatæ à Sede Apostolica adderentur contra præceptum Pontificis, cuius ea potissimum fuit intentio, vt tolleretur varietas, & diuersitas variarum Ecclesiarum, & vbiq; ab omnibus idem Officium recitaretur. Vnde, quando in rubricis mentionem fecit celebritatis aliquorum festorum propriorum in singulis Ecclesijs, cautè additum est, Officia propria tunc posse in illis recitari, quando Officia illa approbata inuenirentur, vel postea approbarentur, à Sede Apostolica, vt supra vidimus ex verbis rubricæ. Ex quibus desumi potest argumentum pro hac conclusione firmissimum, nam ibi solum permittuntur Officia propria à Sede Apostolica recepta, vel recipienda, vbi duplex approbatio distinguitur, altera de præterito, altera de futuro. Sicut ergo pro Officijs proprijs de nouo introducendis requiritur approbatio Sedis Apostolicæ futura, quæ significatur per illa verba, vel recipiendis: ita pro Officijs

ficijs proprijs recitari antea solitis requiritur approbatio eiusdem Sedis præterita, quæ significatur per illa verba, ex eiusdem Sedis auctoritate receptis. Alioquin non debuisset fieri mentio approbationis de præterito, quæ solum exigi poterat pro Officijs antiquis, & iam antea recitari solitis: nam pro Officijs nouis, & de nouo introducendis, certum est, requiri approbationem futuram, & nouam. Cùm ergo ibi pro Officijs proprijs requiratur approbatio Sedis Apostolicæ disiunctiue vel præterita, vel futura, manifestè intelligitur, sermonem ibi fieri, non solum de Officijs de nouo introducendis, quibus necessaria est approbatio de futuro, sed etiam de Officijs antiquioribus, & iam antea recitari solitis, quibus solis prodesse poterat approbatio Sedis Apostolicæ præterita: quare in vtriusque approbatio necessaria est, nec possunt Officia illa antea recitata retineri, si à solo Episcopo, & non à Sede Apostolica approbata fuerant.

6 Obiici possunt verba earundem rubricarum, in quibus permitti videntur festa, quæ in aliquibus locis, vel Ecclesijs consueverunt celebrari, licet non inueniantur in Romano Calendario, vt in dicta rubrica 1. num. 1. & rubr. 2. num. 1. & alibi: sufficit ergo vsus præteritus ad retinenda eiusmodi Officia, & festa.

7 Ad hoc respondet Gauantus dicto c. 2. num. 27. rubricas illas non esse intelligendas de omnibus festis proprijs, sed de illis solis, quæ solita erant solemniter celebrari. Sed hoc certè non satisfacit, quia in dicta rubr. 2. agitur de festis etiam proprijs, quæ ritu solum semiduplici celebrantur, quæ certè non est solemnitas propriè dicta.

8 Facilius fortasse, & clariùs responderi potest distinguendo inter festa propria, & Officia propria: quare admittere possumus, & concedere, Pium V. permisisse quòd celebrarentur in singulis Ecclesijs, & Ordinibus festa priorum Sanctorum, quæ apud illos celebrari solebant: non tamen concessisse, quòd in eorum festis recitarentur Officia propria, quæ à Sede Apostolica non essent approbata, vel approbanda; atque idèò quando de illis Officijs proprijs mentionem fecit, statim addidit conditionem illam approbationis Sedis Apostolicæ, quam conditionem non addidit, quando de celebrandis festis priorum Sanctorum in multis rubricis sermo incidit: quia tamen experientia docuit abusum, & inconuenientiam ex multiplicatione Sanctorum priorum, de quibus

in singulis Ecclesijs, vel locis festum celebratur, idèò hæc etiam facultas abrogata, & restricta est decreto speciali Congregationis Rituum iussu Urbani VIII. edito die 8. Aprilis anno 1628. & in nouissimo Breuiario recognito adiuncto, his verbis: Item vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel Diocesim, etiam de cuiuscumque Ordinarij auctoritate festum cum Officio, eo quòd in loco adsit Ecclesia parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua reliqua, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu vbi asseruatur corpus, aut insignis reliquia, & non alibi. Insignes autem reliquias declarauit, esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modò sit integra, & non parua, & legitime ab Ordinarijs approbata. De sanctis Episcopis locorum, Martyribus, ciuibus, & alijs festis, de quibus in Calendario Romano, seu rubricis Breuiarij nihil habetur, vt etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur sacra Rituum Congregatio. Post cuius decreti promulgationem omnes ferè Italiæ Ecclesijs licentiam petiisse nouam ad suos proprios Sanctos celebrandos à sacra Rituum Congregatione testatur Gauantus dicto cap. 2. num. 29. Ex quibus omnibus constat, Officia de quibus quærebatur, non posse nunc iterum repeti, & recitari, nec de illis Sanctis Officium proprium, vel etiam commune fieri sine noua facultate Sedis Apostolicæ, vel sacre Congregationis Rituum, nisi eiusmodi facultas iam antea obtenta fuisset, quando illa Officia recitabantur, & eorum Sanctorum festa celebrabantur.

Solum ergo restare potest nunc dubium, cum modò constare non possit, an præcessisset tunc eiusmodi facultas Sedis Apostolicæ, quando recitabantur Officia illorum Sanctorum, an in hoc dubio præsumenda sit Sedis Apostolicæ approbatio, & licentia fuisse, quando olim ea Officia recitari solebant. Ad quod breuiter dico, non præsumi sufficienter eiusmodi licentiam, nisi probetur. Ad quod in primis afferri posset regula illa generalis, quòd licentia, cum sit actus positivus, non præsumitur, nec creditur, nisi probetur, vt probat Thomas Sanchez de licentia Parochi, vt alius Sacerdos matrimonio assistat lib. 3. de matrimonio, disput. 37. per totam, & num. 5. concludit, si Superior agat contra licentiam, & neget illam, incumbere onus probandi ei, qui assistit matrimonio, vel ipsis contrahentibus. In hoc autem casu est



& alia magna præsumptio, vt credi potius debeat, non præcessisse talem licentiam, nimirum non solebant frequenter olim peti tales licentiæ à Sede Apostolica, & quia interruptio subsequuta in Officiis illis recitandis, magnum argumentum est, quòd quando Congregatio Rituum incipit adstringere in hoc negotio, & coartare Ordinarios, ne sibi eam auctoritatem assumerent, ea de causa Officia illa propria, & festa omiſſa sunt, quia nulla Sedis Apostolicæ facultate approbata, vel subnixâ reperiebantur. Quare, si præsumptionibus standum esset, præsumptio magis videretur suadere, quòd facultas Sedis Apostolicæ non præcesserit, atque adeò, vt iterum Officia, & festa illa in usum reuocentur, petenda necessariò videretur facultas, & approbatio à Sede Apostolica, vel à sacra Rituum Congregatione.

## D V B I V M VIII.

*Utrum qui per errorem recitauit hodie Officium crastinum, debeat cras recitare Officium hodiernum, vel iterum recitare crastinum.*

**S** Vppono, Officium vtriusque diei fuisse æquale, vel ferè æquale, ne locus sit alteri dubio, an hodie cognito errore, debeat supplere, vel recitando Officium hodiernum, vel aliquam eius partem ad ponendam æqualitatem; de hoc enim non quærebatur, sed solum quale Officium debeat cras recitare, an hodiernum, quod omisit, an iterum idem Officium crastinum, quod iam hodie recitauerat.

**2** Ad hoc dubium multis abhinc annis respondi, debere cras recitari Officium diei crastinæ, quamuis hodie per errorem idem recitatum sit: quod etiam sentit Villalobos 1. p. tractat. 22. num. 3. Ratio autem esse potest, primò, quia singulis diebus est præceptum Ecclesiæ recitandi Officium illius diei; si ergo hodie per errorem recitasti aliud Officium, non idèò excusaris à præcepto crastino, quod nondum incepit obligare, & quod cras obligat determinatè ad tale Officium.

**3** Secundò, quia si per errorem hodie ie-

iunasti, putans hodie esse vigiliam S. Petri, v. gr. quæ erit cras, non idèò excusaris à ieiunio crastino: & è contra, si vigilia sit hodie, & tu per errorem putes esse cras, non obligaris cras ad ieiunandum. Similiter, si putans hodie esse Dominicam, cum sit Sabbatum, audisti Missam, & abstinuisti ab operibus seruilibus, non idèò excusaris cras ab audienda Missa, & abstinendo ab opere ferui, & sic in aliis. Quorum ratio est, quòd Ecclesia non præcipit ieiunare semel in anno in honorem S. Petri, nec audire Missam semel in hebdomada, vel in ea obseruare vnum diem festum, &c. Sed præcipit determinatè tali die ieiunare, & tali die audire Missam, & abstinere ab operibus seruilibus. Eodem autem modo præcipit tali die determinatè recitare tale Officium; quare, si per errorem alia die illud recitasti, nondum satisfecisti præcepto Ecclesiæ, quod nondum inceperat obligare, atque adeò adueniente sua die, debes illud Officium iterum recitare.

Post hoc verò responsum à me datum, 4 prodiit tomus primus singularium Patris Antonij de Quintanadueñas, qui tract. 8. de recitatione horarum, singulari 9. quamuis verius putet, omisso per errorem festo duplici, vel semiduplici hodierno, non posse de eo alia die sequenti recitari; probabile tamen contrarium existimat. Primò, quia intrare videretur regula de translatione festorum, quando dies propria est impedita: nam, sicut impeditur dies propria alio duplici maiore, vel Dominica, aut alio Officio magis priuilegiato; ita impeditur obliuione, quæ maximum impedimentum inducit: debet ergo festum illud transferri in aliam diem non impeditam. Secundò, quia ignorantia non currit tempus; ergo cum primum peruenit ad tuam notitiam, quòd fieri debebat Officium de tali festo, perinde est, ac si non pertransisset eius dies. Tertio denique, quia nemo iure suo absque culpa priuandus est. Habent autem ius & Sanctus ille, & ipse recitans, vt de illo festo semel in anno recitetur: nec intercessit culpa ipsius Sancti, aut recitantis, quia obliuio fuit inculpabilis; ergo nec Sanctus suo cultu, nec recitans suo iure priuari debet, cum præsertim nulla sit rubrica, quæ ad id cogat, sed potius rubrica de translatione festorum contrarium suadeat.

Doctrina hæc nimis singularis mihi videtur, & meritò ab eius Auctore posita est

*in tomo singularium titulo inscripto.* Tota autem innixa est fundamento omnino falso, ex rubrica de translatione festorum, quam Auctor aliter concepit, ac reuera sit. Supponit enim festum duplex, aut semiduplex transferri semper debere, cum proprius dies est impeditus. quæ regula ita vniuersalis non inuenitur in Breuiario, sed sub terminis satis expressis, & particularibus, nempe transferri debere tunc solum, quando occurrit in Dominicis Aduentus, & Dominicis à Septuagesima, vsque ad Dominicam in Albis, & in certis aliis diebus ibi enumeratis, vt constat ex rubr. 10. quæ est de translatione festorum, in qua singillatim ponuntur omnes casus, in quibus solis Officium alicuius Sancti transferri possit, & debeat extra suum diem; in quibus certe non ponitur, quando recitans per obliuionem errauit in Officio recitando. Non fauet ergo, sed apertè repugnat rubrica menti huius Auctoris.

**6** Ratio verò illa, quòd Sanctus videatur habere ius, vt semel in anno cultus Officij ei tribuatur, multò debilior est. Et quidem, si aliquid probaret, concluderet etiam, quòd si recitans per errorem feria 6. Hebdomadæ maioris omisit Officium illius diei, & in Paschate agnosceret suum errorem, deberet, aut posset post Octauam Paschæ, prima die non impedita, recitare Officium feriæ 6. Hebdomadæ maioris, quo certè nihil absurdius dici, aut fieri posset. Sequela verò probari videtur, quia maius ius habet Passio Domini, vt de ea semel in anno Officium solemniter fiat, quàm passio vllius Sancti. Cum ergo anno illo, nullo alio die talis persona recitauerit illud Officium, quia propria dies impedita fuit propter obliuionem, vel errorem; oportebit, quòd recitatio illius Officij adeò solemniter transferatur in diem aliam non impeditam.

**7** Adde, posse etiam contingere, vt sine errore, vel obliuione impediatur recitatio Officij de Sancto, propter morbum eo die currentem, qui non minùs impedit, quàm error, vel obliuio. Si ergo sufficit, diem illam esse impeditam quocumque genere impedimenti, vt transferri debeat, vel possit Officium illud in aliam diem non impeditam; poterit ægrotus, cessante morbo, recitare de festis omnibus successiue, quorum Officia omisit morbi causa, quod absurdissimum esset. Fatendum ergo est, translationem Officij tunc solum fieri debere, quando solum dies propria impeditur Officio Dominicæ, vel festi magis

priuilegiati, prout in rubricis Breuiarij expressè traditur, in quibus de impedimentis alterius generis nulla profus mentio habetur.

Responder ad hoc exemplum ægroti ille Auctor num. 4. eo casu ægrotum non teneri ad recitandum die illo, atque idèò obligationem, vel ius ad recitandum de illo Sancto non perseuerare: nec ad fuit error, aut obliuio, ob cuius impedimentum conceditur ista translatio; hoc tamen satisfacere non potest, quia remanet eadem difficultas: si enim rubrica concedit translationem festi in aliam diem, quando dies propria impedita fuit, & hoc intelligi potest de impedimento obliuionis, cur non de impedimento morbi? Ratio ergo vniuersalis reddi debet, quæ non potest esse alia, nisi quòd rubrica non loquitur vniuersaliter de omni impedimento, sed solum quando impeditur Officio Dominicæ, vel festi, aut feriæ priuilegiatæ tunc currentis.

Confirmari potest, & explicari, quia vel obligatio recitandi de tali Sancto erat alligata illi diei, & tunc transacto illo die cessat obligatio, nec postea reponendum est illud Officium. Vel obligatio illa taliter erat alligata illi diei, vt obliget etiam pro toto anno, quamuis illa die non fuerit ei satisfactum, prout dici solet de communionis in Paschate, cuius præceptum obligat quidem ad Communionem in Paschate, vel intra illos quindecim dies; ita tamen vt si vel culpabiliter, vel inculpabiliter omiſſa sit, non idèò cesset obligatio, sed debeat quamprimùm eo anno sumi Communionis. Si ergo talis sit obligatio recitandi Officium de tali Sancto, redit argumentum supra factum; quia siue Communionis Paschalis omiſſa sit ob errorem, vel obliuionem, siue etiam ob infirmitatem, vel impotentiam, vel quodlibet aliud impedimentum, debet tamen intra eundem annum quamprimùm accipi: nam præceptum taliter obligat ad circumstantiam temporis Paschalis, vt præterea obliget ad substantiam Communionis intra annum. Similiter ergo, si præceptum recitandi Officium de hoc Sancto taliter alligatur ad circumstantiam huius diei, vt etiam postea maneat obligans quoad substantiam intra eundem annum, manebit vtrique obligatio, siue per obliuionem, siue per morbum, aut aliud impedimentum omiſſa fuerit recitatio in sua die.

Imò, si consequenter loquendum sit, idem dici deberet, quando non per obliuionem, sed scienter omiſſa fuit recitatio;

si enim Sanctus illè habet ius, vt semel in anno cultus Officij ei deferatur, sicut non debet eo iure priuari per te, ob errorem, vel obliuionem recitantis; ita non debet sine sua culpa ob solam culpam recitantis suo iure, & cultu priuari, sed alia die non impedita. debet de ipso Officium recitari, atque adeò qui per mensem culpabiliter Officium non recitauit, debet, vel poterit mense sequenti recitare de duplicibus, vel semiduplicibus, quorum omisit officia; neque enim apparet, cur minus in vno casu, quàm in alio fieri possit, vel debeat ea translatio, cum non minus impedita fuerit dies propria, quando cum culpa, quàm quando sine culpa Officium fuit omisum in propria die.

Ratio denique est, quia ritus diuini Officij recitandi non debet esse priuatus, & proprius singulis personis, sed publicus, & communis totic ommunitati, vel Ecclesiæ, ad quam pertinet hic recitans: atque adeò singuli debent semper Officium illud recitare, quod recitatur à tota communitate in illo loco, vel Ecclesiâ, ad quam spectant. Si ergo alij Canonici, v. gr. vel Monachi recitent hodie de feria, & tu velis de Sancto ante triduum à te omisso recitare, vel debebis duo Officia recitare, alterum priuatum, alterum in Choro cum aliis, (ad quod certè rubrica nulla obligat,) vel debes cum cæteris in Choro non canere, quod non est minus absurdum. Nec satisfacit Auctor ille num. 6. dicens, posse te tunc amplecti contrariam sententiam, & recitare de Officio currenti. hoc, inquam, non satisfacit; quia nos non quærimus, quid possit facere per principia extrinseca, sed quid præscribat faciendum eo casu rubrica Breuiarij Romani, à cuius verbis, & mente dicimus esse omnino alienum transferre Officium ex solo suo errore omisum. Si enim ea translatio esset iuxta rubricam, præciperet eo ipso rubrica, quòd illa die non recitaret Officium quod recitat eius Ecclesiâ, sed aliud diuersum, quod euidens est contrarium esse rubricæ intentioni, quæ semper intendit vniformitatem Officij, nec permittit variationem, nisi ad summum pro festis propriis alicuius Ecclesiæ, vel communitatis.

Nec etiam permittit, vt vidimus, translationem Officij in aliam diem, nisi solùm quando dies propria impeditur Officio magis priuilegiato, qui est casus vnicus in rubrica translationis expressus. Vnde neque est ad rem quod dicebatur, ignorantibus tempus non currere; id enim habet locum

in iis, quæ non alligantur certo diei, prout est Officium talis Sancti. Sicut nec est ad rem, quòd nemo iure suo sine culpa priuandus est; supponit enim falsum, quòd scilicet recitans, vel ipse Sanctus habeant ius ad Officium indefinitè pro toto anno; nusquam enim hoc ius concessum est, sed solùm pro tali die, nisi in casu ab eadem rubrica expresso, quo propter aliud Officium dignius occurrens, præcipitur translatio in talem diem determinatam, & non in aliam. Sicut ergo putans ex errore hodie esse feriam sextam, cum sit feria quinta, & ideo abstinens hodie à carnibus, debet cras etiam ab eisdem abstinere, nec potest allegare quod sine culpa non debet priuari iure suo edendi carnes diebus quinque in hebdomada: nam reuera non habebat tale ius, sed edendi carnes talibus diebus determinatis; ita prorsus in casu nostro dicendum est, non priuari sine culpa iure suo, sed ob impotentiam ex errore, vel obliuione, non potuisse vti iure suo, quo illa solùm die vti poterat.

Ex dictis autem inferitur decisio alterius similis dubij, an qui ex errore hodie recitauit Officium de festo crastino, cras debeat repetere idem Officium, an verò recitare cras de festo hodierno. In quo dubio idem Quintanadueñas dicto tract. 8. singulari 10. num. 2. & 3. dicit, adueniente postea die crastina propria illius Sancti, non esse de illo iterum recitandum, cum iam debitum Officium ei anticipata solutione exhibitum sit; sed die illa recitandum Officium, vel de Sancto duplici, vel semiduplici, cuius fortè Officium hodie recitari debuisset, vel (si hodie non occurrebat tale Officium,) recitari debebit de feria, vel Sancto simplici occurrenti die crastina.

Hæc tamen sententia non est minus singularis, quàm præcedens, & oppositum docuit Villalobos loco supra allegato, & procul dubio videtur esse iuxta mentem Pij V. qui singulis diebus alligauit suum Officium proprium, nec permisit variationem, aut translationem à parte antea, nec à parte post: & singulis diebus incipit obligare præceptum Officij illius diei, quod antea non obligabat, atque adeò non potuit huic præcepto heri satisfieri: nec præceptum est recitandi semel in anno de tali Sancto, sed recitandi tali die determinatè. Quare applicari possunt exempla supra adducta ex ieiunio, & Missa: nam, si ex errore heri ieiunasti, putans esse vigiliam S. Petri, quæ est hodie, non idè excusaris

à ieiunio hodierno: item, si hodie audisti Missam, & seruasti festum, putans ex errore hodie esse festum S. Laurentij, quod erit cras, non idè excusaris ab obseruatione festi crastina, & tuæ ignorantix debes imputare, quòd bis ieiunes, vel obserues festum; quia nimirum hæc præcepta non obligant indeterminatè pro semel in anno, sed determinatè pro tali die sola: idem ergo dicendum est de recitatione Officij, in quo eadem est ratio, vt vidimus.

Ad hoc etiam applicari possunt absurda similia, quæ sequerentur. Si enim aliquis ex errore anticipauit Officium Hebdomadæ maioris, quod recitauit tota hebdomada Passionis præcedenti; postea cognito errore in ipsa Hebdomada maiori deberet recitare de festis Sanctorum, quorum Officia omiserat hebdomada præcedenti. Item, si per errorem recitauit Officium Natiuitatis Domini ante eius diem, deberet in ipsa die recitare Officium de feria. Imò, cum iuxta rubricas Missalis debeat Missa concordare cum Officio, deberet in die Natalis dicere Missam de feria: & cum omnes possint illa die tres Missas celebrare, posset etiam Sacerdos ille tres Missas de feria dicere: quæ omnia absurda ex illa sententia consequuntur. Nec minora sunt, quæ auctor ipse consequenter concedit; cum enim singulari 9. num. 6. admisisset, idem procedere, quando error communis fuisset toti Choro, & communitati: deberet enim postea die prima non impedita recitare Officium Sancti, quod per errorem omisum fuerat propria die, nisi scandalum sequeretur: postea singulari 10. num. 4. idem dicit in Choro obseruandum casu, quo per errorem anticipatum fuisset Officium alicuius festi, vt cessante scandalo, adueniente die propria, in Choro non fiat Officium de illo festo, sed de feria: quare, si doctrina illa vera esset, anticipato per errorem Officio Natiuitatis, vel Resurrectionis Dominicæ, deberet etiam in Choro cessante scandalo, Officium de feria in iis festiuitatibus celebrari, ne bis soluat Officium eidem festiuitati, quod maximum inconueniens reputat ille Auctor, sed certè debuissent hæc alia grauiora existimari, prout reuera sunt, & à mente rubricarum valdè aliena.

Maior difficultas esse posset in dubio alio, de quo etiam olim consultus fueram; nimirum quid facere debeat, qui per errorem incipit recitare de feria, v. gr. immemor festi occurrentis, vel è contra, & parte Officij illius diei recitata, agnoscit erro-

rem; an tunc debeat prosequi recitando quod superest, de Sancto occurrente, an verò iuxta Officium, quod ex errore iam partim recitauerat. Ad quod dubium idem Quintanadueñas dicto singulari 10. num. 4. responderet, si solùm Vesperæ cum Completorio recitatæ sunt, non oportet eas repetere, sed solùm addere commemorationem illius Sancti, de quo debet sequenti die recitari, & prosequi Officium de ipso, quod idem dicendum putat, si Matutinum etiam cum Laudibus recitauit. & si forsan non deerit (inquit) qui iuxta sententiam relata dicat, tunc prosequendum esse inceptum Officium, & Missam de illo celebrandam: nam maior pars debet trahere ad se minorem, vt constans est Doctorum axioma. Sed quoad celebrationem Missæ attinet, inspicatur, ne in Ecclesiâ adsit scandalum, vel sit magnæ solemnitatis dies, &c. Sed vterius progreditur Caramuel in Regulam S. Benedicti disp. 110. num. 1403. quem affert, & non improbat P. Diana part. 7. tract. 11. miscell. 11. qui supponit, vnicum esse præceptum omnium horarum, quæ recitantur singulis diebus, & inde infert, peccare mortaliter, qui legit horas aliquas de Dominica, & reliquas de Sancto, quia non legit Officium diuinum, sed duo semiofficia, quæ non possunt ita connecti, vt vnum Officium diuinum constituent; quia ex aliquot horis de Dominica, & aliis de feria, si coniungantur, non exurgeret Officium diuinum approbatum à Sede Apostolica. Hæc ille, qui consequenter dicere debet in dubio nostro, eum qui incipit cum errore recitare Officium, v. gr. de feria, vel de alio Sancto, debere vel repetere horas quas dixit, vel prosequi idem Officium, quia ex illa parte, & alia parte Officij de Sancto verè occurrenti non potest componi vnum Officium canonicum approbatum.

Sed, vt ab hoc vltimo incipiamus, non credo esse obligationem prosequendi Officium ex errore inceptum. Et quidem; si argumentum huius Auctoris aliquid concluderet, probaret vtrique, esse obligationem iterum recitandi horas illas iuxta Officium eo die occurrens; fundatur enim in hoc, quòd non sunt plura præcepta, sed vnicum de toto Officio illius diei: præceptum ergo illud non est de Officio in genere, sed de tali Officio, quod huic diei in Breuiario assignatur: si ergo recitatur aliud Officium, non impletur illud præceptum. Si autem respondeas, impleri quoad substantiam Officij, quamuis non quoad circumstantiam

cumstantiam accidentalem talis Officij: ex hoc ipso solui potest argumentum, vt non prober intentum illius Auctoris. Sicut enim in illo præcepto consideras substantiam, & circumstantiam rei præceptæ, & dicis, satis fieri quoad substantiam, recitato quolibet Officio saltem moraliter æquali: ita dicam ego, ex illis duabus partibus Officij diuersi resultare vnum Officium vnitatem substantiali, quamuis non vnum vnitatem accidentali: quare satisfactum est præcepto recitando vnum Officium substantialiter, quamuis non habeat vnitatem accidentalem resultantem ex eo quod omnes horæ sint de Officio eiusdem Sancti, vel feriæ, quæ vnitatem est circumstantia accidentalis non pertinens ad substantiam, sicut quod Officium sit de tali Sancto, non pertinet per te ad substantiam, sed ad circumstantiam accidentalem rei præceptæ.

18 Aliunde verò, quod illa diuersitas partium intra idem Officium non sit contra substantiam, nec impediatur Officium esse vnum, probari potest. Primò, quia Officium alicuius Sancti non minorem respectum habet ad primas vespèras, quàm ad secundas; vnde quando die sequenti non potest fieri Officium de Sancto simplici propter vigiliam, aut feriam priuilegiatam occurrentem; die etiam præcedenti vespèræ non dicuntur de illo Sancto, sed de feriâ, ne maneant primæ vespèræ sine toto Officio consequenti. Et tamen, si aliquis per errorem non recitauit heri vespèras festi hodierni, potest, agnito errore, & debet hodie recitare de festo hodierno; quia correspondentia illa ad vespèras hesternas non est substantialis.

19 Secundò, quia intra eandem diem sæpè Officium vsque ad nonam recitatur de vno Sancto, & à vespèris recitatur de alio: imò intra easdem vespèras dimidia pars dicitur de vno festo, & altera pars à Capitulo dicitur de alio festo diuerso: & aliquando ritus ipse diuiditur, vt in Vigilia Natalis Domini, in qua Matutinum dicitur feriale, & Laudes dicuntur ritu festi duplicis. Si ergo Ecclesia ipsa in vno Officio inducit eiusmodi diuisiones, & diuersitates, non erit contra substantiam Officij vnius, si agnito errore, ab horis minoribus, & deinceps recitetur de festo occurrenti, quamuis Matutinum cum Laudibus dictum fuerit de feriâ.

20 Tertio hoc ipsum clariùs ostendi potest in priuata etiam vnius recitatione, hoc

ipsum posse, & debere aliquando obseruari. Pone enim, te recitato Matutino hodierno de feriâ, accipere post auroram beneficium alicuius Ecclesiæ, cuius Sancti titularis festiuitas sit hodie: certè ab illa hora, qua possessionem accepisti, debes recitare de Sancto illo, vt duplici primæ classis, & cum Octaua. Constat ergo vnum Officium ex Matutino feriali, & reliquis horis ritu festi duplicis: quod tamen Officium nusquam inuenietur in Breuiario ita conflatum. Alioquin non satisfacisses hodie præcepto, si hodie non recitasti vnum aliquod Officium. Sicut ergo tunc potes, & debes vnire Matutinum feriale cum horis aliis, & Vespèris de Sancto titulari, imò non potuisses dicere Matutinum de illo Sancto, quia illa hora nondum eras beneficiarius illius tituli, sed ab ea hora debes variare Officium, in qua aduenit obligatio recitandi de Sancto: ita in casu nostro ea hora, qua innotescit tibi obligatio recitandi. De festo hodierno, quod antea ignorabas, debes incipere recitare aliud Officium, ex quo, & ex horis anterioribus resultare potest vnum Officium, quod non sit minus vnum, quàm sit in casu beneficiarij accipientis possessionem sui beneficij ante horam primam, vel tertiam. Hoc autem frequenter contingere potest, & mihi olim sæpè contigit venienti primo manè in locum, in quo fiebat Octaua dedicationis Ecclesiæ propriæ: quamuis enim pridie sero dixissem Matutinum feriale, die sequenti recitabam de Octaua, quia iam tunc debebam sequi ritum illius loci, in quo manere debebam. Nec mirum, quod ex illis diuersis partibus Officij Romani resultare possit vnum Officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto, quando ex partibus rituum multò magis diuersorum posset id fieri. Pone enim, quod Sacerdos aliquis post dictum Matutinum ritu Romani Breuiarij, fiat Monachus Benedictinus, vel Carthusianus, qui ab illa hora debet recitare iuxta ritum Breuiarij suæ Religionis, qui est multò diuersus à ritu Romano. Die illa satisfacit præcepto per Officium conflatum ex Matutino Romano, & ex aliis horis ritu Monastico, ex quibus partibus adedò diuersis conflatur vnum Officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto. Quid, si fieret Monachus S. Basilij, qui Monachi in Italia recitant ritu Græco? Quid, si Sacerdos ex ritu Græco cum licentia, (quæ sæpè conceditur,) transfret ad ritum Latinum? certè

certè in iis casibus ex Matutino Latino, & horis Græcis, vel è contra fieret vnum Officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto: quid ergo mirum, si ex Matutino feriali, & horis festiuis, cognito errore post Matutinum, fieri possit vnum Officium sufficiens ad satisfaciendum præcepto?

21 Vnde infero, in casu nostro eum, qui in præcedentibus horis errauit, non solum posse, sed debere, quando agnoscit errorem, reliquas horas recitare iuxta Officium ea die currens, vt se in iis saltem partibus Officij conformet toti Ecclesiæ, vel illi communitati, cuius est pars, & obseruet præceptum Officij hodierni in ea saltem parte, in qua potest. Quamuis enim non sint plura præcepta, sed vnum de toto Officio huius diei recitando: quando tamen præceptum est de re diuidua, & non potest tota impleri, sed pars, debet ea pars impleri, si sit maior pars, vel si, quamuis sit pars minor, certò tamen constat, quæ pars sit. quam regulam optimè explicat, & probat Thomas Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 19. num. 9. vbi exemplum affert eius, qui ob carentiam Breuiarij non potest recitare totum Officium, potest tamen recitare aliquam, vel aliquas horas, quas vel memoria retinet, vel ex diurno potest legere, quo casu dicit, teneri ad eas horas, vel etiam si vna sola esset, recitandum; quia circa illam partem rei præceptæ non est impedimentum. Idem autem contingit in casu nostro; quando enim agnoscitur lex quæ antea ignorabatur, potest adhuc obseruari quoad partem, & constat de parte illa: non debet ergo continuari error malè inchoatus, sed corrigi, vt si non in totum, obseruetur tamen lex, quantum fieri potest.

#### D V B I V M IX.

#### De numero Missarum in beneficij erectione assignando.

1 Testator dixit: *Volo, vt extrahantur ex mea hereditate sex millia scuta, & ex iis fundetur beneficium ad celebrandas tot Missas in anno in perpetuum in Ecclesia N. pro anima mea matris.* Cum ergo erigendum iam esset beneficium, dubitatum fuit, ad quot Missas obligandus sit beneficiarius, cum testator earum numerum non designauerit.

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

Tota difficultas oritur ex verbis illis, *celebrandas tot Missas in anno.* nam illud *tot*, potest referri vel ad summam 6000. scutorum, ita vt velit testator tot Missas celebrari, quot correspondent fructibus illius summæ pecuniæ. Vel potest referri ad beneficium fundandum, ita vt velit tot Missas in anno celebrari, quot habens illud beneficium celebrare poterit. Et quidem, quoties agitur de interpretandis verbis dubiis testatoris, vtendum est coniecturis ex circumstantiis personæ, loci, temporis, & aliis ad indagandam mentem, & intentionem testatoris, quæ præualere debet, etiam si aliquando verba videantur aliud sonare, vt videri potest in exemplis, quæ adduxi tom. 2. de Iustitia, & iure, disputat. 24. de testamentis, sectione 9. & 10.

Dixi ergo, inuestigandum in primis esse diligenter ex circumstantiis, an testator loquutus fuerit de vero, & rigoroso beneficio, an solum voluerit fundari eos redditus perpetuos in tali Ecclesia, vt in ea Missæ correspondentes fructibus quotannis celebrarentur: nam re vera in vulgari modo loquendi beneficium institutum cum solo onere Missarum pro anima alicuius, quamuis in rigore iuris sit beneficium Ecclesiasticum; non tamen solet vocari vulgariter beneficium, sed Capellania, & qui illam habet, non appellatur communiter beneficiarius, sed Capellanus; quare dubitari potest, an de vera Capellania testator loquutus fuerit, an verò de beneficio non personali, sed reali, vt ita dicam, hoc est, affixo, & applicato tali Ecclesiæ, vt Ecclesia illa ex fructibus faciat celebrare tot Missas: si enim hæc fuisset testatoris mens, proculdubio fructus omnes, deductis expensis, deberent in Missas ibidem celebrandas erogari.

Rursus, si coniecturæ sensum prædictum non suadeant, sed verba intelligenda sint de beneficio vni personæ certæ conferendo; inuestigandum adhuc erit per coniecturas ex circumstantiis prædictis, quale voluerit esse munus illius beneficiarij; audiui enim, esse in vsu beneficia aliqua, & beneficiarios, qui ius solum habent recipiendi redditus sui beneficij ad hoc solum instituti, vt curam habeant distribuendi pecunias illas Sacerdotibus, quibus velint, & curandi, vt Missæ celebrentur correspondentes illis fructibus. Si ergo hoc beneficiorum genus sit in vsu in illis partibus, credibile sit, hanc solum fuisse



fuisse mentem testatoris, quando ex tali summa voluit fundari beneficium, vt tot Missæ semper celebrentur; constructio enim illorum verborum magis plana, & sincera est, vt illud *tot*, referatur ad fructus illius capitalis 6000. scutorum, quæ fuerant ad hoc assignata. Videndum autem tunc erit, qualis sit vsus in eiusmodi beneficiis, an scilicet beneficiarius habeat solum ius eligendi Sacerdotes celebraturos, & distribuendi illis stipendia, & fortasse applicandi sibi partem, si ipse etiam Missarum partem celebrare voluerit: an verò ultra hæc habere etiam soleat partem aliquam fructuum pro stipendio curæ, & laboris in administratione, & receptione fructuum, & in procurando, vt tot Missæ semper celebrentur; si enim vsus communis hoc habeat in iis locis, meritò præsumi potest testator beneficium cum iis conditionibus iuxta vsum suæ patriæ instituere voluisse.

Denique, si nihil horum omnium ex coniecturis, & circumstantiis colligi possit, verba in dubio accipienda sunt in sensu proprio, vt voluerit testator ex summa illa erigi, & fundari Capellaniam, seu beneficium proprium conferendum per collationem canonicam alicui cum onere tot Missarum. Tunc autem videtur beneficiarius, seu Capellanus in ipsa beneficij erectione grauandus ad Missam quotidianam pro anima matris testatoris. quod ad minus eius verba significare debent, dum petit *tot Missas in anno*, hoc est, tot, quot vnus beneficiarius in anno dicere potest; neque enim in hoc sensu potest mitius ad aliud referri illud *tot*, nisi ad capacitatem vnus beneficiarij, qui iubebatur institui. Nec videtur credibile, ad pauciores Missas voluisse eum obligare, cui cum illo solum onere relinquebat fructus sex mille scutorum, qui fortasse ad 300. scuta annua in illis partibus ascendere possent: qui certè fructus longè maiores sunt, quàm qui Canonicis Cathedralium communiter dantur pro assidua chori assistentia, & aliis pluribus oneribus Canonicatui annexis.

6 Addi potest primò, sensum, & affectum testatoris erga beneficium constituendum colligi posse, si fortè in ipso testamento designata sit persona, cui primo loco beneficium illud sit conferendum, & hæc sit consanguinea testatoris, vel illi peculiariter coniuncta; hinc enim ad minus constabit, testatorem de vero, & proprio beneficio cogitasse, nec voluisse

plures Missas exigere, quàm quæ ab eodem beneficiario celebrari possent. Ad hoc etiam proderit, si saltem designauit Patronum, ad quem beneficiarij nominatio, & præsentatio successiuè pertineat; hoc enim probat etiam, quòd non solum de redditibus, sed etiam de persona vnus beneficiarij perpetuò deligenda cogitauerit.

7 Secundò videndum erit, an beneficiario alia onera, præter Missarum celebrationem, imponantur. Si enim in ea fortasse Ecclesia sint alij beneficiarij, qui choro, & Missarum solemnium officiis inferuire debeant, testator præsumitur voluisse, vt ad meliorem Ecclesiæ cultum, & officiorum diuinorum beneficium nouum erigatur, & hic beneficiarius teneatur etiam ad illas Missas pro anima suæ matris celebrandas; quò casu præsumitur testator contentus fuisse Missis illis, quæ ab eo celebrari poterant, quem tamen aliis beneficiariorum oneribus ad cultum Ecclesiæ grauabat.

8 Tertio, etiam si ad Missas singulis diebus à testatore obligetur, esse tamen sententiam aliquorum Doctorum, qui dicunt, non esse id ita metaphysicè intelligendum, vt non possit Sacerdos obligatus à testatore ad celebrandum quotidie, semel saltem in hebdomada, deuotionis, & reuerentiæ gratià à celebratione abstinere, vt cum Nauarro *1. part. consil. lib. 3. tit. de Præbendis, consil. 7.* aliàs 6. tenent alij communiter, quos refert, & sequitur Diana *2. part. tract. de celebratione Missarum, resolut. 2. 8. & part. 5. tract. 13. miscell. resolut. 5. 1. ij* tamen aduertunt, id intelligi, quando obligatio dirigitur ad Capellanum ipsum, dicendo, v. g. *qui debeat quotidie celebrare, &c.* secus verò, si dirigatur ad ipsam celebrationem in tali loco, dicendo, v. gr. *Volo, vt in tali Ecclesia celebretur quotidie Missa, &c.* tunc enim dicunt, Capellanum ea die, qua ipse non celebrat, debere alium pro se substituere. Quare in casu nostro dubitari posset, quia verba testatoris ambigua sunt, dum dicit, *Volo, vt fundetur beneficium ad celebrandas tot Missas in anno in perpetuum in Ecclesia N. &c.* in quibus verbis non videtur dirigi obligatio directè ad beneficium, sed ad Missarum celebrationem in tali loco. Adhuc tamen ea obligatio non videtur clara, quia verba in nostro casu sunt satis similia verbis relatis à Nauarro *ubi supra*, quibus testator reliquit bona redditicia 830. solidos annuos pro vna Capellania, ad dicendas Missas, non expresso earum numero: & tamen

Nauarrus

Nauarrus eo casu iudicauit, posse Capellanum abstinere à celebrando semel in hebdomada deuotionis, aut maioris reuerentiæ causâ, argumento desumpto ex *cap. significatum, de præbendis.* Idem autem videtur posse dici in casu nostro, in quo testator non expressit Missarum numerum: & quamuis dixerit, *ad celebrandas tot Missas, &c.* Id tamen videtur posse commodè explicari, tot Missas, quot idem beneficiarius moraliter, & reuerenter celebrare poterit. Nec expressit, vt quotidie in ea Ecclesia celebraretur, sed verba illa magis videntur dirigi ad ipsum beneficium, dum iussit, beneficium fundari ad celebrandas tot Missas in anno in tali Ecclesia: hoc est, vt beneficiarius celebret in tali Ecclesia tot Missas in anno. Non ergo video clarè, cur ab ea facultate aliis concessa abstinendi semel à Missa in hebdomada debeat excludi.

9 Denique aduertendum erit, posse beneficium nominandum in casu nostro Missas illas, si voluerit, non per se ipsum, sed per alios celebrare, quia quoties testator, vel fundator non obligat expressè Capellanum, vt celebret per semetipsum, & non per alios, non debet ad id obligari, vt constat ex responso sacræ Congregationis Concilij Tridentini, quod affert Gonzalez *super regulam octauam Cancellaria, gloss. 5. in principio, num. 84.* his verbis: *Item Episcopus non potest compellere obtinentem Capellaniam, vt ipsemet celebret, licet in eius fundatione disponatur, quòd Capellani celebrent: nam istis oneribus Missarum rectè per substitutum satisfit.* quæ etiam declaratio habetur in declarationibus impressis *sess. 24. cap. 12. circa finem*, & iuxta eam idem resoluunt quamplures, quos afferunt, & sequuntur Bonacina *de Sacramentis, disput. 4. q. vlt. punct. 7. §. 1. n. 1.* & Diana *p. 2. tract. de celebrat. Missarum, resolut. 18.* Quare in casu nostro, quo testator contrarium non expressit, poterit proculdubio beneficiarius Missas debitas celebrare per alios Sacerdotes, quibus dare debet, non quantum ipsi beneficiario corresponderet pro singulis Missis ex fructibus beneficij, sed solum stipendium dari solitum Missas celebrantibus. Quamuis enim decreto sacræ Congregationis Concilij edito iussu Urbani VIII. anno 1625. prohibitum sit, ne Sacerdos stipendio pro Missa celebranda accepto, possit alij Sacerdoti stipendiij parte data, Missam dicendam ei committere, sed debeat totum stipendium, quod accipit, eidem dare, nulla sibi parte retenta: id tamen locum non habet in casu nostro,

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

vt eadem sacra Congregatio respondit anno sequenti, dicens, decretum illud non intelligi de beneficiario, qui potest per alium celebrare, sed sufficere quòd ei det eleemosynam congruam, nisi in fundatione ipsius beneficij aliter cautum fuisset. Quod idem procedere in Capellano, qui per alium satisfaciat oneri Missarum, diximus *tom. de Eucharistia, disput. 21. sect. 2. num. 30.* Siue ergo dicendus sit beneficiarius, siue Capellanus, in casu nostro ille, cui Missarum onus testator imposuit, poterit huic oneri per alios satisfacere, quibus consuetam solum eleemosynam pro singulis Missis dare teneatur.

#### D V B I V M X.

*De obligatione illius, qui apertis litteris alienis, nouit vacationem præbendæ, quam impetrari curauit pro quodam suo amico.*

1 Petrus in Hispania consignauit fasciculum litterarum Paulo, qui ibi curam habebat expediendi tabellarios publicos, qui Hispanicè appellatur *Correo mayor*, Italicè *Mastro delle Poste*, illius ciuitatis, eique commendauit, vt litteras illas Romam transmitteret ad Ioannem ibi commorantem, qui litteris illis certior fiebat de vacatione cuiusdam Præbendæ, cuius annui fructus erant 1500. vel 2000. ducatorum. Paulus, vt maiori diligentia rem exsequeretur, fasciculum illum per nuntium, seu tabellarium extraordinarium, qui illac transibat, misit Romam ad Antonium suum amicum Romæ commorantem, eumque rogauit, vt statim litteras illas Ioanni traderet, quia continebant nuntium Præbendæ vacantis. Antonius, acceptis litteris, non dedit eas Ioanni, cui mitterebantur, sed vocato Francisco suo amico, rem illi communicauit, & communi consilio Franciscus simul cum eodem Antonio fasciculum, & litteras, quæ Ioanni mitterebantur, aperuit, & cognita qualitate Præbendæ vacantis, eam adhibito fauore cuiusdam Cardinalis, cui inferuiebat, sibi impetrauit. Postea verò, nullo tamen præcedente antea pacto, dedit Antonio 100. scuta pro se, & 50. pro Petro, à quibus notitiam vacantis Præbendæ habuerat. Quærebatur, an Antonius teneatur aliquid restituere Ioanni, qui tunc alteri Cardinali inferuiebat, & postea duos Episcopatus successiuè obtinuit.

Cc 2

Suppo

Supponebatur in primis, Paulum non habuisse ex officio obligationem mittendi litteras illas Romam per nuntium extraordinarium, sed fuisse satis, si mitteret suo tempore per tabellarium ordinarium. Deinde Antonium nescisse, qua obligatione, vel conditione Paulus accepisset litteras illas mittendas Romam ad Ioannem. Suspiciatur tamen, aliquid significatum Paulo de remuneratione pro diligentia adhibenda in mittendis litteris. Certum est, Paulum acceptis postea illis 50. scutis, nihil Antonio scripsisse de obligatione, quam habuisset circa diligentiam faciendam in fauorem Ioannis.

3. Theologi Hispani Salamanticae, & Vallesoleti consulti de obligatione Antonij, diuisi fuerunt in contrarias sententias. Quia verò diuersitas hæc oriebatur ex diuersa intelligentia doctrinae cuiusdam, quam olim tradideram *tom. 1. de Iustitia, & iure, disput. 18. sect. 5. num. 104.* Maior tamen pars liberabat eum ab obligatione restituendi: idè coactus sum, vt sensum meum declararem, & explicarem, quomodo doctrina illa ad casum præsentem posset, aut deberet applicari.

4. Dixi ergo in primis, me eo loco solùm dixisse contra nonnullos ibi à me relatos, esse obligationem restituendi pro damno ex illa iniusta litterarum apertione verè consequuto. Videndum ergo est, an in casu nostro damnum sit Ioanni consequutum ex eo, quòd eius litteræ apertæ sunt, an ex alia causa, potuissent enim litteræ retineri ab Antonio non apertè. Vnde videndum est, an esset obligatio ex iustitia dandi eas litteras Ioanni, nam damnum non fuit ortum solùm ex apertione litterarum, sed ex eo etiam quòd non sint redditæ Ioanni, ad quem dirigebantur.

5. In Paulo ergo, cui litteræ consignatæ sunt, obligatio erat iustitiæ eas ad Ioannem transmittendi, quia tenebatur ex officio publico ad hoc constituto, vt litteræ ad varia loca transmittantur. Quamuis verò non teneretur ex officio ad litteras transmittendas per nuntium extraordinarium; supposito tamen, quòd elegit eam viam, debebat procurare, quòd cum effectu darentur Ioanni. Hoc autem iam ipse videtur præstitisse, curauit enim, & petiit ab Antonio, cui fidebat, vt daret quamprimum Ioanni fasciculum illum litterarum, & quamuis hunc finem non obtinuerit; non fuit ex culpa ipsius Pauli, qui prudenter operatus fuerat, & curauerat, vt quamprimum litteræ ad

Ioannis manus peruenirent. Paulus ergo liber videtur esse ab omni onere restituendi.

Difficultas est de Antonio, qui litteras retinuit, & dedit Francisco aperiendas, vt sibi Præbendam impetraret. Distinguere autem rursus possumus. nam si Antonius Minister erat Pauli, vel eius Procurator, aut ei fide data promiserat distribuere fideliter litteras, quas ad ipsum destinaret; videtur non potuisse sine iniustitia retinere Ioannis litteras, atque adèd teneri ad restitutionem pro damno subsequuro, cum iam quasi ex officio teneretur ad litteras reddendas, sicut ipse Paulus, cui se obtulerat ministrum, & exsequutorem hac in parte ipsius obligationis. Sicut illi famuli, quibus in domo tabellarij dantur litteræ distribuendæ per Urbem singulis ciuibus, tenentur etiam ex iustitia illas fideliter distribuere, nec possunt eas sibi retinere, quia participant obligationem iustitiæ, quam habet eorum dominus, cuius ministri ea in parte sunt.

Si verò Antonius neque erat Procura-  
7. tor, nec minister Pauli, nec ei se fide data obstrinxerat ad litteras distribuendas, quas ipsi mitteret; non facilè apparet, cur obligaretur ex iustitia ad reddendas litteras Ioanni; durum enim est obligare te ex iustitia ad distribuendas litteras, quas amicus tibi pro aliis mittit: imò sæpè litteræ illæ negliguntur ab eo, qui eas cum suis accepit. Sola ergo urbanitas, & amicitia poscit, vt litteræ illæ aliis dentur: aliquando etiam charitas obligabit, quando magnum damnum proximo immineret, nisi redderentur, sed peccatum contra charitatem non obligat ad restitutionem, vt constat.

Peccauit tamen Antonius contra iusti-  
8. tiam litteras Ioannis aperiendo; quia litterarum alienarum apertio continet grauem iniuriam contra iustitiam, vt cum communi Doctorum diximus *tom. 1. de Iustitia, disput. 14. sect. 9. num. 148.* quamuis ergo posset Antonius litteras Ioanni non dare absque iniustitia; non tamen poterat sine iniustitia eas aperire, & legere. Quare cum ex læsione grauius iniusta consequatur semper obligatio restituendi pro toto damno ex illa consequuto ei, qui iniuriam passus est, vt probaui *eodem tom. 1. de Iustitia; disputat. 8. sect. 5.* consequens est, vt Antonius restituere teneatur Ioanni pro toto damno, quod ob litteras eius apertas passus est. Non dico,  
pro

pro damno, quod ob litteras ei non redditas passus est, quia fortasse Antonius non tenebatur, vt vidimus, ex iustitia ad reddendas litteras: quia tamen tenebatur ex iustitia ad non eas aperiendas, debet restituere Ioanni pro damno toto, quod ob litteras eius apertas passus est. Difficultas ergo tota erit in decernendo, an damnum consequutum verè sit Ioanni ex apertione litterarum, & quanti damnum illud æstimari debeat, quæ quæstio magis facti esse videtur, quàm iuris.

9. Duo ergo potissimum consideranda sunt. Primum, an apertio litterarum causa fuerit quòd Ioannes non habuerit illam Præbendam. Secundum verò, quanti damnum illud æstimandum sit. Quod ergo ad primum spectat, ex circumstantiis loci, temporis, personarum, & aliis indagandum est, an, si litteræ non fuissent apertæ, sed tamen non fuissent Ioanni traditæ, Ioannes impetrasset adhuc sibi illam Præbendam, habita nimirum interim aliunde notitia eiusdem vacantis. Si enim aliunde non potuisset impetrare, signum est, quòd apertio litterarum non fuit causa quòd non impetraret, siquidem, etiamsi non fuissent apertæ, non eas accepisset, neque impetrasset: quare si Antonius decreuisset non reddere litteras illas Ioanni, & hoc independenter, & antequam cogitaret de illis aperiendis, ita vt apertio litterarum non fuerit causa illas retinendi, nec quòd Ioannes non haberet Præbendam, quia nec tunc, nec postea illam habiturus erat etiam litteris non apertis, non apparet, vnde oriatur obligatio restituendi, supposito quòd Antonius non debebat ex officio, vel promissione litteras dare iis, ad quos in eius fasciculo mittebantur. Si autem apertio litterarum impediuit Ioannem ab obtinenda Præbenda, vel quia apertio litterarum fuit causa quòd illi litteræ tempestiuè non darentur, siue quia, nisi fuissent apertæ, & ex illa notitia Franciscus eam sibi impetrasset, habuisset postea Ioannes aliunde notitiam Præbendæ illius vacantis, & eam sibi potuisset impetrare, Antonius tenebatur ad restituendum Ioanni pro damno ex litterarum apertione consequuto plus, vel minus pro maiori, vel minori spe, quæ esse poterat, vt Ioannes litteris non apertis, damnum illud passus non fuisset.

10. Quoad secundum verò, nempe ad taxandum id, quod restitui debet casu, quo Antonius restituere teneatur, pendet id omninò ex variis circumstantiis, quæ ar-  
D. Ie. Card. de Lugo Respons. mor.

bitrio prudentis ponderandæ sunt. Ponderare enim oportet, quantum probabilitatis haberet, quòd litteris illis non apertis posset Ioannes Præbendam illam impetrare, siue quia tunc litteræ ei redditæ fuissent, quarum non reddendarum causa fuit earum apertio, siue quia aliunde notitiam vacantis Præbendæ opportunè habuisset, si à Francisco per furtiuam illam notitiam non fuisset præuentus, & pro maiori, vel minori gradu probabilitatis, & spei eiusmodi plus, minusve deberet ei Antonius restituere. Considerandum etiam est, quanto tempore Præbenda illa fruiturus fuisset ante adeptum primum Episcopatum, quem habuit, iuxta ea, quæ in simili dixi *disput. 11. de Iustitia, sect. 2. num. 39.* Item, an potuisset obtinere retentionem Præbendæ saltem pro aliquo tempore simul cum Episcopatu. Item, an occasione Præbendæ habitæ, meliorem, & pinguiorem Episcopatum, vel in meliori loco obtinere potuisset à Rege, ad quem tunc spectabat nominare successorem in Præbenda, & an ipse habens talem Præbendam in Hispania, acceptasset Episcopatum illum in India, quæ omnia, & alia similia pertinent ad factum, nec à me sciri possunt. Quare tutius, & facilius esset in eo casu, quòd Antonius per interpositam personam conueniret cum Ioanne, oblata ei rationabili aliqua summa, & petens ad cautelam remissionem totius damni; hoc enim modo cum maiori satisfactione, & quiete res tota componetur, & tolletur radix scrupulorum in hac materia.

#### D V B I V M X I.

*De obligatione Prælati, aut Beneficarij Ecclesiastici ad dandam eleemosynam.*

Propositum mihi fuit à quodam Theologiae Magistro hoc dubium. Cum sit doctrina P. Vasquez, & aliorum, quos affert P. Diana p. 2. tract. 16. resolut. 28. nomine congruæ sustentationis intelligi, non solùm quæ requiruntur ad conseruationem status præsentis, sed etiam ea, quæ sunt necessaria ad acquirendum statum meliorem, quia ascensus ad superiorem statum pertinet ad necessitatem, & conuenientiam status, vnde aliqui inferunt non obligari ad eleemosynam ex bonis requisitis ad meliorem statum acquirendum; quærebatur à me primò, an hæc doctrina  
C c 3 sic

sit vera. Secundò, an procedat solum de statu immediato meliori, an etiam de quolibet mediato: nam, si in hoc secundo sensu intelligatur, nunquam esset obligatio dandi eleemosynam, quia omnis pecunia, quantumcumque copiosa, requiritur ad statum maiorem possibilem acquirendum. Tertiò, an id intelligatur etiam de meliori statu Ecclesiastico, ita ut beneficiatus possit in congrua sustentatione computare ea, quibus indiget ad maiorem dignitatem Ecclesiasticam, vel altiore statum acquirendum, etiam si non sint necessaria ad conseruationem status.

2 Respondi, supponi falsum: nam Auctores illi non loquuntur de beneficiario, sed de laico diuite, de quo quærent, an obligationem habeat dandi eleemosynam ex iis, quibus indiget ad acquirendum altiore statum. Imò expressè dicunt, id non habere locum in personis Ecclesiasticis, ut videri potest in locis ibi citatis; in quibus tamen aduertere oportet, P. Vasquez non agere de hoc in tract. de restitutione, in quo citatur à Patre Diana, sed in tractatu de eleemosyna; sicut nec etiam Malderus tractat de hoc q. 27. in qua ab eodem Diana allegatur, sed q. 32. ij autem expressè excludunt ab ea doctrina personas Ecclesiasticas, quas negant posse ultra congruam sustentationem status præsentis, referuare ex fructibus Ecclesiasticis ad acquirendum statum meliorem. Quare corruunt alia duo quæsitæ: neque enim ad meliorem statum immediatum acquirendum referuare possunt; multò minus ad mediatum: nec ad meliorem statum sæcularem, nec etiam ad meliorem statum Ecclesiasticum comparandum.

3 Hac tamen occasione iterum quæsitum est, an posset aliquis ex fructibus Ecclesiasticis referuare ad emendum Clericatum, vel Auditoratum Cameræ Apostolicæ, vel ad hoc, ut postea ad Cardinalatum promotus habeat sumptus necessarios ad eam dignitatem sustinendam.

4 Respondi, ex doctrina præcedenti sequi, quòd non possit referuare ad emendum Clericatum, vel Auditoratum Cameræ, quia hoc esset referuare ad acquirendum statum altiore; quòd tamen Doctores supra adducti expressè negant posse ex fructibus beneficiorum fieri: nam P. Vasquez dicto tractatu de eleemosyna, cap. 4. dub. ultimo, num. 14. dicit differre Ecclesiasticos à laicis, quòd laici possunt de bonis patrimonialibus seruare ad statum suum, vel consanguineorum mutandum, & tunc il-

lud non dicitur superfluum. Vnde vix in secularibus inuenies, etiam in Regibus, superfluum statui. At Episcopi, & alij Ecclesiastici non possunt ex bonis beneficij statum mutare altiore sibi, vel consanguineis, vel amicis, ut bene docuit Corduba, quia ista bona non sunt data, nisi ad congruam sustentationem. Eodem modo loquitur Nauarrus in summa, cap. 24. num. 6. vbi, cum dixisset, secularem posse ex superfluis referuare ad statum altiore obtinendum, quòd etiam dixerat cap. 23. num. 74. statim subdit: Dixi secularem, quia Ecclesiastici non possunt in tot fines, ac illi, pecunias coacervare, ut infra sequenti capite attingetur. Sic etiam loquitur Malderus 2. 2. dicta quæst. 32. art. 6. dub. 4. vbi loquens de obligatione dandi eleemosynam ex superfluo, sic ait: Quòd verò dicitur, rariùs contingere, ut quis habeat eiusmodi superfluum: esto simpliciter loquendo verum sit; nobis tamen sufficit aliquando ita contingere, præsertim in Ecclesiasticis, qui potius debent pauperes iuuare, quam augere statum, vel consanguineos, & amicos ditare. Ratio autem est clara, & in primis ab absurdo; quia, si hoc concederetur, nulla maneret obligatio Ecclesiasticis expendendi superflua in vsus pios; quis enim est, qui non adspiret, vel adspirare possit ad statum altiore, vel secularem, vel Ecclesiasticum? Deinde de Auditoratu, vel Clericatu Cameræ emendo parum iuuat; quæ enim necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ apparet in iis expensis? Quasi, si tu non tibi hæc munera emas, defuturi sint alij multi, & forlasse meliores, & digniores, qui eiusmodi officia administrent. Hæc sanè non sunt, nisi velamenta auaritiæ, vel etiam ambitionis, ne fructus Ecclesiasticorum beneficiorum in pios vsus expendantur, ad quos ex sua natura, & conditione destinati reperiuntur.

Magis apparenter forlasse excusare posset motiuum illud aliud referuandi ad expensas in Cardinalatu faciendas: si tamen circumstantiæ aliquæ concurrant, quæ id possint iustificare. Prima sit, quòd Cardinalatus aliunde acceptandus sit, ita ut pecunia non referuatur, ut Cardinalatus acceptari possit; hoc enim esset referuare pecunias ad comparandum statum altiore, quòd diximus Ecclesiastico non licere, sed ita ut referuatur, ut habeantur necessarij sumptus faciendi in Cardinalatu, qui aliunde acceptandus est. Secunda sit, quòd probabile sit, defuturos sumptus necessarios, quando Cardinalatus adueniet, nec esse spem soluendi debita,

quæ

quæ tunc ad primos illos sumptus faciendos contrahere oportebit: si enim spes sit soluendi postea illa debita, non indiget hac pecunia, ut sibi tunc subueniat. Tertia denique, & potissima conditio est, quòd necessitas hæc probabiliter, & de proximo timeatur. Alioquin quilibet Prælatus posset ab adolescentia referuare, & thesaurizare ex redditibus Ecclesiasticis superflui statui, ut aliquando fiat Cardinalis, habeat sumptus necessarios ad eam dignitatem sustinendam: quòd certè in foro Dei approbandum non credo, & apud pios, & prudentes omnes scandalum generaret.

## D V B I V M XII.

*An Religiosus factus Episcopus maneat adhuc Religiosus, & cum voto paupertatis, & an acquirat dominium fructuum sui Episcopatus.*

1 **D**ixi, duas esse quæstiones diuersas. Prima, an Religiosus factus Episcopus maneat adhuc Religiosus, an verò absoluetur omninò à votis Religiosis etiam substantialibus, & reducatur ad statum secularem. Secunda est, an acquirat dominium bonorum, seu reddituum sui Episcopatus, sicut alij Episcopi in sententia magis communi acquirunt, an verò solum vsus cum licentia administrandi, & expendendi eiusmodi bona, quæ sunt quæstiones valdè diuersæ, ut videbimus.

2 Et quidem quoad primam quæstionem, nulla videretur esse dubitandi ratio, nisi aliqui recentiores dubium indicassent, inter quos Petrus Hurtado de Mendoza in tract. de charit. disp. 160. sect. 1. subsect. 3. quamuis ex professo solum tractet secundam quæstionem de dominio reddituum; obiter tamen num. 61. & 64. significat aperte, Monachum factum Episcopum non manere Religiosum, quoad essentiam Religiosi, sed quoad aliqua accidentia, qualis est retentio sui habitus, & similia: relinquitur enim, inquit, illis habitus, tum in honorem sui Ordinis, tum ut ipse Episcopus meminerit non oportere ad luxam disfluere, qui Religionem fuit tandiu professus.

3 Alij tamen vno ore fatentur, Episcopum illum manere adhuc Religiosum non solum quoad accidentia, sed magis quoad substantiam: imò id non tractant quasi ex professo, sed supponunt tan-

quam omnino certum, & indubitatum, & postea ad alias quæstiones consequentes descendunt, in quibus variæ sunt Doctorum sententiæ, nunquam tamen apud illos fuit controuersia, an Episcopus ille esset Religiosus, vel merus secularis. Vnde P. Suarez tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 4. cum S. Thoma 2. 2. quæst. 185. art. 8. & aliis dicit, certum esse Religiosum, cum fit Episcopus, non amittere substantialem statum Religiosi. Eodem modo tanquam de re omnino certa, loquuntur alij omnes Theologi, & Canonistæ, quos latè congerit Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 6. num. 2. dicens, Absque dubio tenendum, Religiosum creatum Episcopum in primis non absolui à voto castitatis, nec etiam à voto obedientiæ, sed hoc quodammodo limitari, quia absoluitur ab obedientia Prælatorum Regularium. quòd probat, quia hic manet verus Religiosus, ut fatentur omnes, imò P. Vasquez, quem Hurtado inducere conatur pro sua sententia, expressè fatetur 1. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. cap. 8. num. 93. ad finem, manere Religiosum, nec liberari à voto obedientiæ respectu Summi Pontificis. Idem dicunt Lessius, Layman, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao tom. 4. tract. 16. disp. 4. punct. 20. n. 1. supponens pro certo, manere verum Religiosum, & inde probans, manere obstrictum voto obedientiæ, & nouissimè Franciscus Pellizzarius in manuali Regularium tom. 1. tract. 3. cap. 5. sect. 1. num. 15. Denique Lezana tom. 1. cap. 17. num. 1. eandem conclusionem ut certam, & ut basim aliarum quæstionum supponit, nec videtur de hoc puncto Doctores vnquam dubitasse.

Ratio autem à priori est clara, quia vota 4 religiosa substantialia perpetua fuerunt ex natura sua, & potest manere eorum vinculum radicale, licet eorum materia in multis deficiat ratione status: id tamen est per accidens, sicut vinculum matrimonij consummati manet, licet postea coniuges fiant Religiosi, vel licet postea adueniat impotentia, qua iis reddatur impossibilis copula Cardinalis. A fortiori manebit vinculum religiosæ Professionis, quamuis postea deficiat materia ad exsequenda vota. Et quidem de voto castitatis non est dubium, cum maneat tota eius materia, & magis obligetur Religiosus Episcopus ad illud votum obseruandum. Obedientiæ autem votum manet, & potest impleri respectu Summi Pontificis, cui Episcopus Religiosus debet obedire etiam ex voto



suæ Professionis in iis, quæ Papa ei præcipiat secundum regulam. Nec refert, quod non debeat obedire aliis Prælati Regularibus, hoc enim est per accidens, quia non est tunc eorum subditus, sicut nec Generalis perpetuus Ordinis Prædicatorum, vel Societatis IESU potest obedire amplius ulli Prælato Ordinario Regulari, sed soli Summo Pontifici, & tamen permanet Religiosus adstrictus vinculo voti obedientiæ. De voto autem paupertatis postea explicabimus, quomodo adhuc maneat, non solum quoad vinculum radicale, sed etiam quoad exsecutionem saltem partialem. Non ergo dissolvitur ex natura rei vinculum Professionis religiosæ per dignitatem Episcopalem. Sed nec dici potest, quod dissoluatur per dispensationem Summi Pontificis assumptis eum ad Episcopatum. Quamvis enim concedam, posse Summum Pontificem ex causa, dispensare etiam in votis solemnibus; id tamen non potest, nisi ex causis grauissimis: vnde rarissime, & ex grauissima causa solet dispensare cum habente Ordinem sacrum, ut ducat uxorem: quales certe causæ non exiguntur, ut Religiosus fiat Episcopus, sed passim fiunt eadem facilitate, qua Clerici seculares, & absque Ecclesiæ necessitate. Non ergo intercedit dispensatio voti solemnitis: alioquin Papa difficilius, & rarius id faceret, cum sciat dispensationem voti sine causa sufficienti concessam esse non solum illicitam, sed omnino inuvalidam. Papa itaque non dispensat cum Episcopo Religioso in voto obedientiæ, v. gr. sed sicut Generalis eximens subditum ab obedientia sui Prouincialis, vel Prælati localis, non dispensat cum eo in voto obedientiæ, sed aufert partem materiæ, faciens quod Prouincialis, & Prælati localis non sint eius Superiores, vnde votum, quod solum est obediendi Superioribus, non obligat iam ad illis obediendum: ita Summus Pontifex non dispensat cum Religioso Episcopo in voto obedientiæ, sed facit, quod Prælati regulares non sint eius Superiores; & ideo cessat obligatio illis obediendi, quamdiu Superiores non sunt; manet tamen obligatio obediendi Summo Pontifici, qui est supremus Generalis, & Prælati eiusdem Religionis, & cui primo loco promissa fuit obedientia per votum Professionis religiosæ. Ex nullo ergo capite dissolvitur vinculum Professionis per assumptionem ad Episcopatum.

5 A posteriori verò multipliciter hoc ipsum probari potest. Et in primis non est

leuis coniectura, quæ desumitur ex obligatione retinendi habitum Religionis saltem quoad colorem: imò ante Clementem VIII. retineri debebat etiam quoad formam, & paulò antè, nempe ante Gregorium XV. nec ipsi quidem Cardinales regulares ex Monachis, vel fratribus mendicantibus assumpti poterant uti bireto rubro, sed nigro: dicere autem, hoc solum fieri, ut memores sint status antiqui, non est credibile, nec hoc aliud esset, quam conseruare accidentia sine substantia status religiosi, sicut in Eucharistia accidentia panis conseruantur sine substantia panis. quod certè omnino opponitur sensui omnium Doctorum, qui dicunt, Religiosum factum Episcopum, manere liberum ab obligationibus accidentalibus, non tamen à substantialibus status religiosi. Vnde etiam post Episcopatum appellantur pleno ore regulares; sic vocantur in Cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 1. ubi eorum habitus præscribitur; quod rursus repetitur cap. 3. his verbis: *Ceterum quod dicitur de huiusmodi Episcoporum habitu, tam capparum, quam caterarum vestium, non est intelligendum de Episcopis regularibus, qui non mutant colorem sui habitus, neque induunt Rochettum, sed in Ecclesia propria uti debent cappa coloris sua Religionis conuenientis, pellibus, seu serico eiusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula, ut dictum est, Canonici Regulares, qui Rochetto vtuntur: omnes autem tam seculares, quam Religiosi Episcopi galero vtuntur à parte exteriori nigro, &c.* Vide quoties in Cæremoniali Clementis VIII. iussu editi hi Episcopi appellentur religiosi, & condistinguantur ab Episcopis secularibus. Manent ergo veri Religiosi; alioquin frustra S. Ludouicus excusasset se ab acceptando Episcopatu Tolosano, nisi prius permitteretur ingredi Religionem Minorum, & in ea Professionem emittere. Si enim accepto postea Episcopatu, remansisset secularis, sicut antea, & dissoluebatur omnino Professio religiosa, ad quid ei circuitus ille deseruiebat? Temerè etiam S. Antoninus Episcopus Florentinus minanti cuidam ex Magistratu respondisset, se paratum esse, abdicato Episcopatu, reuerti ad suam cellam, cuius clauem ei ostendit, quam adhuc penes se retinebat. Si enim iam erat omnino secularis, non magis poterat ad Conuentum redire, quam alij seculares, sed indigebat noua receptione, & probatione per annum nouitiarum, & postea denuo profiteri.

Vnde colligitur absurdum aliud, quod ex illa

illa sententia sequitur: nam si Episcopus, vel Cardinalis Religiosus, abdicato Episcopatu, vel Cardinalatu, & obrenta Summi Pontificis facultate, ad regularem Observantiam, & vitam Conuentualem, ut antea, rediret, indigeret utique noua Professione, qua Religiosus denuo fieret, cum iam prioris Professionis vinculum dissolutum esset, & ipse esset omnino secularis, sicut alij Episcopi, vel Cardinales seculares: imò in rigore indigeret nouo anno nouitiatus, cum nunc de nouo ex seculo ad Religionem transfret, & consequenter antiquitas Professionis non esset ei computanda ex priori Professione, quæ iam omnino extrinseca fuerat, sed ex posteriori, ex vi cuius solius nunc est membrum talis Religionis: quæ omnia absurda sunt, & contra mentem omnium Doctorum, & ipsorum summorum Pontificum in suis Bullis nullam eiusmodi necessitatem nouæ Professionis supponentium. Quæstio quidem est apud Doctores, an Episcopus regularis deposito munere Episcopali, teneatur ad Monasterium redire? quibusdam id affirmantibus, quorum sententiam probabilem indicat Thomas Sanchez dicto cap. 6. num. 28. aliis tamen id negantibus, quos affert, & sequitur idem Sanchez ibi num. 29. addens tamen in solutione primi argumenti teneri ad id non sub culpa, sed solo debito decentiæ, & honestatis, & n. 30. cum P. Henriquez fateatur, si ob delicta deponatur, & degradetur, teneri omnino redire ad suum Monasterium. Profectò, si redire teneretur, non aliunde teneretur, quam ex vinculo prioris Professionis adhuc perseverante: vnde non erit necessaria alia Professio, nec ea posset ei iniungi, etiam si ob delicta degradaretur: neque enim unquam Ecclesia aliquem obligat ad statum religiosum suscipiendum, nisi ipsemet ad hoc se sponte obligasset.

7 Vnde obiter aduerto, non opponi huic doctrinæ id, quod Thomas Sanchez dicto cap. 6. num. 31. obseruauit, nempe, Episcopum regularem depositum absque degradatione, redeuntem ad Monasterium indigere nouo voto obediendi Prælati regularibus, vel saltem quod Papa, ut supremus Prælati Religionis virtute voti obedientiæ in Professione antea emissi, cum Prælati regularibus subiiciat, quia, cum omnino exemptus sit ab illorum obedientia, non potest se illis obligare, nisi nouo voto, vel nisi à Prælato suo, qui est solus Papa, subiiciatur illis. quod ex parte amplexus est Pelizzarius ubi supra d. sect. 1.

num 17. Hoc, inquam, non est contra nostram doctrinam; nam ij Auctores fatentur, non indigere noua Professione, ut fiat iterum Religiosus, cum semper manserit Religiosus; sed quoniam ratione dignitatis exemptus est ab obedientia Prælatorum regularium, dicunt, non posse illis subiici, nisi vel ipsemet voto se illis subiiciat, vel à Papa illis subiiciatur: non tamen volunt, quod per votum illud intelligatur Professionem facere, aut, quod votum illud sit votum solemnè obedientiæ pertinet ad Professionem religiosam; sed quod deseruiat ad cedendum priuilegio exemptionis à Prælati regularibus, quam ratione dignitatis habebat.

In hoc tamen, ut verum fatear, non video, quam consequenter hi Auctores loquantur. Fateor quidem, posse à Summo Pontifice Prælati regularibus subiici, quia cum Papa ratione Professionis præteritæ sit eius supremus Prælati; potest ei designare Prælatos immediatos, quos voluerit, & his Prælati communicare potestatem ei præcipiendi. Quod tamen ipsemet solo proprio voto possit eos facere Prælatos suos, non video, quomodo possit subsistere. Potest quidem Episcopus Deo se obligare ad operandum iuxta alicuius priuatæ personæ consilia: non tamen potest facere, quod illa persona sit eius Prælati, aut habeat potestatem, & iurisdictionem supra ipsum, qualem potestatem habent Prælati regulares in suos subditos; hæc enim potestas, & iurdictio debet, non ab ipso subdito, sed ab alio Prælato superiore communicari. Nisi ergo Papa communique Prælati regularibus potestatem, & iurisdictionem supra Episcopum regularem ab eorum potestate exemptum; non potest ipse Episcopus sola sua voluntate, & voto hanc potestatem, & iurisdictionem supra se Prælati concedere. Votum ergo illud obligabit eum ad faciendam, quæ Prælati ei dixerint, sicut potest se obligare ad ieiunia, vel alia pia opera: non tamen faciet, quod Prælati sint verè eius Prælati, & ipse sit eorum subditus, & quod possit ab illis corrigi, puniri, excommunicari, &c. qui sunt actus iurisdictionis, quam Prælati non possunt ab ipso subdito accipere, sed à Summo Pontifice, qui solus est Prælati illius Episcopi semel exempti.

Magis fortasse consequenter videtur mihi dictum, quod Castro Palao 3. tom. tract. 16. disp. 4. punct. 14. num. 25. obseruauit, nimirum, Cardinalem Religiosum si renuntiet Cardinalatum, & Papa remunerationem

riationem acceptet, debere ipso iure redire ad obedientiam Prælatorum regularium sui Ordinis. Quamvis enim hoc non dicatur de Episcopo regulari etiam renuntiato Episcopatu; ratio tamen est, quia adhuc in Episcopo perseverat dignitas ratione characteris Episcopalis indelebilis, ratione cuius eximitur adhuc ab obedientia Prælatorum regularium. Cardinalis autem, qui non erat Episcopus, relicto Cardinalatu, nihil prorsus retinet ex dignitate Cardinalitia, sed remanet simplex Sacerdos, vel Diaconus, sicut antea: cessat ergo ipso facto omnino exemptio, & reducitur ad obedientiam Prælatorum sui Ordinis, nisi Summus Pontifex positivè ei exemptionem voluerit prorogare. Tantum abest, quòd ij non manserint Religiosi, ut potius, cessante omnino causa, debeant ipso facto ad obedientiam suorum Prælatorum redire.

10 Hoc ipsum pro comperto supponunt Summi Pontifices. Vnde Paulus IV. qui & ipse Clericus Regularis erat Ordinis Theatinorum, in sua Bulla, quæ incipit, *In sacra*, & habetur in 1. tom. Bullarj, & est 21. inter eius Bullas, statuit, ut eiusmodi Episcopi, & Archiepiscopi regulares, qui renuntiato Episcopatu ad suos Ordines redeunt, non possent in iis eligi ad Prælaturas regulares: quod quidem ideo prohibuit, ne ambitione Generalatus, vel alterius Prælaturæ, relinquerent Episcopatus, ut ad regularem vitam redirent, ubi bis vocat illos Episcopos, & Archiepiscopos *religiosi Ordinis Professores*, & ideo supponit, illos ad suum Ordinem redeunt, capaces esse, ut in Prælatos eligerentur, nisi id eis specialiter prohiberetur, prout ea Bulla expressè Pontifex prohibuit, & inhabiles eos reddidit ad eiusmodi passivam electionem.

11 Denique, nisi eiusmodi Episcopi verè essent regulares, & vinculum prioris Professionis in eis permaneret, inutiles essent, & otiosæ tanquam de subiecto non supponenti quamplures quæstiones, quas Theologi, & Canonistæ de illis passim tractare solent. Disputant enim, an si non retineant habitum suæ Religionis, sed vrantur habitu Episcoporum secularium, incurrant censuras impositas Religiosis dimittentibus habitum religiosum. An teneantur sub peccato mortali, vel veniali ad observantias sui Ordinis, quæ non repugnant statui Episcopali. An maneat etiam ligati aliis votis, vel solemnibus, vel simplicibus, quæ in aliquibus Ordinibus

addi solent tribus votis substantialibus Professionis religiosæ. An Episcopus ex Ordine Minorum obligetur adhuc ad vitam Quadragesimalem, vel ex Ordine Carthusiano ad non edendas carnes, vel ex Ordine Minorum ad ieiunandum feria sexta, in qua occurrat Natalis Domini. An possit Episcopus Regularis compaternitatem contrahere tenendo baptizatum, vel confirmatum, quod Religiosis prohiberetur? An debeat socium ex suo Ordine secum habere? An, & quomodo possit de suis bonis, & redditibus disponere, & an sit capax successionis hæreditariæ, præsertim quando est ex tali Ordine, cuius Religiosi capaces non sunt, & alia huiusmodi, de quibus latè videri possunt Sanchez & Suarez *locis supra citatis*, qui auctores alios congerunt de iis disputantes, & omnes supponentes, Episcopum illum manere adhuc substantialiter Religiosum, alioquin quæstiones illæ, ablato fundamento, omnes corruerent.

Hinc tamen oritur iam secunda quæstio 12 supra indicata, an Episcopus regularis sit verè dominus bonorum, & reddituum, quos percipit? ideo enim P. Hurtado *loco supra citato* negavit, eum manere Religiosum, quia putavit eum esse dominum suorum bonorum, ad quod dominium inhabilis antea erat per votum solemne paupertatis. Fatendum ergo est, fuisse extinctum votum illud, atque aded statum etiam religiosum, cuius essentia manere non potest sine tribus votis substantialibus. Sed, pace viri doctissimi, & mei olim in docenda Theologia Collegæ, non debuit ea de causa negare, eos Episcopos esse Religiosos; imò si alterum negandum erat, debuisset potius negare acquisitionem dominij, quàm permanentiam vinculi Professionis religiosæ, cum hoc esset multò certius, & ab omnibus absque controuersia pro certo supponeretur, quàm illud de dominio bonorum, quod à maiori Doctorum parte negabatur. Sed re vera, etiamsi concederetur bonorum dominium, non cogebatur dicere extinctam fuisse religiosam Professionem, ut statim videbimus.

In hoc ergo puncto Doctores non conueniunt; multi enim & multò plures dicunt, Episcopum Religiosum non habere dominium reddituum Ecclesiasticorum, & aliorum bonorum, sed solam administrationem, quod expressè docuit S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. ad 4. & q. 185. art. 8. ad 3. & in 4. sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 4. quæstionc. 1. ad 5. S. Bonaventura *ibi*

art. 2.

art. 2. quæst. ult. ad ult. quos sequuti sunt alij communiter, quorum 42. refert, & sequitur Thomas Sanchez *dicto lib. 4. cap. 6. num. 8.* eandem tenent Tannerus, Sanctællus, Cenedo, Barbosa, Bartholomæus à S. Fausto, quos affert Diana 3. part. tract. 2. de dubijs Regularium, resolutione 64. quibus addit alios tract. 8. de eleemosyna, resol. 31. nempe Granadum, Valentiam, Laurentium de Peirinis, Hieronymum Rodriguez, Emanuelem Rodriguez, Castrum Palaum, Coninch, & Ioannem de la Cruz: latè autem, & acriter iam probat P. Suarez *dicto tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 3. c. 19.* qui satis strictè loquitur in hac materia, inferens primò, Episcopum regularem translatum ad aliam Ecclesiam, vel dimisso Episcopatu, debere relinquere statim apud Ecclesiam, quam relinquit, omnia bona, quæ ex redditibus illius Episcopatus acquisierat: quod idem ferè dicit num. 27. de bonis aliunde acquisitis. Secundò infert, eum peccare contra iustitiam donando in malos usus, & teneri ad restitutionem ipsum, & eos, qui ab eo acceperunt. Tertio grauius eum peccare habendo suppellectilem pretiosorem, quàm quæ Episcopo regulari necessaria sit, vel notabilem pecuniæ quantitatem ludo exponendo. Quarto non posse consuetudine sola obtrineri, ut liceat Episcopo regulari testari de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, imò nec Papam posse sine multò grauiori causa eam licentiam illi validè concedere. Quintò nec de bonis patrimonialibus posse ad nutum disponere, aut testari.

14 Alij tamen non contemnendi Doctores dicunt, Episcopum regularem acquirere dominium suorum reddituum, & bonorum aliunde acquisitorum non minus, quàm Episcopum secularem. hanc sententiam docuit Sotus lib. 6. de Iust. & iure q. 4. art. 2. in fine. Petrus Hurtado acriter eam probans *dicta disp. 160. de charitate, sect. 5. subsect. 3.* P. Valquez in tract. de redditibus cap. 3. num. 27. Palacios, Michaël Medina, & Gratianus, quos affert Sanchez *dicto cap. 6. num. 7.* qui num. 13. fatetur, eam sententiam esse probabilem. Eandem tenent Alphonsus de Leone *de offic. Confessar. p. 1. recollectione 11. num. 178.* & Ioannes Marquez *de origine Erem. August. cap. 6. §. 4. & 5.* quos & alios affert & sequitur Diana *locis proximè citatis.*

15 Ego quidem quoad rem ipsam parum puto referre hanc controuersiam, imò fortasse magna ex parte reduci posse ad quæstionem de nomine, an ille appellandus sit

dominus eorum bonorum, vel non, posito semel eo, in quo ij Doctores, præter Hurtadum, conuenire videntur, quòd scilicet ille maneat verè Religiosus. Solùm enim oportet præ oculis habere, quid significetur propriè nomine *domini*; ille nimirum dicitur *dominus* absolutè, & propriè, qui potest disponere ad libitum sine vllius iniuria de rebus, quas habet: & quò plus aliquis de potestate participat, eò plus dominij habet; quo verò magis ab ea potestate recedit, eò magis à vera domini definitione degenerat. Vnde apparet, Episcopum secularem verè, & in rigore esse, & vocari dominum suorum reddituum, & aliorum bonorum saltem iuxta veriorum sententiam, quia de illis potest disponere absque vllius iniuria. E contra verò Religiosus simplex nullo modo est dominus earum rerum, quas habet, & quibus ex licentia sui Prælati utitur, quia prohibente, vel non consentiente Prælato, non potest absque iniustitia de illis disponere. Inter vtrumque habet statum medium Episcopus regularis, qui potest quidem liberè disponere sine vllius iniuria de suis redditibus, & aliis bonis, & hoc sine licentia Prælati regularis, non tamen sine licentia supremi Prælati sui Ordinis, qui est Summus Pontifex, qui simul cum Episcopatu eiusmodi licentiam ei concedit, & ideo videtur se habere quasi, si esset dominus eorum bonorum, quorum aded liberam, & vniuersalem administrationem habet. Hoc tamen vnum deficit, ne sit omnino dominus, sicut Episcopus secularis, quia non potest disponere de rebus illis sine licentia sui Prælati, qui est solus Summus Pontifex, & qui posset illam licentiam limitare, reuocare, & coarctare, sicut posset Prælati regularis licentiam, quam suis subditis concedit. Ad praxim verò parum refert, an dicendus sit *dominus* eorum bonorum, vel solùm vniuersalis administrator, cum de facto ea ferè omnia facere possit, quæ posset, si esset verus dominus, ut statim dicam, solùmque possit ferè esse differentia circa vsum suppellectilis nimis pretiosæ, ut postea videbimus. quod tamen procederet etiam fortasse, quamvis esset dominus eorum bonorum.

Quatuor ergo breuiter à nobis probanda sunt. Primum est id, quod paulò antea significauimus, votum paupertatis in Episcopo Religioso non extingui, sed adhuc eius vinculum perseverare, atque ideo neque ex hoc capite illum desinere esse Religiosum. Secundum est, quod propriè non acquirit

acquirat dominium bonorum, sed liberam administrationem ad eam amplam, ut possit minus proprie appellari dominium. Tertium est, hanc administrationem extendi ad disponendum valide in quolibet vsu, ita ut nec accipientes, nec ipse Episcopus, quamvis fortasse in eo vsu peccauerit, teneantur ad restitutionem. Quartum denique est, peccare tamen posse Episcopum regularem contra votum paupertatis in aliquo vsu inordinato suarum facultatum.

17 Primum itaque, nempe votum paupertatis in eo Episcopo non fuisse extinctum, probari in primis potest illis omnibus argumentis, quibus probauimus, eum manere Religiosum. Cum enim de substantia status religiosi sit perseverantia trium votorum, vno ex illis sublato, & extincto, extingueretur substantia status religiosi, qui essentialiter ex illo aggregato conflat. Ne tamen aliquis cum Hurtado dicat, ideo negandum esse, quod Episcopus maneat Religiosus, quia votum paupertatis non manet, cum fiat dominus suorum bonorum: addidi supra, non esse negandum illum esse Religiosum, quamvis haberet dominium suorum bonorum. Suppono enim id, quod iam apud omnes certum est, posse aliquem esse substantialiter, & proprie Religiosum, quamvis retineat dominium suorum bonorum, dum tamen in eius vsu dependeat a voluntate, & licentia sui Praelati, ut constat de facto in illis, qui in Societate Iesu emiserant sola vota biennij, qui ad tempus retinent dominium suorum bonorum, de quibus disponere licite non possunt sine licentia Praelati: & tamen pro eo etiam tempore eos esse verè, & proprie Religiosos, definitum est à Gregorio XIII. & late probant Auctores Societatis, & videri possunt Suar. tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. cap. 4. & Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 18. à num. 23. & lib. 4. cap. 24. & alij communiter. Poterat ergo Pontifex cum Episcopo regulari dispensare, ut retineret, vel acquireret dominium, quamvis maneret Religiosus, nec ad hoc necesse erat eum reddere secularem.

18 Addidi tamen secundò, neque hanc dispensationem quoad dominij acquisitionem datam iis Episcopis fuisse, sed liberam illorum bonorum administrationem. Ratio desumitur ex supradictis, quia dispensatio in voto solemnij non potest licite, nec valide à Summo Pontifice concedi sine grauissima causa: qualis certè de facto non inuenitur in omnibus Religiosis, qui

Episcopi fiunt, ut fiant Episcopi, nec Papa ad faciendos eos Episcopos quærere solet eas causas, quas quærir, & rarissime inuenit ad dispensandum in aliquo voto solemnij. Non posset autem Religiosus post solemnem votorum professionem acquirere dominium saltem licite, nisi dispensaretur in voto solemnij paupertatis à se antea emisso; suppono enim, Religiosum Professum ex duplici capite impediri ab acquirendo dominio bonorum temporalium. Primò quasi ab extrinseco quatenus Ecclesia eum inhabilem reddidit ad dominium acquirendum, & hanc incapacitatem adiunxit voto solemnij paupertatis, sicut voto solemnij castitatis annexam fecit inhabilitatem ad matrimonium valide contrahendum. Vnde quantumvis ipse Professus immemor suæ obligationis vellet acquirere dominium alicuius pecuniæ, non posset fieri eius dominus propter incapacitatem ei ab Ecclesia impositam: hanc tamen incapacitatem posset eadem Ecclesia ab eo etiam inuito auferre, quia tota prouenit ex lege Ecclesiastica. Nec hoc esset dispensare in voto, quia ipse non promisit incapacitatem, sed solum negationem actus: ablata autem ab Ecclesia hac incapacitate, ipse quidem peccaret contra votum volendo acquirere dominium, sed tamen valide illud acquireret, prout idem de facto diximus tom. 1. de Iust. disp. 3. sect. 4. num. 77. & seqq. de ligatis votis biennij in Societate posse quidem valide acquirere dominium rerum temporalium, quia Ecclesia non reddidit eos incapaces: peccaturos tamen contra votum paupertatis, si id faciant sine licentia sui Praelati.

Ex alio tamen capite Religiosus Professus quasi ab extrinseco non potest acquirere dominium licite, nimirum ratione voti paupertatis, quo promisit non solum non uti eiusmodi boni, sed nec acceptare, vel acquirere, aut retinere eorum dominium sine licentia Praelati, ita ut non solus vsus, sed dominium sit materia, quam sibi per votum solemne prohibuit, ut benè, & doctè explicat, & probat P. Suarez tom. 3. de Religione, lib. 8. cap. 5. num. 13. & seqq. quia votum solemne paupertatis obligat ex intentione vouentis ad non habendum proprium: qui autem vult fieri dominus alicuius rei, eo ipso vult habere proprietatem illius, atque ideo facit contra votum. Cum ergo Episcopus regularis maneat adhuc ligatus vinculo voti solemnij paupertatis, etiam si auferatur ab eo incapacitas habendi dominium, peccabit tamen

tamen contra votum paupertatis volendo acquirere dominium, nisi per dispensationem legitimam liberetur ab obligatione voti. Sicut, si Papa tolleret à Religiosis Professis incapacitatem solam, & impedimentum irritans matrimonium consequens, posset quidem Professus valide matrimonium contrahere; non tamen licite, nisi Papa dispensaret cum illo in voto castitatis. Sic maneret Episcopus regularis ablata solum illi incapacitate habendi dominium; posset enim illud valide acquirere, non tamen licite, nisi dispensaretur cum illo in voto paupertatis. Cum ergo dispensatio hæc in voto solemnij non debeat, nec possit sine causa grauissima dari, ut diximus, non est, præsumendum, quod Papa cum omnibus Episcopis regularibus passim dispenseret in voto, cum in multis eorum nulla ad eam grauis causa reperiatur, qualis desideratur ad dispensandum in eiusmodi voto.

20 Solum posset esse difficultas de Religioso facto Summo Pontifice, quem adhuc manere verè, & substantialiter Religiosum fatentur Suarez tom. 4. de Religion. tractat. 8. lib. 3. cap. 18. num. 4. Nauarrus, Francus, Aragon, & alij, quos affert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. dicto cap. 6. num. 9. qui fatetur eum esse tunc capacem acquirendi dominij, cum tota incapacitas in Professis proueniat ex lege Ecclesiastica, cui Pontifex non subditur; peccaturum tamen contra votum, si dominium velit acquirere. Et quidem non facile apparet, quid ei desit ad proprium, & verum dominium bonorum, quæ habet. In aliis quidem Episcopis Religiosis intelligi facile potest, eos esse solum administratores, & totam illam vtendi, & disponendi facultatem, quam habent, habere semper ex licentia, & cum dependentia à suo Praelato, qui est Summus Pontifex, quod non opponitur voto paupertatis, cum semper vtantur rebus, & de iis disponant cum licentia sui Praelati; & ideo etiam non sunt proprie domini earum rerum, quibus ex alterius arbitrio vtuntur. At verò Summus Pontifex à nemine profusus dependet, nec ulterius indiget licentia ad vtendum, & disponendum valide, & licite de suis rebus. Quid ergo deest illi, ut sit verè earum dominus, cum nihil aliud sit dominium proprium, nisi facultas plena disponendi de re aliqua in omnem vsu, sine vllius iniu-

ria, qualem potestatem Summus Pontifex perfectissimam, & in supremo gradu videtur habere? imò nec videtur posse non acquirere dominium rerum, quas accipit, quia non potest illas accipere, nisi cum eiusmodi independentia ab alterius arbitrio, in qua omnimoda independentia videtur consistere essentia, & perfectio dominij.

Adhuc tamen consequenter dicendum puto id, quod Sanchez supra citatus notauit, quamvis possit Summus Pontifex Religiosus dominium valide acquirere, si velit; peccaturum tamen contra votum paupertatis, si velit: & licet ipse non explicet, quomodo possit non acquirere dominium, possumus id aliqua ratione explicare. Et quidem cogimur modum aliquem quærere, ne dicamus, ipsum facere contra votum, quod se obligauit ad non acquirendum dominium, vel certè quod dispensat in suo voto: quod quidem difficile est, cum requiratur grauissima causa, ut diximus ad dispensandum in voto solemnij, & potest eiusmodi causa deesse, cum non desint alij, qui possint eligi in Summum Pontificem, quamvis Religiosus non eligatur, si ipse non posset eam dignitatem acceptare sine dispensatione voti paupertatis; imò nec apparet facile, à quo hæc dispensatio danda esset: nam Cardinales illum eligentes non possunt dispensare, cum Collegium Cardinalium non habeat potestatem dispensandi in voto solemnij, sed solus Papa. Ipse autem Papa prius debet esse Papa, quam dispenseret, qui est actus procedens à potestate Pontificia; illo ergo tempore, antequam cogitaret de dispensando secum in voto, vel erat, vel non erat dominus rerum, quas habebat: si erat plenè dominus, ergo violauit votum acquirendo dominium antequam votum non acquirendi dispensaret, vel acceptando eam dignitatem, cum qua erat coniuncta acquisitio dominij, quam sibi vniuersaliter, & perpetuò per votum solemne prohibuerat. Si verò pro eo tempore non erat adhuc dominus, redit eadem difficultas quid illi posset deesse ad perfectum dominium, cum haberet iam plenissimam potestatem sine dependentia ab arbitrio cuiuslibet alterius. Et quidem, sicut eo tempore potuisset esse Papa sine proprio, & perfecto dominio, potuisset etiam toto tempore sequenti absque violatione, vel dispensatione



spensatione voti solemnii paupertatis à se emissi.

22 Scio aliquos dicere, quòd dominium earum rerum tunc esset penes Christum, cui soli Summus Pontifex subditur. Hoc tamen non videtur soluere difficultatem, quia nos loquimur de dominio humano, & quod deseruit ad vsus humanos, & vi cuius dominus præfertur aliis hominibus viatoribus in ordine ad vsus earum rerum. Si enim hanc prælationem habes, eris perfectè dominus, licet non possis præferri Deo, vel Christo, qui altius dominium habent. Et quidem per votum paupertatis hoc solum dominium intendit Professus, sibi prohibere, quo præferatur aliis hominibus, non quo præferatur Deo, vel Christo. Ergo aliter hoc soleo explicare exemplo desumpto à contrario, quando duo coniuges post matrimonium consummatum, mutuo consensu profitentur Religionem; adhuc enim manet in illis vinculum matrimonij: & quamuis non possint mutuo petere, vel reddere vsus conjugalem; retinent tamen singuli dominium corporis alterius; quod dominium, & vinculum hoc saltem operatur, vt si Summus Pontifex dispensaret in eorum votis, possent, & deberent singuli alteri petenti reddere vsus conjugalem. Sic ergo in Summo Pontifice remanere potest Professio religiosa quoad vinculum: atque ita de facto perseverat votum obedientiæ quoad vinculum; quia, licet nemini obedire debeat, aut possit, dum est Summus Pontifex; id tamen est per accidens, quia tunc non habet Prælaturam: si autem renuntiaret Summum Pontificatum, ipso facto maneret subditus, & deberet ex voto priori obedientiæ obedire specialiter Summo Pontifici, & aliis, quos idem Papa illi Superiores constitueret. Manebat ergo adhuc in Papa votum obedientiæ religiosæ quoad vinculum, quia votum obedientiæ semper intelligitur cum conditione quasi implicita, obediendi Prælati, si eos habuerit: illis autem deficientibus, non deficit votum, sed materia, circa quam exsequitur mandetur.

23 Hoc ergo cum proportione debita dicere possumus de Papa religioso, perseverare in illo votum paupertatis quoad vinculum, eoque obligari ad non acquirendum dominium, quod verè, & propriè sit dominium; hoc enim est ius

disponendi de rebus omnino absolutum, & independens: quod quidem ius Papa religiosus non potest licitè acquirere, sed solum vsus, & administrationem earum rerum cum dependentia, & subordinatione ad superiores, si eos habeat; hæc enim dependentia, & subordinatio conditionalis semper in eo manet, & ratione illius, si deponat Pontificatum, non potest amplius uti rebus illis, vel de illis disponere sine licentia suorum Prælatorum, quicumque illi essent: & hæc dependentia conditionalis à Prælati sufficit, vt non sit absolutè, & plenè dominus eorum bonorum, & vt maneat adhuc votum paupertatis quoad vinculum; sicut manet matrimonium quoad vinculum in coniugibus Religiosis Professis propter obligationem conditionalem reddendi debitum petenti, si auferatur votum castitatis. Cui autem interrim acquiratur dominium eorum bonorum, facile dici potest acquiri Cameræ Apostolicæ, cui etiam acquiruntur bona, Sede vacante obuentionia, nisi tamen Pontifex ipse vel inter viuos, vel causa mortis de bonis illis disposuerit; quia eius dispositio propter amplissimam & absolutam administrationem, quam habet, valida erit, perinde ac si esset verè, & propriè eorum dominus.

Habemus autem ad hoc declarandum 24 optimum exemplum ex casu moraliter quidem impossibili, si Religiosus Professus remaneret solus in mundo, qui certè adhuc maneret Religiosus, & votorum vinculo ligatus: haberet tamen amplissimam rerum administrationem, & independentem ab omni alio Prælato, quia nullus esset: non tamen acquireret rerum dominia, præsertim si esset ex ordine Minorum Obseruantium, qui nec in communi, nec in particulari habent dominium, sed solum vsus facti. Imò loquendo de casu magis possibili, & frequenti, Religiosus Professus, perpetuò expulsus adhuc manet Religiosus, & ligatus voto paupertatis, atque aded nec licitè, nec validè potest rerum dominium comparare: habet tamen liberam bonorum, quibus vitur, administrationem, quibus non solum potest uti, sed etiam de illis validè, & licitè disponere inter viuos sine alia Prælatorum facultate, vt cum aliis, quos affert, docet Thomas Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 9. numer. 45. & sequentibus, quia nimirum pro

pro eo tempore nullum habet Prælaturam regularem, à quo dependeat. Quare nihil facit contra votum paupertatis, quod solum obligat, ne dominium acquirat, nec rebus his vitur sine licentia Prælatorum, quos habuerit. Quid ergo mirum, quòd Religiosus factus Papa, quamuis maneat ligatus voto paupertatis, habeat sine dominij acquisitione, (quod quidem validè, sed non licitè possit acquirere,) liberam, & plenam bonorum administrationem sine licentia Prælati, quia nullum habet Prælaturam, à quo dependeat? Potest tamen Papa in morte etiam de bonis disponere, quod non potest Professus expulsus, quia dispositio testamentaria secundum se non est contra votum paupertatis, si non fiat sine licentia Prælati: & tota impotentia testandi de facto prouenit ex lege Ecclesiastica, quam Papa auferre potest, & aliquando auferit, & dispensat cum aliquibus Religiosis, non tamen per hoc dispensando in voto solemnii paupertatis; ipse verò Papa eiusmodi lege non ligatur, vt constat.

25 Hinc ergo probatur iam id, quod tertio loco proposuimus, nempe Episcopum regularem, excepta facultate testandi, quam nec etiam Episcopi seculares habent, nisi specialiter Pontifex illam concedat, quoad reliqua habere ita amplam, & generalem, ac liberam bonorum administrationem, vt quomodocumque, & ad quoscumque vsus de iis disponat, validè id faciant, neque ipsi, vel illi, qui ab iis accipiunt, vllam restituendi obligationem habeant, nisi donatio facta fuerit causa mortis, vel ita paulò ante mortem, vt præsumi possit intuitu mortis facta donatio. ita docent Azor, & Nauarrus, & alij quos affert, & sequitur Sanchez dicto lib. 6. cap. 6. numer. 13. & 14. qui quoad hoc æquales faciunt Episcopos regulares, & seculares. idem docent Lorca, Granadus, & alij, quos affert, & sequitur Diana p. 5. tract. 2. de potestate Cardinalium, resolutione 64. & tract. 8. de Eleemosyna, resolutione 31. Et eandem à fortiori tenent, qui dicunt, Episcopum regularem acquirere licitè, & validè dominium bonorum, quæ possidet, quos supra retulimus.

26 Ratione etiam probari potest, in primis ab exemplo Religiosi Professi expulsi in perpetuum ab Ordine, cui Do-

ctores concedunt administrationem liberam, & absolutam bonorum, quæ habet, de quibus potest inter viuos validè disponere in quoslibet vsus. A fortiori ergo idem concedendum est Episcopo regulari, qui sanctiori titulo, & magis absoluitur ab obedientia regulari. Deinde ex vsu, & praxi vniuersali, quæ est optima legis interpretatio; nemo enim putat, se debere restituere id, quod ab eiusmodi Episcopis accipit. Cum ergo Papa possit licentiam, & administrationem cum ea vniuersalitate, & amplitudine dare, & sciat in hoc sensu ab iis intelligi, & ita ad praxim reduci; moraliter certò præsumitur, & supponitur hoc modo licentiam concedi. Nec mirum, quòd ita liberalem, & amplam administrationem iis Ecclesiæ concedat, qui in eiusdem Ecclesiæ Principes eliguntur, & quorum prudentiæ, & zelo pretiosorem animarum thesaurum, & earum gubernationem confidit, cum videamus, aliquando Pontifices nonnullis Religiosis intra claustra degentibus concedere administrationem, & liberam dispositionem aliquarum pecuniarum, vel aliquorum bonorum independentem ab aliis Prælati regularibus: quantò magis Episcopo regulari hæc libera administratio conceditur? Denique hoc videbatur omnino necessarium in Episcopo regulari, qui solum Papam habet Prælaturam, à quo difficile, imò impossibile esset licentiam toties quoties petere ad donandum, vel disponendum de re aliqua, præsertim vbi Episcopus longissimè à Pontifice distat. Quare ex natura rei licentia hæc, & administratio generalis censebatur Episcopo concessa, quam praxis vniuersalis subsequuta manifestè testatur.

Restat quartum, & vltimum, quod 27 proposuimus, nempe peccare posse Episcopum regularem contra votum paupertatis in aliquo vsu inordinato bonorum suorum. in quo quidem conuenio cum P. Suarez dicto tom. 4. de Religione, tractat. 8. lib. 3. cap. 16. numer. 30. dicente, Episcopum regularem facilius posse grauiter peccare, si supellectilem ditorem, vel familiam ampliore habeat, quàm Episcopum religiosum debeat; quia quamuis possit, & debeat Episcopalem dignitatem cum debita decencia, & honore tractare, debet tamen paupertatem, & modestiam

deftiam religiofam feruare in his, quæ dignitati Epifcopali non repugnant. Sicut etiam facilius poterit contra idem votum grauius peccare sumptus magnificos, & superfluos prophanos faciendo. Ratio autem esse potest, quia, vt dixi tom. 1. de Iustitia, disputat. 3. section. 7. num. 131. votum paupertatis ad duo potissimum obligat voutem. Primum est, ne habeat proprium, hoc est, communiter loquendo, ne retineat, vel acquirat dominium bonorum temporalium, & in vniuersum, ne vtatur bonis illis sine licentia, & voluntate sui Prælati. Secundum verò est, ne vtatur rebus temporalibus sicut diuites, & opulenti, sed sicut pauperes. Quare victus, vel ornatus, aut vestitus pretiosus, nec etiam de licentia Prælati licere possunt Religiosis Professis, qui voto suo pauperum statum profitentur. Sicut ergo Sacerdos religiosus debet viuere memor paupertatis competentis Sacerdoti pauperi: ita Episcopus religiosus debet modestè, & frugaliter viuere, vt Episcopus pauper, ita tamen vt non fordide, sed decenter Episcopi dignitatem sustineat. Si ergo ad hoc ex voto ipso immediatè obligatur, non potest sine voti dispensatione ab ea frugalitate discedere: neque ad hoc sufficit licentia, nisi accedat dispensatio voti, nam Professus non promisit solum non habere suppellectilem pretiosam sine licentia Prælati, sed absolutè promisit paupertatem in suo statu feruare. Cùm ergo supponamus, Papam non dispensare cum Episcopo religioso in voto solemnium paupertatis (ad dispensationem enim voti solemnium grauissima, & rarissima causa requiritur,) sed solum dare illi licentiam generalem ad vsum, & administrationem bonorum, non possunt excusari à voti violatione Episcopi regulares, qui pretiosa nimis suppellectile vtuntur, & quæ excedat nimis modestiam, qua Episcopus religiosus gradum propriæ dignitatis decenter, & honestè sustineat. Multoque minùs excusantur, si familiam ex parasitis, venatoribus, & musicis referam habeat, quæ vix in Principe seculari approbari possunt, longè verò à statu Apostolico Religiosi Prælati abesse debeant.

28. Restat nunc breuiter respondere ad ea, quibus P. Hurtado loco supra citato, probare conatur suam assertionem, nimirum Episcopum regularem manere omnino liberum à votis religiøsæ Pro-

fessionis. Primò ergo affert §. 56. aliquos Auctores pro sua sententia; ij tamen, vt dixi, solum dicunt, Episcopum regularem esse capacem dominij acquirendi, non tamen dicunt, non manere verè, & substantialiter Religiosum: imò quod dicunt de dominij acquisitione, explicari posset sano modo de dominio non omnino strictè accepto, sed in latiori significatione. Secundò affert præcipuum argumentum ex cap. statutum 18. quest. 1. vbi dicitur, *Statutum est rationabiliter secundum Sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem Canonica electio à iugo regulæ Monasticæ Professionis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat, sed quidquid acquiserat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat; & Abbatis sui, qui fuerat secundum regulam Sancti Benedicti, arbitrio. Postquam enim Episcopus ordinatur ad Altare, ad quod sanctificatur, & titulatur, secundum sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat.* In quibus verbis ponderat prædictus Auctor, quod Episcopus regularis dicitur legitimus heres, & vendicat sibi hereditatem paternam: ex quibus arguitur, illum absolui omnino à voto solemnium paupertatis, per quod factus fuerat incapax acquirendæ hereditatis, & eam sibi vendicandi, quo vendicandi sibi verbo significatur dominij acquisitio. Ad hoc tamen respondent communiter Doctores, Episcopo regulari auferri quidem incapacitatem successionis hereditariæ, quæ incapacitas non erat materia voti, sed proueniebat ex lege Ecclesiastica, atque ideo potuit Summus Pontifex iustis de causis auferre hanc incapacitatem ex lege prouenientem, & concedere Episcopo administrationem liberam modo supra explicato, in bonis hereditariis absque dispensatione propria voti paupertatis, quod votum satis obseruatur, quoties Religiosus nullis bonis vtitur, nec ea administrat sine licentia sui Prælati, in quo sensu intelligi debet, quod ibi dicitur, posse velut legitimum heredem vendicare sibi hereditatem paternam, nempe quoad vsum, & administrationem liberam, & ideo fortasse addita est particula *velut*, quasi non sit strictè heres, sed quasi heres: & satis id colligitur ex subsequens, quibus dicitur eum esse obligatum ad restituendum totum, quod

quod acquirat, Ecclesiæ, cui Episcopus præficitur, sicut ante Episcopatum acquisita debebat Monasterio restituere. Dicitur tamen adeundo hereditatem, illam sibi vendicare, quia adeò amplam habet facultatem bona illa administrandi, & de illis in vita sua disponendi, vt reputari quodammodo possit quasi illorum dominus, & ita possit vulgariter dominus appellari.

29. Vrger tamen Hurtado §. 62. ex verbis illis, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit; sunt enim illi duo termini, *Monachus, & Episcopus*, termini à quo, & ad quem, quorum alter motu destruitur, alter acquiritur: sicut quando ex homine fit cadauer, vel ex ligno ignis, in quibus, & aliis mutationibus destruitur homo, & lignum, vt fiat cadauer, vel ignis. Si ergo ex Monacho fit Episcopus, significatur destrui Monachatum, & introduci Episcopatum. Respondetur, particulas illas, *ex, vel de*, non semper significare terminum à quo, qui destruat, sed aliquando significare materiam, ex qua aliquid fit, vt cùm dicimus, de ligno fieri cathedram, non significamus destrui lignum. Sic etiam dicimus, ex ciuibus creari Consules, quamuis hi maneant adhuc ciues. Item ex Presbyteris fieri Episcopos, qui tamen manent adhuc Presbyteri: ex Monachis fieri Abbates, qui tamen manent adhuc Monachi. quod multò magis dici potuit in casu nostro, in quo, licet maneat Monachatus quoad substantiam Professionis, non manet quoad plures effectus, nec quoad vitam Monachalem. Sic etiam, quando duo coniuges mutuo consensu ingrediuntur Religionem, & faciunt Professionem, dicere possumus, virum illum ex vxorato factum fuisse Monachum: & tamen matrimonium quoad vinculum, non destruitur, vt constat; quia tamen non manet quoad vitam conjugalem, & quoad plures eius obligationes, id sufficit, vt dicere possumus, hominem illum ex vxorato factum fuisse Monachum. Similiter ergo dici potest hunc alium ex Monacho factum esse Episcopum, quia licet vinculum Professionis non destruat, non tamen manet quoad statum, & vitam Monachalem, nec quoad alias multas obligationes, quod sufficit abundè ad mutationem moralem illis vocibus significandam. Non est ergo vis facienda in illo loquendi modo, præsertim quando de re ipsa aliunde satis constat.

30. Arguit denique idem Hurtado §. 61. D Io. Card. de Lugo Responf. mor.

ratione à priori ex definitione dominij, quod nihil est aliud, nisi potestas vtendi re pro libito citra iniustitiam contra alium. Hoc autem totum habet Episcopus regularis circa sua bona, de quibus omnibus potest pro libito disponere; ergo est verè, & propriè eorum dominus. Hoc tamen gumentum nimis debile est, cùm æquè probaret, Religiosos alios non Episcopos, esse verè, & propriè dominos bonorum, quando nimirum habent facultatem à Prælato suo non solum vtendi, sed disponendi de illis bonis, imò aliquando habent etiam à Summo Pontifice facultatem testandi de illis, quam facultatem Episcopi regulares communiter non habent. Certum autem est, illos non esse dominos illorum bonorum, nec illis conuenire definitionem veri dominij. nam verba illa, *citra iniuriam alterius*, hunc habent sensum, & ad hoc posita sunt, vt significetur, verum dominum ita posse de re sua disponere, vt etiam quocumque alio inuito, & repugnante nulli inferat iniuriam de re illa disponendo. quod quidem Religiosus non habet: quia quantumcumque habeat sui Prælati, vel etiam Summi Pontificis licentiam, semper tamen eorum voluntati subest, & ipsis repugnantibus non potest sine iniuria de re illa disponere; quia, quidquid circa rem illam potest, id totum ex voluntate Prælati facere potest, sicut famulus disponit de rebus domini ex voluntate sui domini, & non vt earum dominus. Hoc autem ipsum procedit in Episcopo regulari; quia, licet habeat magis amplam facultatem tam circa plures res, quam ad longius etiam tempus, quam soleant alij Religiosi non Episcopi habere: id tamen totum non aliter possunt, nisi ex licentia Prælati, qui est Summus Pontifex, quo auferente, vel suspendente, aut limitante suam licentiam, non posset amplius Episcopus regularis de bonis illis disponere, nisi iuxta voluntatem Prælati, qui respectu illius est solus Summus Pontifex, vt dictum est; quæ dependentia sufficit, vt non sit verè, & propriè eorum dominus, sed solum minùs propriè, & in modo loquendi vulgari, quo etiam sensu Conuentus fratrum Minorum dici solent domini suorum mobilium, quamuis in rigore dominium non sit penes ipsos, sed penes Sedem Apostolicam.

Posset tamen aliquis adhuc vrgere ex exemplo quod adduximus hominis coniugati transeuntis de licentia coniugis ad Religionem

Religionem; hic enim emittens Professionem solemnem, adhuc retinet vinculum matrimonij, atque adeò videtur retinere dominium corporis coniugis, quamuis impeditum per votum solemnem castitatis, ne possit à coniuge debitum conjugale exigere. Sicut ergo ille manet Religiosus Professus cum dominio corporis coniugis, potuit etiam Episcopus manere adhuc Religiosus Professus cum dominio bonorum. Cur ergo non ita de facto mansit, aut cur, sicut Papa, permisit votum solemnem castitatis cum retentione dominij corporis coniugis, non permisit in Episcopo regulari dominium bonorum cum voto solemnem paupertatis in Professione antea emisso?

32. Resp. loquendo de possibili, potuisse quidem Summum Pontificem id facere, quia incapacitas dominij acquirendi est annexa de iure Ecclesiastico voto solemnem paupertatis: quare potuisset Ecclesia hanc incapacitatem ab extrinseco prouenientem auferre, & relinquere illum Episcopum capacem dominij validè acquirendi cum obligatione voti, vt non posset licitè illud acquirere sine licentia Prælati, qui est Summus Pontifex, sicut nec potest sine eius licentia administrare, vel disponere de bonis suis. De facto tamen hanc incapacitatem non abstulit. Primò, quia id necesse non erat: sufficiebat enim ad munus Episcopale libera bonorum administratio, & licentia illa generalis. Secundò, quia dominij acquisitio non solum impediatur ob incapacitatem ab Ecclesia appositam, sed etiam propter votum solemnem paupertatis, quo Religiosus interdicit sibi dominij acquisitionem, vt diximus; quare etiam ablata incapacitate, non posset licitè velle dominium acquirere, nisi dispensaretur hac in parte votum paupertatis, quæ dispensatio sine causa grauissima dari non debet. In exemplo autem coniugati trans-euntis ad Religionem est diuersa ratio, matrimonium enim non affert incapacitatem ad Professionem religiosam, nec Professio religiosa incapacitatem ad matrimonium præteritum. Nec potuit quidem Ecclesia auferre vi Professionis dominium supra coniugis corpus & matrimonium præterito, quia non potuit vinculum matrimonij contracti, & consummati dissolueri: aliunde verò noluit coniugatis claudere aditum ad conuersionem, & vitam religiosam. Fecit ergo Ecclesia quod potuit, reddens omnes Professos incapaces ad nouum matrimonium ineundum, & in-

terdicens illis vsum prioris matrimonij, quod sufficit ad substantiam voti solemnem castitatis, neque hanc incapacitatem, aut prohibitionem illis aufert, nisi dispensando in voto ex causa grauissima. Idem ergo cum debita proportione facit cum Episcopo Religioso, cui neque aufert incapacitatem ad dominium semel in Professione impositam, nec per dispensationem aufert ei obligationem voti, vt possit licitè dominium de nouo acquirere, quamuis, si necesse esset, vel grauissima causa intercederet, posset vtrumque facere. Et hæc sufficientiant de hoc puncto, de quo fortasse paulò plura diximus, propter opinionem illam singularem P. Hurtadi, qui immeritò voluit Episcopos, & Cardinales regulares à Religione omnino expellere, & ad statum merè secularem reducere.

### D V B I V M XIII.

#### *De Episcopo petente dispensationes à Summo Pontifice, vt à sua Ecclesia per aliquot menses abesset.*

**C**ardinalis quidam, qui Episcopatum celeberrimum habebat ab Vrbe remotum, cum ad limina visitanda de more venisset, & negotia priuata haberet, quæ non ita facilè poterant expediri, voluit finito tempore ad visitanda limina designato, continuare per trimestre, quod Episcopis à Concilio Tridentino conceditur, vt possit ob iustas causas abesse, ac insuper petebat dispensationem Summi Pontificis, vt postea per vnum, vel alterum mensem morari posset, vt finita ætate, (hoc enim agebatur mense Aprili,) posset ad propriam Diocesim, negotiis suæ domus expeditis, redire. Dubitatum fuit in primis, an posset Papa in residentia Episcopi dispensare: deinde, an subesset causa iusta dispensandi.

Respondi ad primum, sententiam esse magnorum virorum, qui dicunt, posse quidem Papam in voto dispensare, non tamen posse dispensare, propriè loquendo, in residentia Episcopi, sed solum interpretari, & declarare, quòd in casu occurrente reperiatur causa sufficiens ad non residendum. Ratio autem differentia est, quia dispensando in voto remittit obligationem, qua vocens se Deo obligauerat, cui obligationi Deus ipse cedere

dere potest, sicut, & ego cedere possum obligationi, qua te mihi obligasti ad dandum mihi librum. Vnde Papa Dei nomine, & vt eius œconomus, & minister, qui potestatem soluendi ab eo accepit, potest etiam interueniente iusta causa, cedere obligationi, quæ ex voto orta est. Residentia autem obligatio non oritur ex spontanea promissione, sed ex natura intrinseca officij pastoralis, quod obligat ad habendam curam de ouibus, quam curam non potest Episcopus benè habere, si non resideat, vt significauit Tridentinum *sess. 23. in decreto, de reformatione, cap. 1.* Non potest autem Papa dispensare, vt aliquis retento munere, & officio, non satisfaciat eius obligationi, sicut non potest dispensare, vt pater non habeat curam suorum filiorum, nec vir suæ vxoris, vel quòd Princeps non attendat ad gubernandos suos subditos, & sic de aliis. Sic etiam non potest dispensare, vt Episcopus, & Pastor non gubernet modo necessario suas oues, sed solum potest iudicare de sufficientia causæ ad non residendum. Ita P. Vasquez *in opusculo de beneficiis, cap. 4. § 2. art. 1. dub. 1. num. 130. & seqq. Castro Palao tom. 2. tract. 13. disput. 5. punct. 1. num. 4. & alij apud ipsos.*

3. Alij tamen videntur supponere, etiam si obligatio residendi sit de iure diuino, (quod alij negarunt,) posse tamen Papam ex causa in hac obligatione dispensare. Azor *2. tom. lib. 7. cap. 4. q. 1.* Filliucius *in Appendice, tract. 41. cap. 6. num. 27.* Ego partim cum vtraque sententia sentio; ex duplici enim iure nascitur in Episcopo obligatio residentia, nempe ex iure naturali diuino, quam obligationem affert munus Episcopale; atque etiam ex iure positio Ecclesiastico, quo prohibentur Episcopi abesse à sua residentia. Quamuis ergo Papa non dispenset in prima obligatione iuris naturalis, propter argumentum à prima sententia adductum; potest tamen auferre obligationem prouenientem ex iure positio humano, quod etiam necesse est auferre, vt Episcopus licitè absit à residentia. Sicut ad hoc vt Catholicus licitè ducat in vxorem sceminam hæreticam, datur impedimentum iuris naturalis propter periculum peruersionis, & propter malam proles educationem, & alia similia: & datur etiam impedimentum ex lege Ecclesiastica illud matrimonium prohibente. Nec sufficit, quòd cesset obligatio orta ex iure naturali, prout aliquando cessat, cessante omni periculo, vel propter maius bo-

num Religionis, quod ex illo coniugio speratur: sed tamen necesse etiam est, quòd Papa dispenset in lege Ecclesiastica, saltem vbi ea lex recepta inuenitur. Sic ergo Episcopus non potest licitè discedere à sua residentia, etiam si causa subsit, ob quam cessat obligatio iuris diuini, nisi in casibus à Sede Apostolica generaliter concessis, vel cum dispensatione Summi Pontificis. Poterat ergo Papa hanc obligationem prouenientem ex iure positio Ecclesiastico auferre, & quoad hanc partem dispensare, & quoad obligationem iuris diuini interpretari, quod in hoc casu cessaret ob rationes peculiare in eo concurrentes. Difficultas ergo tota in hoc solum esse poterat, an concurrerent causæ tales, ob quas prudenter iudicari posset, cessare obligationem iuris diuini, vel naturalis.

Et quidem non vna, sed plures rationes occurrebant, quæ facultatem illam iustificare poterant. Prima erat necessitas assistendi in Vrbe liti grauissimæ circa feuda, & bona stabilia maximi pretij: quæ causa, licet à Doctoribus in specie non afferatur, videtur tamen afferri in æquivalenti, quatenus inter alia exempla afferunt etiam necessitatem curandi sanitatem in morbo, quam dicunt excusare, posse à residentia per aliquod tempus, vt fatetur Azor *dicto cap. 4. q. 4.* & includi videtur nomine necessitatis, quam Tridentinum loco supra adducto dixit esse causam legitimam non residendi: quam causam minùs propriè idem Azor paulò antè retulit ex Concilio Tridentino sub nomine *communis necessitatis*. Nam neque Concilium nominauit *communem necessitatem*, sed *necessitatem*: neque morbus Episcopi curandi est communis necessitas, sed priuata ipsius Episcopi. Dixi autem, huic causæ æquialere necessitatem assistendi liti, in qua de maxima bonorum iactura agitur, frequentius enim inuenias homines prudentes, qui eam ob causam paululum à propria domo, & ciuitate aliò se transferant, quàm qui solius valetudinis causa id faciant. Si ergo morbi curatio æstimatur causa sufficiens ad absentiam, non video, cur procuratio litis tanti momenti, sufficiens non sit ad eam absentiam tempore breui indulgendam. Vnde videbatur etiam interuenire aliquomodo causa, quam Tridentinum nominatim approbavit, nempe *Christiana charitas*; hanc enim breuem assistentiam exigebat charitas erga propriam familiam illustriissimam, & cui pauca inueniebantur in tota Italia pares, quæ ex litis illius suc-



cessu magna ex parte pendeat ad proprium statum conseruandum.

5 Tertia aderat causa, nempe probabilis timor scandali futuri, & discordiarum, ac dissensionum grauium, quæ facile oriri poterant in loco residentia inter Episcopum Cardinalem, & alium Cardinalem Legatum à latere, qui eo tempore ibi aderat paulò post discessurus. Cùm ergo Doctores inter causas non residendi enumerent graues inimicitias, vt Azor loco citato, & alij communiter; non apparet, cur probabilis earum timor, & scandali futuri non possit absentiam iustificare ad breue saltem tempus, quale in hoc casu petebatur. Imò ad Summi Pontificis prouidentiam spectare videbatur, ad præcauendum hoc periculum, Episcopum aliquandiu in Vrbe retinere.

6 Accedebat quartò spes futuræ utilitatis, si Cardinalis ille in Vrbe eo tempore commoraretur, quo is multùm prodesse poterat ad conciliandum Pontifici Principem secularem magni nominis, qui breui sperabatur, & cum quo Cardinali illi arcta erat necessitudo, & sanguinis etiam coniunctio: & ratio hæc iam videbatur ad communem Ecclesiæ utilitatem accedere. Denique dignum consideratione erat, parum satis esse id totum, cuius dispensatio petebatur. Venerat enim iure suo ad limina: postea continuare volebat trimestre, quod ex causa singulis annis Episcopo conceditur, & postea sufficiebant illi tres alij, vel quatuor menses. Quamuis enim fortasse non posset Episcopus propria auctoritate coniungere trimestre sibi ex causa permissum, & illo frui immediatè post menses ad visitanda limina concessos: ex dispensatione tamen id videbatur licitum. Hæc autem dispensatio videbatur leuiter opponi legi, cùm non tangeret substantiam absentia, sed circumstantiam continuationis, vt posset continuari tempus absentia, quod cum interruptione posset sine dispensatione haberi.

7 His itaque ponderatis, quamuis singula fortasse non sufficerent, omnibus tamen concurrentibus, dixi, posse licitè, & prudenter licentiam à Pontifice concedi; curandum tamen omnino, ne interim Ecclesiæ propria ob Episcopi absentiam detrimentum pateretur: prout ea cura adhibita Pontifex licentiam pro certo, ac limitato tempore concessit.

\*\*\*

#### D V B I V M XIV.

*An Episcopus non consecratus possit sine dispensatione ducere exercitum.*

**I**N hoc puncto aliqua sunt communia, aliquid tamen erat, quod ob circumstantiam personæ specialem difficultatem præferebat. Primò ergo concedunt Doctores, posse Clericos, ac proinde etiam Episcopos, de quibus non apparet specialis difficultas, pugnare suis manibus immediatè, occidere, mutilare, & ducere exercitum, ac præesse iis, qui machinas, vel tormenta bellica dirigunt, nec incurere vllam irregularitatem, quoties bellum necessarium est ad defensionem propriæ vitæ, & personæ, vel patriæ, & boni communis. videantur Suarez tom. de censuris, disp. 47. sect. 6. num. 1. & 2. Coninch de fide, spe, & charitate, disput. 31. dub. 6. num. 91. Molina tract. 2. de iustit. & iure, disput. 108. & tract. 3. disput. 73. Lorca de charit. sect. 3. disput. 51. Addunt aliqui, idem procedere posse aliquando in bello iusto aggressiuo, quando id necessarium esset ad obtinendam victoriam, à qua pax, salus innocentium, & bonum Ecclesiæ dependet. ita Molina locis citatis, & Coninch dicto dub. 6. num. 91. tunc enim Clericus, qui aliàs iusto titulo aderat bello non pugnaturus, nec exercitum ducturus, cùm videat ad eum statum esse reductum, videtur iam non aggredi, sed defendere se, vel causam publicam. Extra hos verò casus clericus in sacris non potest propria manu pugnare, vel exercitum ducere, aut machinis præesse. Quod idem dicunt de habente, & retinente beneficium Ecclesiasticum, etiamsi non sit in sacris, Suarez num. 7. Coninch num. 87. Molina dicta disput. 108. sub fin. Lezana tom. 3. verb. bellum, num. 20. & alij, quos afferunt. Cùm ergo Episcopus, etiam si non sit consecratus, nec in Sacris, habeat tamen beneficium Ecclesiasticum, & quidem præstantissimum, non videtur, posse ducere exercitum etiam in bello iusto, sicut nec potest pugnare propria manu, nisi id faciat de licentia Summi Pontificis, vel in casibus suprà assignatis.

Difficultas tamen specialis erat, quia ille, de quo quærebatur, habuerat à Summo Pontifice priuilegium, quo dispensabatur, vt posset etiamsi fieret Episcopus, gaudere, & vti omnibus gratiis, priuilegiis,

&c

& indultis certi Ordinis militaris, & habere in illo vocem actiuam, & passiuam, quamuis eius habitum non susciperet, nec in eo Professionem emitteret; imò de facto habitum suscepit, & Professionem emisit. Cùm ergo milites illius Ordinis possint pugnare, & exercitum ducere; hoc etiam poterit ille Episcopus. Dixi tamen, eam dispensationem ad casum nostrum non extendi: neque enim mens Summi Pontificis fuit dispensare in legibus Episcoporum, sed in legibus illius Ordinis militaris, vt posset eius priuilegiis, & indultis frui, & capax esset electionis actiue, & passiuæ, quamuis nec Professionem fecisset, nec habitum suscepisset, aut gestaret: non tamen dispensauit, vt quamuis esset Episcopus, non seruaret leges Episcopis impositas. Imò, si res attentè expendatur, gerere arma, & pugnare non est computandum inter priuilegia illius Ordinis, cùm ea omnia facere possint alij, qui ex eo Ordine non sunt, sed potius sunt onera militibus illius Ordinis imposita. Cui ergo conceditur frui priuilegiis illius Ordinis, etiam habitu non suscepto, non censetur per hoc concedi, quòd possit pugnare in bello, quamuis Episcopus sit, sicut pugnant milites illius Ordinis: nam illi non pugnant ex priuilegio, sed ex obligatione. Et de facto videmus Cardinales, aliquot Professionem emittere in Ordine S. Ioannis Hierosolymitani, vt aliquam eius Ordinis Commendam pinguem, vel Prioratum habeant, & fruuntur quidem priuilegiis illius Ordinis, non tamen obligantur ad militandum in classe Marina illius Religionis, prout tenentur alij omnes facere per aliquot annos, antequam vllam Commendam obtinere possint: quæ exemptio non est exclusio ab aliquo priuilegio, sed potius nouum priuilegium, vt possint frui priuilegiis, & emolumentis Ordinis, non subeundo eius onera. Nec vllus putauit, eos Cardinales, quia Professionem emisissent in eo Ordine, posse per se ipsos pugnare sine noua Summi Pontificis licentia.

3 Consului ergo, vt si id ad bonum publicum expedire iudicaretur, petatur licentia, & dispensatio specialis à Summo Pontifice, qui in primis facile concedet, quòd aliquando in functione aliqua publica, & solemnè possit procedere armatus, sicut de facto id habent Episcopi aliqui ob annexum Principatum, vel statum temporalem in aliquibus locis, in quibus ex antiqua consuetudine, & concessione ita fieri solet. Difficilius concedetur, quòd ducat exer-

citum, vel pugnet per se ipsum. Si tamen bonum Religionis, & Ecclesiæ utilitas id poscat, credebam concedi posse, vt in bello contra infideles, vel hæreticos, id sine peccato, vel metu irregularitatis facere possit. Hoc enim Pontifices antiqui, & moderni concesserunt sæpius multis Cardinalibus, quos Legatos, & Vicarios suos destinarunt ad gerenda bella contra rebelles Ecclesiæ, quorum exempla passim in Annalibus Ecclesiasticis inueniuntur.

#### D V B I V M XV.

*An posset Summus Pontifex creare Episcopum Titularem eum, qui non habebat doctrinam, qua pro Episcopis petitur à Tridentino.*

**V**erba Concilij Tridentini sess. 22. c. 2. de reformat. sunt hæc: *Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, etate, moribus, & vita, ac aliis, quæ à sacris Canonibus requiruntur, plenè sit præditus, verum etiam in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus. quarum rerum instructio, si eius notitia nulla, aut recens in Curia fuerit, à Sedis Apostolicæ Legatis, seu Nuntiis Præuinciarum, aut eius Ordinario, eoque deficiente, à vicinioribus Ordinariis sumatur. Scientia verò præter hæc eiusmodi polleat, ut numeris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicuius Academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quòd si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.* Hæc ibi. Cùm ergo ageretur de promouendo ad Episcopatum titularem Regulari quodam sanguinis splendore inter Principes Europæ familias recensendo, qui tamen eum doctrinæ gradum planè non habebat, hæsitauit Summus Pontifex, an posset licitè ad eam dignitatem designari.

Obstabat in primis locus ille Tridentini, in quo generaliter de omnibus Episcopis sermo esse videtur, sine distinctione Episcopi Titularis ab aliis Episcopis: deinde, quia Episcopus Titularis, licèt de facto non habeat subditos, quia in ciuitate sui tituli omnes sunt infideles; re tamen ipsa ius habet ad exercendam iurisdictionem in illos, si fideles fiant, vel in alios fideles, qui

qui illuc de nouo venerint. imò in litteris suæ Bullæ admoneri dicuntur à Summo Pontifice, vt quamprimum eis liceat, ad suam Diœcesim se transferant, vt suum Episcopale munus exercent. In ipsa etiam consecratione dicitur eis à consecrante, sicut aliis Episcopis, *Accipe Euangelium, & vade, prædica populo tibi commissio, &c.* Vnde proculdubio, quamdiu non renuntiant titulo, adstricti sunt vinculo spirituali Ecclesiæ sibi assignatæ, nec transferuntur postea ad aliam Ecclesiam in partibus fidelium, nisi prius Pontifex eos absoluat à vinculo prioris Ecclesiæ, cuius titulum habebant. de quibus videri possunt ultra alios P. Vasquez 3. *tomo in tertiam partem, disput. 24. cap. 1. num. 6. & seqq.* & Petrus Bollandus in *œconomia Canonica, classe 3. cap. 2. §. 4.* Et quidem, quamuis P. Suarez *disp. 1. 1. de fide, sect. 1. num. 18.* dicat, Episcopos Titulares, per se loquendo, non esse necesse, quòd vocentur ad Concilia, quia carent iurisdictione Episcopali, & ita esse in vsu ipse tamen fatetur, posse sine dubio vocari, & habere suffragia: alij tamen simpliciter, & absolute fatentur, eos ius habere veniendi ad Concilia, Iacobatus *de Concil. lib. 2. art. 2. & Azor part. 2. lib. 5. cap. 1. §. 4.*

Denique pro hac parte non parum mouebat, quòd, in rigore loquendo, Episcopus Titularis, eodipso, quòd titulum accipit, & Ecclesiæ præficitur, videtur esse approbatus ad audiendas confessiones. Nam Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15.* solum petit ad hanc idoneitatem, quòd vel Parochiale beneficium habeat, vel ab Episcopo medio examine, vel aliàs, si idoneus iudicetur, approbationem obtineat. Nominè autem *beneficij Parochialis* in hoc loco omnes intelligunt comprehendendi etiam Episcopatum, nec facile apparet, cur non comprehendantur Episcopi Titulares, quamdiu titulum, vel Ecclesiam non renuntiant. Ratio enim eadem est de illis, ac aliis Parochis, quos ideo Concilium noluit alia approbatione indigere, quia quando Parochi sunt facti, indicati iam sunt idonei ad audiendas confessiones suarum ouium. quæ ratio cum proportione procedit in Episcopo Titulari. Si enim ciuitas illa, cuius Episcopus nominatur, quæ nunc est infidelium, recuperaretur interrim à fidelibus, ille idem esset eorum Episcopus, & absque noua approbatione posset eorum confessiones audire; iam ergo iudicatus est idoneus ex parte sua ad audiendas confessiones: quare ille, qui facultatem haberet eligendi sibi Confessa-

rium approbatum, videretur quòd posset eligere hunc Episcopum Titularem, sicut eligere potest quemcumque Parochum illius loci, aut Diœcesis. Hinc ergo oriebatur ratio dubitandi in casu nostro, in quo non constabat de idoneitate, & doctrina sufficienti illius personæ ad audiendas confessiones; quare non videbatur eligi posse ad Episcopatum titularem, per cuius collationem eo ipso censeretur approbatus ad audiendas confessiones omnium, quicumque possent eligere Confessarium approbatum.

Omitto obligationem generalem eligendi digniores ad Prælaturas, & Dignitates Ecclesiasticas, de qua dixi latè *tom. 2. de Iustis, disput. 35. sect. 2.* cui obligationi non videtur fieri satis, dum omisis tot aliis viris doctis eligitur ad Episcopatum homo clarè indoctus. hoc, inquam, scienter omitto, quia hæc electio, neque est in præiudicium Ecclesiæ, cum nulla sit Ecclesia, cui præesse debeat, nec vllæ animæ, quarum debeat curam gerere. Nec etiam est in præiudicium aliorum digniorum, qui prætermittuntur: nam electio huius, nullius alterius dignioris electionem impedit; sunt enim tot alij tituli similes vacantes in partibus infidelium, vt quemcumque alium digniorum velit Papa in Episcopum Titularem eligere, nunquam timeri possit, quòd ob defectum tituli vacantis illum alium digniorem non eligat. Cessant ergo in hoc casu rationes, quæ obligant ad electionem dignioris.

Pro contraria tamen parte multæ rationes occurrebant, quibus suaderi poterat Pontifex ad hanc personam eligendam, nempe splendor familiæ illustrissimæ, & de ipso Pontifice non parum bene merita, ob quæ moraliter fieri non poterat, vt maneret in communi Regularium vita sine multis priuilegiis, & exemptionibus, quæ religiosam Observantiam non parum lædere poterant, & perturbare pacem internam, cum inæqualitas ipsa inter sodales redderet illum odiosum, & offendere sæpe posset fraternam charitatem cum scandalo domi, & foris, & ipsius Ordinis dedecore, cui malo obuiari moraliter non poterat, nisi illum honesto titulo extrahendo à communi Regularium vita, quam si intra Monasterium non teneret, prout moraliter teneri non poterat, maiori sanè & religionis, & disciplinæ detrimento id fieret, quàm si in statu Episcopali commoda aliqua, & pompam honestam haberet, quæ Episcopum religiosum non dedeceret.

Ad

6 Ad ea autem, quæ in contrarium opponerentur, videbatur facile posse responderi. Ad id enim, quod primo loco afferebatur de doctrina ad Episcopatum requisita, non video in praxi eundem doctrinæ gradum requiri ad Episcopatum merè titularem, qui requiritur ad alios iurisdictionem habentes. Nam cum Romæ ex decretis Pontificiis nemo ad Episcopatum vllum in Italia, vel in Sicilia proponi possit, nisi præuio rigoroso examine, quo coram Summo Pontifice, & multis Cardinalibus, ac aliis Doctoribus circa doctrinam examinatur: id tamen circa Episcopos Titulares non obseruatur. Nec ex natura rei apparet, cur tanta doctrina exigatur in eo, de quo non est moralis spes, quod aliquam iurisdictionem debeat vnquam exercere, vel vllam animarum curam gerere; regula enim generalis est, eam litteraturam, & doctrinam in singulis beneficiariis requiri, quæ necessaria est ad officio, quod illi beneficio annexum est, satisfaciendum, vt cum aliis docet Filiucius in *Appendice, tract. 4. cap. 5. §. 8. num. 34.* Ad Episcopatum ergo merè titularem, in quo nulla iurdictio exercetur in foro externo, vel interno, sufficit ex natura rei doctrina necessaria ad Pontificalia exercenda, in quo solum Episcopi titulares solent adiuuare alios Episcopos. Quare, in rigore loquendo, doctrina sufficiens ad Ordinem sacerdotalem, videtur etiam sufficiens ad Episcopatum titularem. Multò enim maioris momenti esse videtur consecratio Eucharistiæ, quod est dignissimum, & supremum omnium Sacramentorum, quàm consecratio Altaris, vel alia similia, quæ solent Episcopo Titulari committi, præsertim cum in his assistat ei semper ceremoniarum Magister, à quo, si fortè erraret, corrigi facile potest: qua assistentia in Missæ priuatæ celebratione caret. Qui ergo tantum habet doctrinæ, vt approbetur ad Missam quotidie celebrandam, prout ille, de quo agitur, approbatus erat, & celebrabat; facilius videtur posse cum eo doctrinæ gradu approbari ad reliqua munera Episcopalia celebranda, quæ iurisdictionem non inuoluunt.

7 Quod verò opponebatur, Episcopum Titularem verè habere iurisdictionem in Ecclesia sibi commissa, quandiu titulo non renuntiat, posseque illam ibi exercere, si adsint subditi: hoc, inquam, reduci potest ad quæstionem de nomine. Quare aliqui dicunt, illum habere quidem iurisdictionem habitu, non actu, quod est dicere,

habere potentiam ad habendam iurisdictionem, si habeat subditos, quorum defectu eam actu non habet. Hic autem modus habendi subditos non videtur considerandus ad doctrinam maiorem exigendam, cum non sit morale periculum erroris committendi in vsu iurisdictionis, quando non est spes moralis, quòd talis vsus ponendus sit: nam, vt rectè considerauit loquens de Episcopo Titulari Azor *vbi supra dicto cap. 1. §. 4. Quemadmodum Parochialis Ecclesia, quæ habitu tantum, & non actu populum, & curam habet, in iure pro Parochiali non habetur: sic Episcopi Titulares dumtaxat, quia titulum tantum habent, non Diœcesim sibi subiectam, pro Episcopis, quod attinet ad iurisdictionem, non habentur in iure.* Hæc ille. Ex quibus inferri videtur, quòd sicut ad beneficium, quod non habet curam animarum actu, sed habitu, eo quòd non habeat actu populum, non requiritur doctrina, quanta, & qualis desideratur in Parocho habente actu curam animarum; ita in Episcopo Titulari non habente actu Diœcesim, & iurisdictionem, non debet peti doctrina necessaria Episcopo iurisdictionem, & Diœcesim non solum habitu, sed actu habenti.

Quod verò additur de iure, quod habet Episcopus Titularis suffragij ferendi in Concilio generali, multi id negant, & quidem vsus videtur esse, quòd non vocentur, nisi Papa aliquem specialiter voluerit vocari: & in serie Episcoporum, qui interfuerunt Concilio Tridentino, quæ habetur post idem Concilium, non inuenio nomina vllorum Episcoporum Titularium. Quare ex hac parte non apparet periculum morale dandi ius suffragij in Concilio Episcopo minùs idoneo, præsertim, cum hoc tempore non facile possit occurrere proximè occasio conuocandi Concilium generale. Neo etiam omnes Episcopi, qui ibi interfuerunt, possint per se ipsos examinare dogmata fidei, sed auditis Theologis, & eorum sententiis, decernunt, cum magna ex parte ipsi Episcopi Theologi non sint. Ad alia verò negotia tractanda, quæ spectant ad meram gubernationem, fortasse non erat minùs aptus ille, de quo agebatur, quàm alij multi Episcopi habentes Diœceses, propter notitiam rerum humanarum, quam in variis Europæ Prouinciis comparauerat. Sed re vera nullum erat periculum, quod ad Concilium generale vocaretur.

Denique difficultati illi ex insufficientia doctrinæ necessariæ ad audiendas Confessiones,

ffessiones, ad quas tamen audiendas videbatur declarari idoneus, & approbati eo ipso, quod fiat Episcopus Titularis, occurri poterat. Nam in primis dubitari poterat, an Episcopatus merè titularis comprehenderetur in decreto Tridentini, in quo declarantur idonei ad Confessiones audiendas, qui habent beneficium Parochiale. Sicut enim non censetur in iure beneficium Parochiale illud, quod habitu tantum, & non actu populum, & curam habet, ut paulò antè vidimus, ita dici posset, non intelligi sub eo nomine Episcopatum merè titulari, qui habitu, & non actu subditos, & iurisdictionem habet. Quidquid tamen sit de hoc, poterat huic periculo occurri prohibendo illi, ne etiam factus Episcopus Titularis, audiret Confessiones aliquorum, nisi prius ad eas audiendas examinaretur, & approbaretur. Hoc enim modo non posset iam eligi in Confessarium etiam ab iis, qui possent sibi eligere quemlibet Confessarium approbatum.

10 Propter has rationes dubius hæsit Summus Pontifex & iussit, rem totam diligenter, & attentè disputari, & examinari à Doctissimis Theologis, & Prælati coram Eminentissimo quodam Cardinali; qui omnes post longum, & diligens examen, ac disputationem in eam conuenere sententiam, ut Summus Pontifex, si vellet, eum promoveret ad Episcopatum Titularem: tribus tamen conditionibus obseruatis. Prima, ut vocato ad se Episcoporum examinatore, eius conscientiam grauitè oneraret, eique imponeret, ut diligenti examine adhibito, videret, an ille, de quo agebatur, eam doctrinam haberet, quæ sufficeret ad exercenda Pontificalia. Secunda conditio erat, ut idem Pontifex eum suspenderet, seu inhabilitaret ad audiendas Confessiones, donec specialiter ad hoc munus examinaretur, & approbaretur. Tertia denique erat, ut acceptaretur oblatio, qua offereretur capitale pecuniæ sufficiens ad fundandos redditus annuos perpetuos 300. aureorum, qui pro missionibus ad conuertendos infideles deseruiant; quæ omnes conditiones approbante, & iubente ipso Pontifice, obseruatae sunt. Potuisset autem fortasse alicui hæc vltima conditio difficultatem ingere, ne in ea aliqua simoniæ species lateret, si pro pecunia ad pios vsus oblata concederetur dignitas Episcopalis, quæ spiritualis est, in qua quidem simonia Pontifex dispensare non posset, nec simoniæ labem auferre, quia esset iuris diuini, cum dignitas Episcopalis de iure diuino sit

inuendibilis: nec posset Pontifex in hoc casu separare temporale à spirituali, ut facit in aliis beneficiis, quando admittit resignationes beneficiorum cum pensionibus, vel etiam cum obligatione redimendi pensiones pecunia numerata præsentis; quia in casu nostro nullum prorsus erat emolumentum temporale in Episcopatu, qui confertur, nec vlli redditus, vel fructus, sed mera dignitas, & titulus Episcopalis. Quare quidquid temporale ab Episcopo exigeretur, vel acciperetur, videretur id totum exigi pro solo titulo, & dignitate Episcopali, quæ inuendibilis est.

Hoc tamen facilè solui potest exemplo compositionis pecuniariæ, quæ exigitur à petente dispensationem ad matrimonium cum consanguinea, vel cum affine contrahendum, quæ dispensatio est merè actus iurisdictionis spiritualis, & de iure diuino inuendibilis. Quare compositio illa pecuniaria non petitur, ut pretium dispensationis, sed ut conditio ad iustificandam causam concessionis, seu dispensationis. Quid enim magis spirituale, & inuendibile, quam Indulgentiæ: quæ tamen passim in Iubileo solemni concedi solent sub conditione iis, qui ieiunauerint tribus diebus, & elemosynas dederint. Et in Bulla Cruciatæ conceduntur multæ indulgentiæ, & facultates ad absolutionem obtinendam à casibus reseruatis, & alia priuilegia spiritualia, quæ omnia conceduntur sub conditione dandæ certæ elemosynæ ad subsidium belli contra infideles gerendi, non quod Indulgentiæ, & facultates vendantur pro illa pecunia, absit; sed quia elemosyna, & opus illud pium est conditio, & causa iustificans dispensationes, & concessiones in Iubileo, vel Cruciatæ contentas, quæ sine causa sufficienti concedi licitè non possunt. Idem ergo in casu nostro fieri potuit, in quo fundatio illorū reddituum non erat vlllo modo pretium Episcopalis dignitatis, sed opus piū in Dei honorem, & religionis augmentum, quod fundatorem ipsum magis dignū reddebat illius Ecclesiastici honoris accipiendi. Sicut qui propriis expensis erigit beneficium Ecclesiasticum, eique perpetuos redditus assignat, dignus sit, ut ei ius patronatus concedatur, & potestas præsentandi beneficiarios, quoties beneficium illud vacauerit, quæ potestas proculdubio spiritualis est, & inuendibilis, nec Pontifex illam vendit, sed ut alliciantur laici ad dotandas Ecclesias, & erigenda beneficia, vult illis ius patronatus concedere, & facultatem præsentandi. Idem ergo ob similem

rationem

ratione potuit facere in casu nostro, in quo, dixi, nullū redundabat Ecclesiæ præiudiciū ex ordinatione eiusmodi Episcopi titularis.

D V B I V M XVI.

An, & quomodo consentire posset Episcopus, ut Abbatia quadam separaretur ab eius dignitate Episcopali.

1 Episcopus quidam habebat incorporatæ suæ dignitati Episcopali Abbatiam cuiusdam Monasterij, & eius prouentus, cum onere alendi Monachos, & erogandi supra necessarios ad cultum diuinū ibidem sustinendū. Desiderabant Monachi habere Abbatem Monachū ex ipsis, atque adeo, quod separaretur Abbatia ab Episcopatu. Episcopus non repugnabat, sed libenter onus illud gubernandi Monachos à se abiecit; quæsiuit tamen, an posset cōsensum præstare, & an id corā Deo expediret: item qualè tunc, & quantā reddituum portionē pro Abbatis, & Monasterij alimētis deberet assignare, cuius portionis separatio cōsequenter faciendā erat à mensa Episcopali: supponebatur autem, id totū non propria auctoritate, sed Summi Pontificis consensu faciendum esse.

2 Dixi, in primis regulariter, & cōmuniter loquendo, magis expedire, quod Monachi à Prælato Monacho regantur, qui sub eadē regula, & disciplina militans, multò meliùs eam notā habebit, & verbo pariter, ac exemplo poterit subditos ad profectiōnē, & regularem obseruantiam dirigere: idcirco beneficia regularia conferri non posse, nisi Religiosis illius Ordinis, statutū est in Concilio Trid. sess. 14. cap. 10. quo loco sacra Congregatio Concilij de hoc interrogata respondit die 12. Decemb. ann. 1585. posse quidē ordinarios Collatores conferre portiones Monachales, & Canonicales, & similia simplicia beneficia Regularibus prouideri consueta non solum eius Ordinis Professis, sed etiam secularibus, qui habitū suscipere, & Professionē emittere omnino teneantur: Abbatis tamen, & beneficia administrationē habentia, non nisi Professis, iuxta canones per Ordinarios inferiores conferri posse; imò apud aliquos, si eligatur in Abbatē huius Monasterij Monachus eiusdem quidem Ordinis, sed Professus in alio Monasterio, necesse est, quod prius huic secundo Monasterio aliquandiu hæreat, & Professionē nouam illic emittat, antequam Abbas ibi sit, ut ex c. Abbatē, de verb. signific. colligit Panorm. ibi n. 4. Tanti referre existimatū fuit, quod Monachi regerentur ab Abbate, qui omnino Monachus eiusdē omnino Professionis esset. Et quidem meritò, quia meliùs notam habebit

D. Io. Card. de Lugo Respon. mor.

regulæ obligationē, quàm Abbas, vel Prælati secularis: & meliùs sciet remedia opportuna applicare morbis religiosis. Adde, si à seculari Abbate regatur, occasionem magnā dari Monachis vagandi, & aequi frequenter ad Palatiū Episcopi, à quo in omnibus, ut ab Abbate, dependent, & ad quem in omnibus debent recurrere. Datur etiā iis occasio ambitionis non solum apud Episcopum, sed apud eius ministros, & domesticos, quos facile precibus, & muneribus sollicitabunt, ut per ipsos obtineant ab Episcopo, quæ desiderat: quæ pestis est religiosæ, & Monasticæ disciplinæ. Expediit ergo ad bonū regimē Monachorum, quod Abbatē habeant regulare ex eorū gremio, à quo regantur, nisi in casu aliquo raro, in quo adeo dissoluri esset Monachorū mores, ut sub Abbate proprio timēdū meritò esset, ne maiore peccandi licentiā sibi acciperent, quàm si ab Episcopo, tanquā ab Abbate dirigi, & coerceri possent; quod rarissimum esset, & tunc expediret fortasse magis religiosum illum cœtum extinguere, quàm sub Religionis nomine eiusmodi licentiam, & morum relaxationem sustinere.

3 Addi, separationem illā vtilem esse posse, ad vitandū fomitem, & segetē assiduam querelarum, & litium; experientia enim cōstat, quandiu non taxatur id, quod Abbas secularis dare debeat pro victu Monachorum, & pro cultu diuino, ac expensis Ecclesiæ; semper Monachos de Abbate conqueri, quod debito suo non satisfaciatur: contra verò Abbatem conqueri de Monachis, quod nimis lautè viuere velint, nec possit eorū importunis petitionibus satisfieri. Vnde Abbates Cōmendatarij iam ferè ad certā summam obligationem illam reduci curarunt: imò & vidi aliquando datam fuisse illis ex pacto pecuniam ad Monasteriū alio loco ædificandum, ne ibi remanentes possent saltem circa habitationem, & eius reparationem lites quotidianas mouere; hanc ob causam, cum olim diuisæ fuissent partes reddituum pro Episcopo, pro Capitulo, pro fabrica Ecclesiæ, & pauperibus: postea tamen experientia docuit hanc totius massæ diuisionem Seminariū esse perpetuum querelarum, & litium, quasi nō benè singulis portiones suæ distribueretur: ideoque semel diuisio facta fuit, & portiones singulis assignatæ, quo pacto controuersie cessarunt, nunquā alioquin cessaturæ: quod multò magis in casu nostro timeri potest, cum Monachis semper odiosū sit, quod facultates sui Monasterij à secularibus administrerentur, à quibus dependere debeant in suarū necessitatū subleuatione, quibus quidquid subtraheretur, in maiore Episcopi vtilitatē cedere debet. Hoc autē aliter impediti

E c non



nō potest nisi taxando semel id, quod Monachis dari debet, & quod ab ipsis suo cōmodo, vel damno administrandum erit.

4 Qualis autem, & quanta eiusmodi portio assignanda sit, quæstio magis est facti, quàm iuris; debet enim prudenter considerari, qui, & quanti sumptus fieri soleant in victu, & vestitu Monachorum, & in cultu diuino, in ædiū, & fabricæ reparatione, & aliis omnibus, ad quæ Abbas solet, & debet cōtribueret. Ad quos omnes sumptus assignari debent redditus sufficientes, & bona stabilia, quæ eos redditus afferant, debent ad hunc finem separari, & Monachis consignari, vt ab ipsis deinceps tanquam propria administrantur. Debent autem, meo iudicio, eiusmodi bona ad eum finem eligi, quæ magis securos prouentus habeant, & minùs sint periculis exposita, tã quoad redditus annuos, quàm quoad capitale, & substantiam bonorum; imò electio, & optio videtur ipsis Monachis competere, vt intra eam summã eligant sibi ea bona stabilia, quæ magis secura esse existimabunt. Ratio autem est, quia nunc Episcopus primo loco tenetur prouidere Monachis, & Monasterio in iis omnibus, nec potest sibi retinere, nisi id, quod post eas expensas superest. Fiunt ergo ij sumptus sēper ex redditibus magis certis, cum omnes Abbatæ redditus obligati sint ad eos sumptus integrè soluendos. Æquitas ergo postulat, vt si certa bona stabilia ad hunc finem separantur, & deputantur, ea sint, quæ magis securos redditus promittere possint: imò, si iustitiæ rigor seruadus sit, purarem, plus aliquid in hac separatione designandum pro Monachis, quàm sit illud, quod Episcopus solebat singulis annis illis dare; ponamus enim, quod Episcopus, v.g. dabat illis 1000. aureos ad victum, & alias expensas: hos tamen ita dabat, vt si maior pars prædiorum Abbatæ sterilis eo anno fuisset, adhuc ex parte alia, quæ fructus tulisset, sumptus illi semper soluendi essent. Hanc autem securitatem, separatione bonorum facta, Monachi amittunt, quia pro anno bona illa stabilia ipsis assignata sterilia fuerint, non accipient suas expensas ex aliis bonis, quæ apud Episcopum remanserunt. Hoc autem periculum, quod certe ob varios casus, & euentus periculum magnum est, debet aliquomodo cōpensari; nec id aliter fieri posse videtur, nisi augendo capitale, & redditus, ita vt hic excessus ordinarius suppleat defectum extraordinarium, qui timeri potest. Hæc autem omnia fieri non possunt, vt dixi, nisi interueniente consensu, & approbatione Summi Pontificis, ad quam petendam præcedere debet consensus Monachorum, & Episcopi, qui

stantibus prædictis conditionibus, prudenter, & iustè illum præstare potest.

### D V B I V M XVII.

*In quo respondetur ad duo quasita circa Officia propria Sanctorum Ecclesie Palentinae.*

Q Væsitum fuit primò ex parte Capituli Ecclesie Palentinae in Hispania, an possent recitare in tota Diœcesi Officium de illo Sãcto, cuius corpus, vel reliquia insignis esset in aliqua Ecclesia eiusdẽ Diœcesis: Videbatur affirmatiuè respondendũ, propter speciale priuilegium Hispaniæ Ecclesie concessũ a Greg. XIII. in Bulla edita anno 1573. quæ incipit, *Pastoralis officij*, & refertur integra in codice Officiorum Sãctorum Hispanorum, & ex parte affertur apud Quarantam in *Summa Bullarj*, verb. *Diuinum Officium*, & apud Lezan. tom. 1. c. 12. n. 34. cum enim Pius V. concessisset Ecclesiis Hispaniæ, vt possent celebrare Officia propria Sanctorum illius Prouinciæ; quæ cōcessio ita vniuersalis poterat confusionẽ afferre, propter nimiam Sanctorum multitudinem, qua Officia feriarum ferè omnino impediri poterant; ideo Gregorius eiusmodi concessionem ita declarauit: *vnamquamque Hispania Ecclesiam eorum tantum Sanctorũ, qui in Breuiario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius Diœcesis sunt naturales, vel eius Ecclesia, vel Diœcesis sunt Patroni, vel eorum corpora, seu notabiles reliquia in ea Ecclesia, seu Diœcesi requiescunt; de aliis verò Sanctis, etiam si sint naturales, vel Patroni alterius Diœcesis, etiam si illorũ corpora, vel notabiles reliquia in aliqua Ecclesia alterius Diœcesis requiescant, non celebretur Officiũ proprium, sed seruetur ordo Breuiarij Romani*, &c. In quibus verbis videtur clarè contineri concessio generalis, vt omnes Ecclesie vnus Diœcesis possint celebrare, & recitare Officiũ illius Sancti, cuius corpus, vel insignis reliquia conferuatur in aliqua Ecclesia eiusdẽ Diœcesis. Et in hoc sensu videtur hæc concessionem intellexisse, & illam praxim approbasse Ægid. Trul. lib. 1. in *Decal. c. 7. dub. 14. n. 14.* & Castr. Pal. tom. 2. tract. 7. de *orat. disp. 2. punct. 2. num. 10.* qui vniuersaliter loquuntur de quolibet Sancto, cuius corpus sit in ea Diœcesi.

Contrarium tamen supponere, & docere videntur alij Doctores, qui solũ in ea Ecclesia, vbi corpus, vel insignis reliquia habetur, concedunt posse fieri Officium illius Sancti, quod quidẽ, secluso illo priuilegio, & extra Hispaniam certissimum est, vt cum aliis

aliis docent Gauant. in *rub. Breuiarij, sect. 3. c. 3. n. 5.* Barbof. de *offic. Paroch. cap. 1. n. 7.* & Nouar. in *Lucerna, verb. Officiũ, n. 7.* Sed ipsi met etiã Doctores Hispani eam restrictionem in Hispania procedere fatentur, nec posse Officiũ ad totam Diœcesim extendi, vt fatetur nouissimè Anton. de Quintanad. *singularium tr. 7. sing. 27. n. 2.* & fundatur omnes in decreto sacre Congregationis Rituum, quod iussu Urbani VIII. appositum fuit in editione nouissima Breuiarij Romani, vbi inter alia hoc etiã apponitur. *Insuper vetuit & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel Diœcesim, etiam de cuiusquam Ordinarij auctoritate Missam, vel festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco ad sit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut Abbatialis, aut aliqua reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu vbi asseruatur insignis reliquia, sed non alibi.*

3 Hoc tamen decretum, vt verum fatear, non caret solutione, vel interpretatione in casu nostro. Fatemur enim, de iure cōmuni ita esse obseruandum, & secluso priuilegio Sedis Apostolicæ, cuiusmodi priuilegia in eo decreto non videntur reuocari, cum in eo nulla sit clausula derogatoria, vel reuocatoria priuilegiorum: lex autem generalis sine ea clausula expressa non tollit etiam tacitè priuilegia etiã non contenta in corpore iuris, vt ex *c. 1. de constit. in 6.* cum cōmuni Doctorum probat Suar. *lib. 2. de legib. c. 39. n. 2.* Imò ex cōrextu totius decreti colligi videtur, illud totum tendere ad declarandum, quod Episcopi, vel Prælati inferiores non possunt vilo prætextu, qualis esset, quod Sanctus sit naturalis, vel quod eius corpus intra Diœcesim requiescat, introducere eius Officium sine licentia speciali Sedis Apostolicæ, vel approbatione sacre Congregationis Rituum. Ideo enim decretum sic incipit: *Sacra Rituum Congregatio declarauit, & decreuit, non potuisse post Bullã Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorũ Ordinarios, tam seculares, quàm Regulares, addere Calendariis, etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani rubricis, vel sacre Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate, quouis prætextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, seu rubricis Breuiarij, in altiore ritum: neque extendere concessa Officia de loco ad locum.* & postea additur: *De sanctis Episcopis locorum, Martyribus, ciuibus, & aliis festis, de quibus in Calendario Romano, seu rubricis Breuiarij nihil habetur, vt etiam de Beatis nondũ canonizatis, nihil propria auctoritate con-*

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

*stituatur, sed omnino consulatur sacra Rituum Congregatio.* Vides, totum decretum esse, ne ea fiant propria auctoritate, vel sine licentia Sedis Apostolicæ, aut sacre Rituum Congregationis. Cum ergo pro Ecclesiis Hispaniæ præcesserit Bulla, & licentia Sedis Apostolicæ, non erit hic vsus vilo modo contra hoc nouissimum decretum. Ex hoc ergo capite non videtur negandum, quod Ecclesie Hispaniæ possint adhuc indulto illo Gregorij XIII. vt, & recitare Officium in tota Diœcesi de Sanctis, quorum reliquiæ insignes, vel corpora sint in eadem Diœcesi, prout in aliquorum Sanctorum Officio testatur Quintanadueñas *dicto tract. 7. sing. 27. n. 4.* vsus esse in Ecclesia Hispanensi: quamuis ipse n. fateatur, in Ecclesia Toletana contrarium obseruari.

Ego quidem, stando in verbis dictæ Bullæ Greg. XIII. & decreti nouissimi Congregationis Rituum supra relati, distinguendum putarem inter Sanctos, qui naturales fuerunt regni Hispaniæ, & inter illos, qui non sunt naturales, sed alienigenæ; quorum tamen corpora, vel Reliquiæ insignes in Hispania asseruantur. Nam Greg. XIII. in prædicta Bulla, dum concedit Officium pro tota Diœcesi, videtur solũ loqui de Sanctis naturalibus, & Hispanis; de his enim solis loquutus fuerat Pius V. quando in vniuersum eorum Officia pro tota Hispania videbatur concessisse; quod quia nimium erat propter eorum Sanctorum multitudinem, ideo Greg. XIII. declarauit, solũ intelligi respectiuè, vt in qualibet Diœcesi fieri posset Officiũ eorum, Sanctorum, qui vel naturales illius Diœcesis sunt, vel eius Patroni, vel quorum in ea Diœcesi reliquia insignis habeatur, nimirum si Sancti illi sint Hispani; de iis enim solis loquutus fuerat Pius V. cuius concessionẽ declarare, vel moderari vult ibi Gregorius, qui noluit singulas Ecclesias Hispaniæ posse recitare Officiũ de omnibus Sanctis Hispanis, sed singulas de iis Sãctis Hispanis, qui vel naturales essent eius Diœcesis, vel quorũ ibi reliquiæ insignes habeantur. Porrò nō fuisse ibi Gregorium loquutum de Sãctis alienigenis, quorum corpora sunt in Hispania, constare videtur apertè ex eadẽ Bulla, vbi paulò post idem Põtifex addit aliam concessionẽ, his verbis: *Item concedimus, quod qualibet Ecclesia, & Monasterium Hispania habens aliquas reliquias insignes, puta, caput, brachium, vel crus alicuius Sancti, etiam alienigena, nō existetis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario sit tantum cōmemoratio, possit illius festiuitatẽ celebrare, & Officiũ duplex facere, &c.*

Vbi apertè distinguit Sanctos alienigenas à Sanctis Hispanis, & de Sancto alienigena, cuius insignis reliquia habetur, concedit Officium duplex illi soli Ecclesiæ, vel Monasterio, vbi habetur reliquia: quod certè frustra concederetur, si iam concessum esset in verbis præcedentibus Officium pro tota illa Diocesi. Fatendum ergo est, concessionem præcedentem fuisse pro solis Sanctis Hispanis, hanc verò secundam loqui de alienigenis, sed cum limitatione ad Ecclesiam, vbi reliquia habetur. Si autem Sanctus non sit alienigena, sed Hispanus, credibile est ex vi Bullæ Gregorij XIII. posse fieri in tota Diocesi, in qua habetur reliquia insignis Officium saltem femiduplex: dico, ex vi Bullæ, quia oportet accedere ad vsum singulorum locorum, qui ostendit, an & quomodo concessio illa in singulis locis acceptata fuerit: sicut etiam considerandum erit, an sacra Cōgregatio Rituum eiusmodi Gregorij cōcessionem reuocauerit aliquando etiā pro Hispania: nam Quintanadueñas dicto sing. 27. n. 3. affert aliquas Congregationis declarationes contrarias dictæ concessioni, nēpe in Calagurr. 1. Sept. 1612. & in Conchenfi 12. Martij 1618. quæ vtiq; videntur de Ecclesiis Hispanis egisse. & hæc dicta sunt ad 1. quæsitum.

Secundò ab eodem Capitulo quærebatur, an approbandum videretur, quòd in sua Ecclesia Palentina die 21. Octobris Officiū fieri soleat duplex sanctarum Vrsulæ, & sociarum eius, propter caput vnius ex illis, quod ibi asseruatur, & rursus die sequenti fiat etiam Officiū duplex S. Cordulæ, quæ fuit vna ex sociis S. Vrsulæ, cuius etiā caput ibidem habetur. Ratio autem dubitandi erat, quia quamuis S. Cordula passa fuerit die sequenti, Ecclesia tamen videtur eas omnes simul die præcedenti celebrare.

Dixi tamen, in primis diligenter examinandum, an verè illud sit caput S. Cordulæ; audio enim Mediolanenses affirmare, quòd apud ipsos sit, imò & Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium die 22. Octob. approbare videtur historiā de translatione S. Cordulæ contentam in vita Alberti Magni part. 2. cap. 9. Si tamen sufficienter constaret de veritate, & identitate illius reliquæ, credere posse in Ecclesia Palentina, vbi habetur, fieri seorsim Officium duplex de ea, die 22. Octob. postridie festi SS. Vrsulæ, & sociarum, cum ipsa non cum aliis, sed die sequenti passa sit. Fateor, Ecclesiam aliquando coniungere eadē die in Officio eos Martyres, qui diuersis diebus mortui sunt. Sic enim celebrat die 18. Iulij festū S. Sym-

phorose, & eius filiorum, cum tamen Symphorosa non eadem die cum filiis, sed die præcedenti fuerit occisa. Sic 9. Ianu. S. Iulianus celebratur, & cōiungitur cum multis sociis, qui non eadem die mortui sunt. Similiter die 22. Sept. celebrat omnes socios S. Mauritij, qui tamen non omnes eadem die obierunt. Item die 28. Febr. coniungit in Martyrologio omnes illos, qui Alexandriæ sese deuouerunt, vt peste infectis ministrarēt, & in eo pro ministerio obierunt, quos certum est, non omnes eadem die obiisse. Sic etiā die 24. Iun. collocantur simul plurimi sancti Martyres, qui Romæ sub Nerone Imperatore successiue necati sunt, & alibi sæpe idem facit. Aliquādo tamen separat in cultu eos, qui diuersis diebus mortui sunt, licet in Martyrio socij fuerint: vt de facto separat S. Felicitatē à suis filiis; S. Romanum à S. Laurentio, & alios similes. quod idem facit in S. Cordula, cuius Martyrium legit in Martyrologio die sequenti, postquam lectum fuerat Martyriū S. Vrsulæ, & eius sociarum. Voluit ergo, quòd in Officio diuino separarentur: nam lectio Martyrologij, quæ in Choro ad Primam quotidie recitatur, pars est Officij diuini: & constat ex rubrica 2. eiusdem Martyrologij, debere legi Sanctorum memoriam die præcedenti eorum festum: quare, cum Ecclesia recitet in Choro martyrium S. Cordulæ die 21. Octob. eo ipso vult, quòd de ipsa Officium fiat, vbi id faciendum sit die sequenti, quæ est 22. eiusdem mensis. Unde non videtur reprobanda, sed potius omnino retinenda illa consuetudo recitandi Officium S. Cordulæ die 22. seorsim ab eius sociis, cum hoc sit iuxta mentem Ecclesiæ Romanæ, quæ eo modo, quo recitat Officium S. Cordulæ, recitat seorsim, & die diuersa, dum in Choro ad Primam legit eius martyrium die sequenti, postquam legerat martyrium Vrsulæ, & sociarum.

#### D V B I V M XVIII.

*An expediat Episcopum taxare Missæ stipendium, ita vt maius accipi non possit, nec dari.*

Episcopus quidam zelo ductus omnem auaritiæ speciem à Sacerdotibus tollere desiderans, edictum promulgauit, quo pro data sibi à Sacrasancta Synodo Tridentina potestate, atque vt Apostolicæ Sedis super hac re delegatus ad tollendos abusus circa Missæ sacrificium introductos, omnibus Sacerdotibus secularibus, & regularibus

gularibus districtè prohibuit, ne quis sub quouis prætextu, aut quæsito colore, neque directè, neque indirectè poscat in posterum, vel recipiat pro qualibet Missa quocumque festo, vel feriali die celebranda maiorem eleemosynam, vel stipendium supra taxam ab eodem Episcopo ibidem præscriptam, sub pœna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda, & addita obligatione restituendi totum excessum iis, qui dedissent. Rursus largientibus eleemosynas, vel stipendia prohibuit, ne supra taxam darent, vel offerrent sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eidem Episcopo referuatæ. Si verò dantes non essent singulares personæ, sed communitates, Congregationes, Confraternitates, &c. sub pœna interdicti etiam ipso facto incurrendi. Putabat autem Episcopus, se id totum prohibere posse etiam sub censuris, ex potestate sibi tradita in Concilio Tridentino sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, vbi statuitur, vt Episcopus procedat, etiam vt delegatus Sedis Apostolicæ ad prohibenda omnia, quæ à tanti sacrificij dignitate aliena sunt, & nominatim circa auaritiā Sacerdotum, & cuiusvis generis mercedum condiciones, & pacta, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quàm postulationes, aliaque huiusmodi. Dubitatum ergo fuit, an virtute horum verborum potuerit Episcopus ita rigidè procedere etiam contra spontè, & liberaliter dantes, & contra accipientes à spontè, & liberaliter dantibus.

Dixi primò, non videri posse taxari eandem eleemosynam pro omnibus, & singulis Missis in vniuersum: nam in primis, si Missa solemniter cantanda sit, non est rationabile, quòd non detur maior eleemosyna, quàm soleat dari, quando sine cantu simplex, & priuata Missa recitatur, vt docent Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. 4. Bonacina de Sacramentis, disp. 4. quest. vlt. punct. 8. n. 13. Lezan. tom. 4. verb. Missa, n. 23. & alij, quos afferunt. Nec Diana part. 2. tr. de celebratione Missarum, resol. 9. quem Lezana pro contraria sententia affert, id negat; non enim loquitur de Missa cantata, sed de Missa in die festiuo dicenda, pro qua negat ratione dici festiuo posse accipi duplicatum stipendium; quia id dicit prohibitum iam esse in decretis sacre Congregationis Concilij. Sed re vera in iis decretis neque hoc prohibetur, sed solum, quòd Sacerdos, qui accepit stipendia, vt duas Missas celebraret, velit vnica Missa satisfacere. D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

facere. Aliud verò est, si detur ei duplicatum stipendium, vt in die festiuo, vel cum solemnitate, & cantu vnā Missam celebret; de quo casu sacra Congregatio nihil decreuit.

Deinde potest augeri stipendium, & eleemosyna, si Missa celebranda imponatur tempore, vel loco magis incommodo, vt si debeat summo manè ire ad celebrandum, vel è contra expectare post meridiem, vel ire ad locum valde distantem, præsertim cum æstu, vel imbre, aut similia incommoda pati, quæ omnia rationabiliter maius stipendium merentur, vt dixi disp. 11. de Eucharistia, sect. 1. num. 11. non ergo potest vnum & idem stipendium præscribi, itaut nunquam etiam positis grauioribus circumstantiis extrinsecis possit augeri.

Dixi secundò, potuisse Episcopum finem intentum corrigendi abusus obtinere indirectè, absque eo quòd veniret ad rigidam prohibitionem pinguioris eleemosynæ vilo casu dandæ, vel accipiendæ: si enim ex Sacerdotum auaritia abusus irreperant, eo quòd ij maiorem eleemosynam peterent, & extorquerent; poterat Episcopus lege sua iustum, & rationabile Missarum manualium stipendium taxare; qua taxatione posita, excessus iure ipso esset infusus, & restitutioni obnoxius. Nam, licet stipendium illud non sit in rigore pretium Missæ, quæ inuendibilis est; imitatur tamen rerum pretia, & ideo debetur ex iustitia ad sustentationem totalem, vel saltem partialem Sacerdotis, vt dixi loco citato de Eucharistia, & me etiam citato explicat Pelliz. in manuali Regular. tom. 1. tract. 5. c. 9. n. 56. Quare, sicut in aliis rebus pretium lege taxatum est pretium iustum, quòd excedere venditori non licet; sic postquam stipendium Missæ manualis lege publica taxatum est, illud erit iustum stipendium, atque adeò non poterit Sacerdos sine iniustitia maius stipendium exigere, imò tenebitur postea restituere totum excessum ei, qui dedit vt pote iniuste acceptum: sicut venditor in foro conscientie debet restituere id totum, quòd supra iustum pretium accepit.

Dixi denique tertio, Episcopum non debuisse ita generaliter prohibere Sacerdotibus, ne vnquam pinguius stipendium, vel eleemosynam acciperent, etiam à sponte dantibus, & multò minùs debuit prohibere perentibus Missas, ne illud sponte darent. Imò ea etiam prohibitione posita, parum efficax esset, si ipsi re vera vellent sponte dare; possent enim ipsi saltem post Missam celebratam, dicere Sacerdoti, se illum

illum excessum non dare in stipendium Missæ, sed ex deuotione gratis omnino illum donare: quare Sacerdotes possent illum accipere, cum non acciperent pinguius stipendium, sed donum gratis datum, quod ipsis prohibitum non erat. Sicut dici etiam solet, quod licet alij Canonici non possint Canonico non assistenti in Choro remittere singuli partem, quæ ad illos pertinet de eius distributione; postquam tamen inter ipsos præsentès distributa fuit, possunt singuli donare suam partem illi, qui Choro abfuit, dummodo id non fiat in fraudem legis, nec pactum præcesserit, sed ex amicitia singuli donent, ut cum aliis docet Thomas Sanchez *lib. 2. consil. cap. 2. dub. 109.* quia donare non est remittere. Sic ergo prohibita solutione stipendij, non prohibetur donatio ex amicitia, vel deuotione; quare posset, qui Missam petit, non obstante edicto Episcopi, dicere: Ego do tibi vnum solum Iulium pro stipendio Missæ, sed rursus dono tibi ex deuotione alios duos Iulios ex mera liberalitate, & hoc modo redderetur inefficax prohibitio quoad eam partem.

6 Portò, non debuiffe Episcopum ita vniuersaliter prohibere excessum voluntarium stipendij, probari potest ex vsu laudabiliū fidelium, qui ex maiori deuotione erga res sacras, & ex maiori reuerentia erga Sacerdotes, solent instituere Capellanas, vel Missas perpetuas, assignando pro singulis Missis tres, vel quatuor, aut plures Iulios, ut Capellanus magis decenter, & honorificè viuat, qui vsus ab omnibus approbatur. Cur ergo in Missis manualibus dammandus est, qui ex iisdem pietatis, & religionis motiuis velit pinguius stipendium Sacerdoti largiri: præsertim cum in eiusmodi eleemosynis attendi etiam soleat dignitas dantis eleemosynam, & turpe sibi putet Princeps, & indecorum, si in danda eleemosyna seruet eandem regulam, & mensuram, quam homo plebeius, & pauper. Et quidem mirum esset, quod Princeps, vel nobilis vir duplo, vel quadruplo maius stipendium soluat famulo suo, quam soleat soluere homo plebeius: Sacerdoti vero, cuius ministerio utitur, ut per ipsum sacrificium Deo offerat, non possit maius stipendium dare, quam homo ex infima plebe dare soleat. Meritò ergo Pellizarius dicto tract. 3. cap. 9. sect. 3. n. 56. dicit, taxationem stipendij in Missis, sicut non cogit Sacerdotem, ne minus accipiat, si velit, ita non impedire dantes illud, ne maius, & pinguius dare possint, si velint.

Ad summum ergo potuisset Episcopus 7 prohibere, ne Sacerdotes plus exigant, aut accipiant præcedente pacto, vel exactione explicita, vel implicita, directa, vel indirecta: hæc enim redolent, & præ se ferunt speciem auaritiæ ex parte Sacerdotum, atque adeò prohiberi possent ab Episcopo, sicut alij abusus, & consuetudines, quæ circa Missæ sacrificium indecentiam aliquam continent, ut statuitur in dicto decreto Concilij Tridentini. Quòd verò fideles ex mera pietate, & maiore deuotione sponte largiantur maiorem eleemosynam, & stipendium Sacerdoti illud non exigenti, nullam continet irreuerentiam, & indecentiam circa Missas, sed maximam reuerentiam, & pietatem. Quare non apparet, quomodo virtute præfati decreti Concilij Tridentini, id possit Episcopus prohibere. Sicut nec prohiberi potest in vniuersum, ne testator iubeat dari Religiosis, vel Clericis eius funus comitantibus duplo maiorem eleemosynam, quam communiter in aliis funeribus dari soleat: vel plures, & maiores cereos dari Ecclesiæ, in qua sepelitur, quam dari soleant; hæc enim omnia nullam indecentiam, aut irreuerentiam continent, sed signa sunt pietatis, & reuerentiæ, ut constat.

#### D V B I V M XIX.

*Utrum Archidiaconus dispensatus à Summo Pontifice in defectu ætatis, possit habere vocem in Capitulo.*

**N**obilis quidam iuuenis prouisus fuit à Summo Pontifice de Archidiaconatu Ecclesiæ Cathedralis, quæ non erat prima dignitas post Pontificalem, & simul dispensatus fuit in defectu ætatis requisitæ, his verbis: *Nos tibi, &c. Archidiaconatum prædictum cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, Apostolica auctoritate conferimus, & de illo etiam prouidemus, decernentes, &c. non obstantibus constitutionibus Apostolicis, dictæque Ecclesiæ etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Nos enim tecum, etiamsi non sis in ætate legitima ad sacros Ordines suscipiendos constitutus, nihilominus ut Archidiaconatum prædictum ex nunc recipere, & quoad vixeris, retinere liberè, & licitè valeas, constitutionibus,*

*bus, & ordinationibus, statutis, & consuetudinibus prædictis, &c. de speciali gratia derogamus, &c. Volumus tamen, ut Ordinem, quem atas postulauerit, scilicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, suscipere tenearis.* Dubitatum ergo fuit, an positus iam in possessione Archidiaconatus, nondum tamen suscepto Ordine sacro, posset virtute prædictæ dispensationis habere vocem in Capitulo.

2 Videbatur affirmatiuè respondendum, propter illa verba generalia, *Archidiaconatum prædictum cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis.* nam inter alia, quæ Archidiacono comperunt, ratione suæ dignitatis, vnum est de Ecclesiæ consuetudine, ut ad ipsum spectet, absente Decano, conuocare Capitulum, & in eo proponere, & resolutiones accipere, idque eum præstare posse, etiamsi non sit in Sacris, cum iste sit actus iurisdictionis, qui competit Archidiacono, etiam in Sacris non constituto, & ad Decanum non spectat ratione Ordinis, sed antiquitatis, & superioritatis, respondit olim sacra Congregatio Concilij, ut habetur in eius declarationibus impressis super cap. 4. de reformatione, sess. 22. Vnde multò magis accedente dispensatione Sedis Apostolicæ, ut possit habere Archidiaconatum cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis.

3 Adhuc tamen videtur, dispensationem illam non sufficere, ut vocem habeat in Capitulo, quamdiu in Sacris non fuerit. Est enim doctrina satis communis apud omnes, dispensationem esse odiosam, atque adeò strictè interpretandam, ita quidem, ut non sit omnino inutilis, & frustratoria; (aliquid enim debet operari,) sed ita ut habito aliquo effectu non extendatur ad alia, quæ in ea non explicantur. de qua regula ultra alios videri potest Gonzal. super regul. Cancellariæ gloss. 15. num. 29 vbi affert verba regul. 50. Cancellariæ, quibus dicitur: *Dispensatio non venit sub quacumque signatura in quavis gratia, nisi totaliter gratia effectum huiusmodi dispensationis concernat, vel allàs nihil conferat, vel operetur.* de quo etiam videri potest Thomas Sanchez, alios referens *lib. 6. de matrim. disp. 1. num. 3. & 20.* vbi exemplum affert illius, qui dispensatus est, ne resideat in beneficio, neque enim ideo dispensatus est, ut fructus percipiat, qui absentibus dari non solent. & num. 21. addit, dispensationem non extendi ad annexa separabilia, quoties id, super quo principaliter dispensatur, potest sortiri effectum, licet non ita plenè,

& facile, sicut si esset dispensatus etiam super antecedenti, & consequenti. In casu autem nostro sunt duo separabilia, habere Archidiaconatum sine ætate ad eum requisita, & habere vocem in Capitulo sine Ordine sacro: quare dispensatio potest sortiri suum effectum quoad primum, quamuis non extendatur ad secundum, quod in dispensatione non fuit explicatum Nec est simile, quando aliquis habens Canonatum dispensatur, ut fiat Subdiaconus ante ætatem requisitam ad hunc Ordinem, quo casu consequenter poterit habere vocem in Capitulo, quam ideo solum non habebat, quia non erat in Sacris; quare dispensatus ad Ordinem, & eo suscepto, potest sine alia dispensatione habere vocem in Capitulo, ut cum aliis docet idem Sanchez *ibi num. 2.* At in casu nostro sunt duo impedimenta diuersa. Primum est defectus ætatis ad dignitatem illam habendam. Secundum est defectus Ordinis sacri ad habendam vocem in Capitulo. Primum habetur ex Tridentino *sess. 24. cap. 12 de reformat.* Secundum verò ex eodem Tridentino *sess. 22. cap. 4. de reformat.* In primo ergo impedimento fuit dispensatum in casu nostro, quæ dispensatio non debet extendi ad secundum, de quo in rescripto nihil dicitur, & quod bene potest remanere, etiamsi primum ablatum sit, cum sint effectus omnino separabiles.

Nec obstant verba illa rescripti, quibus dicitur, dari Archidiaconatum *cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, &c.* Responderi enim potest, illa verba habere suum effectum, quamuis ante Ordinem sacrum non habeatur vox in Capitulo: nam ius Archidiaconi, vel Canonici non est habere semper vocem in Capitulo, sed habere illam, quando fuerit in Sacris: datur ergo in casu nostro Archidiaconatus Oratori cum omnibus iuribus suis, quorum vnum est habere vocem in Capitulo, quando fuerit in sacris. Sicut etiam inter iura Cardinalatus vnum est habere vocem actiuam in electione Summi Pontificis, quando saltem in ordine Diaconatus fuerit: quod ius datur Cardinali, quando fit Cardinalis: non tamen potest habere vocem actiuam in electione Summi Pontificis, nisi fuerit promotus ad Ordinem dictum Diaconatus; quia hoc solum est ius, quod accipit cum Cardinalatu, nempe ad vocem actiuam, si habuerit Ordinem sacrum saltem Diaconatus. Similiter ergo in casu nostro conceditur Archidiaconatus cum



iuribus suis, quorum vnum est habere vocem in Capitulo, quando fuerit in Sacris, quo pacto verificantur verba illa concessionis, praesertim cum dispensatio sit strictè interpretanda, ut diximus, & factis sit, si in aliquo sensu proprio verificantur.

5 Nec etiam obstant verba illa rescripti, non obstantibus constitutionibus Apostolicis, &c. quia in primis eiusmodi clausula derogatoria non inducit dispensationem, nisi ex aliis claris verbis id constet, ut cum aliis notat Gonzalez dicta gloss. 15. numer. 32. Deinde, quia eiusmodi derogatio generalis, quamvis tollat obstantias perpetuas, non tamen tollit temporales, ut ex Rota, & aliis notat idem Gonzalez gloss. 21. numer. 30. impedimentum autem in casu nostro ad vocem in Capitulo non erat perpetuum, sed temporale, donec adueniente aetate susciperet Ordinem sacrum, quem quidem breui interuallo accipere poterat, nempe post annum à concessione praebendae, cum tunc temporis narrauerit se inchoasse 21. aetatis annum. Denique ex ipsis verbis derogationis constare videtur, non derogasse Pontificem constitutionibus contrariis ad effectus habendi vocem in Capitulo sine Ordine sacro, sed ad effectus obtinendi Archidiaconatum ante aetatem legitimam; post verba enim illa, non obstantibus, &c. contrariis quibuscumque, statim immediatè addit: Nos enim tecum, etiamsi non sis in aetate legitima ad sacros Ordines suscipiendos constitutus, nihilominus, ut Archidiaconatum praedictum ex nunc recipere, & quoad vixeris retinere liberè, & licitè valeas, constitutionibus, & ordinationibus, statutis, & consuetudinibus supra dictis, &c. de speciali gratia derogamus. quae verba satis apertè limitant derogationem, ut solùm intelligatur ad effectus accipiendi, & Archidiaconatum, non ad effectum vocis in Capitulo sine Ordine sacro, qui effectus, ut dixi, separabilis est ab adeptione, & retentione Archidiaconatus, & ideo dispensatio,

& derogatio odiosa non videtur ad illum effectum extendenda.

\* \* \*

D V B I V M XX.

*An possit Episcopus prohibere, ne Regulares concionentur in suis Ecclesiis diebus Quadragesimae, quibus eadem hora habetur concilio in Ecclesia collegiata eiusdem loci.*

**P**rohibuit id de facto quidam Episcopus, & procedere volebat contra Regulares non obediens: qui fortasse intentionem suam fundare poterat, primò in verbis Concilij Tridentini sess. 24. c. 4. de reformat. vbi prohibetur, ne vllus secularis, siue Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, predicare presumat. nam in casu nostro Episcopus expressè contradicebat, ne illis diebus, vel horis praedicarent. Secundò fundari poterat in verbis Gregorij XV. in constitutione de exemptorum priuileg. edita anno 1622. vbi habetur, quòd Episcopus tanquam Sedis Apostolicae delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Poterant ergo puniri ab Episcopo in casu nostro, qui ipso contradicente, iis diebus, & horis praedicabant. Denique confirmari potest ex declaratione sacrae Congregationis, quam ex Gauanto in Manuali Episcoporum, verb. Concilio sacra, refert Lezana tom. 3. verb. concionari, num. 13. qua dicitur posse prohiberi ab Episcopo concionem non solitam extra cathedralem tempore Aduentus, & Quadragesimae. Nam in casu proposito Episcopus allegabat, non fuisse solitum, ut extra Collegiatam iis diebus conciones haberentur.

Contra hanc tamen Episcopi prohibitionem videtur in primis ob stare, quod habetur in Clement. Dudum, de sepulturis, in qua solùm prohibentur Regulares praedicare in suis Ecclesiis illa hora, qua Episcopus praedicare voluerit, vel coram se solemniter praedicari. Vnde multi dicunt, semel petita benedictione Episcopi, non posse Praedicatores Regulares prohiberi ab Episcopo, ne in Ecclesia sui Ordinis concionem

concionentur; sed posse eos, etiam Episcopo contradicente praedicare. ita Miranda, Barboza, & Peirinus, quos affert, & sequitur Diana part. 4. tract. 2. de dubijs Regularium, resolut. 58. qui addit, ratione scandali, practicè loquendo, debere Regularem, prohibente Episcopo, à praedicatione abstinere.

3 Afferunt etiam aliqui ad hoc probandum Breue quoddam Urbani VIII. datum 30. Ianuarij 1629. vbi habetur, Quod dicitur, Regulares non posse Verbum Dei praedicare sine Episcopi licentia, id locum sibi vendicat in his tantum Ecclesiis, quae sui Ordinis non sunt; cum in alijs Ecclesijs sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta: ita tamen, ut, si Episcopus non modò benedictionem simpliciter non concesserit, verum etiam Regularibus prohibuerit, quo minus praedicent, tunc illo contradicente, in sui quidem Ordinis Ecclesijs liceat illis praedicare, quemadmodum sacri Concilij decretis salubriter cautum est: quae eadem ferè verba refert Lezana tom. 3. verb. concionari, n. 7. ex Nouario, & alijs tanquam declarationem datam à sacra Congregatione 20. Ianuarij 1629. Ego tamen vtròque credo errorem litterae subrepisse, ut obseruauit benè Pellizzarius in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. de priuilegijs, cap. 4. sect. 1. quest. 3. num. 4 qui monet, in originali illius Breuis additam esse particulam non, & dici, non liceat illis praedicare, quemadmodum sacri Concilij Tridentini, &c. ut testantur ij, qui originale Breuis viderunt. Et quidem ex contextu verborum id satis constat. Primò ex illis verbis, ita tamen. nam aduersatiua tamen, significat exceptionem oppositam verbis praecedentibus, quibus dictum fuerat, sufficere benedictionem petitam, & non obrentam: excipitur tamen statim casus, quo Episcopus non solùm benedictionem non concesserit, sed etiam expressè prohibuerit, in quo sensu cohæret benè tota littera, quae aliàs non cohæret. Secundò, quia dicitur, id esse iuxta id, quod in Concilio Tridentino salubriter cautum est: constat autem in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 4. de reformat. prohiberi, ne vllus secularis, siue Regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo, predicare presumat. Quomodo ergo poterat decretum Concilij ab Urbano VIII. allegari, ut etiam contradicente Episcopo, posset Regularis in Ecclesia sui Ordinis praedicare?

4 Melius afferri posset pro hac parte declaratio quaedam sacrae Congregationis fa-

cta 5. Iunij 1590. in hæc verba: Non debent impediri Regulares, quo minus in Quadragesima concionem habeant in suis Ecclesijs, etiamsi non fuerit consuetudo. quam declarationem refert Gauanto in Enchirid. Episcoporum, verb. Regularium iura sub Episcopis, num. 45. & ex ipso eadem refert Pellizzarius vbi supra num. 5. quae videtur continere casum nostrum in proprijs terminis. Nec videtur ob stare illa alia declaratio, quam ex eodem Gauanto supra retulimus, in qua dicitur, posse Episcopum prohibere concionem non solitam extra cathedralem tempore Aduentus, & Quadragesimae; nam in primis ibi non agitur de Regularibus concionantibus in proprijs Ecclesijs, qui, ut magis priuilegiati, debuissent exprimi nominatim. Deinde, quia ibi fermo erat de concursu in concione cum Cathedrali, in qua concio est magis priuilegiata propter praesentiam Episcopi, qui potest prohibere, ut supra vidimus, ne ipso praedicante, vel faciente coram se solemniter praedicari, alibi praedicetur: nostro autem casu concursus erat solùm cum Ecclesijs Collegiatis, in quibus concio habebatur.

Sed, ut verum fatear, semper restat difficultas ex verbis Tridentini, quibus generaliter negatur, posse Regulares etiam in propria Ecclesia praedicare, contradicente Episcopo. Scio, aliquos apud Dianam part. 7. tract. 12. resolut. 24. explicare verba illa Concilij, de casu, quo Episcopus vult praedicare, vel coram se praedicari. Sed certè verba Concilij sunt vniuersalia, vbi legenti constat. Video etiam, posse aliquem respondere, ibi non agi de prohibitione ipsius concionis, sed de prohibitione facta alicui in particulari, ne ipse concionetur. Aliud enim est, quod Episcopus prohibeat alicui Regulari, ne praedicet, quod Concilium voluit posse fieri ab Episcopo, qui propter vitam, vel doctrinam minus decentem, poterit prohibere alicui munus concionandi. Aliud verò est, quod prohibeat vniuersaliter, ne vllus in tali loco concionetur, quod videtur esse contra facultates concionandi Regularibus à Summis Pontificibus concessas, de quo casu non videtur agi in praedicto loco Concilij Tridentini. Sed tamen hanc responsum non admitteret P. Suarez, qui tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 9. cap. 1. num. 30. supponit, quamuis alia iura deessent, ex vñ illorum verborum Tridentini, posse Episcopum prohibere, ne ipso praedicante, vel faciente coram se solemniter praedicari, Regulares

Regulares etiam in propriis Ecclesiis concionentur; quia iam eo casu prædicarent Episcopo prohibente, quod vniuersaliter à Tridentino prohibetur. Supponit ergo, prohibitionem illam generalem concionis tali loco, & hora faciendæ comprehendi sub illa regula vniuersali contenta in Concilio Tridentino, nolente, Regulares concionari in propriis Ecclesiis, nisi petita ab Episcopo benedictione, & ipso Episcopo non contradicente.

6 Possent fortasse hæc omnia concordari iuxta eiusdem Concilij mentem, distinguendo duplex debitum, quod in diuersis personis considerari potest. Vnum est ex parte ipsorum Regularium, qui concionari volunt: alterum est ex parte Episcopi, qui contradicit. Et quidem Regulares ipsi videntur non posse, contradicente Episcopo, adhuc concionari; id enim significant verba Tridentini, & verba etiam Urbani VIII. supra relata, qui in hoc sensu explicat mentem Tridentini: & indecens sanè esset, & scandalum generaret, quòd Regulares, contradicente Episcopo, concionarentur, nec posset fructus ex tali concione sperari, sed meritò timeri possent iurgia, & detrimenta spiritualia, vt in simili dixit Suarez dicto cap. 1. num. 9. de Religioso, cui Episcopus iniuste negat licentiam necessariam ad prædicandum, quem quidem dixit debere adhuc à concione abstinere, donec licentiam obtineat. Si autem sermo sit de ipso Episcopo, requiritur quidem causa iusta, vt contradicat Religiosis volentibus in propriis Ecclesiis prædicare: quæ causa non videtur sufficiens esse in casu nostro, præsertim in concursu, non cum Cathedrali, sed cum Collegiata: vnde non mirum, quòd sacra Congregatio eiusmodi causam non approbauerit. Quamuis ergo ipsi Regulares abstinere debeant à concione contradicente Episcopo; possunt tamen ab eiusmodi contradictione reclamare coram sacra Congregatione, ad quam spectat monere Episcopum, prout sæpe fecit, vt ab eiusmodi prohibitionem, & contradictionem desistat. Atque ita omnia debito ordine fiunt, seruata reuerentia Episcopis debita, & ablata scandalum occasione, quod ex inobedientia, & resistentiâ Regularium oriretur; & cohibita etiam Episcoporum licentia, dum per eorum Superiores monentur, & coguntur ab indebitis prohibitionibus, & contradictionibus desistere, quo pacto, ni fallor, omnia iuxta Tridentini mentem concordari possunt.

## D V B I V M XXI.

*An Episcopus possit procedere ad taxam contributionis pro Seminario faciendam cum tribus solis deputatis, renuente Clero quartum eligere.*

**V**T Seminarium Clericorum iuxta decretum S. Concilij Tridentini in vnaquaque Dicecesi erigatur, decreuit idem Concilium sess. 23. cap. 18. de reformatione, vt Episcopus statuatur, & taxet portionem ex fructibus singulorum beneficiorum detrahendam pro expensis Seminarij, cum consilio tamen duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero ciuitatis, quorum alterius electio ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat. Cum ergo iuxta tenorem huius decreti tres iam electi essent, qui Episcopo assisterent, & desideraretur solum electio quarti deputati, qui à Clero eligendus erat, Clerus noluit ad eius electionem deuenire. Vnde Episcopus dubitauit, an sine quarto deputato, & cum solis tribus iam ritè electis posset procedere ad taxationem contributionis designandam. Ratio autem dubitandi esse poterat, quia ex verbis Concilij videtur requiri pro substantia horum actuum, quòd fiant cum consilio illorum quatuor deputatorum. Vnde Congregatio Concilij 13. Ianuarij 1594. respondit, vnionem ab Episcopo factam Seminario absque consilio quatuor deputatorum, iuxta præscriptum Concilij Tridentini, non esse validam, prout habetur in declarationibus Congregationis impressis. Idem ergo dici deberet à fortiori de taxatione contributionis faciendæ, pro qua idem Concilium magis clarè, & expressè requirit consilium quatuor deputatorum. Vereri ergo poterat Episcopus, ne si cum consilio solum trium deputatorum procederet, argueretur de nullitate contra taxationem factam, non seruata forma Concilij Tridentini.

His tamen non obstantibus, sacra Congregatio Concilij Tridentini die 28. Nouembris 1648. respondit, & decreuit, vt Episcopus præfixo termino competenti, si non sequeretur electio quarti deputati, ipse cum tribus iam electis procederet ad taxam iuxta præscriptum Concilij faciendam; quod quidem meritò responsum fuit,

## D V B I V M XXII.

*An Clericus transiens ad armatam militiam perdat pensionem, quam ex dispensatione retinere poterat in statu matrimonij, & sine habitu clericali.*

**N**. Clericus minorum Ordinum, cui referuata fuerat pensio Ecclesiastica, dispensationem postea obtinuit, vt posset eandem pensionem retinere etiam sine habitu clericali, & in statu matrimonij. Sed tamen idem N. transit etiam ad armatam militiam: quæsiuit Episcopus, an non obstante dicta dispensatione, amiserit ipso facto pensionem, quam habebat.

Duo videbantur contineri in hoc quaesito. Primum, an dispensatio obtenta extenderetur etiam ad hunc casum. Secundum, an, si re vera non extendebatur, censeretur ipso facto extincta pensio, absque alia declaratione, vel monitione. Ad primum dixi, dispensationem illam non extendi ad casum hunc; quotiescumque enim intercedunt plura impedimenta prouenientia ex diuersis prohibitionibus, & legibus, requiruntur dispensationes in iis omnibus, vel certè vna dispensatio, quæ omnes illas prohibitiones comprehendat sub aliqua ratione generica, & vniuersali, vt colligunt Doctores ex cap. pastoralis, de privilegijs, & ex cap. 2. de filijs Presbyterorum, lib. 6. Geminian. Franch. Rota, & alij, quos congerunt, & sequuntur Gonzalez in regul. 8. Cancell. gloss. 13. num. 97. & Lotterius de re beneficiaria tom. 1. lib. 1. q. 11. num. 192. Constat autem, ad pensionem Ecclesiasticam habendam, & retinendam, aliud esse impedimentum, si matrimonium contrahatur; aliud, si desideratur habitus clericalis, & tonsura; aliud verò si pensionarius transeat ad militiam armatam; hoc enim vltimum, tanquam impedimentum diuersum enumerant Doctores, quos afferunt, & sequuntur Gonzalez vbi supra gloss. 15. num. 54. Lotterius tom. 2. lib. 3. q. 26. num. 87. & 88. Azor 2. part. lib. 8. cap. 10. ques. 4. Castro Palao tom. 2. tract. 13. de beneficijs disp. 1. punct. 11. §. 10. num. 9. Cum ergo dispensatio solum fuerit facta ad retinendam pensionem in statu matrimonij, vel sine habitu clericali, non debet extendi ad casum assumptæ militiæ armatæ, qui est casus diuersus, & quidem multò grauior,

fuit, quia alioquin esset in potestate Cleri impedire taxam, & contributionem faciendam, non veniendo scilicet vnquam ad electionem quarti deputati; atque ita fraudaretur intentio Concilij subueniendi Seminario ex contributione communi ad alimenta necessaria pro eius alumnis.

3 Ratio autem esse potest, quia Episcopus in primis ex vi Concilij, licet teneatur adhibere in consilium illos deputatos, & cum eorum consilio decernere; non tamen tenetur eorum consilium sequi, vt sæpe declarauit sacra Congregatio, & constat ex verbis Tridentini, vbi non dicitur de consilio, sed cum consilio, quæ formula regulariter non inducit obligationem sequendi, sed solum audiendi consilium, vt obseruant communiter Doctores, & in terminis nostri casus notauit Gonzalez in regul. 8. Cancell. gloss. 46. num. 73. Regula autem generalis est, vt quando quis debet exquirere, & audire consilium alterius ad aliquem actum faciendum, debeat quidem opportunè eum monere, & expectare tempore debito, & competenti, vt Consiliarius respondere possit. Si tamen Consiliarius differat plus debito, vel nolit consilium dare, potest procedi ad actum, ipsius consilio non expectato, vt colligitur ex cap. cum in veteri, §. 2. de elect. & docent Abbas ibi num. 8. Butrius num. 7. & 8. Bartolus, Lambertinus, & alij, quos refert, & sequitur idem Gonzalez d. gloss. 46. n. 59. & 60. Cum ergo in casu nostro Episcopus in prædicta taxa faciendâ debeat exquirere consilium Capituli, & Cleri, ad quem finem Capitulum debet deputare vnum ex ipso Capitulo, & Clerus alium de ipso Clero: debet vtrique Episcopus opportunè admonere Clerum, vt deputet illum, cuius consilium nomine Cleri audiendum sit. Si autem debito tempore elapso Clerus nolit deputare; poterit vtrique Episcopus ad actum procedere cum alijs Consiliarijs deputatis; idem enim est, quòd Clerus nolit consilium dare, ac quòd nolit deputare illum, qui nomine Cleri Consiliarius sit, atque adeò procedet regula supra posita, quòd debeat tempus opportunum, & sufficiens assignari ad electionem Consiliarij à Clero faciendam, quo tempore elapso si Clerus nolit Consiliarium deputare, Episcopus satisfecisse censebitur suo debito petendi consilium à Clero, & eo deficiente, procedere poterit ad actum sine timore inualiditatis: quæ fuit responsio prudentissima Eminentissimorum Patrum sacre Congregationis.

uor, & difficilior, cum multò minùs deceat Clericum militiam exercere, quam vxorem ducere, vel habitu laico incedere: quare ad retinendam pensionem eo etiam casu, necessaria esset expressa illius mentio, vt constat ex dictis.

6 Maior esse posset difficultas circa secundum punctum, an scilicet assumpra militia armata, ipso facto extincta esset pensio, an verò prærequiratur legitima monitio, vt pensionario non parente, & militiam deserente, extingui posset. Aliqui enim ex allegatis Doctõribus significare videntur, & supponere, quòd ipso facto pensio extinguatur, quos affert, & sequitur Gonzalez dicta gloss. 15. num. 54. Et quidem Doctõres eodem modo loqui videntur de Clerico vxorem ducente, & de illo, qui miles fit, vt constat ex gloss. in cap. qualiter, verb. quadriennium, & in cap. ultimo, verb. redierint, de Clericis non residentibus; quare in vtroque loco dicitur, vacare ipso facto beneficia: & quidem de casu matrimonij contracti omnes supponunt ipso facto vacare, & vbi primum constat de matrimonio contracto, posse beneficia vt vacantia aliis conferri.

7 Alijtamen volunt, Clericum militem factum monendum esse, antequam pensione Ecclesiastica priuetur, vt militiam deserat, & ad statum clericalem redeat. ita tenet Azor. 2. part. lib. 8. cap. quæst. 4. Gigas de pensionib. quæst. 55. & Castro Palao vbi supra dicto num. 9. & aliquo modo fauet Lotterius dicto lib. 3. quæst. 26. num. 90. & seqq. fauet etiam Thesaurus in praxi Ecclesiastica part. 2. verb. habitus, cap. 1. §. limita 4. vbi etiam stante Bulla Sixti V. procedens sine habitu, & tonsura priuantur ipso facto omnibus pensionibus; indicat tamen probabile esse, quòd id non habeat locum in foro conscientie non præcedente monitione, & contumacia. Denique idem videtur colligi ex cap. quicumque 23. quæst. 8. vbi sic dicitur: *Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant: sed Professionis sue vocabulum religiosi moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum Canonum contemptores, & Ecclesiastica sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo, & seculo militare.* Videtur ergo requiri monitio, vt reperiat contempus; imò & videtur requiri sententia, cum sine illa mulctari non possint.

Ego quidem magnam videor mihi differentiam agnoscere inter matrimonium, & militiam, cum matrimonium afferat statum firmum, & perpetuum, qualem non affert militia, quæ aliquando assumi potest ad aliquod breue tempus, vel durante aliqua breui expeditione, cum animo redeundi statim ad vitam domesticam, & inermem. Vnde quamuis factò matrimonio, eo ipso, & ante omnem monitionem, & sententiam vacent beneficia, & extinguantur pensiones: id tamen non videtur in vniuersum verum, saltem in foro conscientie, quando aliquis militiam profitetur. Si, v. gr. ipse conscius sibi sit animi, & intentionis deserendi citò militiam, & deponendi arma. Videtur enim vacatio beneficiorum, & extinctio pensionum fundari in præsumptione, qua miles præsumitur deserere omnino statum clericalem, & assumere statum omnino incompatibilem: vt colligitur ex gloss. in dict. cap. qualiter, verb. Quadriennium, de Clericis non residentibus, vbi dicitur: *quamdiu non renuntiat, Clericus semper est: & licet valetur, non habet Ecclesiam pro derelicto, nisi contrahat contrariam negotiationem, vt si fiat miles, vel si contrahat matrimonium.* Et rursus gloss. in dicto cap. fin. verb. redierint, eodem titul. vbi dicitur: *super hoc tamen distingue, quia aut habet Ecclesiam pro derelicto, aut non. Si habet eam pro derelicto, puta, quia contraxit matrimonium, vel factus est miles, vel ioculator: cum de hoc constituerit, Episcopus statim potest Ecclesiam illam alij conferre, &c. vel si recepit aliam Ecclesiam habentem curam animarum, cum prius talem haberet, &c. si verò non habet eam pro derelicto, monendus est.* Totum ergo reducit ad præsumptionem relinquendi statum clericalem: quod idem in casu nostro applicari potest ad præsumptionem relinquendi statum togatum, & assumendi statum militare: quare in foro conscientie standum erit conscientie, & confessioni ipsius pensionarij. In foro etiam conscientie credo, quòd is, ad quem pertinent pensionem soluere, si ei constet pensionarium factum militem, possit interim eam non soluere; quia, licet id non sufficiat ad agendum, videtur sufficere ad excipiendum, quamdiu pensionarius non probat de retento animo redeundi quamprimum ad priorem statum, & relinquendi militiam. Quod à simili probari potest; quia quamuis aliqui dicant, pensionarium in foro conscientie non priuari

uari sua pensione ipso facto ante declarationem, & monitionem, licet in habitu laico, sine tonsura incedat: adhuc tamen dicunt, beneficiatum posse eam pensionem non soluere, quando incipit pensionarius publicè sine habitu incedere, vt notauit Thesaurus in praxi Ecclesiastica, part. 2. verb. habitus cap. 1. in fine, ex Garzia part. 7. cap. 1. numer. 19. Ergo eodem modo dicendum erit de assumente malitiam armatam; contra ipsum enim stare videtur præsumptio, quòd mutaerit statum, & amplexus fuerit statum incompatibilem cum pensione: quare ipsi videtur incumbere onus probandi, se non nisi ad breue tempus, aut ex necessaria causa militiam assumpsisse, quod dum non probat, poterit bona conscientia pensio ei à beneficiato negari. Denique in foro externo iudex, vt cautè procedat, deberet prius monere, & citare pensionarium, antequam pensionem extinctam declaret. Potest enim multa pensionarius allegare ad excusandam suam actionem, vt in ordine ad vacationem beneficij ob relictum habitum clericalem, & assumptas vestes laicas, monuit Lotterius dicto lib. 3. quæst. 26. à num. 90. vsque ad finem Vnde in casu nostri dubij Eminentissimi Patres sacre Congregationis Concilij putarunt, monendum esse secretò Episcopum, vt præmitteret monitionem, antequam ad declarandam extinctam pensionem ob assumptam militiam armatam iuridicè procederet.

## DUBIUM XXIII.

*An tertius addendus Adiunctis Capitularibus, quando ipsi non concordant cum Episcopo, debeat esse ex eodem Capitulo.*

1 Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 6. de reformatione. statuit, vt in Capitulis exemptis initio cuiuslibet anni Capitulatum eligat duos ex Capitulo, de quorum consilio & assensu Episcopus, quando extra visitationem procedit, tam in formando processu, quam in cæteris actibus, contra aliquem ex Capitularibus, procedere teneatur: vtriusque autem adiuncti vnum solum sit votum, *quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu,*

*seu interlocutorio, vel definitiua sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant: & si in electione tertij etiam discordent, ad viciniorum Episcopum electio deuoluatur; & iuxta eam partem, cum qua tertius conueniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur, &c.* Dubitatum sæpe fuit, an discordantibus Adiunctis ab Episcopo, tertius debeat necessariò ex eodem Capitulo eligi, an verò possit eligi aliquis, qui de Capitulo non sit.

Sententia affirmans, posse quemlibet eligi etiam extra Capitulatum, multis argumentis probari videbatur. Primò, quia si Concilium voluisset, tertium esse omnino de Capitulo, vtique id expressisset, prout expressit in verbis proximè præcedentibus, duos illos Adiunctos debere esse de Capitulo; postea verò, quando de tertio loquitur, eam particulam omisit, & solum dixit, quòd intra sex dies cum Episcopo tertium eligant. Cum ergo ibi non apposuerit in tertio eligendo eandem qualitatem, non debet præsumi coarctata electio passiuæ ad solos Capitulares; hac enim de causa responsum fuit, posse deputari Vicarium Capitularum, qui non sit de Capitulo, quia non reperitur cautum, quòd sit de Capitulo, vt notarunt Garzia de benefic. part. 5. cap. 7. numer. 13. Meroll. oper. moral. tom. 3. disputat. 7. cap. 7. numer. 187. Vulp. in prax. Episcop. cap. 44. numer. 25. & alij, quos affert Diana part. 8. tractat. 4. resolution. 57. ergo idem erit in casu nostro. Præsertim cum lex noua correctoria iuris communis debeat restringi potius, quam ampliari: qualis proculdubio est lex illa cum de iure communi nemo sit exemptus in criminalibus à iurisdictione, & iudicio sui Episcopi: quare exemptio Canonicorum, vt non possint in criminalibus à solo Episcopo iudicari, sed cum adiunctis, debet omnino strictè explicari, quantum verborum proprietates pati possit, vt quàm minimum Episcopi iurisdictione lædatur, quæ fundatur in iure communi, vt constat.

Secundò, quia qualitas illa, de Capitulo, apposita in præcedentibus, non censetur repetita in subsequenteribus, iuxta doctrinam Baldi consil. 123. num. 3. lib. 5. dicentis, quòd quoties sequentia discrepant à præcedentibus in ratione, intelligitur noua forma data, non superior repetita. Constat autem diuersitas magna, quæ est inter electionem



tionem adiunctorum, & inter electionem tertij, si hic etiam deberet esse de Capitulo; quando enim duo adiuncti sunt de Capitulo, vtriusque vnum solum est votum, nec vterque potest præualere voto Episcopi, vel eius Vicarij. In casu autem discordiæ, si tertius debeat esse de Capitulo, iam Capitulum præualet Episcopo, cum sint tres de Capitulo, quibus cedere debet votum Episcopi, atque aded non seruaretur æqualitas, quam Concilium Tridentinum intendisse videtur in hoc negotio, & quæ seruatur quidem, quando duo adiuncti sunt de Capitulo: non seruatur autem, si addatur tertius de eodem Capitulo, cuius iudicio res tota terminanda sit.

4 Vnde arguitur tertio, quia, quando tertius in aliqua causa eligendus est, neutri parti debet esse suspectus, vt colligitur ex *l. item si vnus* 19. §. *fin.* in vltimis verbis, *ff. de receptis arbitris*, & magis in terminis nostri dubij in *cap. cum R. Canonicus*, de officio delegati, & Canonistæ id tradunt communiter in *cap. suspicionis*, *cod. tit. & in cap. innotuit*, de arbitris. Est autem quilibet Canonicus suspectus in causis alterius sui Canonici, ex dicto textu in *cap. cum R. Canonicus*, & ibi glossa, & alijs, quibus adde Aluarum Pelagium de *planctu Ecclesie lib. 2. cap. 26. vers. 9.* Riccium *decis. 179. part. 1.* Et quidem in casu nostro Canonici non patiuntur, quod eligeretur in tertium Vicarius, vel alius Minister Episcopi; ergo nec Episcopus arctari debet, vt eligat vnum ex Canonicis, qui semper suspectus censetur, vt fauere velit suo Canonico, & sodali.

5 His tamen non obstantibus, contraria sententia tenenda videtur, & dicendum, illum tertium debere esse ex eodem Capitulo, sicut alios duos adiunctos. quod in primis colligi videtur ex contextu verborum Concilij, vbi, postquam dictum est, debere eligi duos ex Capitulo, qui simul cum Episcopo cognoscant de criminibus Capitularium; subditur immediatè, si ij non concordent cum Episcopo, debere à Capitulo cum Episcopo tertium eligi, &c. vbi particula *tertium*, videtur omnino relatiua, sicut particula *alium*, atque aded afferre, & repræsentare omnes qualitates positas in alijs duobus præcedentibus: de quo videri possunt *Alex. lib. 2. consil. 204. num. 4.* Barbofa de *diction dictione* 26. n. 3: *Surd. conf. 21. num. 14.* & quidem communis omnium sensus hic esse videtur, vt similes clausulæ ita intelligantur. Si, v. gr. dicatur: Petatur consilium à duobus Re-

ligiosis, & in casu discordiæ, petatur etiam à tertio, &c. vel si dicatur: Assumantur duo milites, & si necesse fuerit, addatur tertius, &c. omnes intelligent tertium debere esse etiam Religiosum, vel militem. Cùm ergo Concilium dicat, eligendos esse duos Capitulares, qui cum Episcopo iudicent, & ijs ab Episcopo dissentientibus, eligendum tertium, subintelligi debet, *tertium Capitularem*: alioquin non esset tertius in illo genere, sed primus in alio genere diuerso. Sensus ergo planus, & sincerus illorum verborum est, quod vltra duos Capitulares electos, eligatur alius tertius Capitularis ex eodem genere personarum.

Confirmatur primò ex regula generali, 6 quod additamentum debet semper simile esse ijs, quibus additur; de quo videri potest Barbofa *axiomate* 13. num. 1. & *axiomate* 34. num. 1. Ergo tertius additus duobus præcedentibus, debet habere eandem naturam, & qualitates. Confirmatur secundò ex alia regula etiam communi, quod subrogatum debet sapere id, in cuius locum subrogatur, vt notant communiter Doctores ex *l. si eum*. §. *qui iniuriarum*. *ff. si quis caut. l. legatum sub conditione*, *ff. de adimendis legatis*, & in terminis iudicis subrogati *Alex. consil. 20. quod incipit, in causa appellationis*, num. 9. in *fin. lib. 4. & consil. 88. num. 3. vers. præterea*, lib. 7. & faciunt notata per Gratianum in *addit ad decis. Marchia* 157. num. 12. & videri potest Barbofa de *axiom. iur. axiom. 213. num. 1.* Videtur autem tertius in casu nostro subrogari in defectum duorum discordantium, vel certè non parum imitatur naturam, & conditiones subrogationis.

Secundò principaliter probari potest, 7 (& simul hoc deseruit ad soluenda argumenta contraria,) quia in casu nostro non est minor ratio, vt tertius deberet esse ex Capitulo, quàm vt alij duo de eodem Capitulo eligerentur. Nam in primis indecens esset, vt Canonici, qui antea exempti fuerant, etiam ab ipsius Episcopi iudicio, & soli Capitulo subdebantur, postea non solum Episcopo subderentur, sed etiam iudicio alterius Clerici priuari, qui necessariò deberet esse in gradu inferiori: cùm nullus sit Clericus, per se loquendo, qui Canonici Cathedralis Ecclesie par sit; nam ipsi post Episcopum habent primum locum, & præcedunt totum clerum: indecens ergo esset, quod dissentientibus adiunctis ab Episcopo, eligeretur in iudicem Clericus inferioris conditionis; & quidem

in iudicem talem, cuius solius iudicio res omnino terminanda esset. nam, vt habetur ex Tridentino *ibi*, in quamcumque partem tertius ille inclinet, illud habendum est pro sententia legitima. Non potuit ergo Concilij mens hæc esse, vt tertius eligeretur ex classe inferiori, & quod Canonicus reus debeat iudicari à suo inferiori.

8 Rursus hoc ipsum confirmari potest ex eo quod, si delictum, de quo agitur, sit commune totius Capituli, tunc Episcopus non debet assumere Adiunctos extra Capitulum, sed tota causæ cognitio deuoluitur ad solum Episcopum, vt declarauit sacra Congregatio Concilij Tridentini, & habetur in declarationibus impressis in *illo cap. 6.* his verbis: *Propositum fuit, an ad Episcopum, vel ad alium Superiorem pertineat facultas procedendi contra Capitulares, quando vniuersum Capitulum deliquit? Item dato quod ad Episcopum pertineat, an de consilio, & assensu duorum ex Capitulo procedere teneatur iuxta hoc caput? Ad has duas dubitationes sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum sic respondendum censuit: nempe, quoad primum, huiusmodi facultatem procedendi competere ad Episcopum etiam absque adiunctis, quando totum Capitulum deliquit: modò delictum non sit in personam Episcopi, vel in contemptum eius, vel vbi Episcopus habeat interesse; tunc enim ea facultas contra Capitulares procedendi deuoluitur ad proximum Superiorem. Ad secundum verò respondit, Episcopum de consilio, & assensu duorum ex Capitulo procedere non teneri.* Ex qua responsione constat, quàm longè distet à mente Concilij, quod Capitulares in causis criminalibus iudicentur ab inferioribus, cùm maluerit, quando omnes Capitulares deliquerunt, reduci iudicium ad solum Episcopum, quàm dari illi adiunctos Ordinis inferioris. Quando verò Episcopus esset suspectus, quia delictum fuerat contra ipsum, voluit recurri omnino ad alium Superiorem, vt nullo casu Capitulares ab inferioribus iudicarentur.

9 Denique hoc ipsum ex solutione argumentorum contrariæ partis magis confirmabitur, & declarabitur. Ad primum enim constat ex dictis, mentem Concilij fuisse, vt tertius esset etiam de Capitulo, quia eam conditionem explicuit in duobus adiunctis, & repetita censetur in tertio, quem dicit addendum, cùm sit particula relatiua, & repræsentet qualitates proximè declaratas, vt *suprà* vidimus. Nec obstat, posse Capitulum depurare, Sede vacante, Vicarium, qui non sit de gremio Capituli, eo

quod Tridentinum *sess. 24. cap. 16. de reformat.* non dixerit debere esse de Capitulo; fateor enim, in eo casu non requiri, quod sit de Capitulo, quia neque ex verbis præcedentibus id colligi poterat; prout in casu nostro colligitur ex verbis proximè præcedentibus, in quibus duo primi dicuntur eligendi de Capitulo, quibus cùm postea dicatur addendus tertius, intelligitur cum eadem qualitate implicite repetita, vt vidimus.

Illud verò, quod in eodem argumento 10 addebatur, correctionem legum priorum esse vitandam, atque ideo hæc Concilij verba explicanda esse, vt minimum lædatur iurisdictio Episcopalis, quæ fundatur in iure antiquo. hoc, inquam, retorqueri maximè potest contra arguentes; si enim res hæc attentè perpendatur, constabit, illud decretum Tridentini magis fuisse promulgatum ad corrigendum ius antiquum circa exemptiones Capitularium, quàm circa potestatem Episcoporum: nam ius, quod extabat ante illud Tridentini decretum, non erat, quod Episcopi cognoscerent de criminibus Canonorum, sed potius quod hi essent exempti à iurisditione Episcopi, & subderentur solum iudicio Capituli. Pro quo aduerte, totum illud decretum non habere locum in ijs Capitulis, in quibus Episcopi poterant de iure, vel consuetudine de criminibus Capitularium iudicare; quoad hæc enim Capitula nihil prorsus voluit Tridentinum Episcopis demere, sed addere illis iurisditionem cum adiunctis in ijs Capitulis, quæ ab Episcopi iurisditione exempta erant. Si ergo lex hæc noua correctoria est, corrigit quidem iura antiqua, quæcumque illa essent, quæ Capitularium exemptionibus fauebant. Quare, si correctio legum priorum vitanda est, & lex noua in eo sensu intelligenda, in quo minùs corrigat legem priorem, consequens potius esset, vt verba Tridentini in eo decreto in dubio ita intelligi debeant, vt minùs recedatur à lege anteriori eximente Capitulares à iudicio aliorum, præterquam ipsius Capituli.

Addè, si non solum attendamus ad leges 11 proximè anteriores, quæ Concilium Tridentinum præcesserunt, & fauebant exemptioni Capitularium, sed ad leges antiquiores, & vetustiores; has etiam reperiri fauentes exemptioni Canonorum, vt non debeant ab inferioribus iudicari, sed ab Episcopo cum Capitulo, vt habetur ex Concilio Carthag. *IV. cap. 23. & Hispal. II. cap. 6. relatis in cap. penult. & vlt. 15. q. 7. in*

quorum primo dicitur: *Episcopus nullius causam audiat sine consensu Clericorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum presentia confirmetur.* In secundo autem additur ratio his verbis: *Episcopus Sacerdotibus, ac Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* & paulo post: *Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno iudicante poterunt honoris sui privilegii exui: sed presentati Synodali iudicio, quod Canon de illis praeceperit, definiri.* in quo etiam sensu loqui videtur Alexander II. in cap. 1. de excessibus Prælatorum, ubi Episcopis prohibet, ne Presbyteros sine iudicio Capituli suspendere, vel eorum Ecclesias interdicto subiicere attentent, ubi gloss. verb. Capituli, dicit, requiri consensum Capituli, prout etiam illud, iudicium Capituli, explicuit Felinus in cap. irrefragabili, sub num. 3. vers. sed dic, quod imò, de offic. ordinarij, & videri possunt Lotterius de re beneficiari lib. 1. q. 5. num. 60. & seqq. Barbosa de Canon. cap. 25. n. 1. Lud. à Seuaría in tract. de adiunctis q. 1. à num. 10. usque ad 47. Si ergo legum antiquorum correctio vitanda est in interpretatione legis nouæ, debemus in eo magis sensu decretum Tridentini intelligere, ut minus derogetur iuri antiquo, quo Canonici iudicari non poterant sine iudicio ipsius Capituli. Certum est autem, magis recedi ab hoc antiquo iure, si decisio causæ deferatur ad iudicium Clerici non Capitularis, quàm si tertius adiunctus debeat esse de corpore Capituli, quo casu iam videtur Capitulum ipsum per vnum de Capitulo de causa tota cognoscere.

12. Ad secundum argumentum similiter responderetur, non esse rationem specialem in electione tertij, ob quam ille non debeat esse de Capitulo, sicut de aliis duobus explicuerat Tridentinum. Fateor, Concilium intendisse æqualitatem constituere, & ideo duobus adiunctis dedisse vnicum votum, & quod vtrique æquiualeret Episcopus. In casu autem discordiæ curauit idem Concilium seruare æqualitatem, quantum fieri poterat: & ideo voluit, quòd tertius eligeretur quidem de Capitulo, sed qui esset gratus Episcopo, sine cuius consensu electio tertij non possit subsistere: qui Episcopi consensus non requiritur ad electionem aliorum duorum adiunctorum, sed eliguntur à Capitulo independentem ab Episcopo: tertius autem debet esse gratus Episcopo, & ab eo simul cum Capitulo nominari. Præsumitur autem, semper in Capitulo reperiri aliquem, de cuius integritate Episcopus confidere pos-

sit, quòd si Capitulum hunc noluerit, recurretur ad Superiorem, à quo cogetur Capitulum in electionem illam consentire, si persona apta, & idonea æstimabitur.

Vnde ad tertium argumentum responderetur, non esse vniuersaliter verum, quòd omnes Capitulares sint suspecti, quando agitur de aliquo Canonico puniendo: nam certum est, Sede vacante, totam iurisdictionem residere penes Capitulum, à quo, vel ab eius Vicario Capitulari Canonici delinquentes iudicantur, & puniuntur. Idemque seruatur in omnibus Ordinibus religiosi exemptis, in quibus Capitulum Generale, vel Prouinciale cognoscit de criminibus Religiosorum sine interuentu Episcopi. Nec obstat textus in cap. cum R. Canonici, de offic. delegati. nam ibi in primis non agebatur de puniendo Canonico, sed laico quodam ad instantiam Canonici, vel de lite ciuili inter illos. Et quidem, quamuis concedamus iudicem Canonicum esse suspectum laico litiganti cum alio Canonico, quia iudex debet esse indifferens vtrique parti: aliud tamen est, quando agitur de corrigendo Canonico, in cuius correctione habet interesse totum Capitulum, cuius interest bonum nomen, & integritas morum in suis Capitularibus: quare meritò præsumi potest zelus Capituli ad correctionem necessariam, præsertim interueniente Episcopo cum suffragio æquali & potente Episcopo in casu discordiæ eligere Capitularem tertium zelo flagrantem, cuius electio, si rationalis sit, approbabitur à superiore casu, quo Capitulum nollet consentire.

Meritò ergo sacra Congregatio Concilij Tridentini sæpiùs de hoc dubio interrogata, & auditis partibus, respondit, tertium eligi debere ex eodem Capitulo, ita responsum fuit semel in Palentina, & bis in Conchensi, postquam à Procuratoribus vtriusque partis acriter disputatum, & informatum fuerat: quare non videtur amplius ab hac sententia recedendum.

#### D V B I V M XXIV.

*An Episcopus possit deputare Confessarium extraordinarium in Parochiis unitis Abbatia regulari.*

IN quadam Diocesi Episcopus in Synodo diocesana constitutionem edidit,

dic, qua vt obuiaret periculo reticendi aliqua peccata in confessione, in iis præsertim locis, vbi vnus est Parochus, qui solus omnium confessiones audit, inter alia dixit: *Mandamus Vicariis foraneis, vt semel saltem in anno inuisant Parochias sibi subiectas, & ipse per se, vel alium Sacerdotem à nobis approbatum tanquam Confessores extraordinarij audiant confessiones singulorum illius Parochia, monito prius populo, vt singuli parati accedere valeant, & concordato tempore cum illo Parocho, ne res improvisa haud patiatur sortiri effectum, quem attendimus.* Et pro illa vice concedimus illi Confessario facultatem absoluedi à casibus reseruatæ cruce non signatis per tres dies, & plures si tanto tempore perseuerauerit in audiendis confessionibus illius populi.

2. Erant autem intra illam Diocesim aliquæ Ecclesiæ Parochiales unitæ cuidam Monasterio cuiusdam Ordinis Monachalis, quarum cura exercebatur vel per Monachos, vel per Sacerdotes seculares ad nutum Abbatis Monasterij deputatos, & ab Episcopo approbandos iuxta præscriptum Concilij Tridentini sess. 2. cap. 11. de Regularib. Vnde Abbas Monasterij conquestus est, quòd inferretur sibi præiudicium, si Episcopus vltra approbationem veller etiam sibi assumere nominationem Confessarij extraordinarij pro illis oppidis, in quibus Confessarius ordinarius, seu Parochus ab Abbate nominari debet, ab Episcopo autem solùm debet approbati. Videtur autem Abbati fauere in primis decretum Tridentini dicti cap. 11. quo statuitur, vt in Ecclesiis Parochialibus unitis Monasterio Regularium, Parochus, seu Vicarius nominari debeat à Prælato regulari, approbati verò ab Episcopo, in cuius Diocesi Parochiæ sunt. Si ergo ad Abbatem spectat nominare Confessarium ordinarium illius Parochiæ, ad eundem spectabit nominare Confessarium extraordinarium, qui similiter ab Episcopo approbetur. Quod maximè confirmatur ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Ad exequendum*, & habetur in Bullario tom. 1. & cap. 46. inter Bullas Pij V. vbi expressè habetur ad Prælatos regulares spectare deputationem Vicarij, qui curam animarum exercent in eiusmodi Ecclesiis unitis Monasterio Regularium, ad Episcopum verò spectare approbationem illius, quem Regulares nominauerint. Notandum autem est, prædictam constitutionem Pij V. emanasse post publicationem Concilij Tridentini, vt ad-

D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

uertit Gonzalez in regul. 8. Cancell. gloss. 5. §. 3. num. 52. qui num. 79. addit, hanc constitutionem non esse reuocatum per Bullam Gregorij XIII. datam Kal. Martij anno 1.

3. Confirmatur item ex Bulla 18. Gregorij XV. in qua licet Regulares exercentes curam animarum circa hoc exercitium, & administrationem Sacramentorum subiiciantur omnimodæ iurisdictioni Episcoporum: ibi tamen §. 5. declaratur, quòd in Monasteriis Monialium subditis Prælati Regularibus, ad hos spectat nominare Confessarios ordinarios, & extraordinarios, ab Episcopo tamen approbandos. Similiter ergo in illis Parochiis unitis Monasterio, ad eundem Abbatem, ad quem spectat nominare Sacerdotem habentem curam ordinariam animarum, spectabit etiam nominare habentem curam extraordinariam, seu Confessarium extraordinarium, ab Episcopo tamen approbandum, & instituendum.

4. Denique videtur facere pro eodem Abbate, quòd, licet Episcopus possit visitare illas Parochias, & corrigere in iis, quæ spectant ad curam animarum; debet tamen per se ipsum visitare, si possit, & non per Vicarium, maximè foraneum, vt refert, & probat Stroz. de off. Vicarij. Imò in rigore in casu nostro Vicarius foraneus non videtur deputari ab Episcopo ad visitandum, sed ad ipsum exercitium curæ animarum, quod est audire confessiones: quare videtur Episcopi potestatem excedere. Et quidem pro Abbate respondit Sacra Congregatio Concilij Tridentini in quadam Regiensi 18. Iulij 1648. ab Abbate deputandum Confessarium extraordinarium, & ab Episcopo approbandum.

5. Hanc tamen responsionem ego non ita intelligo, vt Episcopus non possit alicui Sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones incolarum in illis Ecclesiis: quamuis enim Ecclesiæ illæ sint unitæ Monasterio, & Parochi debeant ab Abbate nominari: hoc tamen non facit, quòd Episcopus non possit in illis etiam Ecclesiis, & eorum oppidorum incolis Sacramenta ministrare, cum id absolutè possit in omnibus Parochiis suæ Diocesis. Posset ergo sine proprij Parochi presentia, Episcopus assistere matrimonio aliquorum in illa Parochia, posset illorum confessiones audire, eosque à peccatis sibi reseruatæ absolueret, à quibus Parochus proprius sine speciali Episcopi licentia absolueret non posset; quare

Ff 3

quare ad hæc, & similia posset Episcopus dare licentiam aliis Sacerdotibus, qui, si ab Episcopo sint approbati, & habeant ab eo licentiam audiendi confessiones in illa Ecclesia, non video quomodo possent à Parocho, vel ab Abbate impediri, sicut nec Episcopus ipse impediri posset, ne ibi confessiones audiat suorum subditorum. In quo est differentia à Confessario extraordinario deputato ad audiendas confessiones Monialium; quando enim hæc sunt exemptæ, Episcopus non potest dare iurisdictionem Confessario ad eas confessiones, sed solum debet illum approbare, & Prælati regularis confert iurisdictionem, quia Moniales sunt eius subditæ, & exemptæ ab Episcopi iurisdictione. At verò incolæ illius oppidi sunt subditi, & oues ipsius Episcopi, qui potest illos per se, vel per alios absoluerè, quamuis cura animarum sit vnita Monasterio, ad quod spectat per Monachos, vel seculares cum approbatione Episcopi illam exercere. Non ergo intendit Congregatio negare Episcopo facultatem delegandi Confessarios, qui in tota Diocesi, atque aded etiam in illo oppido possint audire confessiones; sed quia agi videbatur de designando Confessario speciali extraordinario pro illa Ecclesia, qui quasi ex officio esset coadiutor Parochi quoad curam animarum, quæ cura ibi exerceri debet per Monachos, vel per secularem ab ipsis deputatum, videbatur Monachis præiudicari, si non ipsi, sed Episcopus deputaret alium ad hanc curam etiam ad tempus, & hoc solum præcauere intendit sacra Congregatio in præfata responsione.

## D V B I V M XXV.

*An potuerit Episcopus prohibere Regularibus, ne in Ecclesiis secularibus Missas celebrent.*

**E**piscopus certis de causis prohibuit Parochis, ne in suis Ecclesiis permitterent Missas celebrari à Regularibus, nisi ij ab Episcopo licentiam haberent: postea verò in Synodo Diocesana declarauit, id intelligi solum de ijs Missis, ad quas in ijs Ecclesiis celebrandas Regulares pacto ob certum stipendium sese obligauerunt. Motus autem fuit Episcopus eo fine, vt rixarum materiam inter Regulares, & seculares Sacerdotes impediret; cum enim multi es-

sent Sacerdotes seculares pauperes, non debebant cum eorum incommodo admitti Regulares ad partem stipendij, quod pro Missis in eorum Ecclesiis celebrandis fideles contribuere vellent, præsertim, quia hac occasione Regulares sine socio plerumque extra Conuentum vagabantur, non sine aliorum scandalo, ac proprias Ecclesias destituebant, cum incommodo fidelium vicinorum, qui in ijs non inueniebant Missas, quas possent pro sua deuotione audire, & vt diebus festiuis præcepto satisfacerent.

Dubitatum fuit, an hæc prohibitio præiudicaret libertati, & immunitati Regularium, qui videntur facultatem habere vbi que liberè celebrandi. Dixi, in rigore non præiudicare, quia facultas celebrandi non dat ius cogendi dominum, vt eo inuito, possint Regulares in eius domo celebrare. Possunt itaque celebrare vel in suis locis, vel etiam in alienis, permittentibus loci dominis; semper enim præsupponuntur termini habiles in eiusmodi facultatibus. Quare dum habent Religiosi facultatem celebrandi in priuatis etiam Oratorijs approbatis ab Ordinario, semper subintelligitur, si dominus illius domus, in qua est Oratorium, non contradixerit. Alioquin possent Regulares irruere manu armata, vt inuito etiam domino portas aperirent, & Missam celebrarent, quod nemo concedet. Cum ergo Ecclesiæ seculares sint sub dominio, vel libera administratione Cleri secularis; non videntur habere Regulares ius, vt Clero seculari inuito, possint adhuc in eiusmodi alienis Ecclesiis celebrare. Quare Episcopus, qui est supremus Parochus in tota Diocesi, non infert Regularibus iniuriam, si nolit suas Ecclesias Regularibus ad celebrandum commodare, nisi specialem ad hoc licentiam ab eo obtineant; vnusquisque enim est dominus suæ domus, & potest eius vsum aliis concedere, vel negare. Fateor, non posse Episcopum prohibere, ne Religiosi ingrediantur Ecclesias seculares ad audienda ibi diuina Officia, & orandum, quia hoc esset excludere illos à beneficio communi totius populi, & quia locus ille quoad hæc omnia communis est, & omnes habent ius illuc ad hæc omnia ingrediendi. Quoad celebrandum verò, vel canenda diuina Officia, non est locus omnibus communis, sed subest illis, à quibus legitimè regitur, & possideretur: quare quoad hæc potest Episcopus, vel Clerus admittere, & reicere quos voluerit.

Quod

**3** Quod videtur manifestè probari argumento à contrario: quia ipsi Religiosi non tenentur admittere in suis Ecclesiis ad celebrandum omnes Clericos seculares, qui ibi celebrare noluerint: nec possent Parochi iure conqueri, quod à Regularibus non permittantur, quoties volunt, in eorum Ecclesiis celebrare. Imò Pius V. in Bulla edita in fauorem Mendicantium, quæ est 41. in 2. tom. Bullarij inter Bullas Pij V. §. 2. num. 25. declarat, & mandat omnibus Ordinarijs, *ne mortuorum Officia agere Rectores Parochialium in Ecclesijs ipsorum fratrum contra illorum voluntatem permittant.* quam partem non fuisse reuocatum, sed potius ita fuisse sæpe à S. Congregatione decisum, testantur Peregrin. 2. part. sui Compendij, tit. Sepultura, in scholio §. 3. Laurent. de Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in constit. 2. Iulij 2. §. 21. num. 57. & Lezana tom. 1. cap. 12. num. 38. & tom. 2. cap. 1. num. 47. & tom. 3. verb. defunctus, num. 6. Esset ergo odiosa inæqualitas, si quod Clerici seculares non possent in Ecclesia regulari facere sine Regularium licentia, id possent Regulares in Ecclesia seculari sine Clericorum consensu, imò ipsis repugnantibus, & contradicentibus. Denique hoc ipsum sacra Concilij Tridentini Congregatio decreuit, & respondit in fauorem Episcoporum anno 1648.

**4** Solum posset obici in fauorem Regularium Bulla illa proximè relata Pij V. edita in fauorem Mendicantium, vbi §. 2. num. 8. dicitur, quod *Fratribus mendicantibus non solum prohiberi non possit, ne Missas, & alia diuina Officia faciant in eorum Ecclesijs, verum etiam in quibuscumque alijs, vbi celebrari Missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant.* Ad hoc verò facilis esset responsio, dicendo, Bullam illam Pij V. reductam fuisse postea ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit, *In tanta*, & est 9. inter Bullas Gregorij tom. 2. Bullarij. Quare cum de iure communi non possent cogi Parochi ad admittendos Regulares volentes in eorum Ecclesijs celebrare, non poterunt etiam nunc ad id compelli ex vi prædictæ Bullæ. Verum ibi fortasse non est sermo de casu nostro, sed quia Parochi prætendebant, Regulares non posse celebrare pro mortuis, vel facere eorum Officia in proprijs, vel aliorum Ecclesijs, nisi ipso Parocho vocato; decernitur, posse non solum in Ecclesijs proprijs, sed in alijs, non vocato Parocho: quare hoc vltimum vi-

detur intelligendum suppositis terminis habilibus, hoc est, si ij, ad quos illæ aliæ Ecclesiæ spectant, non contradicant, sed consentiant: vt si esset Ecclesia regularis alterius Ordinis, vel Hospitalis, aut alius locus, vbi solent diuina celebrari, & cuius administratores id gratum habeant Aliud verò est cogere Parochum, vt in propria Ecclesia sinat Regulares Diuina celebrare, quod esset nimis violentum, neque vnquam Capitulum Ecclesiæ Cathedralis permetteret, vt Regulares venirent ad suam Ecclesiam, ad celebrandum solemniter, vel cantandum diuinum Officium, nisi quando ad id vocantur in casu speciali, vt in exequijs Regum, quo casu solet singulis Religionibus vna Capella designari, vt ibi pro anima defuncti canant solemniter Missam, & Officium defunctorum.

## D V B I V M XXVI.

*An sufficiant coniectura de mente testatoris, vt Capellanus teneatur celebrare per se ipsum, quando testator id satis non expressit.*

**T**estator dixit, & iussit, vt Capellani deinceps canonicè instituantur, & infra annum à die institutionis, & pacificæ possessionis in Presbyteros se faciant promoueri, & personaliter resideant, quinque Missas quolibet hebdomada ad dictum Altare celebrent, &c. nisi legitimo impedimento fuerint occupati: quo casu celebrare per alium facere sint adstricti, alioquin pro defectu cuiuslibet Missæ 12. denarios Parisienses monetæ Flandriae, fabricæ, & mensæ pauperum dictæ Ecclesiæ Parochiali dare teneantur. Nec supersedere poterit idem Capellanus, qui erit pro tempore per mensem de celebrando, vel celebrare faciendo Missas huiusmodi mediante solutione dictorum 12. denariorum, &c. nisi infirmitate notabili detentus fuerit, & salua honestate. De facto tamen à tempore memorabili, nullus Capellanus per se ipsum resedit, vel Missas per se ipsum celebravit, sed per substitutos. Quæsitum fuit, an id licitè fieri potuerit, & deinceps permitti, vel fieri possit?

Videbatur negatiuè respondendum, quia, licet testator non fuerit vsum illis verbis formalibus, *Volo vt per se ipsos celebrent;* vsum tamen videtur à quipollentibus: cum autem agitur solum de indaganda mente, & voluntate testatoris, parum refert, quòd



his, vel illis verbis vsus fuerit, si tamen de eius mente satis constet. Porro in casu nostro testatorem mentem suam satis explicuisse, probari videtur in primis ex illis verbis, *quinque Missas qualibet hebdomada ad dictum Altare celebrent, &c. nisi legitimo impedimento fuerint occupati; quo casu per alium celebrare facere sint adstricti*; exceptio enim iuxta communem doctrinam firmat regulam in contrarium. Cum ergo excipiatur casus solus legitimi impedimenti, quo possit per alium celebrare, restat regula vniuersalis, vt cessante legitimo impedimento debeat celebrare per se ipsum. Secundò hoc idem colligitur ex obligatione accipiendi presbyteratum intra annum à die institutionis, & pacificæ possessionis; si enim sufficit facere Missas per alios celebrare, quid refert, quòd habeat, vel non habeat presbyteratum ipse Capellanus?

3 Nec satisfacies, si dicas nomine *Presbyteri* non semper debere intelligi Sacerdotem, vt in his terminis firmavit Rota coram Mantica *decif. 129. num. 2.* & in fortioribus terminis idem respondit sacra Congregatio Concilij in Ariminensi 17. Maij 1636. vbi mandabatur eligi vnum Presbyterum bonum, qui continuò celebret Missas, &c. Atque idem tenuit Rota in Macerateni beneficij 15. Ianuar. 1640. coram Merlino *column. 6. vers. non obstant verba, eligant vnum Presbyterum.* Hæc, inquam, non satisfaciunt in casu nostro: non enim solum petitur Presbyter, sed iubetur, vt suscipiat presbyteratum intra annum: quod non potest intelligi de statu clericali, quia ante institutionem, & possessionem debebat esse Clericus, vt constat; debet ergo intelligi de Ordine sacerdotali, pro quo frequentius stat nomen *Presbyteri*, præsertim in sermone Latino, in quo testamentum nostrum loquitur: licet in idiomate vulgari Italico vox *Prete*, latius soleat vsurpari, & extendi ad omnes Clericos, cuiuscumque Ordinis sint.

4 Tertiò videtur probari ex verbis illis, & *personaliter resideant*, nam residentia personalis non frustra exigitur, sed propter officium personale, quod in casu præsentis non est aliud, nisi celebrandi, cum nullum aliud onus Capellano imponatur. Si ergo posset pro libito substituere alium ad Missas celebrandas, non apparet, ad quid deberet personaliter residere. Denique non obstat obseruantia contraria subsequuta etiam ab immemorabili, quia hæc solum attenditur in dubiis, non verò quando

constat de voluntate testatoris, cui præiudicare non potest obseruantia contraria, vt obseruauit Rota apud Mantica *decif. 67. num. 2. & 3. & Lotterius de re beneficiaria, lib. 3. q. 27. num. 14.*

Sunt tamen pro contraria parte non pauca, vel leuia argumenta, quæ suadeant, non obligari prædictum Capellanium ad celebrandum per se ipsum, sed satisfacere, si alium Sacerdotem substituatur, qui pro ipso celebret: est enim regula generalis, quam sæpè canonizauit Rota Romana, quòd id sufficiat, quoties in foundatione non exprimitur, quòd bebeat celebrare *per se ipsum*, vt ex Lapo *allegatione 36.* quæ incipit, *Vtrum absque dispensatione*, decreuit Rota coram Mantica *decif. 129. num. 4. & dicta decif. 67. num. 1.* & priùs *decisum* fuerat ab eadem Rota in Romana Capellanæ 23. Ianuar. 1589. coram Hieronymo Pamphilio; latius in dicta Macerateni beneficij 15. Ianuar. 1640. coram Merlino *column. 3. vers. habens Capellaniam, & column. 4.* vbi aderant verba, *eligant vnum presbyterum, & column. 7. vers. eo demum.* de quo videri etiam potest Lotter. *dicto c. 27. num. 13.*

Hunc eundem sensum habuit sacra Congregatio Concilij, quæ sæpè respondit, posse Capellanium per alium celebrare, nisi in foundatione addita fuerint verba illa, *per se ipsum*. Ita in Tudertina anno 1572. vbi dictum fuit: *Sacra Congregatio censuit, si in foundatione beneficij, seu Capellanæ simplicis non fuerit expressum, quòd conferatur Sacerdoti, & quòd obtinens celebret per se ipsum Missas, non dici sacerdotalem, & posse conferre maiori 14. annorum, licet non sit Sacerdos.* quod sæpè aliàs responsum fuit; & quidem in terminis magis strictis, vt in Romana Capellanæ 23. Nouemb. 1641. vbi verba institutionis erant hæc, *Doueranno est Capellani nell' Altare priuilegiato celebrare due Messe.* videbatur enim illa dictio *est*, quod Latine sonat *ipsi*, æquipollere verbis illis, *per se ipsos*, cum sit verbum personalissimum ad oculum, vt per Gratianum in *tract. de dictionibus, dictione 103.* qui alios cumulat: & tamen sacra Congregatio Concilij *dubio bis mature discusso respondit, huiusmodi Capellanos, vt supra deputatos, non teneri per se ipsos Missas celebrare, cum non sit expressum, per se ipsos.* Item in quadam Ariminensi 17. Maij 1636. vbi mandabatur eligi Presbyterum bonum, qui continuò celebret Missas super Altare S. Petri, &c. & ipso Presbytero defuncto, aut si dum viveret, nollet celebrare, alius

alius Presbyter eligeretur. Et tamen Congregatio censuit, sic electum non teneri per se ipsum celebrare, quia non dictum erat, *per se ipsum.*

7 Vnde nec videntur obstare verba illa, *personaliter resideant*; quia hæc non videntur obligare ad celebrandum per se ipsum, quamdiu non dictum est, *per se ipsos*, prout in aliis similibus videtur intellexisse eadem sacra Congregatio, præsertim in Romana 18. Martij 1634. vbi verba foundationis erant: *Capellanus celebret quolibet die Dominico, Mercurij, & Sabbati, & omnibus diebus, quibus Missæ Canonicales, & communes celebrantur, & horis canonicis interesse debeat, nec non incedere processionaliter in omnibus processionibus.* & in Aretina 10. Aprilis 1645. in qua mandabatur celebratio Missarum, & quod diebus festis, & Dominicis, ac certis aliis personaliter interesset Missis cantatis, & Vesperis, & tamen quia non dicebatur *per se ipsos*, dictum fuit, posse per alium celebrare.

8 Quod confirmari potest primò ex verbis sequentibus, quibus dicitur, *Alioquin pro defectu cuiuslibet Missæ 12. denarios fabricæ, &c. dare teneantur.* ex quibus colligi videtur residentiam, quæ petitur in hoc casu, non esse continuam, sed causatiuam, quam latè explicant Doctores cum Butrio in *cap. fin. num. 6. vers. in 3. casu, de Clerico non residenti*, Gratian. *disceptat. forens.* qui alios allegat *disceptat. 133. numer. 25.* & Gonzalez in *regul. cancell. gloss. 15. num. 2. 1. & seqq.* qui residentiam causatiuam dicit esse, *solum respectu priuationis fructuum, ita quòd, licet non residendo priuetur fructibus, titulo tamen priuari non possit.* quod etiam firmavit Rota *decif. 551. coram Caualerio sub num. 4. in fine*, vbi erant verba, *debeant continuò residere*, iuncto *num. 6.* vbi allegantur decisiones concordantes. Item in *decif. 489. n. 2. post medium, cum seq. part. 2. in recent. & in decif. 255. num. 2. part. 4. in eisdem.* & in Segobien Capell. 13. Ianuar. 1623. coram Vbaldo, vbi erant verba, *Capellani debeant manere, & residere*, & in aliis. Sicut etiam in eandem sententiam respondit sacra Congregatio in Ragusina 18. Nouemb. 1628. & sæpè aliàs.

9 Confirmatur secundò ex verbis vltimis, in quibus testator magis suam mentem explicuit, dicens, quòd *si Capellanus per mensem non celebrauerit nec per se, nec per alium, non censeatur satisfacere soluendo ditos 12. denarios pro singulis Missis prætermisissis, nisi infirmitate notabili detentus fuerit, & salua debita honestate.* in quibus

verbis videtur ampliare facultatem Capellani, vt celebret per se, vel per alium, nisi obstat infirmitas, vel debita honestas. quæ verba prima facie videntur repugnare verbis præcedentibus, in quibus obligauerat Sacerdotem ad celebrandum per alium, quando ipse esset legitime impeditus. Quare, ne dicamus testatorem sibi contrarium fuisse intra pauca verba, conicienda est eius mens ex omnibus illis verbis, quòd scilicet desiderarit, Capellanium per se ipsum celebrare, si commodè possit. Noluit tamen celebrationem vacare, quando ipse non posset commodè celebrare, sed voluit tunc per alium celebrari, & ad hoc obligauit sub pœna soluendi 12. denarios pro singulis Missis: si autem negligentia illa celebrandi per se, vel per alium protraheretur per mensem, noluit satisfieri solutione illorum 12. denariorum. Quare videtur voluisse, quòd in eo casu posset procedi ad priuationem Capellanæ: & hæc videtur fuisse intentio testatoris. Voluit ergo primo loco, ne vlla occasione, vel impedimento intermitteretur celebratio Missarum, & ad hoc apposuit pœnam 12. denariorum pro singulis vicibus, & post mensem voluit vltèrius procedi ad priuationem Capellanæ, nisi infirmitas, vel honestatis debitum excusaret, qua excusatione interueniente, contentus fuit pœna ordinaria 12. denariorum. Desiderauit etiam, quòd Capellanus per se ipsum celebraret, si posset, & vt faciliùs posset, voluit etiam promoueri ad Sacerdotium intra annum. Noluit tamen præcisè ad hoc obligare, nec id exprimere, sed solum id, de quo magis curabat, nempe, quòd omnino faceret per alium celebrare, quoties per se ipsum non celebraret, quod quidem semel, & iterum expressit. Hanc verò fuisse eius mentem, sit satis verisimile ex obseruantia ab immemorabili consequuta, quòd Capellani per se ipsos non celebrarent, quod quidem patroni, & alij, quorum intererat, non ita facillè permisissent, si constaret de expressa voluntate contraria testatoris: quare ad minus videtur dubitatum fuisse de testatoris mente, propter verba non satis clara: & tunc attendi maximè debet ad obseruantiam, præsertim immemorabilem, vt habetur in *dicta decif. 129.* coram Mantica *num. 1. & sub num. 3.* & in fortioribus Rota *decif. 256. in fine, part. 2. diuers.* quæ affert concordantes, & colligitur ex *cap. cum dilectus, de consuetudine, & l. si de interpretatione, ff. de legib.* Cum ergo ex iis maneat aliquomodo

do dubia mens testatoris, videtur succedere regula, quod Capellanus non sit obligandus ad celebrandum per se ipsum, nisi id testator expresserit.

10 Hæc sunt, quæ pro vtraque parte afferri possunt, & satis ancipitem reddebant resolutionem: quare consulenda visa fuit sacra Congregatio Concilij, in qua, cum ter hoc dubium proponeretur, & diligenter discuteretur, tandem Congregatio 29. Maij 1649. post longam, & accuratam disputationem in eam sententiam venit, quod in casu proposito Capellanus non esset obligandus ad celebrandum per se ipsum, dum per alios satisfacere veller.

11 Vnde ad fundamenta in contrarium adducta, possumus ex supradictis respondere. Ad primum fatemur, verba illa, *ad dictum Altare celebrent, nisi legitimo impedimento fuerint occupati*, sonare obligationem celebrandi per se ipsos, & illam probarent, nisi modificationem acciperent ex verbis immediatè sequentibus, *alioquin pro defectu cuiuslibet Missæ, &c.* quibus pœna statuitur, quoties nec per se, nec per alium celebrat, & alia pœna grauior, si per mensem id fiat, nisi infirmitas, vel honestas excuset. Ex limitatione enim vtriusque pœnæ ad casum solum, quo nec per se, nec per alium celebret, relinquitur ad minus dubia intentio testatoris circa obligationem præcisam imponendam ad celebrandum per se ipsum, ut paulò antè dicebamus. Quare videntur ea verba interpretationem recipere, ut significant debitum decentiæ, & desiderium testatoris, qui quando obligationem voluit imponere, clarioribus verbis vsus est in immediatè sequentibus, dicens, *quo casu per alium celebrare facere sint adstricti: alioquin pro defectu, &c.*

12 Ad secundum fateor, testatorem voluisse, quod Capellani fierent Sacerdotes intra annum, ut possent per se ipsos celebrare, quod ipse magis desiderabat: noluit tamen ad hoc præcisè, & expressè obligare. Magis enim desiderabat, ne Missarum

celebratio intermitteretur, quod periculum, ut omnino præcaueret, noluit ita strictè prohibere celebrationem per alium, timens fortasse, ne si id omnino prohiberetur, Capellanus ægrotans, vel legitimè impeditus, posset hoc prætextu Missæ celebrationem omnino omittere. Ideo ut hoc periculum vitaret, voluit benignior esse circa obligationem celebrandi per alium, quia minus malum id reputabat, quàm si omnino Missæ celebratio omitteretur. Ex obligatione ergo accipiendi presbyterorum non arguitur clarè obligatio celebrandi per se ipsum, cum potuerit id præcipi, (ut dixi,) ad hoc, ut Capellanus magis promptus esset ad celebrandum per se ipsum.

Ad tertium denique responderi potest, 13 verba illa, & *personaliter resideant*, non posse afferre maius onus, quàm verbum *celebrent*, cum non impositum sit Capellanis onus assistendi Choro, vel Officiis diuinis, sed solum celebrandi. Quare cum ex sequentibus verbis colligatur, non fuisse præcisum onus celebrandi per se ipsos, sed vel per se, vel per alios, ut vidimus, eodem modo debet intelligi residentia, præsertim cum ex verbis subsequentiis appareat, illam non fuisse residentiam præcisam, sed causatiuam, nempe sub pœna soluendi 12. denarios, quoties nec per se, nec per alium celebratum fuerit, nec excogitari possit in hoc casu aliud genus residentiæ, nisi quatenus necessaria sit ad celebrandum eo modo, quo celebratio imponitur. Si tamen aliquis velit, testatorem obligasse præcisè Capellanos ad residendum, ut facilius posset celebrare per se ipsum; sicut ob eandem rationem videtur eum obligasse ad suscipiendum Sacerdotium intra annum, ut posset per se ipsum celebrare, quamuis noluerit præcisè obligare ad celebrandum per se ipsum, ut supra vidimus; non erit de hoc multum contendendum, dum tamen possit satisfacere celebrando per alium, prout diximus, sacram Congregationem nouissimè declarasse.



## LIBER SEXTVS

## Continens dubia ad varias materias spectantia.

## D V B I V M I.

*An maneat reseruatam Summo Pontifici votum castitatis, postquam dispensatio obtenta fuit ad effectum contrahendi matrimonium.*



QVANDO frequenter contingit, solet enim is, qui votum castitatis emisit, petere apud sacram Pœnitentiariam dispensationem, ut possit matrimonium contrahere, ob varias causas, quæ ad id obtinendum allegari solent: dispensatio autem, vel commutatio solet concedi ad effectum solum contrahendi matrimonium, ita ut quoad reliqua maneat voti vinculum; imò cum clausula expressa, ut si coniux moriatur, ille, qui votum emisit, *debeat postea celebs manere, utpote eodem voto obligatus*, ut aduertit Thomas Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 31. num. 2. & in compendio privilegiorum Societatis, verb. dispensatio, §. 9. ubi habebatur facultas, quæ ex viuz vocis Oraculo, & ex commissione Prouincialis poterant Confessarij Societatis dispensare cum suis pœnitentibus ad petendum debitum, quando post votum simplex castitatis matrimonium contraxerant, & additum expressè fuit, ne id faciant, nisi *monito pœnitente, ut si coniugi superuiuat, votum seruet*; quia nimirum dispensatio est ad casum specialem, manente adhuc voti vinculo quoad reliqua. Dubium ergo erat, an postquam votum non manet integrum, sed dispensatum, & ablatum quoad sui partem, maneat adhuc reseruatam soli Summo Pontifici, an verò maneat in tali statu, ut possit per commutationem, vel dispensationem tolli ab iis, qui possunt vota non reseruata commutare, vel dispensare.

2 Ratio dubitandi erat, quia regula generalis esse videtur, quod quoties materia

voti deficit quoad aliquid à materia integra voti reseruati, votum illud non censetur reseruatam, ut cum aliis docet latè Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 42. & sequentibus. Vnde Doctores communiter inferunt, non esse reseruatam votum castitatis coniugalis, nec votum castitatis temporalis, nempe per aliquot annos, nec votum non petendi debitum, nec votum non ineundi matrimonium, nec votum non fornicandi, quia horum votorum materia deficit à materia integra voti castitatis: in hoc autem statu videtur remanere votum illud castitatis post dispensationem concessam ad matrimonium; iam enim vouens non manet obligatus ad castitatem integram, sed solum ad castitatem coniugalem, & ad abstinendum à secundis nuptiis. Reductum est ergo votum ad eum statum, in quo fuisset, si à principio non fuisset factum votum castitatis omnimodæ, sed solum votum castitatis coniugalis, & abstinendi à secundo coniugio, quod sanè votum non fuisset reseruatam ex defectu materiæ integræ: qui ergo reduciè votum castitatis ad votum castitatis coniugalis, & abstinendi à secundis nuptiis, eo ipso videretur auferre reseruatum, cum reducat votum ad statum, in quo si ab initio conceptum fuisset, non fuisset villo modo votum reseruatam.

Confirmarique potest, & explicari ex doctrina, quam idem Sanchez ibi num. 46. & lib. 8. de matrim. disput. 9. num. 20. & alij, quos in vtroque loco affert, tradunt, & probant, posse ab aliis commutari, vel dispensari materiam non reseruatum, in quam auctoritate Summi Pontificis votum reseruatam commutatam fuit. v. gr. si votum

rum castitatis commutatum fuit à Pontifice in ieiunia, & alia opera pia, posse postea per dispensationem, vel commutationem tolli hanc obligationem à potente commutare, vel dispensare vota non reseruata, quia per priorem dispensationem, vel commutationem obligatio prior circa materiam reseruata transit in obligationem circa materiam non reseruata, nec detulit secum reseruationem. Idem ergo dicendum videtur in casu nostro, in quo per dispensationem obligatio circa castitatem integram, quæ erat materia reseruata, transit in obligationem circa castitatem incompletam, quæ est materia non reseruata: non ergo remanet reseruatio, ablata obligatione circa materiam reseruata.

4 His tamen non obstantibus, dixi, manere adhuc votum illud reseruatum Summo Pontifici. quod quidem supponere videntur Doctores pro comperto, quamuis id in particulati non disputent; loquuntur enim de obligatione illa remanente, quasi de obligatione, quam nemo alius à Summo Pontifice tollere possit. Vnde, quando Doctores communiter dicunt, posse Episcopum dispensare in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, quando non est recursus ad Summum Pontificem, & est periculum ingens in mora, declarant, id ita esse intelligendum, vt solum dispenseretur ad id, quod præsens necessitas exigit, atque ideo dicunt, non posse Episcopum dispensare, vt soluto postea illo matrimonio, possit ille aliud matrimonium contrahere, vel etiam vt durante eo matrimonio, fornicatio non sit contra votum; quia, cum sola necessitas vrgens hanc dispensandi potestatem Episcopo tribuat, eatenus solum potestas extendetur, quatenus necessitas postulat. Ita cum aliis P. Suarez, quem affert, & sequitur Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 40. num. 40.* qui idem docuerat *lib. 8. de matrimonio, disp. 9. num. 26.* quod etiam docent Basilius Pontius *lib. 8. de matrim. cap. 9. num. 1.* Syluester, Nauarrus, Reginaldus, Layman, & Bonacina, quos affert, & sequitur Lezana *tom. 4. questionum regul. verb. votum pro Regularibus, num. 12.* Hæc autem doctrina subsistere non posset, si per priorem dispensationem reseruatio tota tolleretur: nam, postquam Episcopus semel dispensauit ob periculum ingens, ad contrahendum statim matrimonium, iam non manet obligatio ad totam integram materiam voti castitatis, sed ad partem illius: pote-

rit ergo rursus Episcopus, vel alius habens facultatem dispensandi in votis non reseruatis, dispensare in obligatione voti remanente, vel illam commutare, cum iam illam inueniat absque reseruatione. Malè ergo prædicti Auctores aduertunt, non posse Episcopum ob necessitatem, & periculum imminens dispensare, nisi ad illum solum effectum, ad quem necessitas vrget, non verò quoad reliqua, ad quæ non vrget necessitas, & quæ intra materiam voti præcedentis comprehendebantur; imò enim debuissent dicere, Episcopum non posse directè, & ex primaria intentione dispensare, nisi quoad contrahendum illud matrimonium, ad quod necessitas vrget: consequenter tamen, & secundariò posse postea in tota voti materia dispensare, eo quòd propter ablationem obligationis quoad vnã partem, remanserit iam materia voti incompleta, atque ideo non reseruata, sed subdita dispensationi, & commutationi Episcopi, & aliorum, sicut alia omnia vota non reseruata; quòd tamen longè abest à sensu Doctorum, quos attulimus, qui expressè dicunt, non posse Episcopum dispensare quoad secundum matrimonium, nisi postea alia noua necessitas occurrat similis priori, ratione cuius, & propter periculum in mora, possit, sicut dispensauit prima vice, ita etiam secunda vice propter simile periculum dispensare. Supponunt ergo, etiam posita prima dispensatione, remansisse votum reseruatum, sicut antea, ad reliquam partem materię promissæ, ad quam non se extendebat reseruatio. Idem ergo dicere debent in casu nostro, quando Papa dispensat solum ad effectum contrahendi vnum matrimonium, & cum clausula, quòd maneat obligatio voti quoad reliqua. Quòd enim dispensatio fiat à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, parum videtur referre quoad hoc. Primò, quia Episcopus in illo casu non videtur propria auctoritate dispensare, sed auctoritate Papæ, qui præsumitur propter necessitatem, & periculum tunc ei suas vices committere, vt expressè notauit Sanchez *dicto lib. 4. in Decalog. c. 40. num. 40.* dicens, quòd in eo casu necessitatis & periculi Episcopus *dispensat nomine Papæ ex interpretatiua eius voluntate.* Vnde postea *cap. 43. num. 7.* dicit Regulares habentes facultatem dispensandi in votis reseruatis Episcopo, non posse dispensare in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, quando Episcopus ob necessitatem, & periculum potest dispensare, quia

in

in eo casu sunt vota illa verè reseruata Papæ, & ideo casus ille non censetur Episcopalis, & ordinario Episcoporum iuri subiectus; sed per accidens potest Episcopus in eo dispensare ex quadam benigna voluntatis reseruantis interpretatione. Tunc ergo reseruatio etiam tollitur ab ipso Papa, vel ex eius voluntate, sicut quando ad eundem effectum dispensatur à maiori Pœnitentiario. Secundò, quia, etiam si daremus dispensationem tunc dari ab Episcopo propria auctoritate, id parum refert ad nostrum propositum: nam, quomodocumque id fiat, obligatio voti præcedentis non manet integra, sed diminuta quoad partem. Si ergo hæc diminutio ex parte materię non facit, quòd obligatio remanens non maneat reseruata Papæ, vt supponunt apertè illi Doctores; non apparet, cur non maneat etiam reseruata, quando ipse Papa dispensat ad effectum solum, contrahendi vnum matrimonium, cum non magis perseueret obligatio voti integra in primo casu, quàm in secundo.

5 Ratio denique à priori, ex qua solui etiam potest ratio dubitandi in contrarium proposita, ea videtur esse, quòd in his casibus votum castitatis integræ præcedens non commutatur in votum castitatis incompletæ, nec vna obligatio succedit, vel subrogatur loco alterius, prout fit, quando votum castitatis commutatur in alia opera pia. Sed, si res attentè consideretur, votum idem præcedens permanet quoad sui partem: sicut enim eius materia erat diuisibilis, ita erat diuisibilis eius obligatio in plures obligationes partiales, ex quibus illa obligatio, quæ prohibebat hoc primum matrimonium, ablata est per dispensationem, & commutata in obligationem nouam ad alia opera pia; quare hæc noua obligatio non est reseruata, iuxta probabilem aliquorum sententiam supra relatam, quia hæc non est ad castitatem, sed ad alia opera pia. Illa autem alia pars obligationis præcedentis prohibens secundum matrimonium, & alia omnia, quæ castitati aduersantur præter primum coniugium, non est obligatio noua, sed est eadem omnino, quæ antea erat, quæ nunquam fuit ablata, sed eadem perseuerat, sicut erat prius. Cum ergo à sui initio fuerit reseruata, non mirum, quòd perseueret cum eadem qualitate, & reseruatione, cum qua genita fuit: nam reseruatio ita affectit votum illud, vt omnes, & singulas eius partes affecterit; quare non solum totum votum per modum totius,

D. Io. Card. de Lugo *Responf. mor.*

sed singulæ eius partes reseruatae fuerunt, quam rationem videtur mihi breuiter insinuasse Basilius Pontius *loco supra citato,* dicens: *In talibus autem casibus non concedit Episcopus simpliciter, & absolute dispensationem auferendo obligationem voti, sed tantum ex parte quoad illum finem, & effectum.* Quod idem dicere potuit de Papa dispensante expressè solum quoad illum effectum contrahendi semel matrimonium; in neutro enim casu tollitur obligatio voti, nisi quoad sui partem, quoad alias verò eadem profus obligatio, & idem votum perseuerat, quod erat antea.

Confirmari potest primò hæc ratio exemplo excommunicationis reseruatae, à qua ille, qui in articulo mortis absoluitur, debet, si conualuerit, præsentare se quamprimum possit, Prælato superiori, cui reseruata erat excommunicatio, alioquin in eandem excommunicationem reincidit, vt decernitur *in cap. eos, qui, de sent. excomm. lib. 6.* quo casu, si ille, qui conualuit, non satisfaciatur debito suo, relabitur quidem in excommunicationem, non simpliciter, sed reseruata, sicut erat prior, cuius rationem eam esse diximus *disp. 20. de pœnit. sect. 10. num. 212. & seqq.* quia excommunicatio illa iuris, licet videatur esse diuersa à priori; moraliter tamen, & fictione iuris non est diuersa, sed eadem in specie, & in indiuiduo, quæ fuerat prius, & reuixit; atque ideo retinet eandem reseruationem, quam antea habebat, licet fortasse non semper reddat excommunicatum non toleratum, atque vitandum, sicut antea reddebat, vt *ibidem explicui n. 216.* Hoc autem multò magis locum habet in casu nostro, in quo non quidem fictione iuris, & solum moraliter, sed verè, & realiter perseuerat eadem obligatio, & idem numero votum præcedens, obligans ad partem materię promissæ, atque adeò remanere debet cum sua reseruatione, quam habebat; quia, vt diximus, non commutatur votum præcedens in hoc aliud votum minus, sed extinguatur pars prioris voti, remanente alia parte eiusdem voti, quæ pars omnino intacta fuit, & ideo hæc pars retinet eandem naturam, & qualitatem, quas ab initio habebat.

Confirmari potest secundò alio exemplo Ordinum militarium, cum quorum equitibus, cum antea ad integram castitatem obligarentur, dispensatum fuit, vt solum ad castitatem coniugalem obligarentur: quam dispensationem aliqui putant factam fuisse non solum pro illis, qui

G g deinceps



deinceps Professionem emitterent, sed etiam pro iis, qui iam Professi erant. Sed, quidquid fuerit de facto, loquendo tamen de possibili, negari non potest, quia Summus Pontifex, interueniente iusta causa, utroque potuerit comprehendere, ut notauit P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 26. num. 9. quo casu dispensatio non cadebat supra totam materiam voti castitatis religiosæ, sed supra partem illius, ita ut idem votum præcedens remaneret, & obligaret quoad alias partes, in quibus non fuerat dispensatum. Manebat autem votum cum eadem reservatione, & indespenfibilitate, quam antea habuerat, cum esset adhuc votum annexum statui, atque aded tale, ut nemo, nisi Summus Pontifex, posset illud dispensare, vel commutare.

8. Hæc autem ad minus probant, posse Summum Pontificem, quando dispensat in voto simplici castitatis in ordine solum ad contrahendum vnum matrimonium, relinquere idem omnino votum in ordine ad omnem aliam materiam castitatis, quam comprehendebat, intactum, & cum eadem omnino reservatione, quam habebat; quia, ut optimè explicuit idem Suarez dicto cap. 26. num. 8. votum castitatis, siue simplex sit, siue etiam solemne, non est indiuisibile, sed diuisibile ex parte obiecti, & ideo potest non in totum, sed pro maiori, vel minori parte auferri pro arbitrio dispensantis, iuxta exigentiam causæ, cui dandum est id solum, quod ad consulendum illi necessitati sufficit. Porro de facto hanc esse mentem Summi Pontificis, quando dispensat in voto simplici castitatis, cum clausula expressa ad effectum contrahendi matrimonij, & ita ut si coniugi superstes fuerit, debeat celebs remanere; nimirum tunc non auferre reservationem voti quoad reliquos effectus remanentis, colligi videtur apertè tum ex modo dispensandi, quo Pontifex explicat, se quoad illum solum effectum auferre voti obligationem; quoad alios verò velle, quod illa omnino inuiolata perseveret: tum etiam ex sensu omnium fidelium, qui eiusmodi dispensationibus obtentis ad vsum quoad aliquem effectum determinatum, nunquam crediderunt auferri reservationem voti remanentis quoad alios effectus. Nam, si aliquis post votum castitatis contrahat matrimonium, potest ab Episcopo dispensari ad petendum debitum, imò & poterant etiam dispensare multi ex Religiosis mendicantibus antequam reuocarentur fa-

cultates viux vocis Oraculo illis concessæ: nemo tamen cogitauit, quod posita illa dispensatione Episcopi, vel Confessarij ad petendum debitum, votum castitatis non maneret reseruatum, sed posset iam commutari, vel dispensari à quolibet potente commutare, vel dispensare vota non reseruata: quod tamen concedendum fuisset, si ratio in contrarium adducta subsisteret, posita enim dispensatione ad petendum debitum, non videtur iam manere votum integrum castitatis, sed diminutum, & in tali statu, & limitatione ex parte materiæ, in qua si ab initio conceptum fuisset, non fuisset votum reseruatum, quia non fuisset votum castitatis simpliciter, & absolutè, sed cum limitatione. Non ergo debet attendi ad statum, in quo nunc est, sed in quo emissum fuit, ut iudicetur esse, vel non esse reseruatum; quia nimirum mens Pontificis dispensantis hæc est, ut votum maneat quoad reliqua idem ipsum, quod erat antea, & cum eisdem qualitatibus, quod maximè significant verba illa, quæ apponi solent in commissione dispensandi ad discretum Confessarium directæ, quæ refert Sanchez dicto lib. 8. de matrim. disputat. 34. num. 2. nam in fine commissionis iterum pœnitens admonendus dicitur de voti perseverantia, his verbis: *Quod si iterum contraxerit, & consummauerit matrimonium, aut vnquam extra matrimonium fornicatus fuerit, sciat se contra huiusmodi votum facturum.* vbi notanda sunt verba illa, *contra huiusmodi votum;* nempe contra illud idem, cuius dispensatio petebatur, & concedebatur quoad aliquem vsum; contra illud enim, & non contra aliud nouum, in quod illud prius commutatum sit, peccat qui secundum matrimonium contrahit, vel extra illud fornicatur, quia illud idem votum perseverat ex intentione Summi Pontificis, de qua non videtur practicè dubitandum.

#### D V B I V M I I.

*De legato relicto sub conditione prolis legitima, an sit soluendum quando dubitatur de valore matrimonij.*

**T**itius metu graui mortis iniuste ad eum finem incussi contraxit matrimonium cum Berta, & cum ea per annos quindecim cohabitauit. Postea audiens, matrimonium

matrimonium illud ex causa metus non fuisse validum, ab ea discessit, & duxit aliam, ex qua etiam filium masculinum suscepit. Vtrâque mortuâ, relicto fuit illi legatum sub conditione, si filium masculinum legitimum haberet. Dubitatum fuit, an ei deberetur hoc legatum, cum filius natus esset ex secunda vxore, quam duxerat viuente prima, cum qua per tot annos cohabitauerat, postquam metus cessauerat, atque aded per cohabitationem, & copulam videbatur iam matrimonium fuisse reualidatum, atque ideo filium postea ex secunda coniuge non fuisse legitimum, sed spurium. Hoc autem totum quærebatur solum pro foro conscientiæ; iniecerant enim Titio scrupulum, ne legatum reciperet.

2. Dixi, posse satis tutâ consentia illud exigere, & recipere, quia in primis, si Titius toto illo tempore ignorauit inualiditatem prioris matrimonij à metu inductam, cohabitatio illa diuturna non potuit sufficere ad nouum matrimonij valorem, ut supponit, ut certum, Thomas Sanchez lib. 4. de matrim. disput. 18. num. 5. nam tota illa cohabitatio, & copula ipsa procedebat ex errore circa valorem matrimonij contracti, qui error impedit consensum legitimum ad matrimonij valorem requisitum.

3. Secundò, quia etiam si Titius inualiditatem matrimonij cognouisset, & voluisset affectu maritali ad Bertam accedere; verior tamen sententia tenet, non potuisse matrimonium, quod ab initio fuerat inualidum, reualidari per nouum consensum, nisi adhibita iterum Parochi, & testium præsentia: quam sententiam multis relictis optimè defendit Basilus Pontius lib. 5. de matrimonio, cap. 6. num. 6. & sequentibus, vbi probat, eam esse ex mente sacræ Congregationis Cardinalium Interpretum Concilij Tridentini, eamque à sacra Rota, & Pœnitentiaria acceptari. Quare cum Titius nunquam consensum reualidari coram Parocho, & testibus, potuit iure optimo matrimonium illud primum inualidum reputare.

4. Tertio, quia etiam si potuisset re vera absque Parocho, & testibus consensum validè renquere, atque ita de facto fuisset; si tamen postea ex Doctorum horum consilio iudicasset, non fuisse sufficienter reualidatum, atque ita bona fide secundum matrimonium celebrasset, non tamen clandestinè, sed præmissis præmittendis, & coram Parocho, & testibus; D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

hoc sufficeret, ut filius ex eo secundo matrimonio genitus reputaretur, & esset legitimus, cui ad legitimitatem sufficit bona fides parentum, etiam si ob aliquod impedimentum matrimonium inter parentes reperiatur postea non fuisse validum, ut constat ex cap. cum inter, cap. quod nobis, iuncta gloss. cap. ex tenore, qui filij sint legitimi, & tradunt communiter Doctores, quos congerit, & sequitur Basilus Pontius lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 2. & Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 46. Si ergo Titius bona fide secundum matrimonium inuit, putans primum fuisse inualidum, & solemnitates debitas in facie Ecclesiæ obseruauit, hoc sufficit, ut filius ex eo matrimonio susceptus legitimus sit, quamuis re vera prius matrimonium validum fuisset.

Quarto denique, etiam si Titius mala fide secundum matrimonium contraxisset, si tamen eius secunda vxor contraxit, putans eum esse solutum, & non clandestinè, sed coram Parocho, & testibus, & præmissis denuntiationibus, id sufficeret ut filius legitimus esset, cum ad eum effectum sufficiat bona fides in altero ex parentibus, ut constat ex iuribus, & Doctoribus allegatis. Cum ergo legatum non requirat aliam conditionem, nisi quod Titius aliquem filium legitimum habuerit, fatendum est purificari, siquidem filius ille ex tot capitibus legitimus est, ut de eius legitimitate dubitari non possit, quamvis fortasse hæres dubium magnificauerit, ut se à legati solutione, si posset, liberum redderet.

#### D V B I V M I I I.

*Utrum Bulla Gregorij XIII. contra dantes & accipientes pro rebus gratia, vel iustitia, locum habeat contra dantes, & accipientes in Tribunalibus laicis status Ecclesiastici.*

**S**uppono, Gregorium XIII. in sua Bulla edita anno 1574. quæ incipit, *Ab ipso Pontificatus*, inhærendo decreto Bonifacij VIII. quod continetur in *Extrauaganti 1. de sentent. excommunicat. inter Extrauagantes communes*, grauissimas pœnas, & censuras edidisse contra dantes, vel accipientes, aut promittentes

tes pro iustitia, siue gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda. quæ Bulla ad litteram habetur apud Nauarrum tom. 3. in fine, ubi commentarium longum eiusdem Bullæ habetur sub tit. de datis, & promissis pro iustitia, vel gratia obtinendis; & nunc etiam habetur eadem Bulla in Bullario communi, tom. 2. & est 24. inter Bullas eiusdem Gregorij. Nauarrus autem in dicto commentario, num. 29. obseruat, pœnas illas esse contra dantes, promittentes, vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam obtinenda. Nomine autem Sedis Apostolicæ intelligi quæ pertinent ad Tribunal Summi Pontificis; quatenus Summus Pontifex est; non quatenus est Rex, vel dominus temporalis sui territorij, & status Ecclesiastici, in quo exercet etiam iurisdictionem temporalem; in causis enim, vel negotiis, quæ pertinent ad potestatem Papæ, quatenus est Princeps temporalis, quamuis peccaret qui daret, vel promitteret ad obtinendam gratiam, vel iustitiam; non tamen incurreret pœnas illius Bullæ, quæ solum sunt contra id facientes pro obtinenda gratia, vel iustitia apud Sedem Apostolicam, quod in sensu formali intelligitur Nauarrus, hoc est, quatenus Sedes Apostolica est.

2. Contra hanc tamen Nauarri doctrinam non leuiter dubitatum est, an ea locum habere iam possit, postquam Clemens VIII. in sua Bulla edita anno 1592. quæ incipit, *Pro commissis nobis*, & est Bulla 10. eiusdem Clementis in 3. tomo Bullarj communis, prohibitiones, & pœnas dictæ Bullæ Gregorij XII. extendit ad omnia Tribunalia etiam laica, atque etiam extra curiam, in toto statu Ecclesiastico. Verba Clementis in ea Bulla §. 22. sunt hæc: *sed & constitutiones pia memoria Bonifacij VIII. & Gregorij decimitertij Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum contra paciscentes, dantes, aut recipientes quicquam paruum, vel magnum, pro gratia, vel iustitia pro se, vel aliis obtinenda, & contra complices, vel dantes in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem, cum omnibus in eis contentis pœnis, censuris, & extensionibus, quæ supra dictis aggravata, & addita, non autem per eas immutata, aut immutata censentur, bonum serie approbamus, & innovamus, ac ad omnes superius expressas personas etiam speciali nota dignas, quæ contra vltimo dictas constitutiones, in quibusvis casibus per eas expressis, dando, recipiendo,*

*promittendo, paciscendo, consentiendo, aut permittendo non solum apud Sedem Apostolicam, sed in quibusvis Tribunalibus, & eorum quibuscumque iudicibus etiam laicis alia vrbis, tam in Romana curia, quam extra eam, in quibuslibet temporalibus ditionibus nostræ mediata, vel immediate subiectis, Prouinciis, ciuitatibus, oppidis, terris, & locis deliquerint, per easdem presentes extendimus, & ampliamus, pœnis aliis à iure, vel per alias constitutiones Apostolicas, aut propria locorum statuta, vel consuetudines, contra personas aliquod præmissorum committentes, vel omittentes, forsan decretis, vel inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.* Horum itaque verborum vigore aliqui planè dicunt, doctrinam illam Nauarri locum iam non habere, sed constitutionem, & pœnas Gregorij XII. procedere in quibuscumque causis, & negotiis, in quibus gratia, vel iustitia in quolibet Tribunali, vel apud quemlibet iudicem in statu Ecclesiastico modis illis prohibitis obtineatur. ita docet Bonacina tom. 3. de censuris particularibus, disput. 2. q. 3. puncto 32. num. 4.

Alij tamen communiter, non ita vniuersaliter verba illa Clementis intellexerunt, sed solum iuxta subiectam materiam; itaut Bullam, & pœnas Gregorij, & Bonifacij extenderint ad eos, qui de bonis communitatum status Ecclesiastici dant, vel accipiunt, vel promittunt pro gratia, vel iustitia obtinenda, non solum apud Sedem Apostolicam, & in Vrbe, sed etiam in quolibet Tribunali, & apud quemlibet iudicem in toto statu Ecclesiastico. Tota enim illa Bulla edita fuit ad hoc solum, vt bona ciuitatum communia, & oppidorum status Pontificij non dispergerentur, & diminuerentur largitionibus, & expensis immoderatis, quas administratores eorum bonorum communium passim facere solebant cum maximo detrimento communitatum, vt constat ex proemio eiusdem Bullæ, iuxta quod tota Bulla intelligenda est. Sic enim præfatur Clemens: *Pro commissis nobis à Domino sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eique etiam in temporalibus subiectorum ciuitatum, & populorum tutela, paternaque erga nostros subditos charitate, præcipuo studio teneamur providere, vt ad eos pertinentia bona, ea, quæ decet, fide, & cura, utiliter, & prouidè administrantur, præsertim verò tollantur prauis abusibus, qui in publicum, & commune damnum paulatim irrepunt. Ex quibus & hæctenus graui ere alieno communita*

communia illorum bona oppressa, vel ab ipso nostri Pontificatus initio comperimus, & malum hoc, nisi celeriter opportuna remedia adhibeantur, quotidie in deterius prolabi videmus. Dum enim pauci sua priuata commoda, & lucra querunt, atque illicitis modis, quod præuè ambiunt, aut concupiscunt, consequi affectant, potentiorum, aut vulgi gratiam vanis assentationibus aucupantur, suas denique cupiditates explere satagunt, nulla utilitatis publicæ ratione habita, ararium ipsarum ciuitatum, & locorum exhauriunt, graui ere alieno implicant, inanibus pompis, & ostentationibus dilapidant. Quibus malis, atque incommodis, (quantum nostra vigilantia, atque auctoritate eniti possumus,) occurrere cupientes, hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & ordinamus, &c. & prosequitur multa remedia adhibens, quibus, & pœnis etiam additis, & cautionibus, administratores bonorum communium intra debitos limites contineantur. Postea verò dicto §. 22. addit verba supra relata extendendo ad hunc casum etiam extra curiam pœnas à Bonifacio VIII. & Gregorio XII. statutas; nimirum, vt eas incurrant, qui actiones ab illis Pontificibus prohibitas, circa hanc etiam materiam admiserint. In quo sensu explicatur ille §. in summario illius ad marginem addito, in quo postquam in præcedenti summario marginali dictum fuerat, *contrauenientes in prædictis pœnas hic descriptas incurrunt de iisdem delinquentibus circa bona communia ciuitatum, & locorum additur: contra quos extenditur Bonifacij VIII. constitutio 1. & Gregorij XII. constitutio 24. non ergo fit hæc extensio contra alios, sed contra eosdem, de quibus tota hæc Clementis constitutio in Superioribus egerat. Eodem modo, & in eodem sensu prædicta verba intellexit Flavius Cherubinus in compendio Bullarj, ubi prædicta verba Clementis dicto §. 22. ita in compendio refert. Constitutionem Bonifacij VIII. & Gregorij XII. contra dantes, aut aliquid recipientes pro habenda gratia, vel iustitia, contra prædictos extendit, nempe in contrauenientes, & malè administrantes bona ciuitatum, & communitatum, de quibus immediate antè loquutus fuerat. In eodem sensu prædicta verba Clementis explicuit P. Thesaurus in praxi Ecclesiastica, part. 2. verb. munera §. 7. ubi ita dictam extensionem refert: Præterea addit Clemens §. 22. quod si dictæ erogationes factæ, vel promissæ fuerint pro gratia, vel in-*

D. lo. Card. de Lugo Responf. mor.

stitia pro se, vel aliis obtinenda, tunc tam dantes, quam accipientes, vel promittentes, & dantes ad id auxilium, consilium, vel fauorem incurrunt in excommunicationem, & pœnas omnes latis in Extrauag. 1. de sent. excommunicat. & in Bulla Gregorij decimitertij de datis, & promissis, de quibus dixit verb. simonia, cap. 15. & procedit contra dantes paruum, vel magnum, vt in dicta Bulla Clementis VIII. Hucusque Thesaurus, quod antea dixerat Filliugius, qui tractat 15. num. 142. in eodem sensu extensionem illam Clementis intellexerat. Et mihi quidem ferè certum est, Clementem de aliis non cogitasse: quorsum enim, dum totus erat in prouidendo communitatibus, & eorum bonis, saltasset extra chorum, & repente pœnas adeò exorbitantes extenderet ad omnes dantes, vel accipientes pro qualibet gratia temporali, vel iustitia cuiuslibet iudici laico, vel ministro Tribunali? Denique idem Bonacina loco supra citato fatetur, probabilem esse hanc interpretationem, nec ego adhuc vllum alium vidi, qui de ea dubitaret. Post hæc tamen scripta inuenio apud Dianam part. 7. tract. 4. resolut. 3. afferri P. Leonem de censuris, intelligentem Bullam Clementis in sensu vniuersali. Sed ipse Diana ibi magis nostræ sententiæ adherere videtur.

#### D V B I V M IV.

In quo aliqua obseruantur circa Bullam proximè citatam Gregorij XIII. de datis, & promissis, ubi quando ignorantia ab eius pœnis excuset.

Q Via dubio præcedenti mentionem fecimus constitutionis Gregorij XIII. de datis, & promissis, cuius rigorem Nauarrus operæ pretium duxit temperare adhibito docto commentario, & tamen adhuc aliquibus durus videtur ille sermo, & quem nonnullorum praxis probat fortasse ab illis ignorari, opportunum putauit aliqua obseruatu digna breuiter indicare, quæ sparsim apud aliquot auctores reperiuntur, & in casus contingentia, quæ frequens est, apud illos videri possunt.

Et in primis, quia Bulla illa, & pœnæ in ea statutz à multis hodie ignorantur, habenda

benda est præ oculis doctrina, quam cum aliis probat latè Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 32. num. 17. 18. & 31.* ubi docet, non incurri censuras, nec alias pœnas Ecclesiasticas sine illarum legum notitia, vel ignorantia crassa, supina, vel etiam affectata. Vnde multi excusari fortasse possunt à pœnis dictæ Bullæ propter ignorantiam illius, vel inuincibilem, vel vincibilem, non tamen supinam, crassam, vel affectatam.

Secundò aduertendum est, Gregorium in ea Bulla extendere pœnas primò ad eos, qui cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, huiusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes turpissimè nundinantur. Secundò ad eos, qui quos gratia præstare arbitrantur, donis, pollicitationibusque ambiunt. Tertio ad eos, qui se eorumdem operam, atque industriam pretio, & muneribus quæsisse affingunt. Ad hæc autem non extenduntur pœnæ illæ, nisi cum addito, nempe ad eos, qui hæc facinora committere audent. Est autem doctrina satis trita, quam cum aliis tuetur idem Thomas Sanchez *dicta disput. 32. num. 37. & 39.* quòd quoties lex loquitur contra *audentes* aliquid facere, excusat etiam ignorantia crassa, & supina, dum non sit affectata, vel ingens temeritas, quæ scientiæ æquiparatur.

Tertio aduerto, aliquos excusare à simonia (& consequenter idem dicent de pœnis prædictæ Bullæ,) eum, qui non pro beneficio, vel gratia, aut re spirituali promittit, vel dat, sed pro labore, & industria illius, qui gratiæ assecutionem negotiatur, vel procurat. Imò addunt, quamuis id, quod pro dicto labore datur, excedat eius valorem, non esse simoniam, sed iniustitiam in accipiente, vel exigente; quia non datur, vel promittitur pro re spirituali, sed pro labore, qui est aliquid temporale. Quare purgari poterit iniustitiæ labor, si dans, vel promittens velit gratis donare excessum illum. Ita cum aliquibus docuit Diana *part. 2. tract. 2. miscell. resolut. 37. vel 39. & part. 3. tract. 2. resolut. 64.* Postea tamen *part. 6. tract. 7. resolut. 42.* re magis considerata, dixit, quamuis eam sententiam olim speculative probabilem existimauerit, in praxi tamen non esse amplectendam, quòd quidem meritò dixit: est enim practicè, & moraliter impossibile, quòd impetraturo mihi beneficium promittam 200. scuta pro labore, qui valeat solùm 10. &

quòd non dem, vel promittam 190. pro beneficio obtinendo, sed pro solo labore, præsertim quando nolo illa dare, posito toto labore, sed obrento beneficio. Nec minùs impossibile est, quòd velim illum excessum dare gratis, cum antecedit pactum dandi illa 200. obtento beneficio, quod pactum repugnat essentialiter donationi gratiæ futuræ. Si velis ergo tuta conscientia procedere, debes apertè protestari, te pro labore velle dare 10. siue beneficium obtineatur, siue non obtineatur. Te tamen scire, quid deceat hominem gratum, imò habere animum donandi benefactori 200. ad id tamen nolle te nunc obligare, quia scis ultra peccatum grauissimum, & censuras, gratiam ipsam fore irritam, & nullius valoris. Hæc si non solis verbis, sed sincerè, & ex corde dicantur, & intelligantur, non incurris pœnas, nec labem simoniæ, quamuis postea ex gratitudine, & absque pacto, vel obligatione præcedente, dones 200. tuo Procuratori. Sed caue, ne in foro externo iudex possit de te præsumere simoniam, vel pactum, quam præsumptionem non ita facilè purgabis.

His ergo breuiter prænotatis, difficultas non leuis esse potest, an ignorantes eam Bullam ignorantia etiam inculpabili, contrahant adhuc inualiditatem gratiæ obtentæ, quæ in eadem Bulla transgressoribus imponitur. Potest autem casus hic dupliciter occurrere. Primò itaut omnes tam dantes, seu promittentes, quàm accipientes, cum ignorantia inculpabili, & bona fide concurrerint. Secundò, ut alter illorum bona fide, & cum ignorantia, alter verò mala fide, & scienter operatus sit. Dicemus in primis de primo casu, & postea de secundo.

Non credo defuturos, qui dicant, adhuc in eo primo casu impetrationem gratiæ esse inualidam, neque ab hoc effectu excusare posse ignorantiam etiam inculpabilem: dicunt enim, irritationem actus non esse propriè pœnam, atque contrahi posse etiam ab inuincibiliter ignorantibus. Pro hac sententia affert aliquos P. Thesaurus *in praxi Ecclesiastica, part. 1. cap. 35. q. 1. respons. 4.* Et quidem in casu ferè simili, nempe quando simonia materialiter solùm, & inculpabiliter commissa fuit, idem videtur tenere de inualiditate actus Lessius *lib. 2. de iustitia, cap. 35. dub. 25. num. 142.* ubi hæc habet: *Petes secundo, quid si per ignorantiam inculpata simonia sit commissa? Respondeo,*

*si ab aliis te ignorante, tua causâ simonia commissa est, non incurris quidem pœnam excommunicationis; efficeris tamen inhabilis ad idem beneficium, itaut absque dispensatione non possit tibi illa vice conferri: idque in pœnam illorum, qui simoniacè te promouere voluerunt: ut patet ex cap. nobis fuit, & cap. sicut tuis, iuncta glossa, de simonia. Quòd si illi laborassent ignorantia inculpata, tunc neque inhabilis efficereris, quia nulla culpa commissa est, ob quam illa inhabilitas est constituta. Vnde posset illud beneficium tibi secundo conferri absque vlla dispensatione. Idem videtur dicendum, si contractus simoniacus ab ipso beneficiario per ignorantiam celebratus sit: in utroque tamen casu beneficium resignari debet, nisi secundo conferatur, quia prior collatio irrita fuit, utpote per contractum irritum facta. Hæc Lessius, qui videtur supponere, contractum esse inualidum, etiam nulla intercedente culpa, vel malitia formali simoniæ. Potest autem confirmari ex illo exemplo: nam minùs excusat ignorantia iuris, quàm ignorantia facti, ut habetur in regula, ignorantia facti, de regul. iur. in 6. Cum ergo non possit quis retinere beneficium, quando, ipso omnino ignorante, intercessit simonia inter collatorem, & alium tertium: minùs subsistet collatio, quando ipsemet beneficiarius simoniam commisit, quamuis ob ignorantiam iuris à culpa formali simoniæ excusatus fuerit.*

7 Verùm alij aliter loqui videntur vel in genere, vel etiam in casibus specialibus non dissimilibus. Nam in primis Thomas Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 18.* vniuersaliter docet, *annullationem actus, quando non est ob defectum solemnitatis, sed in delinquentis pœnam non incurri ab ignorantibus.* quod etiam docet *lib. 3. disput. 17. num. 9. & 11.* idem cum aliis, quos affert, tenet P. Thesaurus *ubi supra. §. vnde sequitur,* dicens irritationem actus, quando lata est à iure in pœnam, seu odium delicti, seu transgressionis, non ligare ignorantes legem prohibentem, & irritantem, seu cum bona fide operantes; sed tamen hic Auctor in particulari videtur magis explicare suam mentem postea *part. 2. verb. simonia, cap. 2.* ubi relata nullitate collationis beneficii interueniente simonia, addit: *Neque à tali nullitate, & obligatione dimittendi excusat ignorantia etiam inuincibilis, seu bona fides.* & relatis aliis Doctoribus addit rationem ex S. Thoma *2. 2. q. 100. art. ult. ad 3.* eam esse, *quia hæc non est priuatio pœnalis iuris quæsti, sed obligatio restituendi*

*nulliter, & iniuste acceptum ob defectum consensus Ecclesiæ, & ob irritationem actus acquisitionis ab initio, ex qua prima acquisitio impeditur, si non sit gratuita.* Postea verò *cap. 15. in fine,* dicit, inualidationem gratiæ non incurri ab habentibus ignorantiam inculpabilem, nisi solùm in simonia super beneficiis: quare in aliis casibus contentis in dicta Bulla Gregorij XIII. si non sit simonia in rebus beneficialibus, non incurri ab operantibus cum ignorantia inuincibili, quia irritatio gratiæ in illa Bulla contenta est mera pœna.

Ego quidem in hoc dubio libenter distinguere, ut supra dicebam; nam vel omnes immunes fuerunt à culpa, tam dantes, & promittentes, quàm accipientes, & acceptantes; vel aliqui inculpabiliter operati sunt propter ignorantiam, alij tamen culpabiliter. In primo casu difficile mihi semper visum est, quòd irritatio gratiæ contrahatur, cum hæc videatur esse propriè pœna in odium delicti statuta; quod tamen delictum nemo commisit, cum supponamus, neminem prorsus ea in parte peccasse. Et quidem de irritatione gratiæ statuta in Bulla Gregorij XIII. iam id concedit P. Thesaurus in loco proximè citato: contendit tamen incurri in materia beneficiali, in qua nullitas collationis non est mera pœna delicti, sed prouenit ex defectu consensus Ecclesiæ; quare ad hunc effectum sufficit simonia materialis, quamuis non fuerit formalis ob ignorantiam inculpabilem. Pro quo afferuntur aliqui alij Auctores; sed pro eorum intelligentia aduertendum est, plerosque illorum loqui in casu diuerso, nempe quando simonia non est commissa ab accipiente beneficium, sed ipso ignorante, ab alio tertio eius amico, vel cognato: quo casu, re postea cognita, debet beneficium dimittere, ut habetur in *cap. sicut tuis, de simonia;* qui casus, ut dixi, est valde diuersus: nam ibi intercessit vera, & formalis simonia, & delictum, quod Ecclesia punire voluit, etiam cum detrimento innocentis, ne ille, qui deliquit, fructum ex delicto obtineat, nempe permanentiam beneficii in persona, cui ipse eam simoniacè procurauit: de hoc autem casu loquitur S. Thomas *dicto art. ult.* Sicut etiam P. Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. de simonia cap. 57. num. 37. & seqq.* quem affert pro se Thesaurus *ubi supra;* sed immeritò, quia semper Suarez in toto illo discursu supponit, peccatum simoniæ ab aliquo fuisse commissum: vnde *num. 38.* dicit, hunc effectum annullationis ob



simoniam etiam ignorante beneficiario commissam, haberi non solum ex iure antiquo, sed etiam ex iure nouo in *Extrauaganti 2. de simonia*, in qua vniuersaliter annullantur collationes, & nominationes, &c. quas contigerit simoniaca labe fieri: qualis proculdubio est illa, de qua agitur, in qua tertius peccatum simoniæ commisit. Non ergo loquitur ibi Suarez de casu, quo à nemine prorsus simoniaca labe contracta fuit, nec huius casus in toto illo discursu meminit. Nec magis fauet illi sententiæ Thomas Sanchez *lib. 2. consil. cap. 1. dub. 115. num. 1.* quem eo loco citat P. Thefaurus *ubi supra*. nam ibi nec verbum vllum est, quod ad hoc spectare possit. Magis apparenter posset afferri idem Sanchez *eodem cap. 3. dub. 120. num. 24* vbi postquam dixerat, posse Episcopum cum illo, qui ignoranter accepit beneficium simplex per simoniam, & cognita simonia sponte renuntiat, dispensare, vt idem beneficium habeat; addit hæc verba: *Nota primò, quòd dum loquimur de beneficio habito simoniacè ignoranter, non intelligimus, quando ipsemet beneficiarius commisit simoniam, ignorans esse talem, sed quando alij commiserunt simoniam, ipso ignorante. Sic enim loquitur cap. penult. de elect. & omnes Doctores citati.* in quibus verbis videtur significare, quòd in casu nostro Episcopus non potest dispensare, atque adeò tunc, incurri multò magis inhabilitatem, quàm quando ab alio tertio commissam fuit simonia. Verùm nec eo loco Sanchez id dixit, sed omisit casum nostrum, testans, se non loqui de illo, sed solum quando simonia ab aliis commissam fuit. Quid autem iuris sit, quando ab ipso beneficiario ignoranter committitur, ipse non explicuit, fortasse, quia distinctione opus erat, & aliud dicendum esset, si omnes inculpabiliter operati sunt; aliud si solus, qui beneficium accepit, excusatus fuit propter ignorantiam inculpabilem, qui est casus diuersus, vt postea videbimus. Nunc autem loquimur, quando nemo prorsus labem simoniæ contraxit, quia omnes bona fide processerunt. quo casu durum videtur pœnam nullitatis collationis agnoscere, quando à nemine simoniæ peccatum commissum fuit. Denique minus ad rem, affertur ab aliquibus pro contraria sententiâ Castr. Pal. tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 33. num. 11. vbi dicit, eos solos excludi à beneficio regulæ de triennali, qui beneficia simoniacè scienter sunt ingressi, non verò eos, qui ignoranter: supponit ergo collationem fuisse inuvalidam,

etiam quando ignoranter operati sunt, alioquin non indigerent beneficio triennalis possessionis. Sed hic Auctor loquitur, sicut & alij, de illis, quibus ignorantibus, simonia ab aliis commissam est, vt legenti constabit: quo casu iam diximus puniri simoniacum etiam in persona innocentis, qui vel inuvalidè acquirit beneficium, vel certè, cognita simonia, debet illud dimittere, & renuntiare, iuxta varias Doctorum sententias. Nos autem loquimur, quando omnes innocentes sunt, quia omnes bona fide contraxerunt, quo casu nemo videtur puniendus, cum nemo prorsus peccauerit.

Ratio denique à priori sumi potest ex fundamento contrario, quia nimirum sicut excommunicatio, & aliæ pœnæ, sic etiam nullitas collationis simoniacæ videtur pœna non ex defectu solemnitatis, aut formæ requisitæ, sed in odium delicti, & ad coercendos homines ab eiusmodi detestabili labe contrahenda; hæc enim annullatio collationis habetur ex *Extrauaganti*, cum detestabile, de simonia, in qua non potuit clarioribus verbis Paulus I. protestari, se illam tanquam meram pœnam simoniacæ labis statuere, & in eius odium, ac punitionem. Sic enim incipit, *Cum detestabile scelus simoniaca prauitatis, tam diuinorum, quàm sacrorum canonum auctoritas abhorreat, atque damnet: nos considerantes, quòd plures pœnarum grauitas, quàm Dei timor arcere solet à voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, vt horum pestiferum vitium, non ex usu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitus euellatur, &c.* & reuocatis pœnis aliis à suis prædecessoribus statutis, addit inuvaliditatem electionis, nominationis, & confirmationis simoniacæ, illarum scilicet, *quas simoniaca contigerit labe fieri.* Non ergo aliarum, quæ sine tali labe, aut vilo peccato fiant, lex enim odiosa non debet extendi ad ea, quæ in illius verbis non comprehenduntur.

Rationem hanc tradidit optimè P. Suarez *lib. 5. de legibus cap. 22. num. 3.* vbi vniuersaliter docet, *quando irritatio tantum in pœnam imposta est, per ignorantiam, vel aliam si milem causam, quæ à culpa excusat, impediri.* & adductis pro hac conclusione aliis Doctoribus, probat, *quia cessante causa, cessat effectus, sed in presenti casu culpa est causa per se, & adequata talis irritationis, quia hoc modo est causa pœna, & illa irritatio pœna quadam est, vt supponitur; ergo. Vnde confirmatur ex generali principio, quòd ignorantia*

*rantia excusans culpam, excusat etiam pœnam, quòd supra traditum est, & probatum; sed non est minor ratio in hac pœna irritationis actus, vt cessare debeat, cessante culpa, quàm in alijs: ergo idem in illa dicendum est.* Hæc Suarez, qui affert ad hoc optimum exemplum his verbis: *Et potest (inquit) hoc confirmari ex his, quæ diximus lib. 4. de orat. cap. 30. num. 17. scilicet, eum, qui ex obliuione naturali omittit diuinum officium, facere fructus suos, non obstante lege pœnali irritante acquisitionem fructuum, contra non recitantes lara, quia per illam obliuionem cessat culpa, & consequenter etiam pœna; ergo idem dicendum erit in omnibus similibus.* Postea verò obiicit sibi exemplum illius, qui accepit beneficium, ignorans simoniam ab alio commissam, & tamen collatio est irritata. Ad quod responderet his verbis: *Respondetur, illud esse speciale, quia fuit in illa lege expressum in detestationem illius delicti. Adde etiam, ibi semper interuenire aliquam culpam, vel collaboris, vel alicuius tertij, quæ sufficit ad sustinendam illam pœnam, etiam si recipiens excusetur: nam ad punitionem alterius, ipse etiam per accidens patitur.* Vides, quomodo P. Suarez agnoscat irritationem collationis beneficij simoniacæ esse pœnam, atque adeò non incurri, si nullius prorsus culpa intercesserit: & quidem ex verbis *Extrauagantis supra* relatis id videtur manifestè constare, cum ad nihil aliud Pontifex ibi talem irritationem inducat, nisi ad puniendos ea labe, & scelere infectos, & vt timore pœnæ alij omnes deterreantur, quando Dei timore non terrentur.

11 Maius est dubium in secundo casu supra indicato, quando scilicet accipiens beneficium propter ignorantiam excusatur à culpa, & à peccato simoniæ; collator tamen eam benè animaduertit, & amore lucri peccauit: quo casu non est dubium, quòd collator incurreret excommunicationem, & alias pœnas personales, quamuis qui beneficium bona fide accepit, ab iis sit liber, quia bona fides eum à culpa, & ab eiusmodi pœnis reddidit immunem. Dubium autem est de pœna reali irritationis collationis, quæ indiuisibilis est, & non potest quoad delinquentem habere locum, quin etiam redundet in innocentem. Si enim collatio valida sit, ne innocens sine culpa puniatur, manebit delinquens impunitus, & fructum, ac emolumentum ex propria nequitia reportabit.

Porrò in prædicto casu non reddi collationem inuvalidam; probari potest. Pri-

mò, quia quando pœna indiuisibilis est, nec potest quoad delinquentem subsistere, quin etiam socius innocens puniatur, debet potius præualere innocentia vnius, & impedire effectum pœnæ, ne puniatur innocens, quamuis per accidens, qui peccauit, liber remaneat. Ad quod deferuire potest exemplum, quod affert, & cum aliis probat Thom. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 25. num. 30. & 31.* quando alter solus ex contrahentibus contraxit matrimonium, sciens adesse impedimentum irritans, alter verò id nesciebat: quo casu dicunt, non incurri pœnam Trident. *sess. 24. cap. 5. de matrim.* vbi dicitur: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere presumpserit, separetur, & spe dispensationis consequenda careat. idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed & consummare ausus fuerit.* hanc, inquam, pœnam carendi spe dispensationis, dicunt non incurri, quando alter ex illis bona fide contraxit, licet alter scienter contraxerit, ne innocens ob alterius scelus plectatur. Idem ergo dicendum erit in casu nostro de pœna inuvaliditatis collationis, quæ si locum habeat, plectetur innocens ob delictum solius socij, qui mala fide simoniam commisit, à cuius malitia alter ob inculpabilem ignorantiam excusatur.

12 Secundo probari hoc ipsum potest, quia quamuis, vt supra diximus, debeat dimittere beneficium, qui bona fide illud accepit, ignorans simoniam, quam eam ob causam alius tertius cum collatore commisit; quia in eo casu specialiter ita Ecclesia disposuit, sine qua speciali dispositione non posset innocens plecti ob alienam culpam, vt fatetur Suarez *lib. 5. de legib. cap. 22. num. 3.* In aliis casibus, in quibus lex id specialiter non statuerit, standum erit regulæ generali, quòd innocens propter scelus alterius pœnam non sustineat. Casus autem noster videtur esse diuersus, cum in casu nostro simonia non sit commissam inter alios duos, sed ab ipso met collatore, & recipiente beneficium, qui tamen ignorantia inculpabili excusatur à labe simoniæ.

13 Contra hoc tamen semper vrgere videtur, quòd in casu nostro verè commissam fuit simonia, & eius labe infectus fuit, qui beneficium contulit, vel resignauit. Quamuis autem ab ea labe fuerit immunis, qui beneficium accepit propter ignorantiam inculpabilem; Ecclesia tamen tanto odio simoniæ crimen prosequitur, vt à quocumque admissum sit, impunitum illud non relinquat:

relinquat: ad quod deferuit casus ille in iure expressus, quando simonia ab alio tertio commissa est, ignorante illo, qui beneficium accipit: quo tamen casu collatio beneficij non subsistit, vt constat ex *cap. nobis, cap. sicut tuis*, & aliis, de *simonia*, in quibus vel casus est idem cum nostro, vel certè ratio prohibitionis non est similis, sed eadem omnino, nempe turpitudine criminis simoniæ, cuius labe infectam collationem nouit Ecclesia subsistere, quamuis accipiens beneficium immunis à culpa reperiatur. quæ ratio eadem est in nostro casu: quòd enim peccatum simoniæ committatur à parentibus beneficiarij, vel ab ipso Collatore, aut resignante, parum videtur referre: imò magis proximè, vt ita dicam, infici videtur collatio, quando ipse met Collator, aut resignans contrahit labem simoniæ, quàm quando parentes prouisi, vel amici eam contrahunt; qui magis extrinsecè, & remotè concurrunt ad ipsam collationem. Vnde videtur omnino in hoc casu locum habere regula, & doctrina communis, quam cum communi sententia docet, & probat Suar. *lib. 6. de legib. cap. 3. num. 19. & seqq.* nimirum, quòd, quidquid sit, an lex pœnalis extendi debeat ad casum similem, in quo similis ratio procedit, debet tamen extendi, quando non similis, sed eadem ratio adæquata inuenitur quod in casu nostro maximè locum habere videtur, qui solum materialiter differre videtur à casu in illis iuribus explicato: quare casus ille ibi videtur solum in exemplum adductus, & quia de illo solum tunc consulebantur Pontifices: doctrina tamen formalis illarum Decretalium esse videtur generalis, nempe collationem beneficij non subsistere, quando simoniaca labe infecta est, quamuis beneficium accipiens non peccauerit, siue id sit, quia ipse ignorauit simoniam ab aliis ipso inficio commissam, siue quia ipse etiam materialiter ad eam concurrere ignorauit prohibitionem, & culpam, quam alius non ignorauit, & ideo re vera collatio peccato simoniæ infecta fuit: quæ est tota ratio illius legis, atque ideo ego neque in foro conscientiæ liberarem ab obligatione dimittendi beneficium eum, qui hoc modo illud obtinuit, nisi in foro conscientiæ dispensationem impetraret. An verò ex promissione ficta, vel non acceptata, incurranter prædictæ pœnæ, videri possunt auctores, quos affert Diana *part. 7. tractat. 4. resolut. 4. & 5.*

## D V B I V M V.

*Utrum priuilegia concessa Indis prosint iis, qui nati sunt ex patre Hispano, & matre Inda, vel è contra.*

Supponuntur nonnulla priuilegia concessa Indis à Summis Pontificibus, qui vt Christianos illos nouos in Religione Christiana confirmarent, & eorum imbecillitati compatientes, dispensarunt cum iis in aliquibus Ecclesiæ præceptis, de quibus videri potest Emanuel Rodriq. *tom. 2. quest. regul. quest. 99. art. 5.* quo supposito, quæsitum fuit, an eiusmodi priuilegia extenderentur etiam ad illos, qui sunt geniti ex patre Hispano, & matre Inda, vel ex patre Indo, & matre Hispana, qui vulgari sermone ibi vocantur *Mestici*, hoc ex sanguine Hispano, & Indico. Et quidem pro parte negante aliqui afferebant P. Thom. Sanchez, qui *lib. 8. de matrim. disp. 24. n. 35.* cum Veracruz obseruat, priuilegium Pauli III. qui dispensauit cum Indis, vt in tertio, & quarto gradu possint matrimonio coniungi, non debere intelligi, nisi de solis Indis Neophytis noui Orbis. Inde tamen nihil pro vna, vel altera parte nostræ quæstionis colligi potest: fatentur enim concessionem illam, & alias similes intelligi pro solis Indis: sed quæstio est, qui debeant hoc Indorum nomine intelligi, an soli puri, & ex vtroque parente Indi, an etiam mixti, & qui ex vno solo parente Indo nati sunt.

Ego tamen sub distinctione respondi. Possumus enim loqui de concessionem illa ad contrahendum matrimonium in tertio, & quarto gradu, vel de aliis etiam concessionibus, & dispensationibus in aliis præceptis, v. gr. ieiunij, dierum festiuorum, & similium. Quod ergo attinet ad matrimonia in tertio, & quarto gradu, videtur esse peculiaris ratio, vt comprehendat non solum puros Indos, sed etiam mixtos propter concessionem alteram superadditam Gregorij, quam ex Fr. Ioanne Baptist. in *Aduertentijs Confess. 1. part. in tabula verb. Mestizos*, refert D. Ioannes de Solorzano *tom. 2. de Indiarum iure, & gubernatione lib. 1. cap. 28. num. 50. & seqq.* qui dicunt die 21. Septembris anno 1591. Gregorium XIV. (quamuis ibi dicatur Gregorius XIII. fortasse ex errore Typographi, nam eo anno non sedebat Gregorius XIII. sed XIV.) suo peculiari Breui declarasse; quoad

quoad hunc effectum, vt dispensari posset cum Indis ad contrahendum in tertio, & quarto gradu, ab iis, quibus facultas concessa fuerat, hos etiam mixtos intelligendos fore nomine Indorum, seu Neophytorum. quas quidem Bullas ego non vidi; inuenio tamen discrimen in iis Auctoribus, qui referunt has concessionem: nam apud Solorzanum, & Ioann. Bapt. supra adductos, non dicitur, Paulum III. dispensasse in iis gradibus, sed solum concessisse facultatem aliquibus Religiosis, vt possent cum Indis in iis gradibus dispensare. Alij verò referunt, ipsummet Pontificem vniuersaliter dispensasse, & abstulisse pro Indis impedimentum tertij, & quarti gradus. ita refert Eman. Rodriguez *dicta quest. 99. art. 5.* & eodem modo ex Veracruz *1 parte speculi art. 44. conclus. 3.* eam concessionem refert Thomas Sanchez *dicto lib. 8. de matrim. disp. 24. num. 35.* Vt cumque se res habeat, stante concessionem Gregorij XIV. & extensione supra adducta, certum erit, eam gratiam extendi etiam ad Indos mixtos, cum Summus Pontifex de facto eam voluerit extendi.

Magis dubitari posset de iis, qui nati sunt ex patre Hispano, & matre non pure Inda, sed mixta, vel è contra ex patre mixto, & matre Hispana, qui vulgò appellari solent *Quarterones*, eo quòd quartam solum sanguinis partem ex Indis habeant: an ij etiam frui possint facultate illa Indis concessa, & ad mixtos, seu *Mestizos*, à Gregorio XV. extensa. Et quidem puto non comprehendi eo indulto; quia eiusmodi homines non nisi largè dicuntur *Mestizos*; vt constat ex schedula Regia expedita anno 1587. quam refert idem Solorzano *dicto tom. 2. lib. 3. cap. 20. num. 4.* cum enim iniunctum esset Episcopis à Rege, ne *Mestizos* ad Ordines promouerent, explicuit Rex Philippus II. hoc de *Mestizis* intelligi debere strictè, atque ad eò de illis solis, qui ex Indo puro, & Hispana, vel ex Hispano, & Inda pura nati sunt. Quare idem dicendum videtur de dispensatione ad matrimonium in tertio, & quarto gradu *Mestizis* concessa: nam dispensatio etiam debet strictè intelligi, vt de omni dispensatione docent communiter Doctores, quos congerit, & sequitur Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 6. num. 3. & seqq.* & Basilius Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 21. num. 2.* Ratio autem esse potest, quia illi, quibus tres partes sunt sanguinis Hispani, & sola quarta pars sanguinis Indici, simpliciter, & absolute sunt Hispani, & non reputantur am-

plius Indi, parum enim pro nihilo reputatur; quare neque in prohibitionibus, neque in dispensationibus debent cum Indis communicare.

Hinc autem colligi iam potest, quid sentiendum sit de aliis concessionibus, & dispensationibus quoad alia præcepta Ecclesiæ, quæ pro Indis factæ sunt: dixi enim, eas non extendi ad mixtos, seu *Mestizos*. Ratio autem est, quia, vt paulò antè dicebam, & fatentur Doctores omnes, dispensatio est stricti iuris, & in sensu stricto interpretanda est: quare non de Indis largo modo, quales sunt mixti, sed de puris debet intelligi, nisi Pontifex ad mixtos extenderit illam de matrimonio in tertio, & quarto gradu consanguinitatis. Et quidem certum videtur, si aliquis dispensatus esset à solutione gabellæ in venditione equorum, non manere liberum à soluenda gabella, si vendat mulos, qui tamen nati sunt ex asino, & equa, sicut è contra gabella imposita vendenti mulos non deberetur à vendente equos, vel asinos, ex quibus muli per mixtionem seminum generantur. Denique, si ij *Mestizi* gaudent priuilegiis propriis Indorum propter matrem Indam, deberent etiam gaudere priuilegiis propriis Hispanorum propter patrem Hispanum: vnde melioris essent conditionis, quàm puri Indi, & puri Hispani, quia vtrorumque priuilegiis potirentur, quod quàm sit absurdum, facile patet. Præsertim, cum plerumque eiusmodi homines mixti, seu *Mestizi* non nisi ex adulterio, vel alio illicito concubitu nascantur, vt obseruauit Solorzano *dicto lib. 3. cap. 20. num. 6.* qui saltem ex hoc capite deterioris conditionis esse deberent, quàm Indi, vel Hispani, qui ex legitimo matrimonio nascuntur.

Hac tamen occasione rursus quæri potest, quid dicendum sit de filiis natis ex patre Indo, & matre mixta, seu *Mestiza*, an ij gaudere possint concessionibus pro Indis factis. Et quidem certum est, si essent filij ex patre Hispano, & matre *Mestiza*, non posse gaudere dispensationibus factis pro Indis, cum multò minùs participent de Indis, quàm *Mestizi*, imò nec sub *Mestizis* comprehendantur, atque ideo nec fruuntur dispensatione Pauli III. ad contrahendum in tertio, & quarto gradu, vt paulò antè diximus. Loquendo verò de casu contratio, quando pater est Indus, & mater *Mestiza*, crederem, quoad omnes eiusmodi dispensationes, & priuilegia, debere eos pro Indis reputari. Tunc enim filius ex quatuor partibus vnam solam haberet

beret sanguinis Hispani, tres verò sanguinis Indici, quæ omnino præualere deberent, vt Indus reputaretur. Nam sicut vinum, cui modica aqua miscetur, quamuis non sit vinum omnino purum, reputatur tamen moraliter pro vino, arque ideo in ordine ad valorem consecrationis non refert, quòd sit purum, vel mixtum exiguæ parti aquæ, quia hæc duo vina pro eodem moraliter reputantur: sic Indus purus, cui nihil sanguinis Hispani admixtus est, & ille, cui parum sanguinis Hispani miscetur, non videntur moraliter differre, & vterque simpliciter, & absolutè reputatur Indus. Quod etiam in Physicis fortasse locum habet: nam quamuis mulus non sit equus, nec asinus, vt dicebamus: si tamen mulus generare possit, & ex ipso equa conciperet, filius rediret multum ad naturam, & speciem equi, & in tantum de eius proprietatibus participaret, vt ferè esset equus, & moraliter pro equo reputaretur. Sicut è contra, si asina ex mulo conciperet, filius rediret ad naturam, & speciem asini, & moraliter pro asino reputaretur, licèt parum aliquid ab aliis asinis differret. Cum ergo simus in materia morali, non deberet attendi illa parua differentia, sed filius Indi, & *Mestiza* reputaretur moraliter pro Indo, atque adèd concessionibus, & priuilegiis Indorum potiri deberet.

6 Vnde obiter infero, aliter dicendum fuisse, si filius Indi, & Hispanæ, hoc est, mixtus, seu *Mestizus* generaret filium ex alia fœmina mixta, seu *Mestiza*, filia nempe Indi, & Hispanæ; tunc enim filius esset propriè *Mestizus*, sicut eius parentes, non enim plus, vel minus participaret de sanguine Indico, vel Hispano, quàm eius parentes. Quare sicut parentes, ita & ipse gauderet indulto contrahendi matrimonium in tertio, & quarto gradu, quod pro *Mestizis* etiam concessum esse dicebamus, Non tamen posset frui aliis priuilegiis, & dispensationibus concessis pro Indis, quibus *Mestizos* diximus gaudere non posse. Ad quod explicandum est optimum exemplum supra adductum: si enim mulus generare posset, certè ex mulo, & mula nasceretur alius mulus eiusdem omnino rationis, & conditionis, ac singuli eius parentes, & rursus filij huius, si cum mula coiret, essent propriè muli, & sic in infinitum, quia non esset vnde ad equi, vel asini naturam, vel ad aliam speciem transferrentur. Sic ergo filij *Mestizi*, & *Mestiza*, & eorum filij in infinitum, semper essent propriè *Mestizi*, sicut primi eorum paren-

tes, quia non esset vnde magis redirent ad sanguinem Hispanicum, vel Indicum, atque adèd pro veris & propriis *Mestizis* semper reputarentur in ordine ad participanda, vel non participanda Indorum priuilegia.

#### D V B I V M VI.

*An posset Summus Pontifex de potestate absoluta delegare iurisdictionem spiritualem homini non baptizato.*

**N**Egabant aliqui, quia Papa non potest non baptizatis præcipere, cum non sint eius subditi, nisi fortè in temporalibus, si sint eius subditi temporales, quia degunt in statu temporali Ecclesiæ. Hoc tamen fundamentum non videtur efficax, quia non videtur argui benè à potestate delegandi ad potestatem præcipiendi; potest enim Princeps delegare iurisdictionem alicui, qui non est eius subditus, dum tamen subditi eius sint illi, in quo iurisdictione conceditur. Sic passim Princeps secularis dat iurisdictionem homini Ecclesiastico in personas seculares, cum tamen Ecclesiasticus non sit subditus Principis secularis. Sic Prælati regularis potest dare iurisdictionem Confessario seculari, vt audiat confessiones suorum subditorum regularium, & in aliis similibus. Ratio autem est, quia communicans iurisdictionem non exercet iurisdictionem in eum, cui communicat illam, sed in eos super quos communicatur iurisdictione. Ex hoc ergo capite non repugnaret, Pontificem dare non baptizato iurisdictionem spiritualem in baptizato.

Eandem sententiam negatiuam docet P. Suarez *disp. 2. de censuris, sect. 3. num. 8.* & 12. qui tamen id solùm probat ex vsu, & traditione perpetua Ecclesiæ, quæ ius diuinum declarasse videtur. Eandem sententiam tenent Filiucius *tract. 11. cap. 2. questio 7.* Bonacina *disp. 1. de censuris q. 1. punct. 2. num. 3.* eo quòd Baptismus sicuti est ianua Sacramentorum, ita sit ianua Ecclesiasticæ iurisdictionis. Neutrum tamen argumentum videtur rem conuincere: non primum de vsu, & traditione perpetua; quia non minor est traditio, & vsus non communicandi iurisdictionem spiritualem fœminis, vt fatetur idem Suarez *ib. sect. 13.* vbi dicit, nunquam ab vllò Pontifice eius-

modi iurisdictionem concessam esse vlli fœminæ; & tamen ibidem ipse Suarez fatetur, fortasse non repugnare, quòd Summus Pontifex validè eam possit concedere. Non ergo arguitur efficaciter à negatione actus ad carentiam potentia, quia, sicut ob indecentiam potuit de facto nunquam concedi fœminæ, potuit ob similem indecentiam nunquam concedi non baptizato.

3 Neque etiam videtur omnino efficax secundum fundamentum, hoc enim est, quod inquirimus, an sicut Baptismus est ianua necessaria ad alia Sacramenta, sic etiam sit ianua necessaria ad iurisdictionem spiritualem habendam. Nam, sicut Professio religiosa videtur esse ianua ad participanda omnia iura, & priuilegia Ordinis; & tamen Summus Pontifex, imò & Prælati regularis potest delegare alicui Clerico seculari iurisdictionem spiritualem supra suos subditos regulares, vt supra dicebam: cur non poterit Papa dare iurisdictionem Ecclesiasticam supra baptizatos alicui non baptizato, & qui nondum fuerit ingressus Ecclesiam per eius ianuam, quæ est Baptismus. Hoc enim non est gaudere pascuis ipsius Ecclesiæ, qualia sunt Sacramenta, sed exercere nomine proprii Pastoris iurisdictionem supra subditos, & oues eiusdem Pastoris.

4 Ego in primis, vt à minùs dubiis incipiam, non dubito, quin possit Summus Pontifex cogere suo præcepto fideles, atque etiam sub censuris, vt faciant, quòd illis aliquis nondum baptizatus præcipiat in tali, vel tali materia. Nam totum hoc fieri posset nullam prorsus dando illi non baptizato iurisdictionem supra baptizatos, sed solùm designando res ab eo iniunctas, vt materiam præcepti impositi ab ipso Pontifice. quod quidem multis adductis exemplis explicui, & probavi *disputat. 7. de Sacramentis in genere, sect. 2. num. 30.* Sic enim Confessarius potest imponere pœnitentiam obligando pœnitentem, vt faciat illud opus pœnale, quod eius mater ei designauerit. quo casu mater non accipit iurisdictionem fori sacramentalis ad imponendam pœnitentiam, sed designat opus, quod si à filio non fiat, non peccat contra præceptum matris, sed Confessarij, qui illud opus præcepit. Sic ergo Papa posset etiam sub excommunicatione præcipere fidelibus, vt facerent id, quod eis iniungeret talis homo non baptizatus: quo casu violantes hoc præ-

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

ptum incurrerent excommunicationem, non quidem impositam ab illo non baptizato, sed ab ipso Summo Pontifice, qui non dedit iurisdictionem spiritualem non baptizato, sed commisit ei designationem operis ab ipso Pontifice sub excommunicatione præcepti. Et in hoc non videtur esse posse difficultas, sed solùm, an possit Pontifex dare illi non baptizato iurisdictionem spiritualem, & potestatem etiam ad excommunicandum, v. gr. & alios actus iurisdictionis exercendos, qui characterem non requirant.

Pro vtraque parte afferri possunt argumenta: & quidem pro parte negatiua ultra illa, quæ retulimus, ponderari potest, quod, licèt Theologi de hoc communiter non loquantur, videntur tamen supponere, incapacitatem hanc hominis non baptizati esse de iure diuino: quando enim disputant, an sit de fide, hunc hominem, qui pro tempore præest Ecclesiæ, esse verum Papam, opponere solent, quòd si hoc esset de fide, esset etiam de fide eum esse baptizatum, nam sine Baptismo non potest esse Papa. Ad quam difficultatem communiter respondent admittendo id, quod obiectio supponit, nempe non posse esse verum Papam, qui non est baptizatus, & consequenter concedunt, esse etiam omnino certum, hunc hominem esse baptizatum, quia Baptismus includitur, vel supponitur essentialiter ad eius Pontificatum, qui est de fide. ita Suarez *disputat. 10. de fide, sect. 5. num. 7.* Hurtado *de fide, disputat. 34. sect. 3. §. 46.* & alij, quos adduxi, & sequutus sum *disputat. 1. de fide, sect. 13. §. 5. num. 326.* & 330. Supponunt ergo omnes, non esse capacem iurisdictionis spiritualis supra fideles eum, qui non est baptizatus, si enim non esset incapax de iure diuino, non facile apparet, cur non posset esse valida electio non baptizati in Summum Pontificem. Nam, quamuis non posset consecrari Sacerdos, vel Episcopus, antequam baptizaretur, atque ita sine Baptismo non posset habere potestatem Ordinis, videtur tamen, quòd posset habere potestatem iurisdictionis, quam proculdubio habet ille, qui canonicè eligitur in Summum Pontificem, quamuis adhuc non sit Sacerdos, vel Episcopus consecratus. Si ergo hanc potestatem iurisdictionis habere non potest, qui eligeretur, si non esset baptizatus, fatendum erit, id prouenire ex incapacitate, quam de iure diuino habet non baptizatus

H h ad



ad iurisdictionem spiritualem, vel Ecclesiasticam.

6 Vnde posset secundò hoc ipsum probari, quia si non baptizatus capax esset iurisdictionis spiritualis delegatæ, non apparet facile, cur non posset Summus Pontifex eidem conferre iurisdictionem etiam ordinariam, cum non sit minor, nec debilius iurisdictione delegata, quam ordinaria, sed potius aliquando sit maior, & debeat prævalere. Sicut ergo posset non baptizatus fieri à Summo Pontifice Legatus à Latere, ita etiam posset ab eodem fieri Parochus, Episcopus, vel Archiepiscopus, non quidem quoad potestatem Ordinis, cum non posset esse Sacerdos, vel habere characterem Episcopalem ante Baptismum; bene tamen quoad potestatem iurisdictionis, qualem potest habere & exercere Parochus, & Episcopus antequam consecratur in Sacerdotem, vel in Episcopum. Hoc autem ex terminis videtur asserere secum repugnantiam, & absurditatem, ut is, qui adhuc non est intra Ecclesiam, sit pastor in Ecclesia, quales sunt Parochi, vel Episcopi.

7 Ad hæc tamen posset adhuc utcumque responderi negando sequelam vtriusque argumenti. Magis enim videtur repugnare, quòd ante Baptismum sit aliquis Papa, Episcopus, vel Parochus, quàm quòd ex mera delegatione, & nomine alterius habeat iurisdictionem in subditos delegantis: nam qui habet iurisdictionem ordinariam in Ecclesia, est pastor fidelium, atque ideo pertinet intrinsecè ad Hierarchiam Ecclesiasticam, quæ constituitur intrinsecè ex diuersis gradibus subordinatis inter se: quare non potest, qui non est intra Ecclesiam, habere gradum Hierarchicum, qui pertinet intrinsecè ad ipsam Ecclesiam ut pars intrinseca illius. Nec potest concipi, quòd Papa, qui est caput Ecclesiæ, non sit pars ipsius Ecclesiæ: nam caput ex natura sua necessariò est pars corporis illius, cuius est caput. quod idem cum proportione dici potest de aliis Prælati inferioribus; singuli enim sunt capita suarum Ecclesiarum, atque adeò debent pertinere intrinsecè ad Ecclesiam, quam cum aliis membris intrinsecè constituunt, & componunt. Adde, si Papa non esset baptizatus, quamuis malè sentiret de fide Catholica, non posset à tota Ecclesia iudicari, & condemnari, ut deponeretur, nam in casu hæresis, & contumaciæ debet præcedere iudicium Ecclesiæ in Concilio vniuersali, ut iuridicè con-

vincatur, & declareretur hæreticus, qua condemnatione posita ipso facto cadit à Pontificatu, ut cum aliis docet Suarez *disputat. 10. de fide, sect. 6. num. 7. & sequentibus*. Si autem Papa non esset baptizatus, non facile apparet, quomodo Ecclesia posset de illo, qui foris est, & non est subditus Ecclesiæ, iudicare, vel eum condemnare. quod etiam procedit de aliis Episcopis, qui non essent baptizati, ij enim licet possent à Summo Pontifice ob sua crimina priuari, & spoliari iurisdictione Ecclesiastica, non tamen apparet, quomodo possent ab illo puniri, cum non sint eius subditi. Hoc autem ipsum maximum esset absurdum, quod pastores inferiores non possent coerceri, & puniri à supremo Pastore Ecclesiæ, si delinquerent: quare non videtur possibilis talis ordo Pastorum, qui nondum Ecclesiam ingressi, Ecclesiam tanquam veri Pastores regere, & gubernare possent.

Hæc autem omnia non ita videntur in iurisdictione merè delegata procedere: ij enim, quibus ex sola delegatione competeret, non essent propriè pastores, nec deberent pertinere ad constituendum intrinsecè corpus Ecclesiæ, ut partes illius, sed essent quasi instrumenta extrinseca Pastoris delegantis, cuius nomine, & virtute sola operarentur. Sicut si aliquis Sacerdos secularis haberet à Prælati regularibus iurisdictionem delegatam in suos subditos regulares, non ideo pertineret intrinsecè ad ipsum ordinem regularem tanquam pars illius, nec esset regularium Pastor, propriè loquendo, sed esset merum instrumentum Prælati regularis, cuius nomine, & virtute operaretur, quamuis ab eo puniri non posset, si delinqueret, sed solum spoliari iurisdictione delegata, reuocata delegatione.

Ideo Vgolinus *de censuris tabul. 1. cap. 2. §. 9.* dubitat, an Summo Pontifici neganda sit hæc potestas delegandi iurisdictionem spiritualem homini non baptizato? Quod rursus confirmari posset ex eo, quòd non videtur minùs repugnare iurisdictione Ecclesiastica scemina, quàm Catechumeno, cum ipse sexus videatur naturaliter repugnare. Et tamen multi fatentur, posse Summum Pontificem de potestate absoluta eiusmodi iurisdictionem scemina delegare, ut cum Paludano, Soto, Nauarro, & aliis concedit Suarez *disp. 2. de censuris sect. 3. num. 7.* Certum etiam videtur, posse Summum Pontificem hanc iurisdictionem

nem mero laico committere, ut cum communi Doctorum concedit idem Suarez *ibi num. 12.* & Canonistæ communiter, quos more suo congerit Solorzano *tom. 2. de Indiarum gubernatione, lib. 3. cap. 2. num. 44. & seqq. usque ad num. 51.* Ego tamen non dubito, quòd esto validè id faceret Papa ut iurisdictionem spiritualem non baptizato delegaret, licet tamen non faceret, sicut si scemina eiusmodi iurisdictionem communicaret, fatetur Suarez *d. num. 7.* quamuis id validè faceret, non tamen licet propter indecentiam, quam secum afferret. quod à fortiori in casu nostro dicendum esset propter maiorem indecentiam, & vsum perpetuum contrarium magis certum, & propter maiora inconuenientia, quæ res illa posset afferre. Si enim Paulus Apostolus ad eò ægrè ferebat, quòd fideles recurrerent ad iudices Ethnicos, etiam in causis ciuilibus: quid diceret, si pro causis spiritualibus ad eos recurrere cogerentur? Denique an id validè fieri posset, sicut Vgolinus supra adductus dubitauit, ego etiam fateor, me adhuc dubitare, nec pro alterutra parte firmum aliquod fundamentum inuenire.

#### D V B I V M VII.

*An possit aliquis per contractum se alteri obligare ad eos actus, ad quos lege, vel præcepto humano obligari non posset. Vbi, an Prælati ex voto obedientiæ possit præcipere actus internos.*

1 **R**atio dubitandi esse potuit ex doctrina communi, quam tradunt Thomas Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 2. numer. 6.* Rodriguez *tom. 3. quest. regular. quest. 19. art. 2.* Lezana *tom. 1. cap. 4. num. 5.* Azor, Portel, & alij, quos affert, & sequitur Pellizzarius in *Manuali regular. tract. 4. cap. 4. sect. 3. num. 93.* qui dicunt, Prælatos regulares non posse etiam ex voto obedientiæ præcipere subditis actus merè internos: quare non videntur agnoscere obligationem voti in materia, ad quam lex humana extendi non posset, quales sunt actus merè interni.

2 Dixi tamen, negari non posse in genere loquendo, multò magis extendi posse obligacionem

gationem ex promissione, vel contractu humano, quàm ex mera lege, vel præcepto Superioris: nam lex humana, vel etiam ipse Summus Pontifex non potest aliquem obligare ad statum religiosum, ut cum communi supponit Sanchez *dicto cap. 2. num. 22* & tamen potest quis non solum Deo se ad hoc per votum obligare, sed etiam homini per promissionem acceptatam, vel per contractum, ut fatetur idem Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 15. num. 11. & sequentibus*. Item, quamuis lex humana non possit præcipere, aut prohibere actus merè internos; certum tamen videtur eos posse esse materiam iustitiæ, & iniustitiæ inter homines: nam iudicium temerarium est actus merè internus, & tamen continet malitiam grauem contra iustitiam, ut constat, quia aufert apud iudicantem famam proximi, quæ fama est aliquid intra hominum mentes existens, nempe bona existimatio de aliquo, ad quam bonam existimationem internam habet ius quilibet, quamdiu non est fundamentum sufficiens ad sinistram opinionem de ipso concipiendam. Sicut ergo iure ipso naturæ potest quis habere ius ad actus internos alterius, & pati iniuriam propriè dictam, si illi actus interni negentur; cur non poterit etiam ex contractu acquirere ius ad alios actus internos, itaut sine iniuria negari non possint? Quòd enim de iis actibus, vel eorum carentia constare non possit exterius, non impedit, quòd possint esse materia iustitiæ, ut constat clarè in exemplo adducto iudicij temerarij, quod est contra iustitiam, licet exterius non possit de ipso constare, nec ab humano iudice puniri. Denique ad hoc ipsum deferuire potest exemplum confessionis sacramentalis, quam quidem Ecclesia præcipere non potest ita, ut obliget pœnitentem ad confitenda sacramentaliter iterum eadem peccata, quæ iam semel confessus est, & à quibus fuit sacramentaliter, & directè absolutus à Confessario habente legitimam potestatem, ut probaui *disputat. 15. de Pœnitent. sect. 6. num. 93.* Potest tamen aliquis per contractum explicitè, vel implicitè obligare semetipsum ad secundam eorundem peccatorum confessionem, ut probaui eodem loco *num. 15.*

Ratio autem à priori horum omnium est maior potestas, quam quilibet habet in actus proprios, quàm in alienos, ratione cuius facilius potest se sponte sua ad aliqua obligare, ad quæ à Prælati, vel Legislato-

ribus humanis obligari non posset. Sic enim potest aliquis se in feruum vendere, vel etiam pretio accepto ad remigandum in triremibus se obligare: ad quorum neutrum posset à Superiore, aut Principe cogi, nisi in poenam grauissimorum criminum. Similiter non potest præcepto cogi ad matrimonium ineundum; potest tamen ex promissione ad id obligari, vel ex iniuria sceminæ illata, quam aliter non possit rescire. Vides, quantum plus possit homo respectu sui, quam Superior humanus respectu subditorum.

4 Dubium ergo non videtur esse loquendo de possibili: sed posset esse difficultas, an de facto Religiosus per votum obedientiæ obliget se ad obediendum Prælati imperanti etiam actus internos, vel alia, quæ secluso voto, non posset lex humana, vel Superior humanus imponere. Tota autem difficultas reduci videtur ad actus merè internos: nam de actibus externis omnes supponunt posse Prælatum præcipere subdito regulari omnia illa, quæ sunt secundum regulam, in quibus multa proculdubio sunt, ad quæ, seclusa Professione, & votis religiosis, non posset Superior humanus lege, vel præcepto subditos obligare: & quidem P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 9. num. 5. & 9. & Layman lib. 4. tract. 5. cap. 9. num. 4. ita dicunt possibile votum obedientiæ religioſæ extendi posse ad actus internos, vt satis indicent, credibile esse, quod de facto in aliquibus Religionibus hæc sit intentio vouentis, qualem vterque significat esse Societatem Iesu; ad hoc enim totum videtur extendi perfectum non solum sacrificium, sed holocaustum, quo se Religiosus vult Deo auferre, nihil prorsus retinendo sui ipsius, sicut in holocausto tota victima consumebatur. Alij tamen, quos supra attulimus, vniuersaliter loquuntur, & negant communiter posse Prælatum etiam ex vi voti præcipere subdito actus merè internos. Quamuis enim perfectio obedientiæ inclinet ad obediendum etiam in his, & sequendum consilium, & dictamen Prælati, sicut etiam perfectus obediens non expectat præceptum, sed sufficit illi manifestari sibi voluntatem Prælati: loquendo tamen de rigorosa obligatione præcepti, non putant extendi posse ad eiusmodi actus merè internos; quia tota hæc subordinatio, quantumque est, non extendit limites subordinationis humanæ, & visibilis.

5 Ego quidem iam dixi, loquendo de possibili, non esse contra, vel supra naturam

voti, quod aliquis se Deo per votum obliget ad faciendum id, quod Confessarius, vel Prælati illi dixerit, maximè, si id sit expediens ad animæ salutem: nam sicut potest se voto obligare ad orandum mentaliter, ad examen suæ conscientiæ, & ad alios actus bonos internos; cur non poterit se voto obligare ad hos, vel similes actus faciendos, quando Prælati eos iniunxerit? Loquendo tamen de facto, non puto recedendum à communi sententia, nec facile mihi persuadebo, hanc esse in vlla religione vouentis intentionem, vt se obliget sub peccato graui ad obediendum circa actus merè internos ex vi voti religioſæ obedientiæ; non nego enim posse aliquem ex priuata deuotione se peculiari voto ad id etiam obligare: illud tamen non erit votum religioſæ obedientiæ, hoc est, constituens Professionem religioſam, sed votum peculiare talis personæ ex eius peculiari deuotione profectum.

6 Moueor primò, quia promissio obedientiæ alicui Superiori humano facta, siue ex voto, siue ex iuramento, siue ex promissione, nusquam alibi significat pluraquam obedientiam externam, qualis inter homines esse solet: nam in primis eisdem verbis electus in Episcopum, antequam consecratur, promittit cum iuramento in manibus consecrantis obedientiam Summo Pontifici, vt habetur in Pontificali Romano. Item Presbyteri omnes, quando Sacerdotes fiunt, Episcopo interroganti, *Promittis mihi, & successoribus meis, vel Ordinario tuo reuerentiam, & obedientiam?* respondent, *Promitto*. Cardinales etiam, antequam Capellum Cardinalitium accipiant, cum iuramento dicunt, *Promitto, & iuro, me ab hac hora deinceps, quamdiu vixerò, fidelem, & obedientem B. Petro, sanctæque Apostolica Romana Ecclesie, ac Sanctissimo D. Nostro N. Papa, eiusque successoribus canonicè, legitimeque electis futurum, &c.* Denique, vt alia innumera exempla omittam, quæ passim occurrunt, omnes, qui fidei Professionem emittunt iuxta formulam communem à Pio I V. præscriptam, proferunt verba illa ibi contenta: *Romanòque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.* & in fine addunt: *Ego idem spondeo, voueo, & iuro, &c.* imò & scholares in Academiis nobilioribus, qualis est Salmantina, debent initio cuiuslibet anni sub iuramento promittere obedientiam Rectori eiusdem vniuersitatis.

tatis. in quibus, & aliis similibus formulis nemo dixerit, promitti obedientiam etiam ad actus merè internos. Cum ergo eisdem verbis Religiosi promittunt obedientiam suis Prælati, non debent intelligi de alia obedientia, nisi externa, proportionata tamen statui, quem profitentur, atque ad eò quæ ad plura, & difficiliora extendi possit ob maiorem perfectionem regulæ, quam profitentur.

7 Vnde sumi potest ratio à priori, quia nimirum eiusmodi obedientia, quæ voto, vel iuramento, aut promissione solet promitti, semper esse solet in ordine ad illum, qui est caput alicuius communitatis humanæ, quam regit, & gubernat: quare tota illa obedientia, quæ promittitur, videtur ordinari, & referri ad gubernationem illius capitis, & in ordine ad illa, quæ vt caput, & gubernator illius communitatis præcipere potest. Cum ergo omnis gubernatio humana, qua regitur humana communitas, non transcendat limites gubernationis externæ; est enim regimen visibile, quo visibiliter connectitur caput visibile, cum membris visibilibus ad conflandum vnum corpus visibile perfectum in suo genere: hinc fit, eam solam obedientiam à subditis exigi, & promitti, quæ ad hanc visibilem gubernationem communitatis visibilis deseruiat: nec de alia intelligere possunt homines, quando obedientiam exigunt, vel promittunt, nisi de ea obedientia, quam leges omnes, & Legislatores intelligere semper consueuerunt.

8 Adde, potestatem præcipiendi in Superiore connexam esse debere cum potestate puniendi transgressores legis, vel præcepti, vt dixit Arist. 10. Ethic. cap. 5. Non potest autem Superior punire transgressorem legis, vel præcepti circa actus merè internos, cum, per se loquendo, transgressio illa constare non possit, nec probari: non datur ergo Prælati Regulari per votum obedientiæ potestas præcipiendi eiusmodi actus merè internos. Pro cuius explicatione aduerto, me non negare, posse subditum, si velit, obligare se voto ad actus internos, quos ei Prælati consuluerit, vel præscripserit faciendos; in hoc enim sensu, loquendo de possibili, dixi id fieri posse. Hoc tamen in rigore non esset dare Prælati potestatem præcipiendi, aut iurisdictionem supra subditum ad eos actus; sed esset sola obligatio voti, quod fieret Deo, & obligaret vouentem ad eos actus faciendos, quoties Prælati eos consuleret, vel præscriberet: non tamen oriretur obliga-

tio ex præcepto Superioris. Sic de facto Professus Societatis voto simplici se obligant Deo, vt si aliquando præcepto Summi Pontificis fiant Episcopi, debeant in iis, quæ spectant ad suam salutem, & rectam muneris sui administrationem, non dedignari audire consilia, quæ Generalis Societatis eis suggesserit, imò ea amplecti, si meliora esse iudicauerint. Per hoc tamen nullam prorsus potestatem tribuunt Generali præcipiendi eis, vt expressè declarauit S. Ignatius in constitutionibus eiusdem Societatis, sed soli Deo se obligant, nullo modo se in ea materia subdentes potestati Generalis. Sic in casu nostro non ob incapacitatem personæ, sicut in casu illo, sed ob incapacitatem materiæ, votum illud fieret soli Deo, nec vllam tribueret Prælati potestatem, aut iurisdictionem ad præcipiendum, vel iurisdictionem, aut Superiorem exercendam. Cum ergo de facto votum obedientiæ, quod à Religiosis in sua Professione emittitur, sit correlatiuum ad præcepta, ad hoc enim fit, vt Prælati possit ex vi voti præcipere, non videtur votum ex intentione vouentis extendi, nisi ad eam materiam, in qua Prælati vti possit præcepto. quam intentionem declarat satis praxis vniuersalis; nunquam enim Prælati regulares obligare volunt virtute voti, nisi præcipiendo in virtute obedientiæ, neque vnquam dicunt, *Declaro, hanc esse meam voluntatem*, sed expressè dicunt, *Præcipio tibi*; hanc ergo solam ex voto potestatem in se agnoscunt, scilicet ad præcipiendum: quare ad id, quod præcipere non possunt, non agnoscunt in se potestatem ad obligandos suos subditos ex voto obedientiæ religioſæ.

Vnde posset vltèrius aliquis non sine fundamento existimare, non posse aliquam religionem facere, vt votum solemne obedientiæ, quod sui Religiosi in Professione emittunt, extendatur etiam ad obligandum circa actus merè internos. Possent quidem singuli Religiosi ex sua deuotione se voto priuato obligare Deo, vt diximus, ad faciendos actus internos, quos Prælati ipsis consulet, vel significabit: non tamen possunt suo voto dare potestatem Prælati ad eos actus præcipiendos. Cum ergo votum obedientiæ religioſæ sit ad hoc, vt Professus subdatur Prælati in ordine ad sui gubernationem in communitate religioſa visibili, videtur non posse dari tale votum, vi cuius subdatur vnus homo alteri in iis etiam, in quibus vnus homo alteri subdi-

non potest Possit quidem Deus dare potestatem Prælati ad præcipiendos actus merè internos, sicut ipse Deus potest eos præcipere, & sicut de facto Confessarius ex delegatione Christi potest pœnitenti præcipere, & imponere ei pœnitentiam actus internos, vt cum aliis dixi *disp. 1. 2. de pœnitent. sect. 2. num. 41. & disp. 25. sect. 4. num. 67.* illa tamen potestas non pertineret ad gubernationem sensibilem, & visibilem, sed magis ad aliam superiorem propriam ipsius Christi, qui est caput inuisibile totius Ecclesiæ; homines verò non possunt tale genus potestatis communicare aliis hominibus.

10 Dices, posse saltem vnum hominem obligare se ex iustitia alteri homini ad actus internos, prout initio huius dubij concessimus: quare hoc modo poterit dare Prælati potestatem ad præcipiendos actus internos, quando voluerit vti iuste iustitiæ acquisito per promissionem acceptam. Ad hoc tamen responderi potest, licet id de possibili non repugnet: hoc tamen longè esse de facto à mente promittentis obedientiam religiosam. Si enim obligati essent ex iustitia ad opera, qua Prælati præcipit, maneret postea obligatus ad restitutionem, quicumque Religiosus violat votum obedientiæ, quod tamen nemo vquam dixit, sed omnes condistingunt etiam in Religiosis peccata contra obedientiam à peccatis contra iustitiam. Adde, quamuis aliqua Religio vellet, suos Professos obligari hoc modo ex iustitia ad actus internos ponendos Prælati exigente: illud tamen votum sub hac formalitate non videri esse votum obedientiæ, sed votum iustitiæ, quia obedientia respicit superiorem vt præcipientem: illa autem obligatio non respiceret formaliter Prælatum vt superiorem, & vt præcipientem, sed vt dominum exigentem id, ad quod habet ius ex iustitia. Vide, quæ dixi *disp. 3. de Incarnatione, sect. 4. num. 70. & seqq.* vbi ostendi, dominum vt dominum non præcipere, sed exigere quod suum est: eundem tamen vt superiorem præcipere posse eadem opera. Petenti ergo ex solo titulo iustitiæ non correspondet obedientia, sed actus iustitiæ: superiori verò præcipienti titulo superioritatis correspondet obedientia. Si ergo Prælati regularis non posset vt superior præcipere actus merè internos, sed solum illos exigere à subdito tanquam debitos ex iustitia: subditus exhibendo illos actus non obediret in rigore, sed solueret, quod debet. Quare, cum Professio religio-

sa non includat votum iustitiæ, sed obedientiæ, non potest aliqua Religio facere, quòd votum obedientiæ comprehendat ea, in quibus ponendis subditus formaliter non exercet actum obedientiæ, sed iustitiæ. Hæc tamen subtiliora videntur, quàm materia moralis exigat, quam tractamus. Sufficiat nobis, de facto non videri hanc esse mentem Professi, vt voto obedientiæ se obliget ad obediendum etiam in actibus merè internis.

Obiici adhuc potest, quòd de facto in multis Religionibus constitutiones approbatæ à Sede Apostolica præcipere videntur actus merè internos, v. gr. attendere singulis diebus per horam, vel semihoram orationi mentali. examinare conscientiam semel, aut bis in die, & alia huiusmodi, quæ sunt opera merè interna. Hoc tamen argumentum retorqueri potest; quia etiam regulæ Missalis Romani videntur iniungere Sacerdotibus etiam secularibus, & nullo voto adstrictis, aliquos actus merè internos. Sic enim in canone Missæ post sumptum corpus Christi, ante sumptionem sanguinis iubetur, vt Sacerdos *aliquantulum quiescat in meditatione sanctissimi Sacramenti.* quæ certè meditatio est actus merè internus. Et tamen secluso voto obedientiæ regularis, Doctores non admittunt communiter, leges Ecclesiasticas ferri posse obligantes ad actus purè internos; omnes ergo respondere debemus supponentes doctrinam communem, quam latè explicat, & probat P. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 4. cap. 13. num. 3. & c. 14. num. 16.* nimirum duplicem esse obedientiam, alteram strictam, quæ respicit præceptum; alteram in latiori significatione, quæ solum respicit voluntatem Superioris etiam non volentis, vel non potentis in illa materia obligare sub præcepto: & in hoc sensu non repugnat, quòd regula aliqua præscribat orationem mentalem, & quòd Prælati eandem aliquando iniungat subditis, atque alios actus internos. Et in hoc etiam sensu votum obedientiæ potest dici holocaustum, quo totus homo offertur Deo nihil sibi sui retinendo. Et quidem quoad externa totus homo subiicitur obedientiæ rigorosæ, & præcepto Superioris, quod sufficeret satis ad nomen holocausti; quando enim Deus præcepit Abraham, vt offerret illi in holocaustum filium suum Isaac, non præcepit, vt offerret etiam actus internos ipsius Isaac. Sed tamen in casu nostro ipsi etiam actus interni pertinent, vt diximus, aliquo modo ad hoc holocaustum,

stum, quatenus & ipsi possunt esse materia obedientiæ minùs rigorosæ, nempe non obligantis sub rigoroso præcepto, sed dirigentis, & regulantis actus subditi, quod sufficit ad exercendum actum virtutis obedientiæ circa illa opera, vt explicat Suarez *loco citato*, & alij communiter.

#### DUBIUM VIII.

*Vtrum possit aliquis votum emit-  
tere, non se obligando sub  
peccato, sed sub im-  
perfectione.*

1 S Vppono, posse aliquem voto suo velle se obligare, etiam in materia graui, solum sub peccato veniali. quod licet neget P. Vasquez *in 1. 2. disput. 158. cap. 4.* cum Soto, & Corduba, quos affert Suarez *tom. 2. de Relig. tract. 6. lib. 4. de obligatione voti, cap. 4. num. 3.* Idem tamen Suarez *ibi num. 7.* & Thomas Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 6.* id concedunt, quod ego etiam concessi *tom. 2. de Iustit. disp. 2. 2. sect. 4. num. 41. & seqq.* vbi tamen aduertit, illum non debere appellari simpliciter, & absolute votum castitatis, vel obedientiæ, &c. sed imperfectè, & secundum quid: atque ideo nullo modo sufficere ad Professionem, vel ad constituendum statum religiosum. Sicut etiam in contractibus humanis non sufficeret voluntas illa obligandi se solum sub veniali ad constituendum non solum contractum matrimonij, sed neque sponsalia, nec alios contractus ciuiles, venditionis, locationis, mutui, & similes, quamuis in plerisque posset oriri obligatio personalis sub veniali ex contractu illo imperfecto, & diminuto, vt latius explicui *loco citato.*

2 Hinc ergo procedit ratio dubitandi ad nostrum dubium; si enim semel conceditur, posse ex voluntate vouentis limitari, & temperari obligationem voti ita, vt etiam in materia graui transgressio non sit peccatum graue, sed leue; cur non poterit ex eadem voluntate vouentis rursus limitari, vt transgressio non sit peccatum mortale, nec etiam veniale, sed solum sit imperfectio? Quod adhuc explicari, & vrgeri magis potest, quia in multis Religionibus regulæ non obligant sub peccato mortali, aut veniali: & tamen negari non potest, quòd earum transgressio sit imperfectio moralis; cur ergo non poterit ali-

quis circa aliquam materiam consilij imponere sibi similem obligationem, vt transgressio contineat imperfectionem, qualem continet transgressio regulæ in Ordine religioso?

Dixi, in primis illud non posse appellari votum, non solum strictè, sed neque etiam in minùs stricta significatione: non quidem strictè, quia, vt paulò antè dicebam, non est votum castitatis, vel Religionis simpliciter, & absolute illud, quo quis se velle obligare solum sub peccato veniali: multò ergo minùs dicetur votum, quo nec sub culpa veniali se quis velit obligare, vnde neque etiam in latiori significatione dici poterit votum, cum non possit intelligi votum sine voluntate se obligandi, quæ voluntas est de essentia cuiuscumque voti.

Dices, sufficere voluntatem se obligandi sub imperfectione; iam enim adest aliquis obligatio, cum non possit homo deficere sine nota imperfectionis. Sed contra hoc adhuc est, quòd nec intelligi potest, quomodo se quis velit obligare ad imperfectionem; imperfectio enim moralis, prout condistinguitur ab omni culpa mortali, & veniali, non videtur esse aliud, nisi carentia actus perfectioris, quem homo posset tunc habere: hæc autem carentia non oritur ex promissione facta, sed ex obiecto ipsius operationis omisæ. Ponamus enim, v. gr. te obligare velle voto temetipsum ad dandum cras certam eleemosynam, non tamen sub peccato, sed solum sub imperfectione. Adueniente occasione, non das eleemosynam: tunc fateor, si melius erat dare eleemosynam, quàm non dare, contrahi à te notam imperfectionis. Hoc autem non prouenit ex voto facto, sed quia relicto obiecto perfectiori, eligis minùs perfectum, quamuis alioquin licitum. Non ergo oritur imperfectio ex promissione, vel obligatione, sed ex præstantia obiecti, quod ex se melius erat, quàm eius oppositum. Si enim obiectum ipsum ex se non esset melius, quàm oppositum, non posset promissio facere, quod esset melius, & quod eius omisio esset imperfectio. Potest quidem promissio facere, quòd obiectum, quod de se erat licitum, fiat illicitum, prout matrimonium de se licitum fit illicitum vouenti castitatem, quia promissio addit debitum, quod fundat culpam contra virtutem Religionis: non verò potest facere promissio, quòd obiectum, quod de se non est melius, sit melius, atque adèd refundat imperfectionem eius omisio. Imperfectio ergo omittentis eleemosynam non prou-



nit ex promissione, sed ex maiori perfectione obiecti omitti.

Dices adhuc, posse considerari nouam causam imperfectionis maioris ex eo, quod post illam qualemcumque promissionem homo deficiat à fidelitate erga Deum, cui opus illud promiserat. Respondeo, supponi falsum, nempe quod voluerit homo obligare se Deo ex fidelitate: imò si id voluisset, peccasset mortaliter non stando promissis. Quamuis enim fidelitas erga homines obliget solum sub peccato veniali, secluso alio damno extrinseco; erga Deum tamen obligat sub mortali ob infinitam Dei Maiestatem, & reuerentiam illi debitam, vt dixi tom. 2. de iustit. disput. 23. sect. 6 num. 96. vbi addidi, id verum esse, etiam si promittens exclusisset expresse omnem obligationem sub peccato, quæ ex promissione soleat alioquin oriri. Quod tamen intelligi debet, quando adhuc vellet efficaciter promittere, quia tunc non posset impedire obligationem grauem, quæ ex promissione necessario oritur. Secus verò esset, si efficacius vellet non se obligare, itaut potius vellet non promittere, quàm se obligare; tunc enim neque esset obligatio, neque etiam promissio ex fidelitate. Imò disput. 3. de Incarnatione, sect. 8. num. 128. & 129. dixi in vniuersum, obligationem voti non esse ex iustitia, sed ex Religione, & fidelitate erga Deum, quæ obligat grauiter ad seruandam fidem Deo datam. Non potest ergo fieri, quod homo ex fidelitate velit promittere Deo aliquid sub sola obligatione imperfectionis, quia si Deo data est verè fides, obligat reuerentia Deo debita etiam sub reatu culpæ ad eam seruandam.

6 Addo tamen vltimò, quamuis non videatur quis posse promissione sua se obligare Deo ad solam imperfectionem ex transgressione promissionis incurrendam: non videri tamen impossibile, quod alio modo posset sibi aliquis illud onus indirectè imponere. Pro quo aduerto id, quod obseruauit tom. 2. de iustitia, disput. 23. sect. 1. num. 1. posse nos dupliciter cum Deo agere, nempe vel promittendo, vel solum proponendo, & intimando etiam Deo nostrum propositum, sed sistendo adhuc intra terminos meri propositi, & absque vlla prorsus promissione. Neque enim propositum etiam intimatum alteri fit promissio: nam, vt ibi latiùs explicui, promissio simplex, qua quis vult, non ex iustitia, sed ex sola fidelitate se obligare, non obligat ex sola veracitate, hæc enim solum obligat

ad conformanda verba cum mente loquentis: fidelitas verò, qua promitto tibi me cras venturum domum tuam, obligat ad conformanda facta cum verbis, quia nimirum, qui loquitur, petit fidem ab audientibus, quæ fides cessaret, si loquens non deberet exprimere suam mentem; qui verò promittit, exigit à promissario fiduciam, quæ etiam cessaret, si promittens posset non conformare facta cum dictis: ideo, sicut veracitas obligat ad conformitatem verborum cum mente; ita fidelitas obligat ad conformitatem dictorum cum factis, vt latiùs explicui loco citato. vbi similiter dixi, hanc obligationem fidelitatis non dari, quando aliquis non promittit, sed solum vult affirmare suum propositum præsens, & dicit: Ego habeo propositum veniendi cras ad te, & credo, quod proculdubio id faciam. quo casu sola veracitas obligat ad conformanda verba cum mente, & ad id non asserendum, nisi de facto habeat nunc illud propositum, & credat, quod re vera ita cras fiet. Nec refert, quod illud manifestet illi, de cuius vtilitate agitur; adhuc enim posset ei non promittere, sed solum velle ei manifestare propriam intentionem, & mentem; sic enim multa proponimus coram Deo, cui hæc eadem proposita manifestamus, nihil tamen promittentes, aut vouentes, vel vllam obligationem etiam ex fidelitate nobis imponentes.

Dixi tamen illo num. 1. ex illo proposito, 7 licet non oriatur obligatio fidelitatis, negari tamen non posse, quod ex proposito, præsertim sæpiùs repetito, & coram Deo facto, eique etiam absque voto, aut promissione manifestato, nascatur titulus nouus, ratione cuius, si deficias in bono proposito, incurras notam inconstantia, & instabilitatis, quæ opponitur constantia, & perseuerantia in bono: quam notam non incurres, si non proposuisses. Vnde ad casum nostrum redeundo, inferre iam possumus, quomodo absque promissione possit aliquis imponere sibi onus aliquid faciendi, vel omittendi sub periculo imperfectionis. Si enim firmiter coram Deo proponat, v. gr. ingredi Religionem, & hoc secum propositum in Dei conspectu sæpe repetat, & confirmet, eo ipso necessario consequitur, vt si postea sine noua causa urgente deficiat, non possit euadere notam inconstantia, & instabilitatis, quæ in genere moris erit ad minus imperfectio non leuis. Potuit ergo sine vlla promissione hanc quasi pœnam incurrendæ imperfectionis sibi

sibi imponere. Imò re vera non est necesse, quod intendat hanc quasi pœnam sibi imponere, sequitur enim ex natura rei, etiam si ipse nihil de hoc cogitet. Nam posito illo proposito, & deliberatione sæpiùs, & cum deliberatione matura repetita, & confirmata, necessario consequitur ex ipsa inconstantia, & instabilitate imperfectio non leuis: quare multò magis poterit explicitè hoc ipsum intendere homo, quando suum propositum coram Deo confirmabat, & dicere: Ego firmissimè hoc propono: alioquin volo notam, & imperfectionem inconstantia, & instabilitatis incurere. Non tamen debet dici, quod ille vorum emiserit obligando se ad solam imperfectionem; illa enim nullo modo fuit promissio, aut vorum, sed solum propositum firmiter stabilitum, cuius transgressio affert plerumque non solum imperfectionem communem ex carentia operis perfectioris, quod posset fieri, sed etiam magis specialem imperfectionem ex carentia constantia, & stabilitatis in proposito firmiter stabilito, & sæpiùs coram Deo confirmato.

## D V B I V M IX.

*Utrum qui pro debitore soluit, possit ab eo exigere non solum capitale, sed etiam fructus.*

1 ANTONIUS grauatus multo ære alieno, pro quo etiam ad interesse, & fructus erat suis creditoribus obligatus, rogauit Franciscum, vt in se reciperet omnia illa debita, cui etiam se obligauit intra quatuor annos totam summam illi reddere, & interim soluere ei sex pro centum singulis annis. Itaque Franciscus assumpsit, & accollauit sibi omnia debita Antonij quoad capitale, & interesse, acceptantibus creditoribus, & liberantibus Antonium: breui autem tempore Franciscus partim industria, partim cum dispendio extinxit omnia illa debita, vt se à tot creditoribus, & interesse currenti liberaret. Antonius præterdit, se iam non debere Francisco, nisi capitale post quadriennium soluendum, non verò fructus promissos sex pro centum singulis annis vsque ad restitutionem capitalis, quia, cum Franciscus nullum iam interesse tempore sequenti soluat creditoribus, quibus iam capitale soluit, nullum

habet titulum ad illud interesse ab Antonio exigendum, nisi ob eius debita soluta, quod fuit quasi mutuum, atque ad eò fructus temporis intermedij essent vsurarij, cum re vera Franciscus soluat, v. gr. solum 6000. & exigeret postea ab Antonio 7449. computatis, quæ quasi fructus redduntur sex pro centum singulis annis illius quadriennij.

2 Interrogauit itaque Franciscus pro foro conscientia, an ipse posset licitè fructus illos exigere, & recipere? cui pro eodem foro, in quo ipsi soli ritè examinato credendum erat, responsum est affirmatiuè. Pro quo supponendum est, hos fructus non deberi Francisco pro interesse, quod Antonius debebat suis creditoribus, & quod Antonius accollauit sibi: nam re vera illud interesse non fuit solutum, sed debitum fuit extinctum, soluto capitali, antequam currere posset interesse illorum quatuor annorum: pro illo ergo interesse nihil posset Franciscus exigere, vel recipere, imò, in rigore loquendo, tota illa prima obligatio, qua Antonius debebat interesse suis creditoribus, extincta fuit, quando Franciscus, consentientibus creditoribus, accollauit sibi omnia illa debita. Fuit enim nouus contractus, quo Franciscus obligauit se ad capitale, & ad interesse: ita tamen, vt prior obligatio Antonij omnino extingueretur. Pro hac autem obligatione, qua Franciscus illis creditoribus se adstrinxit, obligauit se ei Antonius per nouum contractum ad reddendum illi intra quadriennium summam totam, & interim soluendum interesse sex pro centum. quod interesse debetur Francisco ex vi huius secundi contractus, quo se illi Antonius obligauit pro onere, quod Franciscus subibat accollandi in se debita Antonij, & eum liberandi, omnino extinguendo omnia iura creditorum aduersus illum. Ad iustificandum ergo hoc interesse non est considerandum, an Franciscus soluerit interesse creditoribus; sed an pro obligatione, quam subibat, & pro liberatione præstita Antonio, potuerit iuste obligare Antonium ad solutionem non solum capitalis, sed etiam illorum fructuum taxatorum, quamdiu non solueretur illo quadriennio.

3 Iustificatio ergo huius secundi contractus probari potest, primò ex æqualitate inter onus, quod sibi assumpsit Franciscus, & inter pretium, quod pro hoc onere promisit ei Antonius. Nam in primis Franciscus obligauit se creditoribus ad soluendum illis totum capitale: item assumpsit in

In se onus soluendi eis totum interesse, quod Antonius debebat soluere, quamdiu non redderetur illis capitale, quod quidem onus Antonius magno pretio redemisset, quia interesse magnum erat, & multò maius, quàm illa sex pro centum. Totum ergo hoc onus assumpsit in se Franciscus: & quidem pro onere soluendi capitale, voluit tantumdem sibi ab Antonio intra quadriennium restitui. Pro onere autem soluendi creditoribus interesse, quod onus Antonius habebat, & Franciscus illud totum in se assuēbat, voluit aliquod aliud pretium: quod iure facere potuit, nam onus illud, quod Antonius habebat, & liberatio ipsius à tali onere, res erat pretio digna: quare pro hoc onere, & liberatione Antonij promissa est Francisco pecunia adæquans sex pro centum durante quadriennio: quæ pecunia non petitur à Francisco ut fructus capitalis ab ipso soluti, & ab Antonio non redditi; sed ut pretium obligationis, qua Franciscus se obligat creditoribus ad soluendum interesse ab Antonio promissum, à qua obligatione, ut se aliquomodo Franciscus reddat indemnem, quia ipse exponit se periculo soluendi illud interesse creditoribus, vult Antonium vicissim ipsi obligatum manere ad reddendum ipsum indemnem, & reddendum ei hoc interesse. Quia verò interesse illud erat in grauiori summa, reductum est in gratiam Antonij ad minorem, nempe ad sex pro centum: pro qua summa tanquam pro pretio obligationis, assumpsit in se Franciscus obligationem creditoribus soluendi interesse illud maius: in quo nulla apparet iniustitia, imò beneficium in Antonium, qui pro minori summa liberatur ab obligatione soluendi maiorem summam creditoribus, quam obligationem assumpsit in se Franciscus. Ipse autem postea propria industria, & dispendio liberauit se ab ea obligatione, quam contraxerat soluendi illud interesse maius creditoribus: non tamen ideo minùs potest exigere ab Antonio pretium sibi promissum pro illa obligatione, quam contraxerat, quæ obligatio digna erat, ut vidimus, illo & maiori pretio. Non est ergo iniustus hic contractus ex parte Francisci ob excessum pretij, cum libenter Antonius pro illo pretio redemerit se ab obligatione longè grauiori. Neque etiam habet usuram implicitam quasi fructuum pecuniæ anticipatè solutæ à Francisco, & nondum redditæ ab Antonio, quia fructus illi non sunt promissi Francisco ut fructus pecuniæ

ab ipso antea soluendæ: sed ad reddendum illum indemnem ab obligatione sibi assumpta soluendi interesse creditoribus, & ut pretium illius obligationis. Neque enim Franciscus se obligauit ad statim soluendum creditoribus, sed solum assumpsit in se obligationem, quam habebat Antonius soluendi capitale, & interim interesse, pro qua obligatione voluit Antonium sibi obligari ad capitale intra certum tempus, & interim ad fructus minores, sed certos, qui ex vtriusque concordia taxati sunt pro interesse maiori incerto, ad quod Franciscus se creditoribus obligabat: in quo nulla apparet usura, sed taxatio, & reductio incerti maioris damni ad minus pretium, & lucrum certum.

Secundò probari, & declarari potest hoc ipsum ex doctrina, quam tradidi tom. 2. de Iustitia, disput. 28. sect. 10. num. 134. vbi propositum fuit dubium de Religioso, qui apud mercatorem campforem fideiussit pro Petro, cui campfor dedit ad cambium certam summam: postea verò, quia idem campfor debebat eidem Religioso aliam æqualem summam, loco solutionis cessit ei creditum illud contra Petrum tam quoad capitale, quàm quoad interesse, donec Petrus solueret: à quo cum Religiosus postea peteret sortem, & interesse, quale ab initio taxatum fuerat; opponebat Petrus, non posse Religiosum exigere interesse ab illa die, qua campfor ei cesserat creditum illud, cum iam tunc extinctum esset debitum, & satisfactum esset campfori, qui iam tunc pro soluta habebat sortem, & interesse decursum: postea verò Religiosus non poterat suo nomine exigere interesse, cum ipse non posset negotiari, nec illi lucrum cessaret ex dilata solutione sortis principalis. Dixi tamen, potuisse saltem validè campforem ab initio pacisci cum Petro pro lucro cessante, quamdiu fors non redderetur, taxando ab initio illud lucrum cessans, vel damnum emergens, quod timeri poterat, & reducendo illud ad certam summam moderatam. quo casu campfor potuit postea totum hoc ius suum ad capitale, & ad lucrum cedere Religioso, qui, licet in se non esset capax lucrandi; poterat tamen titulo cessionis exigere lucrum, cuius campfor capax erat, quia sufficit capacitas in cedente, licet in cessionario non sit talis capacitas, quod aliis exemplis ibidem comprobauit. Ex hoc autem casu videtur posse argumentum desumi ad casum nostrum, in quo etiam creditores Antonij cesserunt iura omnia, quæ aduersus

uersus illum habebant ad sortem, & ad interesse in fauorem Francisci, cui cessionis ipse etiam Franciscus consensit, & postea totum illud ex vtriusque consensu ad minorem summam reductum est. Nec apparet, cur sicut in primo casu cedens retinuit ius radicale, ratione cuius cessionarius Religiosus potuerit exigere lucrum, cuius ipse non erat capax; non potuerint etiam in casu nostro creditores cedentes retinere ius radicale, ratione cuius Franciscus cessionarius potuerit exigere lucrum, quamdiu Antonius creditoribus non solueret.

5 Dices, non potuisse in casu nostro creditores retinere ius etiam radicale ad interesse, iam enim illis Antonius soluit capitale, siquidem loco solutionis fecit, quod Franciscus accollaret sibi illud debitum; quod genus solutionis ipsi creditores acceptarunt. Postquam verò eis satisfactum est pro capitali, non potuerunt retinere ius aliquod ad interesse. Respondeo, creditores non acceptasse absolute pro solutione completa illam subrogationem Francisci, sed sub conditione, itaut Antonius maneret adhuc obligatus ad soluendum Francisco id totum, quod ipsis soluere debuisset. Quando ergo Franciscus accollauit sibi illud debitum, nondum satisfecit complete Antonius creditoribus, cum adhuc conditio completa non esset. Rursus, quando Franciscus soluit creditoribus, adhuc creditores retinere potuerunt ius radicale aduersus Antonium, quia cesserunt Francisco iura sua ad capitale, & ad interesse; ergo non liberarunt absolute Antonium à sua obligatione, sed solum sub conditione, si ipse solueret Francisco totum id, quod eis soluere debuisset. Quamdiu ergo Antonius non soluit cum effectu, semper remanet in creditoribus ius radicale, & in Francisco, ut eorum cessionario ius proximum ad capitale, & interesse, quod creditoribus deberetur.

6 Denique ad tollendum omnem scrupulum pro iustificatione huius contractus afferuntur rationes generales, quæ in hoc casu specialiter locum habuerunt, nempe damni emergentis, quod re vera Franciscus incurrebat, vel prudenter timebat ex anticipata solutione à se facta, antequam ab Antonio debitum reciperet. Item periculum, cui se exponebat amittendi sortem, quod periculum fuisse verum, experientia comprobauit; qui tituli communiter approbantur à Theologis ad paciscendum ab initio de interesse proportionato ultra

sortem sine labe usuræ. Cum ergo ageretur solum de foro conscientie, in quo ipsi soli Francisco credendum erat, qui pro sua sola conscientia interrogabat; merito illi responsum est, quòd iis stantibus posset licite ultra capitale exigere interesse illius quadriennij, prout inter se antea conueniant.

## DUBIUM X.

*An in legato supellectilis sacra comprehendatur planeta, quæ nondum fuerat ad usum adhibita.*

Cardinalis quidam in suo testamento ita scripsit: *Lego Ecclesia mei tituli N. omnem sacram supellectilem mei sacelli; hoc est, non solum omnes sacras vestes Sacerdotis, & Altaris, sed etiam cruces, candelabra argentea, & alia vasa, ac instrumenta, quæ à me in sacris mysteriis adhiberi solebant.* Reperta fuit tempore mortis planeta pretiosa vna, vel plures, quæ adhuc ad usum non fuerant adhibita. Quæsitum fuit, an in eo legato comprehenderentur? Videbantur non comprehendi, propter verba illa testatoris, *quæ à me in sacris mysteriis adhiberi solebant.* Non ergo legauit, quæ adhuc adhibita non fuerant.

Dixi, totam quæstionem reduci ad hoc, an verba illa referri debeant ad omnia præcedentia, an verò solum ad vltima, nempe ad *cruces, candelabra, &c.* quæ est quæstio celebris apud Iuristas, quando clausula vltima referri debeat ad omnia præcedentia, vel solum ad immediata, & proxima. Et quidem solet regula generalis assignari, quòd clausula in fine posita referri debeat ad omnia præcedentia; quod probari solet ex *l. talis scriptura, §. fin. ff. de legatis 1.* vbi Ulpianus de clausula à testatore addita, sic ait: *Hanc autem scripturam non ad præcedentia sola legata, sed & ad vniuersa, quæ testamento adscripta sunt, extendi, Gallus, Aquilius, Offilius, Trebatius responderunt: idque verum est.* atque ideo hanc regulam aliis adductis, probat Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 7. num. 17. Debent ergo verba illa testatoris ad totam supellectilem sacram referri, atque aded limitare legatum ad ea solum, quæ iam ad usum adhibita fuerant.

In contrarium tamen est doctrina etiam communis Iuristarum, qui supradictam regulam

regulam limitant, ut non habeat locum, quando non procedit eadem ratio in omnibus precedentibus, sed diuersa; tunc enim clausula in fine, vel in principio posita non debet referri ad omnia precedentia, vel subsequencia, sed ad illa solum, in quibus ratio peculiaris inuenitur, nisi contrarium constet de mente testatoris, vel legislatoris. quam limitationem probant Decius, Nauarrus, Bartolus, Iason, Alciurus, Menochius, & alij, quos affert, & sequitur idem Sanchez *lib. 6. de matrim. disput. 22. num. 18. in respons. ad confirmationem tertij argumenti, & lib. 8. disput. 16. num. 11. & lib. 10. disp. 16. num. 15. in fine.*

4 Hæc ergo doctrina videtur posse cum magno fundamento applicari ad casum nostrum, in quo diuersa erat ratio de crucibus, candelabris, & vasibus argenteis; huiusmodi enim poterant multa alia inueniri in domo illius Cardinalis, quæ non erant ad usum solum Sacelli destinata: nam erant multa alia candelabra argentea, multæ etiam aliæ cruces in Oratoriis, seu genuflexoriis priuatis iuxta lectum, vel in cameris secretis ad Orationem priuatam: multi etiam vrceoli, & bacilia: quare merito testator limitauit legatum harum rerum ad ea solum, quæ ab ipso in sacris mysteriis adhiberi solebant. quæ ratio non procedebat in vestibus sacris Sacerdotis, vel Altaris, solum deseruire poterant facello, & sacrificio, nec alio fine fiebant, sed eo ipso deputabantur pro seruitio Sacelli. In iis ergo nullam limitationem apposuit, imò quando de illis loquitur, apposuit signum vniuersale, dicens, *non solum omnes sacras vestes Sacerdotis, & Altaris;* statim verò quando de aliis rebus argenteis loquitur, addidit particulam limitantem, dicens; *sed etiam cruces, candelabra argentea, & alia vasa, ac instrumenta, quæ à me in sacris mysteriis adhiberi solebant.* quasi diceret: quamuis hoc legato includi velim omnia, quæ ad vestes sacras pertinent; alia tamen, quæ argentea vasa, vel instrumenta sunt, non intelligo omnia, sed ea, quæ adhiberi solent à me in sacro ministerio, quia in his poterat esse controuersia propter alia eiusdem generis, quæ reperiri poterant, non deseruientia ad sacras functiones. Et quamuis quoad calices, & patenas sacras non esset periculum; potuerunt tamen hæc sub ea clausula limitante comprehendendi, quia idem erat dicere, *lego omnes calices, & patenas, ac dicere, lego vasa*

sacra, quæ adhiberi solent ad mysteria sacra, omnia enim illa adhiberi solebant; illa ergo appositio illius signi vniuersalis, omnes, in vestibus, & omissio illius in candelabris, & aliis, satis indicat, animum testatoris fuisse, quòd limitatio subsequens referretur solum ad res posterioris, non ad res prioris generis.

Confirmatur primò ex alia doctrina multorum, qui hanc regulam statuunt, ut quando vnica est clausula in dispositione, verba limitantia, vel ampliantia referri debeant ad omnia, secus quando sunt duæ clausulæ, de qua regula videri potest Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 108. num. 3.* Videtur autem testator in casu nostro duas clausulas distinxisse: primam ibi, *non solum omnes sacras vestes;* secundam verò ibi, *sed etiam cruces, &c.* quare limitatio subsequens ad secundam solum clausulam, non ad primam referenda erit. Videatur Decius *consil. 92.* vbi, licet velit, clausulam in fine positam referri ad omnia, fatetur tamen id non procedere, quando in legato sunt duæ clausulæ. Videtur etiam possunt Cardinalis Tuschus *tom. 5. littera L. conclus. 21. numer. 14.* & Philippus Corneus *tom. 4. consiliorum, consil. 218.* vbi affert casum nostrum ferè similem, & in fauorem legatarij resoluit.

Denique confirmari potest, quia licet regula generalis sit, quòd in legatis interpretatio stricta facienda sit, ut hæres minus grauari iudicetur, in dubio enim pro ipso hærede, qui possidet, interpretandum est; id tamen fallit in legato pio, in quo in eius fauorem interpretatio magis benigna facienda est, ut cum aliis obseruat Cardinalis Tuschus *vbi supra conclus. 58.* vbi alios refert. In nostro ergo casu, in quo hæres non erat causa pia, sed consanguinei, & legatarius erat locus pius, nempe Ecclesia Titularis, in fauorem potius legatarij verba illa, etiam si dubia essent, interpretari debemus. quod multò magis locum habet in hac materia, cum agatur de veste sacra pertinente ad Cappellam Cardinalis, de quibus vestibus sacris non solet dari licentia testandi, nisi cum clausula, ut de iis disponant in fauorem alicuius Ecclesiæ, vel loci pij: quæ clausula non scio, an apposita fuerit in indulto testandi illius Cardinalis. Scio, hodie à Sanctissimo D. N. Innocentio X. poni, & mihi ab ipso appositam esse: & meritò, cum omnino non deceat, eiusmodi res sacras ad manus hæredum laicorum

rum deuolui: quare præsumi non potest, Cardinalem illum voluisse planetas illas à Legato excipere, ut ad dominium profanum laicorum deuenirent.

## DUBIUM XI.

*An nomine pecunie numerata veniat massa argenti rudis.*

1 Locus pius contendebat, se ex legato habere ius ad plura bona, quæ testator quidam in India Occidentali ei reliquerat. Negabant hæredes, & tandem ventum est ad concordiam, ut locus pius renuntiaret iuri suo, & hæredes cederent pecunia solum numerata, quam locus pius acceperat de bonis testatoris, reliqua verò reddere deberet hæredibus. Dubitarunt Superiores loci pij, an deberent etiam hæredibus reddere glebas aliquot argenteas, quas locus pius inter alia testatoris bona habuerat.

2 Dixi, debere reddi totum illud argentum hæredibus, nisi aliud ex usu illius Prouinciæ præsumi possit. Ratio est, quia si alicui legetur argentum, non debetur ei pecunia argentea, quæ relicta est à testatore, sed solum aliud argentum condistinctum à pecunia, ut habetur in *l. Quintus Mutius ff. de auro, & argento legatis.* vbi Vlpianus §. 1. ita loquitur: *An cui argentum omne legatum est, ei nummi quoque legati esse videantur, queritur. Et ego puto, non contineri. Non facile enim quisquam argenti numero nummos computat.* Hinc autem à fortiori probari potest nostra responsio, quia facilius credi potest, quod nomine argenti intelligantur etiam pecunie argenteæ, cum & ipsæ verè sint argentum, quàm quòd nomine pecunie intelligatur massa argenti rudis, quæ verè pecunia non est: si ergo Iureconsultus reputat parum credibile, quod testator nomine argenti intellexerit nummos argenteos, multò minus credi poterit, quòd hæredes nomine pecunie, cui soli cederunt, intellexerint massam rudis argenti, præsertim in summa tanti valoris.

3 Porro glebas illas argenti, seu Marcos non esse verè pecuniam, probari fa-

cile potest, quia pecunia constituitur formaliter in esse pecuniæ per sigillum Principis impressum, à quo habet valorem legalem monetæ, ratione cuius obligantur subditi, & creditores ad eam acceptandam in commercio ciuili: qui tamen non tenentur acceptare argentum rude, & non sigillatum signo illo proprio monetæ currentis: non est ergo verè, & propriè pecunia, sed solum æquiuenter, & virtualiter, quatenus facile ad monetam, & pecuniam reduci potest.

Secundò hoc ipsum probari potest ex addito illo *numerata*: nam hæredes expressè dixerunt, se cedere in fauorem loci pij *pecunia solum numerata*, quam ex bonis testatoris accepisset. Quamuis autem vocabulum *pecunia* nudè vsurpatum potuisset in latiori significatione vsurpari, ut comprehenderet pecuniam impropriam, qualis est massa argenti; voces tamen illæ, *pecunia numerata*, habent strictissimam significationem, ut ex Alciato obseruat Ioann. Calvinus Iurista in suo *Lexic. iuris, verb. pecunia numerata* Ratio autem esse potest, quia numerari non solet, nisi pecunia sigillata, & moneta vsualis, quæ nec soluitur, nec accipitur, nisi præcedente numeratione. Vnde stante Bulla Pij V. de censibus, in qua statuitur, quòd census non nisi pecunia numerata præsentati constitui possit; sicut non sufficiens merces loco pecuniæ, sic nec massa argenti ad constituendum censum, ut adductis Doctorum sententiis notauimus *tom. 2. de Iustitia, disput. 27. sect. 5. numer. 82. & sequentibus.* Cum ergo hæredes in casu nostro de sola pecunia numerata loquuti sint, non intenderunt sub eo nomine argenti massam comprehendere.

Tertiò denique probari potest, quia, licet in testamentis verba possint aliquando in benigniori significatione intelligi, quia ex benignitate, & liberalitate testatoris procedunt: in contractibus tamen onerosis singuli contrahentes proferre præsumuntur verba in sensu magis fauorabili proferenti; quia vnusquisque præsumitur, se quàm minimum possit, velle obligare, iuxta regulam vulgarem desumptam ex *l. quidquid adstringenda 99. ff. de verbor. obligationibus.* vbi glossa *verb. secundum promissorem,* eam regulam exemplis exornat. Cum ergo in casu nostro verba illa, *pecunia solum numerata,*



*perata*, prolata fuerint ab hæredibus, debent in eorum fauorem explicari in magis benigno sensu, ut solum se voluerint obligare ad cedendum pecuniæ, quæ proprie, & in rigore sit pecunia, non quæ solum virtualiter sit talis, qualis est massa argenti.

6 Dixi tamen, nisi aliud ex usu illius *Provinciae* præsumi posset; quia in primis vocabula iuxta usum regionis, & populi sensum interpretanda sunt: quare, si ibi nomine *pecunia* argentum etiam non laboratum, sed rude, intelligi solet, idque etiam nomine *pecunia numerata*, eodem modo in hoc casu deberent intelligi verba illa. Rursus, si massa etiam argenti usurpari ibi solet loco monetae, atque haberet iam suum legitimum valorem, iuxta quem in solutionibus, & commerciis cogi possent creditores ad eam accipiendam: iam tunc videretur posse comprehendere nomine *pecunia numerata*; habent enim, (ni fallor,) illæ glebæ argenti sigillum publicum singulis impressum, quo videtur fides publica fieri de singulorum pondere, & valore; quare aliquo modo videntur participare conditionem monetarum, & pecuniarum. Vereor tamen, ne sit alius finis sigillum illud imprimendi; inuenio enim apud Solorzanum *tom. 2. de Indiarum gubernatione, lib. 5. cap. unico, num. 23.* regium signum, siue stigma solere ibi eiusmodi metallis imprimi, ut domini possint liberè uti metallis illis, nam signum illud ostendit, quòd iam satisfecerint Regiæ Cameræ, soluendo quintam partem fisco debitam. Potest etiam signum illud imprimi, ut constet de legitimo pondere illius massæ, vel ob alias rationes, absque eo quòd intendatur dare qualitatem monetae. Si autem neque est moneta, neque in illa regione sub nomine *pecunia numerata* intelligi solet massa argenti, non video, quomodo locus pius ex illa sola cessione pecuniæ numeratae, quam fecerunt hæredes, possint licitè retinere massas argenti, quas apud se habebant de bonis testatoris.

\* \*

D V B I V M XII.

*De censu soluendo, sequuta mutatione monetae, & deficiente etiam ex parte hypotheca.*

Petrus Ecclesiasticus secularis vendit censum loco regulari 600. librarum Genuensium annuarum, quem censum imposuit super fundo quodam, & super aliquibus locis Montium, quæ Romæ in Montibus habebat. Hæ autem 600. libræ faciebant tunc 120. scuta. Postea idem Petrus Professionem religiosam fecit, reseruata sibi ad tempus cura, & administratione mera suæ hereditatis, quam alteri Conuentui eiusdem Ordinis reliquerat. Dum ergo hereditatem suam administraret, vendidit ob euidentem vtilitatem loca Montium Romana, quæ dicto censu specialiter subiacebant. Mortuo Petro, illi, ad quos spectat administratio hereditatis ab eo relictae, nolunt amplius soluere integra illa 120. scuta, annua loco regulari, qui censum emerat, sed solum 100. imò ex his etiam volunt demere tertiam partem.

Eorum fundamento duo sunt. Primum est, quia deficiente hypotheca totaliter, deficit census; ergo deficiente ex parte hypotheca, debet ex parte deficere etiam census. Cum ergo loca Montium Romana alienata fuerint, & transferint ad alios possessores, ab iis debet exigere pro rata census annuus, quia loca Montium debuerunt ad ipsos cum suo onere reali transire. Cum ergo loca Montium sint tertia pars totius hypothecæ specialis, quam census habuit, debet tertia pars fructuum census cum illis Montibus transire, vel extingui.

Dixi tamen, ex hoc capite non videri excusandum hæredem Petri à solutione integra 600. librarum annuarum, primò, quia iuxta sententiam probabilem creditor potest petere à singulis, inter quos postea diuiditur res censui subiecta, & ab illo, quem maluerit, exigere pensionem integram, ut docent Molina *tom. 2. de Iustitia, disput. 391. num. 3.* Lessius, & Nauarrus, quos attuli *tom. 2. de Iustitia, & iure, disput. 27. sect. 6. §. 4. numer. 106.*

Deinde,

Deinde, quia etiam retenta contraria aliorum sententia, adhuc in casu nostro erit actio aduersus Petrum venditorem census, & eius hæredes, nam vel Petrus vendidit illa loca Montium aliis, vel extinxit recepto pretio, quod dederat. Si extinxit, debebat subrogare aliam hypothecam loco illorum, & seruare indemnem emptorem census: quare ex hoc saltem capite tenebitur nunc ad refarciendum hoc damnum, & soluendos redditus integros; si verò non extinxit, sed vendidit loca Montium aliis, tenebitur illis ad minus de euitatione, si loca Montium transferunt cum illo onere reali. Cum ergo in casu nostro vterque locus pius, & qui emit censum, & hæres venditoris, sit locus regularis sub eodem generali, ad quem pertinet administratio bonorum vtriusque, fatendum videtur, quòd licet de rigore iuris emptor census deberet recurrere ad possessores illorum locorum Montium, (si fortè vendita fuerunt,) & illi postea recurrere ad hæredes venditoris, qui tenentur de euitatione: Generalis tamen, qui scit obligationem sui subditi, qui est hæres venditoris, debet vitare hunc circuitum, & seruare indemnes emptores locorum Montium, extinguendo partem illam census pro rata locorum Montium ex pretio pro illis accepto, ad quod tenebatur Petrus venditor: & interim soluere partem illam reddituum correspondentem locis Montium, ut illorum emptores seruet indemnes.

4 Opponunt primò, Petrum, quando alienauit, vel extinxit loca Montium, fuisse iam Professum, atque ideo iam non fuisse dominum, nec debitorem census, sed merum administratorem: quare non videtur procedere regula, quòd venditor census alienans, vel extinguens bona hypothecata, debet subrogare alia bona in eorum locum. Respondeo, Petrum fuisse tunc administratorem ex voluntate, & nominatione eiusdem Petri, antequam esset Professor; quo tempore nominans se administratorem pro tempore sequenti, eo ipso voluit ratas habere obligationes, & onera omnia, quæ consequerentur ad omnes contractus quos ipse postea in ea administratione celebraret, sicut si eos ante Professionem celebrasset: quare regula illa habebit locum, cum tota illa obligatio fundetur in voluntate eiusdem Petri, quando non erat Professor, sed dominus absolutus, & liber illorum bonorum.

D. lo. Card. de Lugo Respons. mor.

Opponunt secundò; quòd Petrus iam Professor alienauit illa loca Montium cum licentia ipsius Generalis; qui cum esset Superior etiam illius loci pij, qui emerat censum, eo ipso videtur nomine illius præbuisse consensum ad alienationem illorum locorum, non obstante præiudicio, quod debebat sequi de diminutione fructuum census quoad illam partem. Respondeo, Generalem nec intendisse, nec potuisse velle dare licentiam, nisi quatenus præcisè requirebatur, & perebatur ad alienanda loca Montium, (quam licentiam poterat tunc dare ante prohibitionem factam à sacra Congregatione Concilij Tridentini,) non verò ad præiudicandum iuri illius loci religiosi, qui prædictum censum emerat. Si enim Generalis sciret, illa loca Montium esse hypothecata tali loco pio, & censui subiecta, non potuisset dare licentiam ad alienandum, nisi vel monitis emptoribus de onere affixo, vel subrogando aliam hypothecam loco illius, quia non poterat cedere iuri hypothecæ, quam habebat emptor census, nisi hoc esset in euidentem eiusdem vtilitatem, quæ non erat, sed euidens damnum, & diminutio census empti quoad tertiam partem sine vlla profus vtilitate, vel compensatione. Dum ergo Generalis hoc ignorauit, non debet villo modo præsumi quòd implicite consenserit præiudicio emptoris census, sed potius, quòd voluerit implicite subrogare aliam hypothecam, vel certè obligare hæredes venditoris ad conseruandum omnino indemnem dominum census, cui loca illa Montium erant specialiter subiecta.

Cessante ergo hoc motiuo ad diminuendos fructus census, veniamus ad alterum, quod maiorem videtur præferre difficultatem. Dicunt ergo, quamuis initio soluerentur 120. scuta annua, quibus tunc æquiualebant 600. libræ annuæ assignatæ pro annua pensione: nunc tamen soluenda esse solum 100. scuta, quibus solis nunc æquivalent 600. libræ. Pro quo sciendum est, libram Genuensem esse monetam non vsualem, sed imaginariam continentem 20. solidos, sicut ducatum Hispanum continet 11. regales: & sicut in Hispania, quamuis nulla sit moneta, quæ æquiualeat 11. regalibus, vel sit ducatum; redditus tamen censuum, & aliarum pensiones designantur per ducata: ita Genuæ nominantur

Ii 2 libræ

libræ in pensionibus, & aliis contractibus, quamuis nulla sit talis moneta, sed solum contineat 20. solidos. Ipsi tamen solidi, qui libram componunt, passi fuerunt tempore sequenti mutationem intrinsecam, eo quod cusi fuerint solidi paulatim deteriores in sua substantia, quare solidi moderni componentes 600. libras æquivalent quoad perfectionem intrinsecam solidis antiquis componentibus solas libras 300. Hinc ergo oritur difficultas, quia hæredes Petri dicunt, se satisfacere soluendo libras 600. nominatas in contractu: cum autem 600. libræ hodiernæ propter deteriorationem solidorum æquivalent solis 100. scutis, dicunt, se satisfacere soluendo 100. scuta, cum tamen antea propter perfectionem maiorem solidorum oporteret dare 120. scuta pro soluendis 600. libris annuis, quæ ex contractu debebantur. Ex aduerso verò emptor census præten dit sibi soluenda esse 20. scuta, quæ æquivalent 600. libris antiquis, ipse enim debet exigere libras, quales tunc erant, non alias, quæ solo nomine conueniant cum illis, & differant quoad substantiam, & bonitatem intrinsecam.

7. Vnde quoad hoc etiam punctum respondi, in fauorem emptoris census, quia regula generalis est, vt quando valor intrinsecus pecuniæ decreuit ob deteriorationem intrinsecam ipsius pecuniæ, creditores, siue creditum proueniat ex mutuo, siue ex censu, siue ex quocumque alio contractu, recipere, & exigere possint à debitoribus solutionem iuxta valorem, quem monetæ habebant tempore contractus: quæ regula colligitur ex *cap. olim, & cap. cum Canonice, de censibus*; & latè eam explicant, & probant Barbosa in *Collectan. Decretalium*, super illos textus, & P. Layman *lib. 3. sect. 5. tractat. 3. part. 1. cap. 5. num. 10. & 16. & latius num. 25.* Et quidem ipsemet Senatus Genuensis lege publica statuit, vt debira antiqua in moneta meliori, & antiqua, vel in pluribus modernis monetis adæquantibus valorem intrinsecum antiquarum soluerentur. Cum ergo census, de quo agitur, impositus fuerit ante sequentem mutationem, & deteriorationem monetæ, debet omnino solui in moneta antiqua, vel multiplicato numero, modernarum vsque ad valorem, & æstimationem, quam hodie habent monetæ antiquæ.

8. Obiiciebat debitor primò, legem illam factam à Senatu promanasse à potestate

seculari, atque ideo non potuisse obligare Ecclesiasticos, quales erant debitores census. Hoc tamen parum vrget, quia in primis, seclusa etiam lege positiua, lex naturalis obligaret ad obseruandum contractum iuxta mentem contrahentium: nec lex positiua aliud fecit, nisi explicare obligationem naturalem, & mentem contrahentium, qui vtique præsumuntur intellexisse de pecunia illa, quæ, & qualis tunc in vsu erat, non de alia intrinsecè deteriori, quæ superuenire poterat. Deinde, quia lex ciuilis iusta, communis, & vniuersalis, quæ fertur in publicam omnium vtilitatem, non minùs obseruari debet ab Ecclesiasticis, qui sunt pars illius Reipublicæ, & communitatis, vt cum communi Doctorum probat latè P. Suarez *lib. 3. de legib. cap. 34.* quæ doctrina maximè locum habet in hac lege, quæ tota ordinatur ad bonum commune, nec minùs utilis est Ecclesiasticis, quàm laicis, & secularibus. Adde, videri, quòd lex illa statuerit valorem legitimum monetæ: nam eo ipso, quòd prohibet, debita antiqua solui in moneta moderna, nisi hæc multiplicetur, videtur consequenter iubere, quòd libra ex solidis modernis non valeat, quantum libra ex solidis veteribus. Siquidem iubet, quòd in solutione non æquialeat libra moderna libræ antiquæ. Valor autem monetæ, imò & mercium lege publica statutus obligat proculdubio Ecclesiasticos. Vnde, cum census, de quo agitur, fuerit emptus ante deteriorationem solidorum, atque adedò comprehendatur sub debitis antiquis, quæ lex statuit debere solui in libris antiquis; fatendum videtur, quòd emptor census possit reditus eius exigere iuxta computum librarum antiquarum, & earum æstimationem præsentem.

### D V B I V M XIII.

#### *De pœna à testatore imposita, an obliget heredem heredis.*

**T**estator grauauit heredem his verbis, *Iubeo, quòd hæres infra scriptus debeat facere celebrare per 60. annos Missas 60. singulis annis in tali Ecclesia: si vero per tres annos continuos id omiserit, lego tali Confraternitati 200. scuta, vt id faciat in perpetuum.* Postea verò post alia legata instituit heredem Titium, qui, dum vixit, id omnino

nino obseruauit. Titio mortuo successerunt tres hæredes: quorum vnus negligens fuit in obseruantia pro rata suæ partis voluntate primi testatoris. Quæsitum fuit, an transacto triennio cum illa omissione, incurreret pœnam, & debeat pro rata soluere legatum Confraternitati.

2. Respondi breuiter, hæredes Titij succedere singulos pro rata in onere faciendi celebrare illas Missas per annos 60. probabile tamen esse non obligari ad pœnas dandi Confraternitati 200. scuta, vel eius partem pro rata ob negligentiam triennalem, sed in vtroque foro satisfacere faciendi celebrare Missas omittas, & simul alias correspondentes annis subsequentiibus. Prior pars probatur, quia hæres, sicut repræsentat defunctum in iure actiuo, ita eum repræsentat in iuribus passiuo, seu debitis, quæ non minùs iuxta vires hereditatis debent solui pro rata ab hærede, quàm à defuncto, vt cum communi docet Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 15. num. 4.* vbi benè probat, in eiusmodi obligationibus diuiduis non teneri singulos hæredes in solidum ad totum, sed solum ad partem pro rata partis hereditatis, & hoc etiam si alij cohæredes non soluant suam partem, vndecumque id proueniat: in nostro autem casu obligatio ex parte obiecti erat omnino diuidua, cum 60. Missæ possent commodè distribui inter tres hæredes Titij, itaut singulis incumberet onus 20. Missarum in anno, si pro partibus æqualibus successerant in hereditate.

3. Posterior verò pars probari potest ex verbis testatoris, qui legatum Confraternitati reliquit solum casu, *quo hæres infra scriptus per tres annos continuos omitteret celebrationem illarum Missarum annuarum.* Postea verò solum Titium nominauit heredem, nec explicitè, nec implicitè loquutus fuit postea de hæredibus Titij, nec voluit per fideicommissum transmitti sua bona ad alios post Titium. Solum ergo Titius intelligi debet nomine *heredis infra scripti*, quo omitte nte per triennium celebrationem Missarum, legatum relictum fuit Confraternitati. Regula enim generalis est, vt dictio illa, *infra scriptus*, limitet ad heredem, qui constare potest ex ipso testamento: & quamuis *heredum* nomine possent venire omnes, qui vtcumque mediatè, vel immediatè testatori succedunt, quando tamen sermo est de hærede infra scripto, limitatur ad illum solum, quem testator in

D. Io. Card. de Lugo *Respon. mor.*

eodem testamento designari: de qua regula videri possunt vltra alios Barbosa *in tractat. de dictionibus, in dict. Infra scriptus*, & Cardinalis Tuschus *littera D. in verb. Dicitio*, conclusione 260. Cum ergo testator legatum reliquerit Confraternitati tunc solum, quando hæres infra scriptus omitteret per triennium continuum celebrationem Missarum, non purificatur conditio, nec debetur legatum, quando hæres heredis omisit pro rata suæ portionis satisfacere.

Dices, ex hac doctrina sequi contra primam partem nostræ responsionis. Si enim nomine heredis infra scripti non veniunt hæredes mediati, sed sola persona in eodem testamento nominanda; ergo hæredes Titij non obligantur ad onera Missarum prosequenda; nam testator ad Missarum celebrationem obligauit solum heredem infra scriptum, quo nomine Titius solus venire debet, vel fatendum erit, in tota illa clausula comprehendi debere hæredes etiam Titij futuros.

Respondetur negando sequelam. Ratio est, quia obligatio ad onera Missarum transit cum ipsa hereditate Titij ad eius hæredes, etiam si testator primus de hoc non cogitauerit; neque enim potest hereditas Titij non ferre secum omnia onera, & obligationes reales, quas habebat Titius, vt *suprà* vidimus, & notauius etiam *primo tomo de Iustitia, disput. 6. sect. 5. n. 60.* Vnde eo ipso, quòd Titius sit hæres institutus, manet obligatus ad onera imposita, & per consequens eius hæres, qui personam Titij repræsentat, debent subire easdem obligationes. Alia verò ratio videtur de legato relicto Confraternitati: quod quidem fuit conditionale, atque adedò non debetur, nisi conditione in toto rigore posita: conditio autem erat, si Titius per triennium continuum omitteret Missarum celebrationem; quæ conditio nunquam posita fuit, nec Titius vnquam defuit suæ obligationi; quare legatum non potuit transire in absolutum.

Confirmatur primò, quia, licet aliqui 6 doceant verba testatoris esse latè interpretanda in fauorem vltimæ voluntatis, quos affert Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 15. num. 46.* ipse tamen cum aliis id explicat, quando interpretatio redundat in fauorem heredis, secus quando est in fauorem legatarij, & contra heredem, vt colligitur ex *l. nummis 73. ff. de legatis 3. & l. apud Iulianum §. Seio & l. si ita scriptum, in fine. ff. de legatis 1.* Ratio autem est,

quia testator censetur velle quàm minimum possit grauari heredem, quem semper plus diligit, quàm legatarios. quod etiam in legatis piis locum habere, docet idem Sanchez, loco citato. Vnde conditio illa in nostro casu debet in sensu proprio verborum intelligi de omissione ab ipso Titio ponenda, non de casu quo alij præter Titium omitterent.

7 Confirmatur secundò, quia si Titius grauatus fuisset à testatore, vt irer eius nomine ad domum Lauretanam, vel nisi irer, solueret 100. aureos Xenodochio: mortuo Titio, antequam irer Lauretum, eius hæres teneretur quidem ad onus reale, nempe ad soluendos 100. aureos, non tamen teneretur ad onus personale peregrinationis Lauretanæ, imò nec satisfaceret eundo, quia peregrinatio non fuit ei imposita, sed soli Titio, vt in simili docet idem Sanchez dicto cap. 15. num. 31. quando defunctus votum fecerat peregrinationis, vel erogandi pecuniam disunctim; si enim moriatur non peracta peregrinatione, hæres obligatur determinatè ad partem realem pecuniæ erogandæ, nec potest peregrinationem eligere, quæ erat personalis, & solum defunctum respiciebat. Sicut ergo hæres non succedit in onere personali defuncti, sed in solo reali; sic nec succedet hæres Titij in pœna, ob omissionem personalem Titij, quando Titius non omisit: quia disunctim in casu nostro à testatore volitum erat celebratio annuarum Missarum, vel legatum Confraternitati soluendum, si Titius per triennium omitteret. Cùm ergo nunquam Titius omiserit, non datur locus legato, quod non debetur, nisi in casu, quo Titius partem suam non expleuerit. Hæc pro huius partis probabilitate dicta sunt, quam tamen nolo probabiliorem asserere: video enim, pro parte etiam contraria asserri posse argumenta non leuia ad probandum, hæredes successisse in onere Missarum cum eadem pœna legati soluendi. Nunc tamen solum respondimus in fauorem hæredum, quorum vnus scire volebat, an probabiliter posset excusari à pœna incurfa pro rata suæ portionis.

#### D V B I V M XIV.

##### De venditione vini facti communis per admixtionem.

1 S eius administrator rerum Titij pretio ab ipso Titio ad hoc conductus mis-

cuit 200. mensuras vini æquè boni cum 300. aliis Titij in cella vinaria, & in doliis eiusdem Titij. Postea pretio bono curren- te cogitans de prædio sibi emendo vendidit 200. mensuras vini: habuit tamen vel tunc, vel postea, (hoc enim ex facti narratione non satis constabat,) hanc mentem, vt si postea vini pretium cresceret, illa prima venditio intelligeretur facta de parte solius Titij: si verò è contra pretium decrederet, intelligeretur facta solum de parte sua; quæsitum fuit, an decrecente postea pretio vini, possit Seius retinere sibi totum pretium primæ venditionis.

Respondi, de hac materia mixtionis 2 pauca reperiri apud nostros Theologos. Ego latius egi tom. 1. de Iustitia, disput. 6. sect. 13. num. 159. & sequentibus. Ex doctrina autem ibi tradita, præsertim n. 173. & 174. dixi, in casu proposito Seium triplicem potuisse habere intentionem diuersam. Primò enim potuit velle vendere solam suam partem: eius intentionis indicium esse potest, quòd vendidit, vt emeret sibi prædium. Et tunc quidem licet vendidit suam solam partem, quia, licet per admixtionem factam ex consensu vtriusque Domini vinum totum fiat commune vtrique, prout in hoc casu factum videtur, quia Seius nomine suo, & nomine Titij, cuius Procurator erat, mixtionem fecit: per intentionem tamen illam videtur iam Seius separasse, & designasse partem suam seorsim à parte Titij. Quare peccauit postea Seius post venditionem eo animo factam mutando intentionem; quia re vera vendiderat iam partem suam, & non poterat in præiudicium Titij reuocare quod iam factum fuerat. Hoc tamen peccatum fuit solum secundum affectum, non secundum effectum, quia non potuit Seius facere, quòd venditio iam facta non fuisset facta suo solo nomine, sed nomine Titij. Debet ergo Seius pœnitere de hoc peccato secundæ intentionis iniquæ, & retinere pretium totum primæ venditionis, quæ legitima fuit, nec reuocari postea potuit.

3 Secunda intentio, quam Seius potuit habere tempore venditionis, esse poterat, si tunc voluit eo animo vendere 200. mensuras vini, vt si pretium venderetur facta de suo vino; si verò pretium cresceret, venditio illa censureretur facta de vino Titij. Hæc autem intentio proculdubio erat iniqua, & iniusta, cùm vellet Seius totum damnum, & periculum transferre in Titium, & totum commodum, & vtile ad se ipsum, quòd

#### D V B I V M XV.

##### De valore, vel inualiditate cuiusdam census.

quod in primis erat contra leges, & debitum bonæ administrationis, qua ipse administrare debebat res Titij bona fide eius commoda procurando. Erat etiam illa intentio contra leges venditionis, qua vendebat vinum, & eius dominium transferrebat in emptores. Debebat enim tempore venditionis, & pretij accepti dominium à venditore in emptorem transferri: quare non poterat manere suspensa persona venditoris dependens à conditione futura incrementi, vel decrementi pretij futuri; interim enim à quo venditum esset vinum, & translatum dominium: Debebat ergo Seius velle tunc determinatè vendere suo nomine, vel nomine Titij, vel vtriusque. Cùm igitur voluntas, & intentio illa fuerit iniusta, debet postea Seius eam corrigere, & reducere ad eum statum, vt Titius non maneat damnificatus. Hoc autem fiet ratificando eam venditionem tanquam factam communi nomine vtriusque; hoc enim modo fiet, vt commodum, atque incommodum, lucrum, & periculum commune fuerit vtrique socio. Quare Seius non poterit sibi ex pretio vini venditi retinere, nisi duas quintas partes, & alia tres quintæ pertinebunt ad Titium.

4 Tertia denique intentio Seij in actu venditionis esse potuit, si voluit vendere vinum communi nomine vtriusque: & idem dicendum videtur, si nihil cogitauit, sed data illa opportunitate vendendi, voluit vendere vinum illud in eo statu, in quo reperiebatur, in quo erat factum proculdubio commune, propter mixtionem, vt supra vidimus. Posita autem hac intentione, nihil refert, quòd post venditionem factam, & perfectam, habuerit nouam intentionem, & voluerit, quòd venditio facta fuerit suo solo nomine, si pretium postea decrederet, vel facta fuerit nomine solius Titij, si pretium cresceret. Hæc enim intentio subsequens non potuit præiudicare venditioni factæ, & perfectæ nomine vtriusque. Peccauit quidem Seius postea habendo hanc secundam intentionem iniustam: peccauit tamen peccato iniustitiæ affectiuæ, non effectiuæ, quia per eam voluntatem nullum nocumentum Titio asferre potuit cum effectu, sed solum in affectu: debet ergo pœnitentiam de hoc affectu agere, & pretium diuidere pro rata, vt dictum est, ita vt duæ quintæ partes ad ipsum pertineant, & reliquæ tres quintæ partes ad Titium.

1 Titius per procuratorem emit prædium à Sempronio pretio 1000. aureorum, quos eidem soluit, eadem verò hora, in eodem loco, coram eodem Notario, & testibus Sempronius emit à Titio eodem pretio, & pecunia eadem præsentis, censum aureorum 60. annuorum, qui census constitutus fuit super eodem prædio, & super aliis locis montium, quæ habebat idem Titius, cuius census redditus soluit Titius per 60. annos, post quos dubitatum fuit de valore illius census.

2 Contra census valorem esse quòd dicitur in l. qui sic soluit 5. ff. de solutionibus, vbi ita respondet Vlpianus: *Qui sic soluit, vt recuperetur, non liberatur: quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, vt accipiantur.* quod idem in re ipsa respondisse videtur Iulianus in l. si tibi pecuniam, 20. ff. de rebus creditis si certum petatur; vbi ita scribit: *Si tibi pecuniam donassem, vt mihi eandem crederes, an credita fieret? Dixi, in huiusmodi propositionibus non propriis verbis nos uti. Nam talem contractum neque donationem esse, neque pecuniam creditam: donationem non esse, quia non ea mente pecunia daretur, vt omnimodo penes accipientem maneret; creditam non esse, quia exsoluendi causa magis daretur, quàm alterius obligandi. Igitur, si is, qui pecuniam hac conditione accepit, vt mihi in creditum daret, acceptam dederit, non fore creditam; magis enim meum accepisse intelligi debeo.* Hæc ibi, in quibus ratio à priori significatur, quia scilicet qui dat cum obligatione, quam accipienti imponit expendendi pecuniam in certum vsum, non dat absolutè, nec transfert omnino in accipientem dominium illius pecuniæ; dominus enim absolutè non est, nisi qui potest disponere de re sua in quolibet vsus, quam potestatem tunc non habet pecuniam accipiens cum sola facultate expendendi in certum vsum. Quia ergo in casu nostro Sempronius vendens Titio prædium, & statim reddens idem pretium eidem Titio ad constituendum censum, præsumitur ex dicto accepisse pretium cum illa conditione, & obligatione reddendi pecuniam statim Titio, censetur pariter non accepisse dominium plenum illius pecuniæ, atque ad eò non potuisse illa pecunia emere censum, qui ex Bulla Pij V.



non potest validè constitui, nisi pecunia numerata præsenti, quæ solvatur ab emptore, quæ conditio in præsenti videtur defuisse; neque enim Sempronius re ipsa dedisse videtur pecuniam, quæ non erat sua, vero, & absoluto dominio, pro censu, sed potius voluisse dato prædio, habere loco illius censum super ipso prædio, & super locis montium: quare non videtur fuisse rigorosa emptio, sed permutatio, quæ iuxta Bullam Pij V. non permittitur in nova census constitutione, sed debet esse vera emptio soluto pretio in pecunia numerata præsenti.

3 Respondi, valorem census pendere ex intentione contrahentium: quare, si res ageretur in foro externo, & iudiciali, difficilior esset fortasse responsio, propter varietatem sententiarum, & placita Iurisprætorum ad præsumendam bonam, vel malam contrahentium mentem; quia tamen interrogatio fiebat solum pro foro conscientie, in quo credi debet interroganti: ego dixi, me respondere soli Titio interroganti pro conscientia sua; quando enim Sempronius scire vellet suam obligationem, ipse poterat pro se interrogare. Titio igitur quærenti, an ipse posset fructus annuos illius census exigere? respondi, posse, si quando emit prædium, non præcessit pactum, quo obligasset Sempronium ad non retinendum pretium prædij, sed reddendum ei statim pro emptione, & constitutione novi census, vel quo Sempronius ipsum Titium obligasset ad vendendum censum eodem pretio recepto supra idem prædium, & loca montium. Si enim eiusmodi pactum præcessit, & correspondibilitas, ac dependentia inter utrumque contractum, census non videtur validus, ubi obligat Bulla Pij V. propter rationem suprædictam, cum Sempronius non emerit censum in rigore loquendo cum pecunia numerata sua, sed vel pro prædio, quod dedit Titio pro censu constituendo super ipso prædio, & locis montium, vel certe pro pecunia, cuius dominium liberum non habebat, sed ligatum ad illum solum usum emendi censum: quare servata non fuit conditio à Pio V. requisita, ut in simili propter eandem rationem dixi tom. 2. de iustitia, disp. 27. sect. 5. num. 90. quando creditor emit censum à debitore, cum eo tamen pacto, ut debitor illa pecunia debeat statim emptori solvere debitum antiquum. Quo etiam casu dixi deesse conditionem à Pio V. requisitam, quia tunc re vera pecunia numerata non ponitur

in plena potestate, & dominio venditoris.

Si verò pactum illud non antecessit, nec 4 inclusus fuit in emptione prædij, sed contractus emptionis factus fuit omnino independentens à censu sequenti, & pretium prædij positum fuit in plena & libera potestate Sempronij, qui postea absque vlla obligatione voluit eadem pecunia emere censum à Titio, non apparet aliquid, unde census in foro conscientie inualidus, aut illicitus censendus sit. Imò idem dicendum erit, quamvis contrahentes hanc intentionem ab initio haberent, & de hoc tractassent, dum tamen ad secundum contractum non se obligarent, sed primum contractum emptionis prædij liberum celebrarent, relinquendo liberum utrumque contrahentem ad contractum census postea faciendum, vel non faciendum. Intentio enim sola etiam exterius prodita, dum manet intra terminos meræ intentionis, non alterat primum contractum, loquendo in foro conscientie, in quo cessat præsumptio fraudis, quando constat de veritate; hac enim ratione communis sententia excusat in foro conscientie à peccato usuræ, & ab omni culpa, loquendo ex natura rei, & seclusa legis prohibitione, mercatorem qui vendit pretio iusto summo, sed credito, merces suas Titio, qui statim, quia pecunia præsenti indiget, vendit eidem venditori eandem merces pretio iusto infimo in pecunia præsenti: dum tamen prima venditio fiat sine vlllo pacto explicito, quo Titius obligetur ad vendendas merces illas eidem venditori pretio minori: & hoc dicunt procedere etiam, quando mercator sperabat, Titium venditurum ipsi statim eandem merces pretio infimo, quia Titius id ei significauerat, dum tamen nulla intercedat obligatio explicita, vel implicita ad secundam venditionem, de quo, & de auctorum mente dixi latius tom. 2. de iustitia, disp. 16. sect. 3. §. 2. n. 205. & seqq.

Est autem hæc doctrina ex mente Iurisconsultorum, quorum verba supra retulimus, qui tunc solum dicunt non transire pecuniam in dominium accipientis, nec fieri donationem, vel creditum, quando data fuit cum pacto, seu conditione, & obligatione, ut iterum danti redderetur; quare seclusa ea conditione, & pacto, contrarium videntur supponere. Videtur etiam id omnino supponi à Iurisconsulto Marcello in l. si quis duos, 67. ff. de solutionibus, ubi dicit, si Titius, v. gr. debeat

Caio

Caio 100. & solvat ei decem, quæ Caius Titio statim reddat, & Titius iterum Caio solvat, & toties eadem à Caio recepta, iterum, ac iterum eidem solvat, decies repetita solutione eorundem decem, soluisse integrè Titium omnia 100. quæ debebat. quod quidem verum non esset, nisi Caius, & Titius semper denuo dominium illorum reciperent, & transferrent; quia tamen nullum pactum, aut obligatio interveniebat reddendi eadem decem danti, idèd potuit esse vera donatio, & solutio, ut notavit ibi glossa verb. quod, dicens ibi fuisse veram donationem ex parte creditoris quoties reddebat Caio 10. Nec enim, inquit, creditor se obligavit ad reddendum: & sic non obstat, lex qui sic, supra eodem. nam ibi ex pacto se adstrinxerat ad reddendum, quod hic non fecit. Vides, cessante pacto, non ob stare animum reddendi, quo minus transferatur plenè dominium pecunie traditæ. Ratio autem est clara, quia in casu nostro Bulla Pij V. solum vult, quòd census non constituatur, nisi emptor solvat pretium pecunie numeratæ præsenti. Hoc autem torum fecit Sempronius, qui iam pro prædio acceperat mille aureos, quorum iam erat plenè dominus, cum eos acceperit absque vlllo pacto, & obligatione emendi censum, atque adeò poterat illos sibi retinere, & censum non emere, ut supponimus. Dum ergo eadem pecunia emit statim censum à Titio, verè emit cum pecunia numerata præsenti, & sua, atque adeò obseruat totum quod requiritur in prædicta Bulla.

6 Contra hanc vltimam responsionis partem videtur sentire Leonardus Duarenus de censibus, parte 1. §. 2. q. 1. num. 28. ubi tangit hunc casum, & dicit præsumi inualidum, addit tamen, quando contrahentes soliti erant usuris palliatas facere. In quo etiam sensu procedere videtur Rota Romana in decisione sub Peña, quæ est decisio 122. inter illas, quas idem Duarenus congerit 2. tomo in fine illius operis, ubi Patres ponderarunt, quòd contrahentes soliti erant palliare usuras. Et quidquid de hoc sit, longè diuersa est quæstio, an præsumendus sit in foro externo contractus illicitus, de quo nos non agimus, sed an sit illicitus, & inualidus, quando constat, contractus illos seorsim factos esse sine dependentia vnus ab alio; omnis enim præsumptio cessat, quando de veritate constat. Posset ergo iudex in casu nostro ex similitudine temporis, & aliis circumstantiis præsumere, Titium non soluisse pre-

tium prædij, nisi obligando Sempronium, ut eodem pretio emeret statim censum ab ipso. Theologus tamen, quem Titius in foro conscientie consulit, & profiteretur, se nullo modo Sempronium obligasse ad hoc, sed liberum eum reliquisse, ut pretium prædij sibi retineret, non debet respondere Titio iuxta præsumptionem contrariam fori externi, cum Titius id non possit præsumere, qui contrarium verum esse scit, sed debet ei respondere pro eius conscientia iuxta eius narrationem, & confessionem. Nam re vera valor illius census, & eius iustificatio pendet omnino ex eo, quòd duo illi contractus facti fuerint sine dependentia vnus ab altero, & sine obligatione Sempronio imposita emendi à Titio censum, quidquid sit, an de hoc ipso cogitauerint, & tractauerint, dummodo obligatio nulla interuenerit.

#### DUBIVM XVI.

*A quo sit resarciendum damnum illatum dominis prædiorum pro extruenda arce tempore belli.*

Visum fuit, urgente bello, oportere, ut 1 ad tutelam construeretur, & munitur arx nova in quodam loco: cumque periculum esset in mora, dux exercitus executioni mandavit cum magno dispendio eorum, qui prædia ibi possidebant, quorum pars fuit occupata ad fabricam, pars effossa ad eruendos lapides, & cæmentata: arbores etiam excisæ, ut ligna, & trabes haberentur. Recurrunt prædiorum domini ad Principem, dolentes suam iacturam: dubitavit Princeps, an iustè exigerent id, quod propter commune bonum in communi necessitate passi fuerant.

Respondi, per se loquendo, obligationem esse resarciendi damnum dominis 2 prædiorum, vel lignorum, & arborum iuxta rationabilem taxationem: quæ compensatio fieri posset, vel soluendo illis pretium, vel eximendo eos ad tempus ab aliquibus tributis, & oneribus, vel concessio eis aliquo privilegio æquivalenti, vel denique cogendo totum territorium, in cuius utilitatem ars extructa est, ad concedendas eis aliquas exemptiones, vel contribuendum ad valorem. Ratio autem est, quia, licet bona singulorum civium deseruire debeant in necessitate ad bonum publicum, & ad hoc potissimum deseruiat dominium altum, quod Respublica habet super

super bonis singulorum: ad has tamen necessitates communes debent concurrere omnes illi, quos communis utilitas tangit. Non est enim æquum, ut pauci soli sentiant totum damnum, quando utilitas, & interesse pertinet ad totam communitatem, sed lex iustitiæ distributiæ exigit, ut onera distribuantur inter illos, qui debent sentire commoda talium expensarum, ut notavi in simili tom. 1. de Iustitia, disp. 6. sect. 6. num. 61. & significavit etiam P. Molina tom. 1. de Iustitia, disp. 47. circa medium.

3. Difficultas maior erat, quia Princeps excusabat se eo quod ministri, & duces belli excesserant mandatum expressum cædendo arbores, & alia damna inferendo contra Principis voluntatem, & sine præcisa necessitate; quare Princeps non videbatur teneri ad resarciendum damnum ab aliis contra eius intentionem illatum, & quod ipse præcauere non poterat. Ad hoc respondi, ex duplici capite oriri posse obligationem restituendi iuxta vulgarem regulam; nempe ex iniusta acceptione, & ex re accepta. Et quidem ex primo capite Princeps, si omni caruit culpa, non potuit teneri ad resarcienda damna, cum eiusmodi obligatio supponat peccatum, & quidem graue, si restitutio debet esse grauis. Imò & ipsi ministri, ac duces exercitus, si bona fide, & absque peccato, siue ex ignorantia inuincibili, siue ex alio capite operati sunt, excusari possunt, saltem in foro conscientiæ ab onere restituendi propter eandem rationem: idè dixi supra, obligationem esse restituendi, per se loquendo, quia per accidens ratione ignorantia, vel ob aliam similem causam potest impediri hæc obligatio.

4. Si autem ministri illi non fuerunt immunes à culpa, tenebuntur ipsi hoc titulo iniustæ acceptionis, seu læsionis ad resarcienda damna omnia, in quo non potest esse difficultas.

5. Ex altero autem capite, nempe ex re accepta, potest reperiri obligatio in Principe, etiam si absque eius culpa damnum illatum sit. Certum enim est, etiam absque culpa præcedenti, obligari ad restitutionem eum, apud quem res aliena in se ipsa reperitur, vel in æquivalenti, quatenus scilicet ex illa factus est ditior. Si ergo in casu nostro existant partes agrorum alienorum occupatæ arcæ denuo extractæ, partes illæ reddi debent, per se loquendo, suis dominis; quia tamen id fieri non potest sine magno incommodo, & demoliendo arcem

extractam, restitui debet pretium iuxta rationabilem taxationem. Quod idem dicendum videtur de lignis, lapidibus, & cæmentis alienis ad ædificium acceptis; hæc enim omnia existant, & obligant ad restitutionem ratione rei acceptæ. Imò, quamuis aliqua ex his iam non existarent, sed consumpta essent ad fabricam, vel ad alia commoda permanentia, obligatio esset restituendi, quatenus ex illis omnibus factus est hodie Princeps, vel communitas locupletior, per quod illa omnia censentur æquiualeuter permanere. Quare deueniendum tunc erit ad aliquem modum ex supra indicatis, ut compensetur dominis pro damno, quod singuli passi sunt. Neque enim patitur æquitas, ut cum damno paucorum Princeps, vel communitas locupletior maneat; sed debet damnum illud distribui etiam inter omnes, qui commodum ex illo damno sentiunt, ut dictum est.

#### D V B I V M XVII.

*An pauper possit petere eleemosynam supra id, quo actu indiget.*

SUPpono, illum, qui facta paupertate Eleemosynas congregat, peccare, quatenus per dolum & deceptionem extorquet pecuniam ab iis, qui seclusa deceptione, nullo modo darent ei eiusmodi eleemosynas. Sunt enim variæ Doctorum sententiæ, an verè transferatur dominium in accipientem: quibusdam id affirmantibus; quia error non est circa substantiam, sed circa qualitatem, quæ non reddit donationem irritam: & quia finis dantis est charitas Dei, qui finis semper obtinetur: aliis verò negantibus, quia obiectum substantiale dantis eleemosynam est subleuatio miseræ pauperis petentis, qui finis tunc deficit, atque aded error est circa substantiam: quare dicunt obligari pauperem factum ad restituendum totum, quod accepit, vel iis, qui dederunt, vel si singuli modica dederunt, ad distribuendum id totum aliis veris pauperibus, quæ videtur esse voluntas præsumpta eorum, qui dederunt, circa quod etiam variæ sunt Doctorum sententiæ, de quibus videri possunt P. Molina tom. 1. de Iustitia, tract. 2. disp. 210. P. Vasquez in opusculo de Eleemosyna, cap. 3. dub. ult. Thomas Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 18. num. 24. & alij multi, quos

quos congerit Diana p. 5. tract. 8. resol. 21. & 22. & p. 8. tract. 6. resol. 109. Videnda etiam erit doctrina, quam ego tradidi tom. 2. de Iustitia, disp. 22. sect. 7. num. 69. & 89. vbi probaui, donationes gratuitas in hoc differre à contractibus onerosis, quod in donatione, vel promissione gratuita dolum, etiam si non versetur circa substantiam, sed solum circa motuum donandi, viciat donationem, vel promissionem. Vnde non mirum, si paupertatis fictio impediatur dominij translationem, cum motuum dandi eleemosynam huic pauperi, sit eius paupertas, quam ille nequiter dolose fingit ad extorquendam eleemosynam.

2. Contra hanc communem doctrinam obici posset, quia ignorantia consequens in hoc differt ab ignorantia antecedenti, quod ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter, consequens verò causat voluntarium simpliciter, & inuoluntarium solum secundum quid, ut cum S. Thoma 1. 2. quest. 6. art. 8. docent communiter ibi Theologi; idè enim ommissio Missæ est voluntaria illi, qui ignorauit esse diem festiuum, quando potuit id scire, & noluit, quia hæc ignorantia non est antecedens, sed consequens, & volita, quamuis, si re vera sciret præceptum, audiret Missam. Talis autem videtur esse ignorantia dantis eleemosynam pauperi ficto, non daturi, si sciret fictionem; potuit enim examinare veritatem, vel fictionem paupertatis, & noluit: fuit ergo ignorantia consequens, ac per consequens non reddit inuoluntarium simpliciter largitionem eleemosynæ, sed ad summum inuoluntarium secundum quid, quod non impedit valorem actus, & dominij translationem.

3. Responderi tamen potest, eo modo quo ibi datur ignorantia consequens, dari etiam voluntarium simpliciter, oportet enim distinguere in dante eleemosynam duas voluntates: alteram exercendi illam actionem externam, alteram transferendi dominium per illam actionem. Prima quidem est voluntas absoluta, & idè illa actio exterior est voluntaria simpliciter, non obstante ignorantia, quia ipsa ignorantia est consequens, & volita. Secunda verò voluntas potest esse conditionata transferendi dominium, si petens sit verè pauper; quare deficiente conditione non transfertur: non quidem ex defectu scientiæ, sed ex defectu conditionis, quam operans apposuit. Si autem voluntas transferendi dominium fuit etiam absoluta, transferretur, etiam si donans esset in ea

dispositione, ut si sciret non esse pauperem, non daret, nisi vel lex impediatur translationem dominij propter dolum, vel nisi dicamus deficere obiectum illius voluntatis, quod est subleuatio pauperis: in quibus Doctores non conueniunt, neque ad dubium præsens multum refert, sufficit enim hæc breuiter indicasse.

Hoc ergo supposito, quærebatur primò, an pauper, qui verè pauper est, possit petere supra id, quo præcisè indiget, an præcisè id, quo indiget. Certum est autem apud omnes, diuitem non posse sibi eleemosynas petere, quibus non indiget, quia hoc esset & contra voluntatem dantis, & contra veros pauperes, quibus illæ eleemosynæ subtrahuntur, ut docent communiter Doctores, quos affert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 24. num. 13. & seqq. Deinde puto, etiam si nunc actu non indigeat ad suum victum, si tamen immineret necessitas proxima, ratione cuius indigebit necessariis, posse nunc petere ad subleuandam illam necessitatem: nam id, quod in proximo timetur, iam reputatur præsens, & exigit prouidentiam hodiernam; idè enim piger à Spiritu sancto ire iubetur ad formicam, quæ quidem, quando victum præsentem habet, prouidet sibi ad instantem iam hyemem, quando victu indigebit, ne hyems eam inueniat imparatam. Sic ergo pauper, quando opportunitas datur comparandi eleemosynas, potest ex iis sibi ad inopiam imminentem prouidere.

Vnde poterit etiam eleemosynas petere, qui filias habet nubiles, quas commodè dotare non potest, etiam si non desint necessaria ad vitam suam, & filiarum utcumque sustentandam, ut ex Baldo, quem affert, obseruat Diana p. 2. tract. 1. miscell. resol. 8. qui etiam ibidem hoc ipsum docet de illo, cui incumbit onus matrem pauperem sustentandi. Sicut enim indiget pater, qui filios debet alere; sic etiam dicitur egere filius, qui debet alere suos parentes.

Magis dubitari posset, an posset eleemosynas petere, qui sibi non indiget, habet tamen fratres, vel sorores indigentes. Ego quidem id non damnarem, quia, quamuis Thomas Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 20. num. 30. & 32. dicat non obligari aliquem ad manendum in sæculo ob necessitatem sororum, imò debere ingredi Religionem, quando ad ingrediendum voto se adstrinxit præfigendo tempus, nisi fortè sorores ob paupertatem essent in periculo impudicitia, quo casu posset ad tempus ingres-

sum differre, non tamen ob necessitatem fratrum: ipse tamen Sanch. *lib. 1. in Decalog. c. 14. n. 6.* agnoscit in fratre diuite obligationem legalem subueniendi fratribus pauperibus: incumbit ergo ei aliquo modo cura fratrum, & sororum pauperum, & in vniuersum cessare potest omnis scrupulus in casu nostro ex doctrina generali, quam cum Caietano, & Valentia tradit idem Sanch. *lib. 7. in Decalog. cap. 24. n. 14.* dicens, diuites posse petere eleemosynas, quando eleemosynas illas, aut tantumdem de suis bonis erogant pauperibus. Si ergo diues potest petere eleemosynas, vt illas de pauperi extraneo, quanto magis poterit, vt subueniat fratri, vel sorori indigenti? Hoc tamen limitarem primò, si ipse diues sit, & possit ex suis bonis fratri, vel sorori subuenire. Cum enim ad id teneatur debito legali, ad quod potest à iudice compelli, vt dicebat Sanch. *d. c. 14. n. 6.* non censetur frater esse pauper: non est enim pauper, qui ius petendi alimenta habet, vt cum Surdo *de alimentis tit. 7. q. 37. à n. 1. vsque ad 11.* docet idem Sanchez *ibidem*: non ergo habet ius petendi eleemosynam pro fratre, qui eo casu pauper non est.

6. Secunda limitatio prædictæ doctrinæ esse potest, quando is, qui sibi non indiget, & petit eleemosynam, vt subueniat pauperi extraneo, illam accipit à dantibus ex motiuo speciali necessitatis personalis ipsius personæ petentis, cui ob peculiarem amicitiam, consanguinitatem, vel connectionem particularem specialiter afficiuntur, & compatiuntur, ac dolent, quòd talis persona indigeat, tunc enim adesse videtur dolus dans causam donationis: quando verò talis sit animus dantis eleemosynam ex circumstantiis personarum, & eleemosynæ, quæ datur, arbitrio prudentis iudicandum erit.

7. Quærebatur vterius, an qui curam habet alicuius eremitorij, & petit pro ipso eleemosynas, possit viuere ex ipsis, & dare etiam suis consanguineis, vel aliis pauperibus extraneis? Respondi dupliciter posse illum eremitam accipere curam illius loci. Primò, si ab iis ad quos pertinet ille locus, siue sit Capitulum, alicuius Ecclesiæ, siue aliqua Confraternitas, siue aliqui alij, constituantur ibi, vt ex eleemosynis gubernet locum illum, & decenter teneat. Secundò, si ipse ex deuotione peculiari locum illum construxerit, vel sibi elegerit, vt ibi Deo inseruiat. In primo casu videtur quasi locasse operas suas in seruitium illius loci, & ad hoc contentum fuisse eleemosynis à se

colligendis. Tunc autem seruandæ erunt regulæ, quas latius examinaui *tom. 2. de Iustitia, disp. 29. sect. 1. n. 3. & seqq.* circa eos, qui conducunt licentiam petendi eleemosynas pro alia persona, quando, & quousque possint aliquid sibi lucrari. In vtroque autem casu videtur posse sibi accipere, quod iuxta suam conditionem, & statum necesse est ad eius alimenta, quia inter ea, quæ necessaria sunt illi loco, vnum ex victus illius, qui loco assistat, & curam eius habeat. Reliqua expendenda sunt in seruitium, & bonum illius loci, ad quem finem petuntur, & dantur. Si verò aliqua supersunt, non video, cur non possint dari aliis pauperibus, siue cognatis, siue extraneis. Nam, sicut illum, qui non indigens petiit, aliis pauperibus ea erogare posse, dicunt Doctores, vt *suprà* vidimus, imò & ad eum finem petere: cur non poterit eremita nomine loci pij petere ad eum finem, vt aliis pauperibus prouideat de iis, quibus eremitorium non indiget? Imò & Religiosi ipsi, qui magis strictam mendicitatem profitentur, non ita sibi solis petunt, vt non habeant ex ipsis eleemosynis, vnde possint alios mendicos quotidie subleuare. Quod tamen intelligi debet cum ea limitatione, quam Doctores communiter adhibent, dicentes, id non intelligi, quando aliquis fingens propriam indigentiam, eleemosynam notabilem in magna supra solitum summa obtinuit, sed intelligi de eleemosynis minutis: alioquin ille, qui dedit, censetur respexisse peculiariter ad subleuationem personalem petentis, & ad motiuum illud, quod proponebatur illius specialis necessitatis, vel deuotionis erga talem personam, vel locum, de quo videri possunt auctores *suprà* citati.

#### D V B I V M XVIII.

*De cessione debiti acerbi, an censeatur facta pro tota summa, an pro minori.*

Conuentus quidam Regularium debebat fisco, seu Camera regie 700. aureos, cum autem non haberet in promptu ad soluendum, & timeret vexationem à regis ministris, cogitarunt de facienda compensatione, ostendendo se creditores regie Camera æqualis summae ex alio titulo. Ad hoc autem petierunt à Religiosis alterius Conuentus eiusdem Ordinis, qui creditores erant Camera Regie in ea summa,

summa, vt hoc creditum ipsis cederent, nam sperabant se obtenturos compensationem debitorum. quod quidem illi alij Religiosi libenter fecerunt, atque eò libentius, quo sæpius tentata recuperatio sui crediti nunquam obtineri poterat. Facta ergo cessio fuit hac conditione addita, vt si Camera regia non acceptaret compensationem, seu contrapositionem debitorum, fieret retrocessio, seu dissolueretur prima cessio. Illis tamen, quibus cessio facta fuerat, procurantibus, Camera regia acceptauit compensationem, & per contrapositionem debitorum liberati sunt à debito, quo Camera tenebantur. Post aliquod tempus secundus Conuentus, qui creditum cesserat, exigit à primo Conuentu solutionem sui debiti, cui secundus Conuentus opponit, se non debere totam summam integram 700. aureorum, sed dimidium, quia debitum illud acerbum difficilis omninò exactio non pluris, sed nec tanti aestimaretur, si in foro venale propositum fuisset. Ad suam autem industriam, & gratiam apud Camera ministros, quam habebant, spectare, si pro alio debito integrè acceptatum fuit: quare non potuit habere animum acceptandi cessionem pro tota summa, quam sonabat, cum eiusmodi credita non nisi iuxta dimidium soleant aestimari, vt fatetur *Leill. c. 21. dub. 7. & notauimus tom. 2. de Iustitia, disp. 26. sect. 7. § 1. num. 93.*

2. Dixi tamen, dum non constat Conuentum fuisse de minori pretio, censendum esse pro tota summa cessionem factam fuisse: congruum tamen fore, si Generalis Ordinis, ad quem vtraque pars recurreret, & penes quem suprema bonorum administratio erat, remittat primo Conuentui partem aliquam, v. gr. 100. aureos gratitudinis causa ob industriam positam ad recuperationem illius debiti, quod aliter difficillimè potuisset à regia Camera extorqueri.

3. Mouebat primò ad hoc asserendum, quia, quamuis eiusmodi debita acerba minoris soleant esse pretij, & pro parte sui valoris vendantur; adhuc qui venderet illa pro valore totius summae, non excederet pretium illorum iustum, vt supponit? Molina *tom. 2. de Iust. disp. 310. n. 5.* vbi fatetur, *non committi vsuram, nec iniustitiam, si tibi petenti à me mutuum, ego partem tibi dem in pecunia, partem in debito difficilis exactiois, obligando te ad reddendum postea totum in pecunia numerata, dum tamen tu non inuoluntariè mixtè suscipias partem mutui in eiusmodi debito, sed tua sponte, vel quia ipse modum habes illud debitum facillè recuperandi,*  
D. lo. Card. de Lugo Resp. mor.

*vel quia ex liberalitate, & gratitudine vis onus illud suscipere ob mutui beneficium: & hoc, quamuis ego offeram illud mutuum, & cedat in meum commodum.* Hæc Molina ibi, quæ vera non essent, si valor iustus illius debiti non posset esse tota summa, iam enim mutuans non posset excusari ab iniustitia, & vsura, obligans mutuatarium ad reddendum supra valorem dari in mutuo. Fatendum ergo est, posse, si cessionarius velit, creditum illud dari pro valore totius summae.

Vnde fieri potest secundum argumentum, quia, quando creditum acerbum ceditur, aut venditur pro minori summa, debet explicari pretium, vt cedenti, aut vendenti constet diminutio, & videat, an ei expediat cum tanta diminutione vendere ius illud, quod habet. Quando ergo emptor, aut cessionarius nihil dicit, præsumitur accipere pro tota summa, quia sperat, se illud creditum recuperaturum, & in his circumstantiis utilis ei est talis emptio, prout reuera in casu posito utilis erat cessionario, vt se à præfenti periculo liberaret, & angustiis, in quas coniciebatur, vt Camera regie solueret.

Confirmatur primò, quia si habens illud creditum, dedisset illud suo creditori in solutionem alicuius debiti, & creditor illud acceptaret, nihil explicans de diminutione valoris, censeretur illud acceptasse pro valore integro totius summae, sicut acceptantur librantie supra aliquos mercatores, quæ semper in solutionem acceptantur pro tota summa, quam continent. Similiter ergo, dū cessionarius nihil expressit de diminutione pretij soluendi, intelligitur facta pro tota summa, quam creditum continebat.

Confirmatur secundò, quia venditio facta pro pretio incerto, & indeterminato, non valet, nisi fortè conuenerit de pretio taxando arbitrio tertij: nam, sicut non potest venditio fieri rei indeterminatæ, ita nec pro pretio non determinato, cum in neutro casu possit resultare obligatio, nec actio quæ debet esse ad petendum aliquid determinatum, saltem sub disunctione. In nostro ergo casu, in quo contrahentes nihil dixerunt de pretij diminutione, consequens est, vt vel non validè contraxerint, vel cessio intelligatur facta pro pretio determinato, nempe pro valore integro summae contentæ in debito, quod cedebatur.

Tertio, & efficacius probari potest eadem sententia tollendo dubium omne, quod remanere posset, quia nimirum idè debita acerba, & difficilis exactiois emi possunt licitè pretio minori, quia emptor imponit sibi periculum non recuperandi debitum,



## D V B I V M XIX.

## De deflorante consanguineam per vim, &amp; cum spe coniugij.

cui periculo se exponit, & idèd potest compensare sibi diminutione pretij. In casu autè nostro cessionarius nullū eiusmodi periculū subire voluit, acceptavit enim cessionem cum pacto retrocessionis, si regia Camera noller acceptare cōtrapolitionem debitorum, quo casu adueniente, noluit obligari ad soluendum postea aliquid cedenti, sed voluit tunc satisfacere cedendo iterū idem creditū in fauorem primi cedentis. Nullus ergo manebat titulus ad iustificandam emptionem crediti minori pretio, fuisset enim contractus hoc modo factus: *Emo creditum 700. aureorum, quos si integrè exegero à debitorè, dato tibi 350 si non exegero, restitua tibi tuum creditum.* quo nihil iniquius cogitari poterat: quare fatendum est, mentem contrahentium fuisse, vt si Camera regia acceptaret contrapolitionem debitorum, cessionarius teneretur postea ad soluendum valorem integrum totius debiti, qui contractus adhuc erat vtilissimus cessionario, qui eo modo euadebat angustias presentes, quibus à Camera vrgebatur, & habebat aliū creditorem magis beneuolū, à quo dilationē solutionis per aliquot annos poterat sperare.

8 Vnde fieri potest quartum argumentum: quia, licet eiusmodi debita propter difficilē exactionem minori pretio tunc vendi soleant; id tamen erat, quando pro pecunia presentis vendebantur, qui enim pecunia presentis indigebat, vt presentis necessitati consuleret, vendebat libenter debitum Camerale 600. aureorum pro 400. vel etiam 300. presentibus; in nostro autem casu cedens non vendidit pro pecunia presentis, sed credito: quare ex hoc capite non reddebat meliorem suam conditionem, imò euentus probauit, non minùs difficilē fuisse illi exactionem debiti à cessionario, quàm fuisset ab ipsa Camera. Non potest ergo presumi, quòd in talibus circumstantiis vellet pretium etiam diminuere, presertim cum Camera non solvente, nec acceptante compensationem debitorum, redire deberet, vt dicebamus, ad idem periculum, & resumere sibi idem creditum Camerale.

9 Denique, cum constet de cessione, & de eius acceptatione, diminutio autè pretij sit aliquid facti, hec deberet probari ab eo, qui affirmat: nam que pertinent ad factum, non presumuntur, nisi probentur: itaq; in rigore iuris dixi totam summam 700. aureor. esse soluendam: ex congruentia tamen, & gratitudine decere, quòd remitteretur centum ob industriam adhibitam, & occasionem datam recuperandi debitum, quòd alioquin difficilis valdè exactionis esse constabat.

Titius nobiliss adolescens Seiam virginem, non quidem æquè nobilem, sed tamen nobilem, ad copulam sollicitauit, & insinuauit esse animum matrimonij futuri. Denique renitentem vi oppressam deflorauit, non quidem multum resistentem, nec vociferantem, vocantem tamen seruam, vt sibi auxilium prestaret. Ex hoc congressu Seia manet grauida, erat autem coniuncta Titio intra quartum gradum consanguinitatis. Titius commissio hoc scelere fugit, & petit, ad quid in foro conscientia teneatur, cum & eius cognati ægrè serant matrimonium cum Seio, & ipse, qui primogenitus non est, difficilè possit eā in coniugio alere, aliunde verò non habet ad eam dotandam, nec aliter potest damnum illatū resarcire.

Videbatur Titius excusandus ab obligatione ducendi Seiam. Primò, quia, si promissio matrimonij præcessit, (qualis tamen non colligitur ex facti narratione, sed solum insinuatio animi eam ducendi,) sed esto fuerit vera promissio, ea non videtur fuisse à Seia acceptata, imò videtur refutata, cum semper restiterit sollicitationi Titij; quare non videtur Titius ex promissione teneri, cum Seia non spe matrimonij, sed per vim deflorata fuerit.

Secundò, quia est sententia plurium Doctorum, promissionem matrimonij factam consanguineæ non habere vllum valorem, nec vim aliquam obligandi promittentem, ad petendam, & procurandam dispensationem, quam opinionem tenet plures ex Theologis, & Iuristis, quos latè congerit Th. Sanch. lib. 5. de matr. disp. 5. n. 5. vbi eam probabilem esse fatetur, & n. 7. addit, id procedere, etiam si spe matrimonij, & ratione promissionis virgo deflorata fuerit, quia damnum illud alia via reparari potest.

Nec obstat textus in cap. 1. de adulteriis, vbi deflorans præcipitur defloratam ducere: nam textus ille non loquitur de casu, quo datur impedimentum matrimonij propter consanguinitatem, vt notat idem Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 36. n. 12.

Tertiò probari potest, quia seclusa obligatione promissionis, & attentata solum obligatione resultante ex iniuria illata, non videtur posse Titius obligari ad ineundum matrimonium. Nam ille, qui per vim, vel dolum auertit aliquem à Religione, vel extrahit ab illa, non obligatur ad se tradendum

dum Religioni loco illius, & in eo ordine proficendum, vt docet communis Doctorum sententia, quos retuli, & sequutus sum tom. 1. de iust. disp. 9. sect. 3. n. 30. ergo nec deflorator iniustus tenebitur ad ducendam defloratā seclusa promissione; neque enim minor libertas videtur requiri ad cōtrahendum matrimonium, presertim cum vxore non diuite, quàm ad proficendam Religionē.

6 Quartò potest ad hoc ipsum induci exemplum illius, qui occidit maritum, non tamen obligatur ad matrimonium contrahendum cum eius vxore vidua, quamuis non possit aliter resarcire damnum, quod ei intulit: ergo nec deflorator iniustus, quamuis aliter non possit resarcire damnum fœminæ defloratæ illatum, tenebitur illam in vxorem ducere; eadem enim videretur esse in vtroque casu ratio.

7 Quintò, qui per vim, vel fraudem violat viduam honestæ conditionis, non obligatur ad matrimonium cum ea contrahendum, seclusa promissione, vt videntur sentire aliqui, quos attuli tom. 1. de iustitia, disp. 12. sect. 1. num. 33. ergo loquendo de iure naturæ, idem dicendum erit in casu nostro. Quòd enim grauior iniuria inferatur virgini, quàm viduæ, videtur esse differentia solum secundum magis & minus; quare potest ex qualitate personæ, & aliis capitibus crescere iniuria, & damnum, quòd inferatur alicui viduæ, itaut superet iniuriam, & damnum illatum alicui virgini; quare de iure naturæ vel vtramque, vel neutram ducere tenebitur.

8 Sextò, qui post votum castitatis promissit virgini matrimonium, & sub ea spe eam deflorauit, non tenetur illam ducere in vxorem, saltem si ipsa sciebat votum castitatis emissum, vt dicunt Lessius, & Thom. Sanchez, quos attuli dicta disp. 12. sect. 3. num. 50. Non minùs autem, sed magis impedit matrimonium consanguinitas, quàm votum simplex; ergo, cum fœmina in nostro casu sciret impedimentum consanguinitatis, non resultat obligatio in Titio ad eam ducendam in vxorem.

9 His tamen non obstantibus, dixi, Titium ex mea sententia obligationem habere ad ducendam Seiam, nisi conditionis disparitas tanta sit, vt cum tanto dispendio subeundo excusari possit à restitutione pro damno illato.

10 Doctrina huius responsionis continetur in principiis, quæ latius tradidi, & probaui d. tom. 1. de iust. disp. 12. sect. 1. & 4. & in primis, quòd si excessus sit nimius, prudentis arbitrio, non sit obligandus, dixi ibi n. 18.

D Io. Card. de Lugo Respons. mor.

quia regula generalis est, vt debitor etiam ex delicto non teneatur soluere, quando longè plus expendendum est ad restituendum debitum, quàm sit valor illius: neque enim cogendus est ad soluendum cum tanto suo onere, sed potest differre donec sine tanto dispendio possit: vel, si non est spes, quòd possit, poterit quòd iustum est, expendere pro anima creditoris, vt cum aliis tradit Molina tom. 3. de iustit. tract. 2. disp. 752. in fine, & tom. 4. disp. 102.

Quòd verò, non interueniente illo nullo excessu, & non potens alia via damnum illatum resarcire, debet Titius Seiam ducere in vxorem, dixi ibid. num. 11 & loquendo de deflorante consanguineam, dixi sect. 4. per totam. Ratio verò efficax est, quia totum damnum, quòd Seia prouenit ex defloratione, prouenit ex iniuria Titij ei violenter illata. Regula autem generalis est, vt iniustus damnificator debeat resarcire totum damnum ei, qui ab ipso iniuste læsus fuit, hoc enim iustitia maximè postulat, vt res ad æqualitatem reducantur, & singuli habeant totum id, quòd ante læsionem habebant. Si ergo propter impotentiam Titij non est alia via resarciendi Seia damnum, quòd passa est nisi per nuptias cum defloratore: alioquin innupta manere cogetur, vel contra suam dignitatem indignè nubet; non apparet, cur Titius excusandus sit ab eo matrimonio, quòd est medium vnicum, & necessarium ad reparandam iniuriam grauiissimam Seia illatam, quòd magis constabit respondendo ad singula argumenta in contrarium adducta.

Ad primum ergo, & secundum dico, quidquid sit de veritate, aut probabilitate illarum opinionum, nos non fundare obligationem Titij in promissione matrimonij, sed in iniuria Seia illata, quæ secum affert de iure naturæ obligationem resarciendi, vel ducendo eam in vxorem, vel certè augendo taliter eius dotem, vt possit non minùs honestè nubere, quàm si iniuria non præcessisset. Quamuis ergo, seclusa promissione, non teneatur deflorator ad nuptias determinatè, sed possit alterutrum eligere: quando tamen alterum extremum non est possibile, remanebit eadem obligatio ad illud, quòd possibile est, quòd in casu nostro est solum matrimonium.

Quòd autem matrimonium fieri non possit propter impedimentum consanguinitatis, non excusat Titium ab obligatione petendi, & procurandi dispensationem, si sit spes eam obtinendi, vt dixi dicta sect. 4. num. 54. quia qui tenetur ad damni reparationem,

tionem, tenetur consequenter ad media necessaria adhibenda, ut cum Thom. Sanchez lib. 8. de matr. disp. 36. n. 12. *ibid.* probauit, & adduxi exemplum illius, qui debet restituere famam à se iniuste laesam. Si enim reparatio famæ multum referat, nec possit aliter fieri, nisi mittendo ad hunc finem nuntium, & litteras propriis expensis; planè ad id totum tenetur, qui iniuste damnus intulit. Non ergo mirum, si obligemus Titium ad petendam dispensationem, quæ omnino necessaria est ad reparandum damnus grauissimum à se iniuste, & violenter illatum.

14 Ad tertium respondeo, esse diuersam rationem exempli in argumento adducti, quam reddidi *d. disp. 12. n. 56.* nam qui aliquem à Religione auertit, si deberet se ipsum pro ea tradere Religioni, longè grauius onus subire cogetur, quàm sit damnus Religioni illatum, quam quidem priuauit vno Religioso, non tamen libertate, prout ipse se priuare deberet perpetuò ad omnes actiones; quare cum tanto excessu non tenetur in alio rerum genere satisfacere. In casu autem nostro stuprator iniustus priuauit foeminam libertate nubendi alteri: non ergo mirum est, quando aliter refarcire non potest, si seipsum ei in virum tradat, quam ita ardentè amauit, & priuet se libertate alteram ducendi, quod non est plus, quàm sit foeminam illam eius causa manere semper innuptam, & sine honore.

15 Ad quartum similiter responderetur negando paritatem, propter eandem rationem, quam *ibid. n. 57.* explicui. Vidua enim non priuatur honore, cum eundem possit in viduitate retinere, maximè si habeat filios ex viro occiso susceptos. Nec etiam priuatur libertate nubendi cui voluerit: qua libertate priuaretur occisor, si ad eam solam ducendam cogetur, quod esset ei grauissimum onus. quod tamen stupratori violento non immeritò imponitur, quando aliter refarcire non potest, cum non excedat damnus virgini defloratæ per violentiam, & iniuriam illatum.

16 Ad quintum responderi potest, eandem cum debita proportione debere esse rationem de vidua. Si enim aliquis vim turpem intulisset viduæ honestæ, quæ graue ea de causa detrimentum pateretur in honore, & libertate nubendi, nec aliter refarciri posset, deberet utique, qui vim intulit, eam ducere in vxorem, nisi ex hoc longè maius onus ipse subiret, prout dictum est. quod cum aliis, quos retuli, de vidua in casu simili dixi *dicta disp. 12. num. 34. & 48.*

Ad sextum denique in mea sententia facile responderetur: nam *d. disp. 12. sect. 3. n. 41. & 50.* dixi, siue foemina notitiam habuisset voti, siue non habuisset, defloratorem obligari ad petendam voti dispensationem, quæ quidem eo casu facile obtineri potest. Si qui autem negauerint eam obligationem, respondebunt id esse, quia prior promissio voti præualet, & antiquior creditor præferri debet secundo creditori, qui in præiudicium primi non potuit ius vllum acquirere. Sed, ut verum fatear, illi Doctores solum dicunt, non posse ob stuprum consequens ducere vxorem sine dispensatione voti; non tamen dicunt, non teneri ad petendam dispensationem ratione iniuriæ in stupro violento illatæ: quam obligationem nos asserimus in stupratore violento consanguineæ, quando aliter refarcire non potest, quia tenetur ad ponenda media necessaria ad reparandum damnus illatum, quorum mediorem vnum est petitio dispensationis, quando hæc in iis casibus concedi consuevit.

#### D V B I V M X X.

*Quomodo Senatus, vel Capitulum generale obligetur propriis legibus, v. gr. quando precipit, ne congregetur, nisi in tali loco, vel ne agatur ibi de tali materia.*

Sermo est de Senatu, vel Congregatione habente supremam potestatem ad condendas leges. Si enim habeant supra se alium superiorem, cuius nomine leges illæ fiant, & promulgentur; non est dubium, quod non possint ab eodem Senatu, vel Congregatione postea reuocari; sed eisdem legibus obligabitur etiam quoad vim coactiuam ipsæmet Senatus, vel Congregatio, non solum diuisim, & singuli, sed collectiuè, quia etiam collectiuè subest potestati superiori, à qua leges illæ suam vim habent, & vigorem. Loquimur ergo de Senatu habente potestatem legislatiuam, in quem à populo translata est tota potestas, sicut transferri solet in Regem, vel Principem supremum. Vnde sicut Princeps supremus non obligatur suis legibus saltem quoad vim coactiuam, sed solum quoad directiuam, & potest illas suspendere, vel etiam abrogare: idem videtur dicendum de Senatu habente supremam potestatem, quod licet singuli seorsim legibus subiiciantur quoad vim coactiuam; totus

totus tamen Senatus collectiuè sumptus non obligetur iis legibus, nisi quoad vim directiuam. Atque idem cum proportione dicendum videtur de Capitulo generali alicuius Ordinis religiosi, in quo resideat suprema potestas regendi Ordinem: atque idè potest condere leges, quæ obligent omnes, & singulos, atque ipsum etiam Prælatum generalem: Capitulum tamen collectiuè sumptum non obligetur iis legibus, nisi quoad vim directiuam, quippe quod potest leges illas reuocare, suspendere, & abrogare, cum nemo in seipsum, vel in suum parem, (quale erit aliud Capitulum generale sequens,) habere possit iurisdictionem, qua cogere possit, & obligare.

2 In contrarium tamen esse videtur, quod solent eiusmodi Senatus, vel Congregationes, aut Capitula edere interdum leges, quæ non ordinantur ad singulos, sed ad ipsum Senatum, vel Capitulum: possunt ergo iis legibus obligare, alioquin essent omninò inutiles, imò non essent leges, quarum proprius effectus est obligatio. Antecedens verò constat experientia, quia interdum decernunt, ne Senatus, vel Capitulum conuocari possit, nisi in tali loco, vel in tali tempore, vel in talibus circumstantiis: itè ne ibi tractari possit de tali, vel tali materia, ne suffragia sint publica, vel etiam ne sint secreta, & alia eiusmodi, quorù obseruantia spectat ad ipsum Senatum, vel Capitulum collectiuè sumptum; ergo collectiuè etià possunt suis legibus obligari. Quærebatur itaque à me, quid in hoc puncto sentiret?

3 Dixi, in primis certum videri, Senatum habentem supremam potestatem legislatiuam, non magis, nec aliter obligari suis legibus, quàm obligentur suis alij Principes supremi, ut pro certo supponit Suarez lib. 3. de legibus c. 35. n. 1. Quod idem cum proportione dicendum est de Capitulo generali, penes quod sit suprema potestas Ordinis religiosi, ut cum aliis fatetur nouissimè Pelliz. tom. 2. de Regularib. tract. 9. c. 8. n. 7. & ratio est clara, quia in his senatibus, & Capitulis procedit eadem ratio, quæ in aliis Principibus supremis, quod nemo possit habere iurisdictionem, & vim coactiuam supra seipsum: quare solum obligari possunt ad eas leges seruandas per vim directiuam, sicut alij Principes supremi ad suas leges seruandas obligantur.

4 Vnde rursus inferitur, eundem Senatum, vel idem Capitulum generale legitime congregatum posse leges à se ipso, vel à Senatu, aut Capitulo præcedente factas suspendere, vel cassare, quia omnis res per

quascumque causas nascitur, per easdem dissolui potest. Nec potuit habere maiorem auctoritatem Senatus, vel Capitulum præcedens ad condendam legem, quàm habeat Senatus, vel Capitulum subsequens ad eam dissoluendam. Hoc tamen intelligi debet, nisi ea lex per aliquam auctoritatem superiorem confirmata sit. In quo tamen aduertendum est, Capitulum generale regulare non posse reuocare legem factam ab alio Capitulo generali, quæ sit confirmata à Papa *ex certa scientia*, ut dicit cum aliis Pellizzar. *ubi supra, d. tract. 9. c. 8. n. 7.* vel cum clausula, ut *quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit*, ut loquitur Suarez lib. 6. de legibus cap. 26. n. 24. secus verò dicendum de statutis confirmatis solum in forma communi ad maiorem auctoritatem, & approbationem, quia adhuc lex illa non sit Pontificia, nec extrahitur ex sua natura, & conditione, ut cum Baldo, & Bartolo notat Suar. *ibi n. 22.* & Pellizzar. *n. 71.*

Dixi tamen, hanc potestatem habere quodlibet aliud Capitulum generale subsequens legitime congregatum: si enim non sit legitime congregatum, id facere non poterit. Et in hoc sensu potest Capitulum generale indirectè obligare sua lege Capitulum subsequens, scilicet præscribendo formam, qua debeat legitime congregari, & qua non obseruata, non censeatur legitime congregatum; non enim poterit Capitulum subsequens dispensare pro illa vice, aut reuocare illam legem, ita ut etiam sine illa forma possit tunc censerit legitimum. Ad hoc enim prærequiritur, quod antea sit legitimum Capitulum generale, alioquin nondum habet potestatem condendi, vel reuocandi leges. Cum ergo non præsupponatur tale, illa forma non seruata, non poterit dispensare, vel reuocare legem pro illo casu. Poterit quidem, postquam est legitime congregatum, reuocare illam legem ad casus futuros, quia iam supponitur habens parem potestatem cum Capitulo præcedenti: non potest tamen dispensare etiam pro illo casu, quia nondum est legitimum Capitulum, & idè non habet potestatem parem cum Capitulo legitimo, à quo lex illa condita fuit. Quod cum proportione debita applicari etiam potest ad Senatum secularem habentem supremam potestatem concedendi, vel reuocandi leges, cum eadè sit ratio. Denique hoc ipsum (si attentè consideretur) reperitur in Summo Põtifice, qui, cum habeat semper parem potestatem cum omnibus suis prædecessoribus, non potest eorù legibus obligari quoad vim coactiuam; imò

imò potest eorum leges cassare, & reuocare. Adhuc tamen potest indirectè obligare successores eo modo, quò dicebamus, nempe præscribendo certam formam eorum electioni, qua non seruata, electus non censetur legitimus Pontifex, atque ad eò non possit in eorum legibus dispensare. Sic præscripserunt formam, vt debeat eligi à duabus tertiis partibus Cardinalium præsentium, & nouissimè Gregorius X I V. præscripsit formam, vt regulariter fieri debeat electio per suffragia secreta, nisi in aliquibus casibus extraordinariis, quibus eligatur per compromissum, vel inspirationem, & acclamationem communem omnium, nullo præcedente tractatu. In qua lege non possunt Cardinales, nec ipse electus dispensare pro illa vice, quia antequam seruetur ea forma, nondum est Pontifex legitimus habens potestatem æqualem cum prædecessoribus. Idem ergo à fortiori dicendum erit de Capitulo generali, quòd possit hoc modo indirectè obligare suis legibus Capitulum subsequens, impediendo, ne sit Capitulum legitimum, nisi seruata tali forma ad congregandum Capitulum præscripta. An verò eiusmodi leges fiant cum tanto rigore, impediendo legitimitatem, & validitatem Capituli sequentis, nisi forma seruetur, pendet ex verbis, quibus lex editur, quæ attentè consideranda, & ponderanda erunt.

6 Denique contingit, vt suprà dicebatur, quòd Senatus, vel Capitulum generale sua lege prohibeat, ne in Senatu, vel Capitulo generali tractari possit de tali, vel tali materia. Sic Patres Societatis in Congregatione generali sexta decreto 11. prohibuerunt, ne possit in Congregationibus generalibus agi de mutandis in totum, vel in partem constitutionibus, nisi sub certis conditionibus, his verbis: *ne liceat de iis, scilicet constitutionibus, immutandis, in Congregatione tractare, si quid unquam proponeretur, nisi ad plura medietate suffragia de eo tractanda statuatur. Ipsa verò deliberatio, & decretum non fiat nisi ad duas tertiis partes.* Eiusmodi autem leges videntur esse, quomodo obligare possint Congregationes generales sequentes.

7 Dixi, eiusmodi leges viles esse posse ad aliquos effectus. Primò, si fiant in aliquo Senatu pleniori, & superiori, & prohibeatur, ne in Senatu communi de aliqua materia agatur, vel statuatur; tunc enim Senatus communis, qui inferior est Senatu pleniori, obligabitur proculdubio ea lege, nec poterit illam reuocare.

Secundò etiam erga Congregationem sequentem, habentem parem auctoritatem, plurimum habet ponderis deliberatio facta à Congregatione præcedenti, præsertim si cum exhortatione vehementi facta fuit, petens à successoribus, ne à mente suorum Patrum in re tanti ponderis, & tamdiu considerata vlllo tempore recederent; hanc ob causam Societas Iesu in Congregatione generali V I I. decreto 11. cum quæreretur, an expediret, quòd in Congregationibus prouincialibus decerneretur per suffragia secreta, & non publica, (vt nunc fit,) de cogenda, vel non cogenda Congregatione generali, & omnes Patres enixè conspirarent in retinendo vsu Societatis, & aliunde scirent, se non posse condere legem ad eò firmam, quam successores non possent abrogare; decretum suum concipi voluerunt, his verbis: *Censuerunt Patres omnes, nullo dissentiente, plurimis grauibisque ducti rationibus, nullo modo concedendum, vt per suffragia secreta de cogenda, vel non cogenda generali Congregatione res in prouincialibus Congregationibus transigatur. Optabátque Congregatio vniuersa, nullo unquam tempore Societatem ab hac sententia discedere; quòd per secretorum suffragiorum concessionem grauisima merito damna vniuersa Societati inuenda sibi certò persuaderet, viamque sterni ad eam è veteri loco mouendam, in quibus verbis prudenter, & doctè illi Patres agnoscentes, se non posse legem condere, quam eius successores pares illis in potestate reuocare non possent, obtestatione solùm, & exhortatione vsi sunt, vt eos à lege reuocanda continerent: quòd, vt dixi, non parum efficax esse solet, vt posterì à lege reuocanda contineantur.*

Tertiò denique obligat lex illa singulos 8 saltem in illa communitate: quare nemo poterit etiam in Senatu, vel Congregatione de materia illa prohibita agere, nisi antea Senatus, vel Congregatio cum illo dispenset, vt agere possit; lex enim, licet non obliget Senatum collectiue sumptum, obligat singulos, & id eò oportet, quòd prius Senatus collectiue auferat prohibitionem, quia ea non ablata peccaret contra legem, & prohibitionem Senator, vel Religiosus, qui propria auctoritate legem transgrediretur. Loquendo tamen de Senatu, vel Congregatione collectiue sumpta, fatendum est, quòd, cum parem habeat auctoritatem cum eo, qui legem condidit, possit in ea dispensare, vel eam suspendere, aut reuocare, vt sæpe dictum est.

D V B I V M

D V B I V M X X I.

*Utrum iurisdictio spiritualis possit accipi ex consensu partium, sicut accipitur de facto ex eo consensu iurisdictio civilis.*

1 **R**espondi, quæsitum posse fieri de duplici iurisdictio genere; est enim quædam iurisdictio, quæ accipitur solùm ex consensu partium, quæ ad vitandas lites compromittere solent, quòd stabunt iudicio alicuius viri prudentis, quem sibi Arbitrum eligunt. quòd quidem compromissum à lege non reprobatur, imò approbatur, & fouetur, vt remedium opportunum ad vitandas molestias fori iudicialis, vt constat ex l. 1. & toto titulo ff. de rezeptis arbitris. Hæc autem verè, & propriè non est iurisdictio, sed est obligatio quædam orta ex pacto litigantium, qui se pacto mutuo obligant ad standum sententiæ talis arbitri, vt benè cum aliis notat P. Molina tom. 6. de Iustitia, disput. 8. & disput. 30. num. 1. Et hæc est ratio, meo iudicio, cur in causis criminalibus non possint partes compromittere in Arbitrum, vt constat ex l. non distinguemus, 37. §. Iulianus. ff. de rezeptis arbitris, quia nimirum nemo potest puniri pœna corporali, vel etiam infamia, nisi à Magistratu, qui habet in ipsum veram iurisdictio, & superioritatem, qualem arbiter non habet, sed profert suum sensum, quo prolato, partes ex suo pacto obligantur ad standum compromisso. Altera ergo est vera, & propria iurisdictio, quam habent Principes acceptam à populo, vel alio iusto titulo, & quam communicant iudicibus, & magistratibus inferioribus ad res ciuiles iudicandas. Iuxta quam distinctionem duplicis iurisdictio nis ad propositum quæsitum respondendum est.

2 Si ergo sermo sit de iurisdictioe primi generis, & impropria, quam arbitri accipiunt ab vtraque parte compromittente; dixi, non posse à partibus tribui iurisdictioem spirituales, nisi ad eas causas, & ad eas actiones spirituales, ad quas poterant se licitè pacto oneroso obligare. Cum enim tota iurisdictio arbitri fundetur, vt diximus in compromisso, & pacto compromittentium; nihil aliud erit, quàm obligatio partium ad res, vel actiones spirituales præstandas. Quare, cum in materia beneficii omnia pacta sint prohibita sub ex-

communicatione, & omnes similes obtentiones sint irritæ, inualida erunt omnia, quæ ab eiusmodi arbitro fierent. In aliis etiam materiis, & rebus spiritualibus illicitè fit pactum de illis pro aliquo temporali. In iis verò materiis, in quibus licet spirituale pro spirituali pacisci, (si quæ sunt,) vel obligare se ad aliquid spirituale dandum, vel relinquendum, non video, cur non liceat promittere stare arbitrio alicuius tertij, quòd esset in rigore constituere illum arbitrum in tali controuersia.

Si verò sermo sit de iurisdictioe secundi generis, quæ est vera, & propria iurisdictio, certum est omnem iurisdictioem spirituales veram, & propriam collatam esse à Christo Domino priuatiuè B. Petro, & eius successoribus, dependenter à quibus eam participant omnes alij Prælati Ecclesiastici, singuli in suo gradu, & ordine. Non potest ergo à subditis conferri alicui eiusmodi iurisdictio: esset enim contra Christi ordinationem, qui noluit, in vlllo reperiri de facto iurisdictioem spirituales, nisi dependenter à primo capite, qui est Summus Pontifex, & consequenter perturbaret totum ordinem hierarchicum Ecclesiæ Christianæ, & subordinationem debitam ministrorum, donec reducantur ad primum caput, à quo omnes alij dependere debent.

Loquendo tamen de statu possibili naturæ puræ, vel etiam de statu legis naturæ, in quo erant homines post lapsum Adami; non videtur negandum, quòd sicut iurisdictio civilis esset radicaliter, & originaliter à Deo, immediatè autem esset in ipsa communitate perfecta, à qua communicari posset vel vni personæ, vel pluribus, per quas administraretur: ita dicendum idem esset cum proportione de iurisdictioe spirituales, vt probat latè Suarez omninò videndus lib. 4. de legibus, cap. 2. num. 3. & sequentibus. Quid verò dicendum esset de tempore legis scriptæ in ordine ad populum Iudaicum, qui ei legi subdebat, tractat idem Suarez ibi num. 6. & sequentibus, qui videri potest: est enim res magis obscura propter limitationem, qua potestas data fuit Sacerdotibus Leuiticis, de quibus, & de eorum Summo Sacerdote, non satis constat, qualem, & quantam iurisdictioem, & potestatem habuerint ad condendas leges in materiis spiritualibus. Loquendo itaque de possibili, potuit etiam Deus in illo populo non alligare iurisdictioem spirituales vni familiæ, sed relinquere illam penes communitatem,



à qua aliis communicaretur, sicut diximus factum esse in lege naturæ, & sicut tempore etiam legis scriptæ fieri poterat apud eos Gentiles, qui obseruabant legem naturæ, & Religionem, ac cultum vnus veri Dei retinebant.

## D V B I V M XXII.

*An peregrinus incurrat excommunicationem latam ab Episcopo illius loci, v. gr. ob furtum ibi ab ipso commissum.*

**T**itius aduena, & peregrinus, dum esset in ciuitate Placentina, furatus est centum aureos, quorum dominus ignorans furem, facto recurso ad Episcopum eiusdem ciuitatis, obtinuit eius edictum contra furem, quicumque esset, vt intra tot dies restitueret, alioquin termino elapso, incurreret ipso facto excommunicationem. Quæsitum est, an Titius, etiam si peregrinus esset, incurrere potuerit hanc excommunicationem ab alieno Episcopo prolatam.

**2** Suppono, esse quæstionem celebrem inter Doctores, an peregrini obligentur legibus illius loci, in quo commorantur, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus obligari, nisi in certis casibus, quos excipiunt. de qua quæstione vltra alios videri possunt Suarez tom. 1. de Relig tract. 2. lib. 2. de festis, cap. 14. & tom. de legibus, lib. 3. cap. 33. Thomas Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 19. Lessius lib. 4. cap. 1. dub. 8. num. 51. & alij, quos affert Diana part. 1. tract. 10. resolut. 15.

**3** His suppositis, quærebatur, an supposita sententia eorum, qui dicunt peregrinos non obligari legibus loci, in quo reperiuntur, nisi in certis casibus, fatendum sit, Titium ligari potuisse censura Episcopi illius loci lata contra eum, qui talem pecuniam furatus esset, nisi intra certum terminum restitueretur. Videbatur enim, etiam supposita illa sententia, incurrisse censuram, quia regula generalis est, quod quilibet ratione delicti sortitur forum loci illius, in quo delinquit: quare etiam contra aduenas, & peregrinos illac transeuntes procedit iudex sæcularis, & punit eos pœna etiam capitali ob delicta ibi commissæ. Contra hoc tamen ex aduerso opponebatur, quia si præcisè ratione delicti puniri ibi potest, hæc punitio pertinebit ad eum

iudicem, ad quem pertinet cognoscere de illo delicto, qui est iudex sæcularis. Supponimus enim, Titium esse merum laicum, & furtum non fuisse rei sacræ, nec de loco sacro: non ergo pertinet ad Episcopum punire eum, qui nullo modo eius subditus est. Potest quidem Episcopus excommunicare incolas illius loci, si non restituunt, quæ furto acceperunt: id tamen facit, quatenus spectat ad eum procurare salutem spiritualem suarum ouium; quæ cura respectu Titij, qui non est eius ouis, nec subditus, non videtur ad Episcopum pertinere, atque adeò nullum habet titulum ad eum excommunicandum, quia, sicut sententia Pastoris timenda est, ita non videtur timenda sententia eius, qui non est Pastor illius, contra quem talis sententia profertur.

Hæc pro vtraque parte afferebantur. **4** Ego dixi, Titium non incurrisse excommunicationem, & hoc procedere, siue sequamur sententiam negantem peregrinos obligari legibus loci, in quo reperiuntur, siue sequamur sententiam contrariam id affirmantem; nemo enim magis sententiam affirmantem sequitur, quàm P. Suarez, qui vult omninò, eos obligari legibus loci, in quo reperiuntur: & tamen idem in tomo de censuris, disp. 5. sect. 5. à num. 7. vsque ad 15. latè probat, peregrinum non ligari sententia speciali, vel generali Episcopi illius loci, quæ inferat excommunicationem, qui id probat ex cap à nobis, 1. de sententia excommunicationis, vbi Pontifex vniuersaliter dicit, sententiam excommunicationis latam his verbis: *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit*; non comprehendere nisi subditos illius, qui sententiam protulit. Ratio verò, qua ipse Suarez vtitur, videtur mihi satis efficax, quia nimirum debet esse differentia inter statutum, & sententiam: nam statuta respiciunt territorium; sententia verò solùm respicit personas subditas, vbicumque sint. Quare statuta sui domiciliij non obligant subditum extra illud territorium degentem: sententia verò proprii Pastoris obligat subditum etiam extra territorium commorantem. E contra verò statuta in sententia communi obligant etiam peregrinos, quia conuenit, eos conformari moribus, & legibus loci, vbi sunt: sententia verò excommunicationis non potest eos ibi obligare, nisi prius subditi sint sententiam proferentis; sententia enim non facit subditum, sed debet illum inuenire subditum, vt legitimè proferatur: ille autem peregrinus ante

ante sententiam non erat subditus huius Episcopi, cum habeat alibi suum proprium Pastorem, & Episcopum: non ergo potuit dirigi sententia illa ad hunc peregrinum non subditum proferenti sententiam.

**5** Dices, fieri subditum ratione delicti, atque adeò posse peregrinum puniri ab Episcopo huius loci, cui ratione delicti ibi commissi subditus factus est. Hæc tamen responsio in hoc, vt benè indicat Suarez, locum non habet: quia delictum immediatum, ob quod fertur excommunicatio, est inobedientia, & contumacia subditi non obedientis Episcopo prohibenti furtum, vel præcipienti restitutionem: ad hanc autem inobedientiam, & contumaciam necessariò supponitur, quòd Episcopus potuerit illi præcipere restitutionem: cum autem supponamus, Episcopum non posse per sententiam, (quidquid sit per statutum,) præcipere subdito alterius Diocesis ob defectum subiectionis requisitæ; non potuit supponi delictum inobedientiae, & contumaciæ, quòd immediatè puniatur per excommunicationem. Quamuis autem furtum ipsum delictum sit contra legem naturæ; per hoc tamen nullum statutum, vel lex Ecclesiastica ipsius Episcopi violata fuit: quare de peccato illo poterat cognoscere Episcopus in ordine solùm ad salutem animarum suorum subditorum, quorum curam spiritualem ex officio habere debet; non tamen potest illos excommunicatione punire, nisi subsequatur inobedientia ad præceptum illis impositum restituendi; quod præceptum peregrino imponere non potest, qui solùm obligari potest ad summum legibus, & statutis ipsius Episcopi, non verò præceptis, aut sententia speciali, vel generali, nisi præciserit aliud delictum pertinens ad forum Episcopi, ratione cuius factus sit eius subditus. Non ergo restat titulus, ob quem Titius potuerit illa excommunicatione comprehendi, quæ prolata fuit, non per statutum, sed per sententiam generalem, vel specialem Episcopi, cuius Titius subditus non erat.

**6** Vnde aliter dicendum esset, si delictum à Titio commissum esset prohibitum lege Ecclesiastica de iure communi Canonico, vel lege Pontificia sub excommunicatione, & aliis pœnis à iudice Ecclesiastico infligendis: tunc enim Titius ratione delicti ibi commissi sortiretur forum Episcopi illius loci, in quo delinquit, & ab eo puniri posset: quia iam tunc præcederet verum delictum lege Ecclesiastica prohibitum,

& ratione illius fieret subditus iudicis Ecclesiastici illius territorij, in quo delinquit: quod concedi debet tam in opinione eorum, qui negant, peregrinos obligari legibus propriis loci illius, quàm in opinione eorum, qui id concedunt. Vtrique enim fatentur, peregrinos obligari legibus iuris communis, atque adeò delinquere illas violando: quare ratione veri delicti debent pertinere ad forum iudicis illius loci; idque videmus in praxi obseruari, vt peregrini delinquentes in causis fidei iudicentur, & puniantur ab Episcopo loci illius, in quo delictum committitur, & non remittuntur ad Episcopum domiciliij, vt cum aliis testantur Carena de officio sanctæ Inquisitionis part. 1. tit. 4. num. 17. & Bordonus in sancto Tribunali cap. 40. q. 7. n. 9. quia iam tunc præcedit verum delictum, ratione cuius sortitur forum Episcopi illius loci; imò præualet Episcopus loci delicti Episcopo domiciliij, quia fortius, & firmiter radicatur, & acquiritur iurisdictio ratione delicti, quàm ratione domiciliij, vt obseruant cum aliis prædicti Doctores.

## D V B I V M XXIII.

*An licitum sit in dote pactum, vt restitui debeant totidem nummi aurei, stante ferè certitudine, quòd valor auri crescere debeat.*

**P**lacentiæ dos hoc adhibito pacto consignata fuit in monetis aureis, ita vt maritus, vel eius hæredes, quando dos restituenda esset, deberent reddere totidem scuta aurea, quot acceperant. Erat autem ferè certum, quòd valor auri successiuè crescere deberet: quare mille scuta aurea, v. gr. quæ nunc valebant 1;00. scuta monetæ, postea tempore dotis restituendæ valitura essent 2000. scuta monetæ, vel certè multò plus, quàm nunc valerent: quare stante hoc pacto, dos restituenda erat cum incremento notabili. Vnde illicitum videri poterat pactum illud ex regula generali, quòd in mutuo non possit apponi pactum reddendi pecunias eiusdem speciei, & in eadem mensura, & numero, quando creditur, tempore solutionis maiorem futurum esse valorem illius pecuniæ: nisi vel ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, vel nisi mutuans seruaturus erat pecunias suas vsque ad tempus illud maioris valoris, vt cum aliis dixi tom. 2. de Iustitia;

& iure, disp. 25. sect. 7. n. 125. iuncto n. 118. & seqq. quia, si hoc liceret, posset mutuans lucrari ex mutuo cum detrimento mutuatarij, quod esset licitam reddere vsuram.

2 Respondi tamen cum aliis Theologis doctissimis, qui consulti fuerunt, in casu proposito pactum fuisse licitum, nisi fortè adesset in loco illo statutum aliquod prohibens in dotibus eiusmodi pacta. Ratio potissima erat differentia magna, quæ est inter dotem, & mutuum: nam in mutuo ad eius iustitiam requiritur omnimoda æqualitas inter datum, & acceptum, ne mutuatarius plus, minúsve reddat, quàm accepit: si enim mutuans plus recuperat, sine titulo vllò id accipit. In dote verò non requiritur hæc æqualitas: nam, licèt dos detur viro ad alendam vxorem, & sustinenda onera matrimonij: sæpè tamen dos ad hoc non sufficit, & tamen non fit iniuria viro, qui sciens, & volens subire voluit ea onera sine dote sufficienti. Imò aliquando ipse vir dotare solet vxorem, quod quidem ante contractum matrimonium fieri semper potest, vt cum communi docet Thom. Sanch. lib. 6. de matr. disp. 7. n. 2. Aliquando etiam post contractum matrimonium id fieri potest, vt obseruat idem Sanchez ibi n. 3. Et quidem sæpè Summus Pontifex in dispensationibus imponit viro obligationem dotandi vxorem, antequam eam ducat, vt obseruat idem Sanch. lib. 8. de matr. disp. 35. num. 6. Sicut ergo potest maritus dare partem, vel totam etiam dotem vxori, poterit obligare se ad reddendam dotem cum maiori valore, quàm accepisset: quia hoc totum in rigore non est aliud, quàm augere ex suis bonis dotem vxoris, dum accepit 1500. scuta monetæ, & fatetur se debitorem 2000. scutorum, cum se obliget ad reddenda totidem scuta aurea, quæ eum valorem habebunt tempore solutionis, seu restitutionis dotis. quod confirmari potest ex alio statuto eiusdem ciuitatis Placentiæ, quo maritus obligatur, vt soluto matrimonio reddere debeat dotem cum auctario, nimirum addendo 30. pro singulis 100. quæ accepit; ad quod augmentum se iure ipso maritus implicite obligat. Potest ergo explicite se obligare ad illud aliud augmentum incrementi valoris monetæ, quàm accipit, quia quod lex potest facere per obligationem implicitam, videtur posse ipse facere per consensum, & obligationem explicitam.

3 Solum posset ob stare, quòd hæc promissio, quamuis non sit contra iustitiam, videtur tamen esse contra legis prohibitionem,

qua vniuersaliter prohibentur donationes irreuocabiles inter virum, & vxorem, quæ prohibitio extenditur etiam ad donationes factas ante initum matrimonium, quando earum effectus non præcedit matrimonium, sed refertur ad tempus contracti matrimonij, vt cum aliis obseruat Thomas Sanchez lib. 6. de matrimonio, disp. 7. num. 2. vbi dicit, dotis constitutionem à viro factam ante contractum matrimonium, relatum tamen ad tempus, quo matrimonium contractum sit, non subsistere. Talis autem videtur promissio huius augmenti, cum non sit habitura effectum, nisi matrimonio sequuto.

Ad hoc tamen responderi potest, quid quid sit, an referatur hæc promissio ad tempus subsequens, (de quo dubitari potest,) sed tamen non referri ad tempus stãtis matrimonij, sed ad tempus matrimonij soluti, quo tempore dotis restitutio facienda est; duo enim tempora solum considerari possunt in hac promissione. Vnum est tempus, quo promissio fit; & hoc planè est ante initum matrimonium. Alterum est tempus, quo ponenda est exsequutio obligationis, & hoc est etiam tempus post solutum matrimonium, quando dos debet restitui vxori, vel eius hæredibus. Neutrum autem tempus est constantis matrimonij, quare ex eo capite non potest impugnari promissionis valor, quia in hoc casu videtur potius locum habere alia regula, quam tradit idem Sanchez dicto lib. 6. disput. 3. num. 8. quòd scilicet validæ, & irreuocabiles sunt donationes coniugum, quando referuntur in tempus soluti matrimonij, quia paria sunt facere tempore permisso, & in idem tempus referre, ex l. in tempus, ff. de hered. instit. Adde, illas solum donationes prohiberi inter virum, & vxorem quæ gratiosæ sunt, non quæ continent pactum onerosum, vt cum communi Doctorum obseruat idem Sanchez dicto lib. 6. disput. 5. num. 1. vbi ex eo probat, validum esse pactum quo ante initum matrimonium alter coniux renuntiat lucris futuris constante matrimonio in iis Prouinciis, vbi eiusmodi lucra diuiduntur inter vtrumque coniugem: quia nimirum illa non est donatio, sed contractus onerosus, cum sit integrum cuiuslibet illorum non aliter velle matrimonium, nisi seruatis certis conditionibus. quod idem in casu nostro procedit, cum sponsa nolet matrimonium contrahere, nisi hoc pacto, & conditione adhibita, quòd dos restituenda sit in totidem scutis aureis, etiam si valor auri interim, (prout creditur,

tur,) augmentum habere debeat. Ad omnè denique dubium tollendum, & reddendam omnino firmam, & irreuocabilem illam promissionem, dixi addi posse iuramentum, quia, quamuis donationes inter coniuges reuocabiles sint; quando tamen iuramento donantis confirmantur, manent firmæ, & irreuocabiles, vt cum communi sententia probat bene idem Sanchez dicto lib. 6. disp. 11. num. 2. & sequentibus, & probari potest ex iis, quæ latè diximus tom. 2. de Iustitia, & iure, disput. 22. sect. 8. n. 202. & sequentibus, vbi diximus, contractus, qui secundum se essent validi, iure tamen humano facti sunt reuocabiles, & rescindibiles; manere firmos, & irreuocabiles, quando iramento confirmantur: talis autem est donatio inter coniuges, quæ ex natura quidem sua valida est, sed iure humano facta est reuocabilis, & rescindibilis à donatore ante mortem; si ergo iuramento confirmetur, amittet hanc totam reuocabilitatem, quam iure humano sortiebarur. Vide quæ ibi latè de hoc dicta à nobis sunt.

#### D Y B I V M X X I V. & vltimum.

*An tuti sint in conscientia parentes, qui dant dotem filiabus infra portionem legitimam debitam, & cogunt eas renuntiare legitima.*

1 S Vpponendum est, de iure communi, quamuis filia accipiens dotem à patre dicat, se contentam esse ea dote, & renuntiare paternæ hæreditati; pactum tamen illud esse inualidum, & eo non obstante posse filiam postea petere complementum suæ legitimæ portionis, vt habetur ex l. partem dotale, Cod. de collationibus, l. si quando, Cod. de pactis, & cap. quamuis pactum, de pactis, lib. 6. & in hoc conueniunt Doctores, quos afferunt, & sequuntur Molina tom. 1. de Iustitia, & iure, tract. 2. disp. 49. & Thomas Sanchez lib. 4. consil. cap. 34. num. 5. Si tamen eiusmodi pactum iuramento confirmetur, validum est, & in vtroque foro debet obseruari, vt habetur in dicto cap. quamuis pactum, & tradunt Doctores apud prædictos Molinam, & Sanchez locis citatis, qui Sanchez idem docuerat lib. 4. de matrim. disp. 9. num. 13.

2 Hoc supposito, ad dubium in titulo propositum respondi primò, si filia coactione, vel fraude inducatur ad eam renuntiationem

faciendam, parentes non esse tutos in conscientia, sed debere filiam suam libertatem restituere, cum consensus vi, vel fraude extortus obliget semper ad restitutionem illum, qui vim, vel dolum apposuit. videatur Sanchez lib. 4. de matrim. dicta disput. 9. num. 13. vbi de nostro casu in terminis loquitur: qui addit, idem procedere, quando metus non est cadens in constantem virum, sed leuis, & tamen iniuste illatus. quod quidem in mea sententia intelligendum est cum distinctione, quam latè explicui, & probaui tom. 2. de Iustitia, & iure, disput. 22. sect. 7. num. 135. & sequentibus, vbi dixi, id verum esse, quoties metus iniuste illatus fuit causa contractus; causa, inquam, vel totalis, vel partialis, ita tamen, vt vel illo solo metu remanente, & ablatis aliis motiuis, adhuc contractus fieret, vel saltem ablato metu, & remanentibus aliis motiuis, quæ nunc proponuntur, contractus non fieret, nisi aliquod aliud motiuum nouum proponeretur, quod loco metus cessantis subrogaretur. Si enim metus ita partialiter mouet, vt ille solus non sufficeret, & cessante metu adhuc contractus fieret propter alia motiua nunc proposita, non est cogendus metum inferens ad plenam restitutionem, vel rescissionem contractus, sed solum ad partem damni resarciendam maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, vel minorem influxum, quem metus habuit, secundum computum ibi à me adductum, vbi hæc omnia latius explicui; & quando, & quomodo id locum habere possit in metu reuerentiali: tunc nimirum, quando implicite continet metum mali iniuste inferendi à persona, quam reueremur: & num. 142. dixi, idem cum proportione dicendum esse de dolo leui, quando fuit causa totalis, vel partialis quoad obligationem rescindendi contractum, vel restituendi solum quoad partem damni illati.

Si verò pactum, & renuntiatio confirmata fuit à filia cum iuramento, debet quidem illud obseruari ob religionem iuramenti, quia tamen iniustitia præcessit ex parte parentis iniuste cogentis, poterit filia petere prius à Prelato relaxationem iuramenti iniuste ab ipsa extorti, & ea obtenta, nullam habet obligationem standi pacto, quod supponitur à coactione iniuste taliter processisse, vt sine illa non fieret. de quo latè videri potest Thom. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 12. & alij, quos reuoli, & sequutus sum dicto tomo 2. de Iustitia, disp. 22. sect. 8. num. 187. & 195.

4 Restat tamen dubium, si filia non fuit per coactionem iniustam, vel dolum inducta ad eam renuntiationem faciendam: ignorabat tamen, eiusmodi renuntiationem legibus irritari, & tamen dote presenti contenta renuntiavit legitimæ paternæ, & renuntiationem iuramento confirmavit, an ea solum ignorantia sufficiat ad impediendum valorem renuntiationis, atque adeo obtenta relaxatione iuramenti à Prælato Ecclesiastico, possit tamen in foro conscientiæ non stare renuntiationi à se factæ. Sed re vera hoc subterfugium raro prodesse poterit filiæ, si aliunde metus, & dolus non intercessit, quia eo ipso quod filia renuntiat iuri, quod habet ad legitimam, scire videtur, se habere aliquod ius, cui renuntiet, vel saltem dubitat an illud habeat, nam circa certò impossibilia non versantur contractus humani: quod autem nesciat, hoc ius maius fundamentum habere in legibus irritantibus eiusmodi renuntiationem sine iuramento factam, parum refert, cum habeat volun-

tatem efficacem abdicandi à se illud ius, vnde cumque proveniat, & ad hunc finem apponat iurandum, ut proficit quantum prodesse potest ad firmiorem abdicatorem. Ex hoc ergo capite difficilè liberari potest filia ab obligatione standi pacto, quod iuramento confirmavit.

An verò eiusmodi renuntiatio iuramento confirmata excludat filiam, vel filium renuntiantem à successione, etiam quando pater intestatus decedit, videatur Sanchez *lib. 4. consil. cap. 1. dub. 34. num. 25.* An autem excludatur renuntians etiam à successione mediata, v. gr. si frater renuntiantis successit in bonis paternis, & postea ipse moriatur ab intestato, videatur idem Sanchez *ibi num. 28.* & quid, si moriantur viuo parente, filij omnes, & filiæ qui extabant tempore factæ renuntiationis, vide *ibi num. 31. & sequentibus.* Denique, an hæc renuntiatio noceat non solum renuntianti, sed etiam eius filiis, & descendentiis, vide eundem *ibi num. 39. & sequentibus.*

F I N I S.

INDEX



# INDEX

## Rerum, & Verborum notabilium.

*Prior numerus Paginam, alter Columnam notat, tertius est marginalis.*

**A**  
*Abbas.*



BBAS cui conceduntur functiones Episcopales, an possit conferre Sacramentum Confirmationis, si expresse non prohibetur. 14. 1. 1 & seqq.

*Abbatia.*

Abbatia ut separetur ab eius dignitate Episcopali, an & quomodo consentire possit Episcopus. 325. 1. 1 & seqq.

*Abortus.*

Abortum procurans femina in se, an incurrat excommunicationem latam à Sixto V. 84. 2. 1. & seqq.

*Absolutio.*

Si quis nunc à S Petro Absolueretur, an deberet adhuc peccata illa confiteri Sacerdoti mortali. 25. 2. 1 & seqq.

Absoluendi facultas concessa Prælato Regulari, an transeat ad eius successorem. 29. 1. 1 & seqq.

Facultas Absoluendi, nondum mandata executioni, quando potestas cessat in concedente. 30. 1. 1 & seqq.

Habens facultatem ab Episcopo Absoluendi ab omnibus casibus ei reseruat, an possit absoluerè post concessam licentiam. 33. 1. 1 & seqq.

Confessarius an possit Absoluerè adueniente peccati reseruatione post inceptam confessionem. 36. 2. 1 & seqq.

Confessarius an teneatur semper Absoluerè pœnitentem, cuius confessionem audiuit, & ad hoc amplecti opinionem probabilem benigniorem. 37. 2. 1 & seqq.

*D. lo. Card. de Lugo Respons. mor.*

Confessarius ordinarius Regularium an possit eos Absoluerè à reseruat, Pa- 39. 1. 1 & seqq.

Confessarius an possit negare Absolutionem Nouitio nolenti egredi, & ad sæculum redire. 42. 1. 1. & seqq.

Subditi Societatis non possunt à Confessario Absolui sine licentia suorum Superiorum, virtute cuiuslibet indulti, & concessionis Pontificiæ. 42. 1. 12

Regulares an post decreta Clementis VIII. & Pauli V. Absoluerè adhuc possint iuxta sua priuilegia à peccatis circa duellum, excepta prouocatione, & pugna. 8. 2. 1 & seqq.

Regulares an virtute Bullæ Cruciatæ possint saltem, extra confessionem Absolui à censuris Papæ reseruat. 118. 1. 1 & seqq.

*Actus.*

Prælatus an ex voto Obedientiæ possit præcipere Actus internos. 365. 1. 8

*Adiunctus.*

An tertius addendus Adiunctis capitularibus, quando ipsi non concordant cum Episcopo, debeat esse ex eodem Capitulo. 337. 1. 1 & seqq.

*Affinitas.*

Dispensandi facultas, excepto primo gradu, an extendatur ad primum gradum Affinitatis ex copula illicita. 62. 1. 1 & seqq.

*Alienatio.*

Alienari an possint sine licentia S Congregationis, bona quæ possident Regulares supra summam statutam. 124. 2. 1 & seqq.

Alienatio facta contra formam facultatis concessæ à sacra Congregatione. 133. 2. 1 & seqq.

L 1

*Ambitus.*



*Ambitus.*  
Ambitus pœnas an incurrat, qui ambit pro persona incerta. 218.2.1 & seqq.

*Angelus.*  
Si quis Eucharistiæ Sacramentum de manu Angeli alicuius acciperet, an posset adhuc eadem die iterum de manu proprii Pastoris Eucharistiam fumere. 27.2.7

*Appellatio.*  
Appellatio à denuntiatione excommunicationis an suspendat effectum. 89.1.1 & seqq.

*Archidiaconus.*  
Archidiaconus dispensatus à Summo Pontifice in defectu ætatis, an possit habere votum in Capitulo. 330.2.1 & seqq.

B

*Baptismus.*  
Baptismus in capillis an sit validus. 1.1.1 & seqq.

An repetendus. ibid.  
Baptismi forma. 6.1.1 & seqq.  
Filius Iudæi an possit, patre eius invito, volens Baptizari, quando dubitatur de usu rationis. 8.2.1 & seqq.

Patrinus an possit esse pater in Baptismo sui filij illegitimi. 10.1.1 & seqq.

*Baptizatus.*  
Baptizatus à Ministro Calvinista, an sit iterum baptizandus sub conditione. 4.2.1 & seqq.

*Beneficiarius.*  
Beneficiarius non habens Ordinem sacrum, an peccet grauius non recitando Officium diuinum, cum animo tamen restituendi fructus. 291.1.1 & seqq.  
De obligatione Beneficarij Ecclesiastici ad dandam eleemosynam. 305.2.1 & seqq.

*Beneficium.*  
Irregularis occultus an possit retinere Beneficium solum habens annexam recitationem Officij. 96.1.1 & seqq.  
An possit quis habere animam resignandi Beneficium, dum procurat adhuc expeditionem Bullæ. 285.2.1 & seqq.  
An debeat recitare Officium diuinum, qui cum titulo colorato accepit possessionem Beneficij, non tamen pacificam, sed litigiosam. 287.1.1 & seqq.

*Bona.*  
Bona quæ possident Regulares supra summam stutam, an possint alienari sine licentia S. Congregationis. 124.2.1 & seqq.

Bona immobilia, vide *Regulares, Fructus.*

*Bulla.*  
Virtute Bullæ Cruciatæ an Regulares possent saltem extra confessionem absolui à censuris Papæ reseruatis. 118.1.1 & seqq.

Bulla Gregorij XIII. contra dantes & accipientes pro rebus gratiæ, vel iustitiæ, an locum habeat contra dantes, & accipientes in Tribunalibus laicis status Ecclesiastici. 351.2.1 & seqq.

Observantur aliqua circa Bullam Gregorij XIII. de datis, & promissis, vbi & quando ignorantia ab eius pœnis excuset. 353.2.1 & seqq.

C

*Caluinista.*  
à Calvinista Ministro baptizatus, an baptizandus sit iterum sub conditione. 4.2.1 & seqq.

*Capellanus.*  
An sufficiant coniecturæ de mente testatoris, vt Capellanus teneatur celebrare per seipsum, quando testator id satis non expressit. 343.2.1 & seqq.

*Capillus.*  
in Capillis an Baptismus validus sit. 1.1.1 & seqq.

*Capitulum.*  
Capitulum generale quomodo obligetur propriis legibus. 388.2.1 & seqq.

*Casuum reseruatio.*  
Casuum reseruatio facta ab Episcopo, & pro mulgata à Capitulo Sede vacante, an obliget. 31.1.1 & seqq.  
Cessante approbatione, an cesset etiam facultas ad Casus reseruatos, ita vt per subsequentem approbationem non reuiuifcat. 34.2.1 & seqq.

*Celebrans, & Celebratio.*  
Parochus bis Celebrans diebus feriis in duabus Parochiis, quas habet, an possit permitti in eisdem etiam celebrari diebus profestis. 21.2.1 & seqq.

Potens approbare Oratoriã ad Celebrandum, an possit dare facultatem celebrandi nocte Natalis in Aula, vbi constituitur Præsepe Domini-cum. 20.2.1 & seqq.

Suspensus occultus an Celebrare possit sine periculo irregularitatis ad alendum se, & matrem egentem. 94.1.1 & seqq.

Celebratio diuinorum, vide *Parochus, Oratorium.*

*Censura.*

*Censura.*  
Censuras an incurrerit Parochus, qui re-  
renta sibi pensione sine consensu Episcopi alium deputauit Vicarium suum irreuocabilem. 83.1.1 & seqq.  
Regulares an possint extra confessionem absolui à Censuris Papæ reseruatis, virtute Bullæ Cruciatæ. 118.1.1 & seqq.

*Census.*  
Obligatio Prælato imposta extinguendi Census, vel inuestiendi pecunias intra certum terminum. 132.1.1 & seqq.

Census soluendus sequuta mutatione monetæ, & deficiente etiam ex parte hypotheca. 374.2.1 & seqq.  
Valor, vel inualiditas cuiusdam Census. 379.2.1 & seqq.

*Cessio.*  
Cessio debiti acerbi, an censeatur facta pro tota summa, an pro minori. 384.2.1 & seqq.

*Chrisma.*  
Chrisma confectum ex aliis ingredientibus vltra oleum & balsamum, an possit adhiberi in Sacramento Confirmationis. 14.2.1. & seqq.

*Clericus.*  
An sine læsione ecclesiasticæ immunitatis potuerint Clerici cogi ad soluendum, quod in vtilitatem ipsorum etiam expensum fuerat. 283.1.1 & seqq.

Clericus transiens ad armatam militiam, an perdat pensionem, quam ex dispensatione retinere poterat in statu matrimonij, & sine habitu clericali. 33.2.1 & seqq.

*Collegium.*  
Quando aliquis è Societate ante Professionem relinquit legatum cuidam Collegio, an Generalis possit post mortem testatoris illud acceptare. 175.1.1 & seqq.

Testator an potuerit obligare Collegium Societatis ad dandos Domui professæ redditus annuos per viginti annos. 178.2.1. & seqq.

Collegium Societatis an grauari possit à testatore ad dandos redditus annuos perpetuos Domui professæ ad fabricam Ecclesiæ à se fundatæ. 180.1.9 & seqq.

*Communio.*  
Tabachi aliquid in fronte, sumptum ore, vt dentibus solum conteratur, an soluat ieiunium naturale ad D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

Communione necessarium. 15.2.1 & seqq.  
Sacerdos secundò celeb raturus an possit in prima Missa dare ablutionem in calice laico accipienti Communione. 17.2.1 & seqq.  
Vide *Eucharistia.*

*Communitas.*  
Communitati sæculari an licitè promittant Regulares, se nunquam empturos bona immobilia in eo territorio. 123.1.1. & seqq.

*Confessarius.*  
Episcopus non potest extra Diocesim approbare Confessarios pro suis subditis extra Diocesim existentibus, & cur. 28.1.1 & seqq.

Confessarius an possit absoluerè adueniente peccati reformatione post incepram confessionem. 3.2.1 & seqq.

Confessarius an teneatur semper absoluerè pœnitentem, cuius confessionem audiuit, & ad hoc amplecti opinionem probabilem benigniorem. 37.2.1 & seqq.

Præpositus, vel Rector, an possit eligere sibi Confessarium, à quo absoluetur à reseruatis. 224.2.1 & seqq.

Episcopus an possit deputare Confessarium extraordinarium in Parochiis vnitis Abbatia regulari. 340.2.1 & seqq.

*Confessio.*  
Siquis nunc à S. Petro absolueretur, an deberet adhuc peccata illa Confiteri Sacerdoti mortali. 25.2.1 & seqq.

Præcepto Confessionis non satisfit, nisi peccata confitearis Ministris Ecclesiæ visibilis. 26.2.4 & seqq.

Episcopus an possit totum Conuentum Regularium à Confessionibus audiendis suspendere. 28.2.1. & seqq.

Regulares an virtute Bullæ Cruciatæ possint saltem extra Confessionem absolui à censuris Papæ reseruatis. 118.1.1 & seqq.

*Confirmatio.*  
Facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis an liceat committere Sacerdoti simplici in aliquibus locis. 12.1.1 & seqq.

Sacramentum Confirmationis an possit conferre ille Abbas cui conceduntur functiones Episcopales, si expressè non prohibetur. 14.1.1 & seqq.

*Congregatio.*  
 ad Congregationem generalem an debeant, aut possint venire Prouinciales Societatis in India. 222. 1. 1 & seqq.  
 in Congregatione Prouinciali suffragium dubium. 238. 2. 1 & seqq.  
 Congregatio sodalium B. Virginis an possit erigi in loco, qui non sit sub dominio Societatis. 254. 2. 1 & seqq.  
*Coniectura.*  
 An sufficiant Coniecturæ de mente testatoris, vt Capellanus teneatur celebrare per seipsum quando testator id satis non expressit. 343. 2. 1 & seqq.  
*Confanguinea.*  
 Deflorans Confanguineam per vim, & cum spe coniugij. 386. 1. 1 & seqq.  
*Conseruator.*  
 Conseruatores an hodie possint cognoscere de alijs causis præter casum manifestæ iniuriæ, & violentiæ. 246. 1. 3  
*Contributio.*  
 Episcopus an possit procedere ad taxam Contributionis pro Seminario faciendam cum tribus solis deputatis, renuente Clero quartam eligere. 334. 2. 1 & seqq.  
*Conuictor.*  
 Conuictores Seminarij an reputentur vt familiares Societatis in ordine ad recipienda Sacramenta. 234. 2. 1 & seqq.  
*Copula.*  
 Ordinarius an possit credere viro neganti Copulam cum confanguinea vxoris, quam vult ducere, cum eantem copulam antea iuramento confirmasset. 72. 1. 1 & seqq.  
*Cura.*  
 Qui Curam habet alicuius Eremitorij, & petit pro ipso eleemosynas, possit viuere ex ipsis, & dare etiam suis confanguineis, vel alijs pauperibus extraneis. 384. 1. 7

D

*Dammum.*

**D**ammum à quo sit resarciendum illatum dominis prædiorum pro extruenda arce tempore belli. 381. 2. 1 & seqq.  
*Debitor, & Debitum.*  
 An qui pro Debitore soluit, possit ab eo exigere non solum capitale, sed etiam fructus. 369. 1. 1 & seqq.  
 Cessio Debiti acerbi, an censetur facta pro tota summa, an pro minori. 384. 2. 1 & seqq.

*Denuntiatio.*

Vide *Matrimonium.*

*Dimissio, & Dimissus.*

An qui post vota biennij è Societate Dimittitur, indigeat nouitiatu nouo. 162. 1. 1 & seqq.  
 Dimitti qui petiit è Societate, vt hæreditatem patris ab intestato obtineret, an potuerit validè dimitti, & hæreditatem acquirere. 165. 1. 1 & seqq.  
 Nouitius, qui per errorem Dimissus fuit, & post sex dies iterum receptus, an possit continuare biennium suæ probationis. 164. 1. 1 & seqq.  
 Homicidio non probato, an sufficiat ad Dimittendum nondum Professum in Societate. 202. 2. 1 & seqq.  
 Generalis Societatis an possit Dimittere aliquem sub conditione recidendi in obligationem votorum, si ad talem locum redierit. 216. 1. 1 & seqq.

*Dispensatio.*

Dispensandi facultas, excepto primo gradu, an extendatur ad primum gradum affinitatis ex copula illicita. 62. 1. 1 & seqq.  
 Pontifex an possit Dispensare cum aliquo ad contrahendum matrimonium cum sua nuru. 63. 1. 1 & seqq.  
 Dispensatio an concedi possit ad contrahendum matrimonium in primo gradu affinitatis, & secundo simul confanguinitatis. 74. 2. 1 & seqq.  
 in Dispensatione irregularitatis ex homicidio, an necesse sit ad eius valorem narrare dispensationem præcedentem ob alterum homicidium. 91. 2. 1 & seqq.  
 Episcopus petens Dispensationes à Summo Pontifice, vt à sua Ecclesia per aliquot menses abesset. 318. 2. 1 & seqq.

Dispensatio postquam obtenta fuit ad effectum contrahendi matrimonium, an Summo Pontifici maneat reseruatum votum castitatis. 347. 1. 1 & seqq.

*Domus professæ.*

Eleemosyna relicta Domui professæ Soc. I E S V. 176. 2. 1 & seqq.  
 Testator an potuerit obligare Collegium Societatis ad dandos Domui professæ redditus annuos per viginti annos. 178. 2. 1 & seqq.  
 Collegium Societatis an grauari possit à testatore ad dandos redditus annuos perpetuos Domui professæ ad fabricam Ecclesiæ à se fundatæ. 180. 1. 9. & seqq.

Quæsitæ

Quæsitæ circa fructus horti quem habent Domus professæ Societatis. 183. 2. 1. & seqq.

Domus professæ Societatis an possit vendere domum sibi legatam in solam vitam emptoris: vbi, quid de venditione cum pacto retrouendendi. 189. 2. 1 & seqq.

*Donatio, & Donator.*

de Donatione facta ab Episcopo Regulari ægrotante in fauorem sui nepotis, quid. 279. 1. 1 & seqq.  
 Fructus à Donatore destinati ad emptionem bonorum immobilium, an possint ex eius consensu applicari ad soluenda debita eiusdem conuentus. 128. 1. 1 & seqq.

*Dos.*

An tuti sint in conscientia parentes, qui dant Dotem filiabus infra portionem legitimæ debitæ, & cogunt eas renuuntiare legitimæ. 378. 1. 1 & seqq.  
 An licitum sit in Dote pactum, vt restitui debeant totidem nummi aurei, stante ferè certitudine, quòd valor auri crescere debeat. 393. 2. & sequentibus.

*Duellum.*

Excommunicationem an incurrerit ob Duellum, qui non prouocauit explicitè, sed confusè. 81. 1. 1 & seqq.  
 Regulares an post decreta Clementis VIII & Pauli V. absoluere adhuc possint iuxta sua priuilegia à peccatis circa Duellum, excepta prouocatione & pugna. 82. 1. 1 & seqq.

E

*Ecclesia.*

in **E**ccllesia Cathedrali recipiens Sacramenta in Paschate, an satisfaciatur præcepto Ecclesiæ. 24. 1. 1 & sequentibus.

*Electio.*

Formula Congregationis Prouincialis non obseruata an reddiderit inuolidam Electionem subsequutam. 217. 2. 1 & seqq.

*Eleemosyna.*

Eleemosyna annua relicta Domui professæ Societatis Iesu. 176. 2. 1 & seqq.  
 De obligatione Prælati, aut Beneficarij Ecclesiastici ad dandam Eleemosynam. 305. 2. 1 & seqq.  
 Pauper an possit petere Eleemosynam supra id, quo actu indiget. 382. 2. 1 & seqq.

An qui Curam habet alicuius Eremitorij, & petit pro ipso Eleemosynas, possit viuere ex ipsis, & dare etiam suis confanguineis, vel alijs pauperibus extraneis. 384. 1. 7

An poterit Eleemosynas petere, qui filias habet nubiles, quas commodè dotare non potest, etiamsi non desint necessaria ad vitam suam, & filiam vt cumque sustentandam. ibid. 25  
 An possit Eleemosynas petere, qui sibi non indiget, habet tamen fratres, vel sorores indigentes. ibid.

*Emptio.*

Fructus à donatore destinati ad Emptionem bonorum immobilium, an possint ex eius consensu applicari ad soluenda debita eiusdem Conuentus. 128. 1. 1 & seqq.

*Episcopatus.*

Ad acceptandum Episcopatum an Generalis Regularis possit obligare subditum. 106. 1. 1 & seqq.  
 ad Episcopatum acceptandum an Summus Pontifex possit cogere Religiosum præcepto suo. 112. 1. 1 & seqq.

*Episcopus.*

Episcopus non potest extra Diocesim approbare Confessarios pro suis subditis extra Diocesim existentibus, & cur. 28. 1. 1. & seqq.  
 Episcopus an possit totum Conuentum Regularium à confessionibus audiendis suspendere. ibid. 2. 1 & seqq.  
 Casuum reseruatio facta ab Episcopo, & promulgata à Capitulo Sede vacante, an obliget. 31. 1. 1 & seqq.  
 Episcopus suffraganeus an possit cum licentia Episcopi nondum reuocata, post eius mortem exercere Pontificalia Sede vacante. 51. 1. 1 & seqq.  
 Episcopus an possit sua lege irritare matrimonia contrahenda sine præmissis denuntiationibus. 77. 1. 1 & seqq.  
 cum Episcopo irregulari quid agendum ob illegitimitatem mala fide occultatam in adeptione Episcopatus. 90. 20. 1  
 De vnione duarum Ecclesiarum parochialium, an potuerit fieri ab Episcopo post decretum Concilij Tridentini. 28. 2. & seqq.  
 Episcopus regularis an sit verè dominus bonorum, & reddituum, quos percipit. 310. 2. 1  
 Episcopus petens dispensationes à Summo Pontifice, vt à sua Ecclesia per aliquot menses abesset. 318. 2. 1 & seqq.  
 Episcopus non consecratus an possit sine

# Index Rerum,

# & Verborum.

dispensatione ducere exercitum. 320.2.1 & seqq.

Summus Pontifex an possit creare Episcopum Titularem eum, qui non habebat doctrinam, quæ pro Episcopis petitur à Tridentino. 321.2.1 & sequentibus.

Episcopus an & quomodo consentire possit, ut Abbatia quædam separaretur ab eius dignitate Episcopali. 325.1.1 & seqq.

An expediat Episcopum taxare Missæ stipendium, ita ut maius accipi non possit, nec dari. 328.2.1 & seqq.

Episcopus an possit prohibere, ne Regulares concionentur in suis Ecclesiis diebus Quadragesimæ, quibus eadem hora habetur concio in Ecclesia collegiata eiusdem loci. 332.2.1 & seqq.

Episcopus an possit procedere ad taxam contributionis pro Seminario faciendam cum tribus solis deputatis, renuente Clero quartum eligere. 334.2.1 & seqq.

Episcopus an possit deputare Confessarium extraordinarium in Parochiis vnitatis Abbatix regulari. 340.2.1 & seqq.

Episcopus an potuerit prohibere Regularibus, ne in Ecclesiis secularibus Missas celebrent. 342.1.1 & seqq.

## *Eucharistia.*

Referre Eucharistiam infirmo adorandam, qui eam fumere non potest, an sit licitum. 20.2.1 & seqq.

Si quis Eucharistix Sacramentum de manu S. Petri, vel alicuius Angeli acciperet, an possit adhuc eadem die iterum de manu proprii Pastoris Eucharistiam fumere. 27.2.7 & seqq.

## *Examinator.*

de Examinatoris suffragio dicentis illum vix, aut ægrè posse docere, quid dicendum. 211.2.1 & seqq.

## *Examen.*

Examen secundum an concedendum ei, qui in primo non fuit approbatus ad Professionem. 210.1.1 & seqq.

## *Excommunicatio.*

Excommunicationem an incurrerit ob duellum, qui non prouocauit explicitè, sed confusè. 81.1.1 & seqq.

Excommunicationem an incurrat foemina procurans abortum in se. 84.2.1 & sequentibus.

Appellatio à denuntiatione Excommunicationis an suspendat effectum. 89.1.1 & seqq.

Excommunicationem an incurrerint ex-

trahentes puellam è Monasterio, vbi ad educationem commorabatur. 122.1.1 & seqq.

An peregrinus incurrat Excommunicationem latam ab Episcopo illius loci, furtum ab ipso commissum. 392.1.1 & seqq.

## *Excommunicatus.*

Excommunicatus nominatim per edicta publica, nisi intra certum terminum satisfecerit, an transacto termino sit vitandus. 86.2.1 & seqq.

## *Exercitus.*

Episcopus non consecratus an possit sine dispensatione ducere Exercitum. 320.2.1 & seqq.

## F

### *Festum.*

**F**estum, & festiui dies, quid. 54.2.2 & seqq.

### *Foemina.*

Foemina procurans abortum in se, an incurrat excommunicationem latam à Sixto V. 84.2.1 & seqq.

### *Formula.*

Formula Congregationis Prouincialis non obseruata, an reddiderit inualidam electionem subsecutam. 217.2.1 & seqq.

### *Fructus.*

Fructus à donatore destinati ad emptio-nem bonorum immobilium, an possint ex eius consensu applicari ad soluenda debita eiusdem Conuentus. 128.1.1 & seqq.

### *Fundatio.*

De pecunia donata, & legata ad Fundationem Collegij, quando Episcopus non consentit fundationi, quid faciendum sit. 232.2.1 & seqq.

### *Fundus.*

Promissio facta à Regularibus locandi Fundum per plura triennia. 132.2.1 & seqq.

## G

### *Generalis.*

**G**eneralis Regularis an possit præcepto obligare subditum ad acceptandum Episcopatum. 106.1.1 & sequentibus.

Generalis Societatis an possit demittere aliquem sub conditione reincidendi in obligationem votorum, si ad talem locum redierit. 216.1.1 & seqq.

Generalis Societatis an possit applicare Missas

Missas suorum subditorum, loco illarum, quas Collegium aliquod ex testamento debebat. 228.2.1 & seqq.

Generalis Societatis an possit acceptare legatum rei immobilis alicui Collegio relictum cum animo alienandi. 231.1.1 & seqq.

Generalis an possit facultatem benedicendi vestes sacras communicare Prouincialibus, & Rectoribus Seminariorum. 250.1.2

An de facto eam illis communicasse censetur. ibid.

Generalis Societatis an possit subdelegare Prouinciali facultatem concedendi licentiam ad legendos libros prohibitos. 259.2.1 & seqq.

### *Grangium.*

Grangia Regularium an gaudeat immunitate. 136.2.1 & seqq.

## H

### *Habitus.*

**H**abitus religiosus assumptus an sit semper impedimentum essenziale ad ingressum in Societatem. 201.1.1 & seqq.

### *Heres.*

Hæredem hæredis an obliget pœna à testatore imposita. 376.2.1 & seqq.

### *Hæreditas.*

Religiosus non manifestans sibi delatam Hæreditatem. 135.1.1 & seqq.

An qui petiit dimitti è Societate ut Hæreditatem patris ab intestato obtineret, an potuerit validè dimitti, & hæreditatem acquirere. 165.1.1 & sequentibus.

Societas an prætere possit Hæreditatem ab intestato nomine Professi, qui ante Professionem omnia sua iura cesserat Collegio cuidam Societatis. 168.2.1 & seqq.

### *Hermaphroditus.*

Hermaphroditus, si post ordinationem validam incipiat in eo præualere sexus foemineus, an possit validè celebrare. 48.1

### *Homo.*

Homo non baptizatus, vide *Iurisdictio spiritalis.*

### *Homicidium.*

In dispensatione irregularitatis ex Homicidio, an necesse sit ad eius valorem narrare dispensationem præcedentem ob alterum homicidium. 91.2.1 & seqq.

Tacens Homicidium ad iudicium deductus, an licitè, & validè Professionem emisit. 100.1.1 & seqq.

Homicidio non probato, an sufficiat ad dimittendum nondum Professum in Societate. 202.2.1 & seqq.

Homicidium quoddam casuale factum in defensionem, an fuerit impedimentum ad ingressum Societatis. 206.2.1 & sequentibus.

Consulens Homicidium an ipso sequuto sit inhabilis ad ingrediendam Societatem. 273.1.1 & seqq.

Vide *Irregularitas.*

### *Hortus.*

Quæsitæ nonnulla circa fructus Horti suburbanus, quem habent Domus professe Societatis. 183.2.1 & seqq.

## I

### *Ieiunium.*

**I**eiunium naturale ad Communionem necessarium an soluat Tabachi aliquid in fronte, sumptum ore, ut dentibus solum conteratur. 15.2.1 & seqq.

### *Immunitas.*

Immunitate an gaudeat grangia irregularium. 136.2.1 & seqq.

An sine læsione Ecclesiasticæ Immunitatis potuerint Clerici cogi ad soluendum, quod in utilitatem ipsorum etiam expensum fuerat. 283.1.1 & seqq.

### *Irregularis, & Irregularitas.*

Irregularitas cuiusdam Parochi Regularis incitantis subditos ad occidendos aggressores. 92.2.1 & seqq.

Irregularis an possit resignare beneficium solum habens annexam recitationem Officij. 96.1.1 & seqq.

Irregularitas ex infamia occulta in loco distanti. 98.1.1 & seqq.

In dispensatione irregularitatis ex homicidio, an necesse sit ad eius valorem narrare dispensationem præcedentem ob alterum homicidium. 91.2.1 & seqq.

### *Iudæus.*

Iudæi filius an possit, patre inuito, volens baptizari, quando dubitatur de vsu rationis. 8.2.1 & seqq.

### *Iurisdictio.*

Iurisdictio spiritalis an possit accipi ex consensu partium, sicut accipitur de facto ex eo consensu iurisdictio ciuilibus. 391.1.1 & seqq.

An possit Summus Pontifex de potestate



# Index Rerum,

state absoluta delegare Iurisdictionem spiritualem homini non baptizato. 360.2.1 & seqq.

*Ius Canonicum.*

Iuris Canonici materias quousque possint Magistri Societatis tradere in scholis. 237.1.1 & seqq.

**L**

*Laicus.*

**L**aico accipienti Communionem an dari possit in prima Missa ablutio in calice. 17.2.1 & seqq.

*Legatum.*

Cui acquiratur Legatum relictum Professo Societatis, qui ante Professionem renunciauerat omnia sua bona. 17.2.1 & seqq.

Quando aliquis è Societate ante Professionem relinquit Legatum cuidam Collegio, an Generalis possit post mortem testatoris illud acceptare. 175.1.1 & seqq.

Generalis Societatis an possit acceptare Legatum rei immobilis alicui Collegio relictum cum animo alienandi. 231.1.1 & seqq.

Legatum relictum sub conditione prolis legitimæ, an sit soluendum quando dubitatur de valore matrimonij. 350.2.1 & seqq.

An in Legato supellectilis sacræ comprehendatur planeta, quæ nondum fuerat ad usum adhibita. 371.2.1 & seqq.

*Legatus à latere.*

Legatus à latere an possit uti priuilegiis Societatis circa personas eiusdem Societatis, sicut possint Prælati Societati. 277.2.1 & seqq.

*Leo X.*

Quousque extendatur concessio Leonis X. facta Minoribus circa recitationem Officij mentalem. 148.1.1 & seqq.

*Legitima.*

An tuti sint in conscientia parentes, qui dant dotem filiabus infra portionem Legitimæ debitæ, & cogunt eas renuntiare legitimæ. 395.1.1 & seqq.

*Libri prohibiti.*

Generalis Societatis an possit subdelegare Prouinciali facultatem concedendi licentiam ad legendos Libros prohibitos. 259.2.1 & seqq.

*Locatio.*

Promissio facta à Regularibus Locandi

fundum per plura triennia successiuè. 132.2.1 & seqq.

**M**

*Magister.*

**M**agistri Societatis quousque possint tradere in scholis materias Iuris Canonici. 237.1.1 & seqq.

*Matrimonium.*

Matrimonium contractum coram Sacerdote ex licentia Parochi, mortuo tamen Parocho ante contractum matrimonium, an validum sit. 55.2.1 & seqq. Sacerdos regularis an possit assistere Matrimonio, vbi nec est, nec vquam fuit Parochus. 56.2.1 & seqq.

Matrimonium celebratum coram Parocho minus principali. 57.2.1

Religiosi an possint validè assistere Matrimonio suorum familiarium. 60.1.1 & seqq.

Pontifex an possit dispensare cum aliquo ad contrahendum Matrimonium cum sua nuru. 63.1.1 & seqq.

Ordinarius an possit credere viro neganti copulam cum consanguinea vxoris, quam vult ducere, cum eadem copulam antea iuramento confirmasset. 72.1.1 & seqq.

Ad valorem Matrimonij an requiratur acceptatio consequens ex parte coniugis, qui prior consensum expresse rat. 73.1.1 & seqq.

Dispensatio an concedi possit ad contrahendum Matrimonium in primo gradu affinitatis, & secundo simul consanguinitatis. 74.1.1 & seqq.

Non obstante promissione, an possit non contrahi Matrimonium promissum, cedente scæmina cum damno prolis. 76.1.1 & seqq.

Episcopus an possit sua lege irritare Matrimonia contrahenda sine præmissis denuntiationibus. 77.1.1 & seqq.

Valor Matrimonij facti coram simplice Sacerdote ex delegatione Vicarij deputati ab Episcopo nondum confirmato. 78.2.1 & seqq.

An Summo Pontifici maneat reseruatum votum castitatis, postquam ad effectum contrahendi Matrimonium dispensatio obtenta fuit. 347.1.1 & seqq.

In dubio valoris Matrimonij, an legatum relictum sub conditione prolis legitimæ soluendum sit. 350.2.1 & seqq.

*Militia;*

# & Verborum.

*Militia.*

Clericus transiens ad armatam Militiam, an perdat pensionem, quam ex dispensatione retinere poterat in statu matrimonij, & sine habitet clericali. 335.2.1 & seqq.

*Minister.*

Præcepto concessionis non satisfit, nisi peccata quis confiteatur Ministris Ecclesiæ visibilis. 26.2.4 & sequentibus.

*Minor.*

Quousque extendatur concessio Leonis X. facta Minoribus circa recitationem Officij mentalem. 148.1.1 & seqq.

*Missæ.*

Sacerdos secundo celebraturus an possit in prima Missa dare ablutionem in calice laico accipienti Communionem. 17.2.1 & seqq.

Generalis Societatis an possit applicare Missas suorum subditorum, loco illarum, quas Collegium aliquod ex testamento debebat. 228.2.1 & seqq.

Missarum numerus in beneficij erectione assignandus. 301.2.1 & seqq.

An expediat Episcopum taxare Missæ stipendium. 328.2.1 & seqq.

Episcopus an possit prohibere Regularibus, ne Missas celebrent in Ecclesiis sæcularibus. 342.1.1 & sequentibus.

*Monasterium.*

è Monasterio puellam extrahentes, an incurrerint excommunicationem. 122.1.1 & seqq.

*Monialis.*

Monialis an causâ correctionis, & punitio- nis possit extrahi ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis sine licentia speciali Sedis Apostolicæ. 149.2.1 & sequentibus.

**N**

*Negotiatio.*

**N**egotiatio an liceat Religiosis ad recuperandum debitum, vel ad sustinendam illam pro censu extracto. 158.1.1 & seqq.

*Nouitiatus.*

An qui post vota biennij è Societate dimittitur, indigeat Nouitiatu nouo. 162.1.1 & seqq.

*Nouitius.*

Confessarius an possit negare absolu- D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.

tionem Nouitio nolenti egredi, & ad sæculum redire. 42.1.1 & sequentibus.

Nouitius qui per errorem dimissus fuit, & post sex dies iterum receptus, an possit continuare biennium suæ probationis. 164.1.1 & seqq.

*Nurus.*

Pontifex an possit dispensare cum aliquo ad contrahendum matrimonium cum sua Nuru. 63.1.1 & sequentibus.

Vide *Matrimonium.*

**O**

*Obedientia.*

**O**bedire Prælato an possit subditus, quando dubitat, an sit licitum quod præcipitur. 152.2.1 & seqq.

*Obligatio.*

Obligatio Prælati imposta extinguendi censum, vel inuestiendi pecunias intra certum terminum. 132.1.1 & sequentibus.

Obligatio illius, qui apertis litteris alienis, nouit vacationem præbendæ, quam impetrari curauit pro quodam suo amico. 303.2.1 & seqq.

Obligatio Prælati, aut Beneficiarij Ecclesiastici ad dandam eleemosynam. 305.2.1 & seqq.

An possit aliquis per contractus se alteri obligare ad eos actus, ad quos lege, vel præcepto humano obligari non possit. 363.1.1 & seqq.

*Officium.*

Quousque extendatur concessio Leonis X. facta Minoribus circa recitationem Officij mentalem. 148.1.1 & seqq.

An qui per errorem recitauit hodie Officium crastinum, debeat cras recitare Officium hodiernum, vel iterum recitare crastinum. 296.1.1 & seqq.

An debeat recitare Officium diuinum, qui cum titulo colorato accepit professionem beneficij, non tamen pacificam, sed litigiosam. 287.1.1 & seqq.

Officia aliquorum Sanctorum, quæ in quadam ciuitate recitari solebant, & diu emissa, ac interrupta fuerunt, an possint sine noua Sedis Apostolicæ licentia iterum recitari. 293.1.1 & sequentibus.

**M m**

**Responsum**

Responsum ad duo quæsitæ circa Officia propria Sanctorum Ecclesiæ Palentinæ. 326.2.1 & seqq.

Beneficiarius non habens Ordinem sacrum, an peccet grauitè non recitando Officium diuinum. 391.1.1 & seqq.

*Oratorium.*

Potens approbare Oratorium ad celebrandum, an possit dare facultatem celebrandi nocte Natalis in Aula, vbi constituitur Præsepe Dominicum. 22.2.1 & seqq.

Ea facultas an delegari possit à Prouinciali, cuius nomine alius deputet, & approbet Oratorium. 23.1.1

*Ornamenta.*

Ornamenta sacra an possint benedici à Prouinciali Societatis. 249.2.1 & sequentibus.

An à Rectoribus Seminariorum. ibid.

*Ordinarius.*

Ordinarius an possit credere viro neganti copulam cum consanguinea vxoris, quam vult ducere, cum eadem copulam antea iuramento confirmasset. 72.1.1 & seqq.

Ordinarius an habeat iurisdictionem in Regulares in omnibus causis ciuilibus. 247.1.6

*Ordinatio.*

Hermaphroditus, si post Ordinationem validam, incipiat in eo præualere sexus fœmineus, possit ne celebrare validè. 48.1

Sacerdos qui non tetigit calicem & patenam, dum forma proferebatur, sed immediatè post, an debeat, vel possit iterum sub conditione Ordinari. 52.2.1 & seqq.

*Ordinatus.*

Ordinatus, cui in Subdiaconatu non datus fuit calix vacuus, sed plenus vino, & aquâ. 46.1

*Ordo.*

Ordines minores an conferri possint in quocumque festo duplici, etiam si non sit festius ex præcepto. 54.2.1 & sequentibus.

Beneficiarius non habens Ordinem sacrum, an peccet grauitè non recitando Officium diuinum, cum animo tamen restituendi fructus. 391.1.1 & seqq.

P

*Pañum.*

Pañum an licitum sit in dote, vt restitui debeant nummi aurei, stante ferè certitudine, quòd valor auri crescere debeat. 393.2.1 & seqq.

*Parents.*

An tuti sint in conscientia Parentes, qui dant dotem filiabus infra portionem legitimæ debitæ, & cogunt eas renuntiare legitimæ. 395.1.1 & seqq.

*Parochia.*

in Parochiis vnitis Abbatix regulari an Episcopus possit deputare Confessarium extraordinarium. 340.2.1 & sequentibus.

*Parochus.*

Parochus bis celebrans diebus festis in duabus Parochiis, quas habet, an possit permitti in eisdem etiam celebrare diebus profestis. 21.2.1 & seqq.

Sacerdos regularis an possit assistere matrimonio, vbi nec est, nec vnquam fuit Parochus. 56.2.1 & sequentibus.

Censuras an incurrerit Parochus, qui retenta sibi pensione sine consensu Episcopi alium deputauit Vicarium suum irreuocabilem. 83.1.1 & sequentibus.

Irregularitas cuiusdam Parochi Regularis incitantis subditos ad occidendos aggressores. 92.2.1 & sequentibus.

*Pascha.*

in Paschate recipiens Sacramenta in Ecclesia Cathedrali, an satisfaciatur præcepto Ecclesiæ. 28.1.1

*Pastor.*

Si quis Eucharistiam de manu S. Petri, vel alicuius Angeli acciperet, an posset adhuc eadem die iterum de manu proprii Pastoris Eucharistiam sumere. 27.2.7 & seqq.

*Patrinus.*

Patrinus an possit esse pater in Baptismo sui filij illegitimi. 10.1.1 & seqq.

*Pauper.*

Pauper an possit petere eleemosynam supra id, quo actu indiget. 382.2.1 & seqq.

Pauper, qui verè pauper est, an possit petere supra id, quo præcisè indiget, an præcisè id, quo indiget. 383.2.4

*Peccatum.*

Quæ verba sufficiant ad Peccatum reseruatum

seruatum contra votum obedientiæ, & quid quando non dicuntur ipsi Superiori immediatè, sed per alium. 214.2.1 & seqq.

*Pecunia.*

de Pecunia donata & legata ad fundationem Collegij, quando Episcopus non consentit fundationi, quid faciendum sit. 232.2.1 & seqq.

An nomine Pecuniæ numeratæ veniat massa argenti rudis. 373.1.1 & sequentibus.

*Pensio.*

Clericus transiens ad armatam militiam, an perdat Pensionem, quam ex dispensatione retinere poterat in statu matrimonij, & sine habitu clericali. 335.2.1 & seqq.

*Peregrinus.*

Peregrinus an incurrat excommunicationem latam ab Episcopo illius loci, ob furtum ibi ab ipso commissum. 392.1.1 & seqq.

*S. Petrus.*

à S. Petro si quis non absolueretur, an deberet adhuc peccata illa confiteri Sacerdoti mortali. 25.2.1 & seqq.

Si quis Eucharistiæ Sacramentum de manu S. Petri, vel alicuius Angeli acciperet, an posset adhuc eadem die iterum de manu proprii Pastoris Eucharistiam sumere. 27.2.7

*Planeta.*

An in legato supellectilis sacre comprehendatur Planeta, quæ nondum fuerat ad vsum adhibita. 371.2.1 & seqq.

Pœna à testatore imposta, an obliget hæredem hæredis. 376.2.1 & sequentibus.

*Pœnitens.*

Confessarius an teneatur semper absolueri Pœnitentem, cuius confessionem audiuit. 37.2.1 & seqq.

Pœnitens an possit recipere Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore de vno veniali, quin doleat de aliis venialibus specie diuersis, etiam grauioribus. 44.1.1 & seqq.

*Pœnitentia.*

Pœnitentiæ Sacramentum. 25.2.1 & sequentibus.

Pœnitens an possit recipere Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore vno veniali, quin doleat de aliis venialibus specie diuersis, etiam grauioribus. 44.1.1 & seqq.

*D. Io. Card. de Lugo Respons. mor.*

*Pontifex.*

Pontifex an possit dispensare cum aliquo ad contrahendum matrimonium cum sua nuru. 63.1.1 & seqq.

Pontifex an possit cogere Religiosum suo præcepto ad acceptandum Episcopatum. 1.2.1.1 & seqq.

Pontifex an posset creare Episcopum Titularem eum, qui non habebat doctrinam, quæ pro Episcopis petitur à Tridentino. 321.2.1 & seqq.

Pontifici an maneat reseruatum votum castitatis, postquam dispensatio obrenta fuit ad effectum contrahendi matrimonium. 347.1.1 & seqq.

Pontifex an possit de potestate absoluta delegare iurisdictionem spiritnalem homini non baptizato. 360.2.1 & sequentibus.

*Pontificalia.*

Episcopus suffraganeus an possit cum licentia Episcopi nondum reuocata, post eius mortem exercere Pontificalia Sede vacante. 51.1.1 & sequentibus.

*Præbenda.*

De obligatione illius, qui apertis litteris alienis, nouit vacationem Præbendæ, quam impetrari curauit pro quodam amico suo. 303.2.1 & sequentibus.

*Prædium.*

A quo sit resarciendum damnum illatum dominis Prædiorum pro extruenda arce tempore belli. 381.2.1 & seqq.

*Prælatus.*

Absoluendi facultas concessa Prælato Regulari, an transeat ad eius successorum. 29.1.1 & seqq.

Subditus an possit, & debeat obedire Prælato, quando dubitat, an sit licitum quod præcipitur. 152.2.1 & seqq.

De obligatione Prælati, aut Beneficarii Ecclesiastici ad dandam eleemosynam. 305.2.1 & seqq.

Prælatus an ex voto obedientiæ possit præcipere actus internos. 363.1.1 & sequentibus.

*Præpositus.*

Præpositus, vel Rector, an possit eligere sibi Confessarium, à quo absoluetur à reseruatis. 224.2.1 & sequentibus.

*Præsepe.*

Potens approbare Oratorium ad celebrandum, an possit dare facultatem

celebrandi nocte Natalis in Aula, vbi constituitur Præsepe Dominicum. 22.2.1 & seqq.  
*Priuegium.*  
 Priuegia Societati concessa pro iis, qui mittuntur ad Indiam, an competant iis, qui vel in India nascuntur, vel ibi Societatem ingrediuntur. 274.2.2 & seqq.  
 An Legatus à latere possit vti Priuegiis Societatis circa personas eiusdem Societatis, sicut possunt Prælati Societatis. 277.2.1 & seqq.  
 Priuegia concessa Indis an profint iis, qui nati sunt ex patre Hispano, & matre Indica, vel è contra. 358.2.1 & seqq.  
*Professio.*  
 Professionem an licitè & validè emiserit tacens homicidium deductum ad iudicium. 100.1.1 & seqq.  
 Professio illius, qui annum probationis interruperat. 102.1.1 & seqq.  
 Prætensa inualiditas Professionis cuiusdam Monialis ex causa metus, & postea ratificatæ. 137.2.1 & seqq.  
 An qui Professionem fecit non præmissis informationibus, quas exigit Sixtus V. possit post quinquennium reclamare. 159.2.1 & seqq.  
 Professio emissa ante tempus, quod Generalis præscripserat, an fuerit valida. 195.1.1 & seqq.  
 Professio facta in manibus Episcopi sæcularis ex commissione Prouincialis, an fuerit valida. 198.1.1 & seqq.  
 Professio in Societate an sit valida ante solidam ætatem, & an iura antiquitatis debeantur à die Professionis computari, an verò à die ætatis completæ. 212.2.1 & seqq.  
 Professionem in Societate emissuri an possint examinari ante finem studiorum. 276.1.1 & seqq.  
 de Professione data ex errore commisso à Secretario, qui litteras Generalis scripsit, quid. 261.1.1 & seqq.  
*Professus.*  
 Cui acquiratur legatum relictum Professo Societatis, qui ante Professionem renuntiauerat omnia sua bona. 172.2.1 & seqq.  
 Professus legitimè carceratus, an sit ad Congregationem Prouincialem vocandus, vel possit in ea eligi. 220.1.1 & seqq.  
 Professus Societatis an possit sine præcepto Summi Pontificis assistere loco ordinarij in Tribunali Sancti Officij. 241.2.1 & seqq.

de Professo Societatis fugituo quid iudicandum sit. 244.1.1 & seqq.  
 Professo Societatis transeunte ad alium Ordinem, & inde postea ad Clericos Regulares S. Ioannis Hierosolymitani, quid. 256.2.1 & seqq.  
 Societas an prætere possit hæreditatem ab intestato nomine Professi, qui ante Professionem omnia sua iura cesserat Collegio Societatis. 168.2.1 & seqq.  
*Profesti dies.*  
 Profesti dies, quid. 55.2.3  
*Promissio.*  
 Promissio facta à Regularibus colendi fundum per plura triennia successiuè. 132.2.1 & seqq.  
*Prouincialis.*  
 Prouinciales Societatis in India, an debeant, aut possint venire ad Congregationem generalem. 222.1.1 & sequentib.  
 Prouincialis Societatis an possit benedicere sacra ornamenta. 249.2.1 & seqq.  
 Vide *Oratorium.*  
*Puella.*  
 Extrahentes Puellam è Monasterio, vbi ad educationem commorabatur, an incurrerint excommunicationem. 122.1.1 & seqq.  
**R**  
*Rector.*  
**R**ector, aut Præpositus an possit eligere sibi Confessarium, à quo absoluetur à referuatis. 224.2.1 & sequentib.  
 Rectores Seminariorum an possint benedicere sacra ornamenta. 249.2.1 & sequentib.  
*Redditus.*  
 Testator an potuerit obligare Collegium Societatis ad dandos Domui professæ Redditus annuos per viginti annos. 178.2.1 & seqq.  
 Collegium Societatis an grauari possit à testatore ad dandos Redditus annuos perpetuos Domui professæ ad fabricam Ecclesiæ à se fundatæ. 180.1.9  
*Regula.*  
 Sensus Regulæ prohibentis omnibus Societatis personis officia executoris testamenti, & Procuratoris. 226.2.1 & seqq.  
*Regularis.*

*Regularis.*  
 Episcopus an possit totum Conuentum Regularium à Confessionibus audientibus suspendere. 28.2.1 & seqq.  
 Regulares an post decreta Clementis VIII. & Pauli V. absolueri adhuc possint in xra sua priuegia à peccatis circa duelum, excepta prouocatione, & pugna. 82.1.1 & seqq.  
 Regulares cuiusdam Congregationis an potuerint reclamare contra Prælatos, à quibus regebatur. 104.1.1 & seqq.  
 Regulares an virtute Bullæ Cruciatæ possint saltem extra Confessionem absolui à censuris Papæ referuatis. 118.1.1 & seqq.  
 Regulares an licitè promittant Communitati sæculari, se nunquam empruros bona immobilia in eo territorio. 123.1.1 & seqq.  
 Promissio facta à Regularibus locandi fundum per plura triennia successiuè. 132.2.1 & seqq.  
 Regularium grangia an gaudeat immunitate. 136.2.1 & seqq.  
 Episcopus an possit prohibere, ne Regulares concionentur in suis Ecclesiis diebus Quadragesimæ, quibus eadem hora habetur concio in Ecclesia collegiata eiusdem loci. 332.2.1 & seqq.  
 Episcopus an possit prohibere Regularibus, ne in Ecclesiis sæcularibus Missas celebrent. 342.1.1 & seqq.  
*Religiosus.*  
 Religiosi an possint validè assistere matrimonio suorum familiarium. 60.1.1 & seqq.  
 Religiosus an cogi possit à S. Pontifice suo præcepto vt Episcopatum acceptet. 112.1.1 & seqq.  
 Religiosus non manifestans delaram sibi hæreditatem. 135.1.1 & seqq.  
 Religiosis an liceat negotiatio ad recuperandum debitum, vel ad substituendam illam pro censu extincto. 158.1.1 & seqq.  
 Religiosus an possit eligere sibi specialem iudicem Conseruatorem diuersum ab eo, qui est iudex Conseruator illius Collegij. 248.2.14  
 Religiosus Societatis an possit cogere actorem, vt eum potius conueniat coram Conseruatore, an verò ipse actor possit pro libito adstringere Religiosum, vt coram alio iudice respondeat. 249.1.15  
 Actor an possit agere contra illum Re-

ligiosum, vbi est ipse Religiosus, an vbi sunt bona stabilia, quæ petuntur. ibid 7  
 Religiosus factus Episcopus an maneat adhuc Religiosus, & cum voto paupertatis, & an acquirat dominium fructuum sui Episcopatus. 307.1.1 & seqq.  
 Religiosus factus Summus Pontifex, an sit dominus bonorum, & reddituum, quos percipit. 313.1.20  
*Renuntiatio.*  
 Cui acquiratur legatum relictum Professo Societatis, qui ante Professionem Renuntiauerat omnia sua bona. 172.2.1 & seqq.  
*Reseruata.*  
 De eo, qui post concessionem illimitatam ad Reseruata, obtinet aliam magis limitatam. 35.2.1 & seqq.  
 Confessarius ordinarius Regularium an possit eos absolueri à Reseruatis Papæ. 93.1.1 & seqq.  
 Præpositus, vel Rector an possit eligere sibi Confessarium, à quo absoluetur à Reseruatis. 224.2.1 & seqq.  
*Resignatio.*  
 An possit quis habere animum Resignandi beneficium, dum procurat adhuc expeditionem Bullæ. 285.2.1 & seqq.  
*Retrouenditio.*  
 Vide *Venditio.*  
**S**  
*Sacerdos.*  
**S**acerdoti simplici an possit committi in aliquibus locis facultas conferendi Sacramentum Confirmationis. 12.1.1 & seqq.  
 Sacerdos secundo celebraturus an possit in prima Missa dare ablutionem in calice laico accipienti Communionem. 17.2.1 & seqq.  
 Si quis nunc à S. Petro absolueretur, an deberet adhuc peccata illa confiteri Sacerdoti mortali. 25.2.1 & seqq.  
 Sacerdos qui non tetigit calicem, & paternam, dum forma proferebatur, sed immediatè post, an debeat, vel possit iterum sub conditione ordinari. 52.2.1 & seqq.  
 Sacerdos regularis an possit assistere matrimonio, vbi nec est, nec vnquam fuit Parochus. 56.2.1 & seqq.  
*Sacramentum.*  
 In Paschate recipiens Sacramenta in Ecclesia Cathedrali, an satisfaciat præcepto Ecclesiæ. 24.1.1  
 M m 3 Schola



*Scholaris.*  
 Scholaris Societatis, qui post vota biennij retinet adhuc dominium suorum bonorum, super quibus intentatur ei lis à secularibus, an possit conueniri coram iudice Conseruatore eiusdem Societatis. 247. 2. 9

*Seminarium.*  
 Seminarij conuictores an reputentur vt familiares Societatis. 234. 2. 1 & seqq.

*Senatus.*  
 Senatus, vel Capitulum generale, quomodo obligetur propriis legibus. 388. 2. 1 & seqq.

*Societas.*  
 An qui post vota biennij è Societate dimittitur, indigeat nouitiatu nouo. 162. 1. 1 & seqq.  
 An qui petiit dimitti è Societate, vt hæreditatem paterni ab intestato obtineret, an potuerit validè dimitti, & hæreditatem acquirere. 165. 1. 1 & seqq.  
 Societas an sine facultate Sedis Apostolicæ possit ei, quem dimittit, reddere bona immobilia, quæ antea ab ipso per renuntiationem acciperat. 265. 2. 1 & seqq.  
 Societas an prætere possit hæreditatem ab intestato nomine Professi, qui ante Professionem omnia sua iura cesserat Collegio cuidam Societatis. 168. 2. 1 & seqq.  
 An ille, qui est iam plene emendatus, possit in Societate denunciari Prælati, vt Patri. 270. 2. 1 & seqq.  
 Quando aliquis è Societate ante Professionem relinquit legatum cuidam Collegio, an Generalis possit post mortem testatoris illud acceptare. 175. 1. 1 & seqq.  
 An consulens homicidium, ipso securo, sit inhabilis ad ingrediendam Societatem. 273. 1. 1 & seqq.  
 An priuilegia Societati concessa pro iis, qui mittuntur ad Indiam, comperant iis, qui vel in India nascuntur, vel ibi Societatem ingrediuntur. 274. 2. 1 & seqq.  
 An possint Professionem in Societate emissuri, examinari ante finem studiorum. 276. 1. 1 & seqq.  
 Societatis priuilegia, vide *Priuilegia.*

*Subdelegatio.*  
 Generalis Societatis an possit Subdelegare Prouinciali facultatem concedendi licentiam ad legendos libros prohibitos. 259. 2. 1 & seqq.

*Subditus.*  
 Subditi Societatis non possunt à Confessorio absolui sine licentia suorum Superiorum, virtute cuiuslibet indulti, & concessionis Pontificiæ. 42. 1. 12  
 Generalis Regularis an possit obligare Subditum ad acceptandum Episcopatum. 106. 1. 1 & seqq.  
 Subditus an possit, & debeat obedire Prælati, quando dubitat, an sit licitum quod præcipitur. 152. 2. 1 & seqq.

*Successor.*  
 Absoluendi facultas concessa Prælati Regulari, an transeat ad eius Successorem. 29. 1. 1 & seqq.

*Suffragium.*  
 De Suffragio examinantis dicentis illum vix, aut ægrè posse docere, quid dicendum. 211. 2. 1 & seqq.  
 Suffragium dubium in Congregatione Prouinciali. 238. 2. 1 & seqq.

*Supellex.*  
 Supellex Congregationis Parthenicæ, an dissoluta Congregatione pertineat ad Collegium Societatis. 193. 1. 1 & seqq.  
 An in legato Supellectilis sacræ comprehendatur planeta, quæ nondum fuerat ad usum adhibita. 371. 2. 1 & seqq.

*Suspensus.*  
 Suspensus occultus an celebrare possit sine periculo irregularitatis ad alendum se, & matrem egentem. 94. 1. 1 & seqq.

T

*Tabachum.*  
**T**abachi aliquid in fronte, sumptum ore, vt dentibus solum conteratur, an soluat ieiunium naturale ad Communionem necessarium. 15. 2. 1 & seqq.  
 Quid si folium Tabachi ore fumatur, & dentibus conteratur ad sputa, & phlegmata ex ore proicienda. 16. 2. 2

*Taxa.*  
 Episcopus an possit procedere ad Taxam contributionis pro Seminario faciendam cum tribus solis deputatis, renuente Clero quartum eligere. 334. 2. 1 & seqq.

*Testator.*  
 Testator an potuerit obligare Collegium Societatis ad dandos Domui professæ redditus annuos per viginti annos. 178. 2. 1 & seqq.  
 Testator excludens Professum ab aliquo legato, an censeatur excludere eum, qui emisit vota simplicia in Societate. 263. 2. 1 & seqq.

An

An sufficiant coniecturæ de mente Testatoris, vt Capellanus teneatur celebrare per seipsum, quando testator id satis non expressit. 343. 2. 1 & seqq.

V

*Venditio.*  
 an **V**endere domum sibi legatam in solam vitam emptoris possit Dominus professa Societatis. 189. 2. 1 & seqq.  
 De venditione cum pacto retrouendendi quid. ibid.  
 Venditio vini facti communis per admixtionem. 378. 1. 1 & seqq.

*Verbum.*  
 Quæ Verba sufficiant ad peccatum reseruatam contra votum obedientiæ: & quid, quando non dicuntur ipsi Superiori immediatè, sed per alium. 214. 2. 1 & seqq.

*Vinum.*  
 Venditio Vini facti communis per admixtionem. 378. 1. 1 & seqq.

*Vnio.*  
 Vnio duarum Ecclesiarum parochialium, an potuerit fieri ab Episcopo post decretum Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 13.*

*Votum.*  
 An qui post Vota biennij è Societate dimittitur, & postea iterum recipitur, indigeat nouitiatu nouo. 162. 1 & seqq.  
 Archidiaconus dispensatus à Summo Pontifice in defectu ætatis, an possit habere Votum in Capitulo. 330. 1. 1 & seqq.  
 An maneat reseruatam Summo Pontifice Votum castitatis, postquam dispensatio obtenta fuit ad effectum contrahendi matrimonium. 347. 1. 1 & seqq.  
 Prælati an ex Voto obedientiæ possit præcipere actus internos. 365. 1. 8  
 An possit aliquis Votum emittere non se obligando sub peccato, sed sub imperfectione. 367. 1. 1 & seqq.

INDICIS FINIS.

